DE INQUIRENDA VERITATE LIBRI SEX. IN QUIBUS MENTIS HUMANAE NATURA DISQUIRITUR, &...

Nicolas : de Malebranche, Jacques Lenfant




NAZIONALE
VITT. EMANUELE
13
19 D
48

DE

INQUIRENDA VERITATE LIBRI SEX.

IN QUIBUS MENTIS HUMANÆ NATURA disquiritur, & quomodo varijs illius facultatibus, ut in Scientijs error vitetur, utendum sit, demonstratur;

AUTHORE

P. MALEBRANCHE,

C. O. D. I. P.

Ex ultimâ Editione Gallicâ pluribus Illustrationibus ab ipso Authore aucta Latinè versi.



Conuentus S. Mariæ de Scala




Proibito

GENEVÆ,

Apud JOH. LUDOVICUM DUFOUR.

M. DC. LXXXV.

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.



PRÆFATIO INTERPRETIS.



Uum primùm huic versioni operam dedi, quicquam præfandi animus non erat. Expertum enim habeo hanc methodum, quæ Lectoribus præparandis vulgò destinatur, fastidium potiùs ut plurimùm creare. Verùm inter scribendum, super toto hoc opere multa mentem subierunt, de quibus Lectorem moneri, operæ pretium duxi. Inter illa quædam Interpretem & versionem spectant, quædam verò Authorem, & ipsum Opus *de inquirenda Veritate.*

Ad me quod attinet, pauca dicere institui. Ne, quod fieri solet, philautiæ imputentur, quæ utilitatis publicæ gratiâ proferrem. Ac reverâ, in limine libri veniam frustra deprecarer, & supplici apologiâ causam meam agerem. Lector susque deque habitâ præfatione, de iis solùm quæ videt judicat, imò judicare tenetur. Quorsum igitur tum operis difficultatem, tum materiæ, idearum & hypotheseos novitatem, tum diversarum linguarum genium &c. causarer? hæc omnia probè nota sunt, nec in difficilibus minùs est respondendum expectationi publicæ, quàm in facillimis ad opus arduum non debet se accingere imperitus opifex. Frustra etiam monerem de necessitate, quæ Interpretibus incumbit, ut variæ linguarum indoli satisfiat, multa immutandi, contrahendi, amplificandi, quæ Gallico idiomate tropicè expressa sunt, Latinè propriè exprimendi &c. Ex quo Idiomata inter se commutantur, hæc sæpiùs agitata fuere, quàm ut quenquam nunc lateant, sed ita tamen ut nemo ignoret limites & cancellos, intra quos sese continere debet legitimus Interpres. Intra illos memet religiosè continere ubique conatus sum, & nihil scribere aggressus, quod priùs clarè & distinctè non perceperim, imò vividè senserim. Ut hæc igitur, si ulteriùs urgerentur, inutilia futura omittam, quædam sunt circa versionem, de quibus Lectorem monitum velim.

Non deerunt, qui vitio vertant simplicitatem illam quæ dominari videtur in toto hujusce versionis stylo: addent forsan multa passim occurrere minùs Latina, alia verò obscura & prorsus ἀκατάληπτα. Nobis equidem dubium non est, multa in hac versione desiderari, imò

permulta, ἀναμαρτησίαν non affectamus. Abſit à nobis iſta mens immò amentia. Attamen ut aliquid de publicæ criminationis pondere, quantum in me erit, detraham, non deſunt quæ pro partibus meis afferam.

Ad ſimplicitatem quod ſpectat, certè iis Latinæ linguæ minùs ſapere mihi videntur, qui turgidum illum ſtylum ubique conſectantur. Ac vix non ſuſpicor eos ſub phalerata oratione ingenii & cogitationum tenuitatem velare. Oratorem Romanum, Ciceronem intelligo, in rebus maximis, ſimplicitatis tamen fuiſſe ſtudioſum videmus. Immò inter ipſos Poëtas Latinos ſimplicitas à viris eruditis ſemper fuit ſpectatiſsima. Horatius Juvenali apud Doctos palmam facilè eripit, ob ſimplicitatem illam, quâ naturam adeò feliciter eſt imitatus. Itaque ingenua Latinitas, quæ Ciceronis ſeculo vigebat, ab adulterina illa quæ inferioribus ſæculis obtinuit ſimplicitate, veluti charactere quodam non malè dignoſci poſſe mihi videtur. Si verò reſpectu illorum auctorum res ita ſe habeat, cur, quæſo, ſimplicitas in aliis rebus adhibita, in Philoſophicis repudiaretur? Quia potiùs ibi ſimplicitas regnare debet, ſi uſquam. Ac reverâ iſtud privilegium videmus Philoſophis ſemper fuiſſe conceſſum.

Licèt hîc ingenuè profiteri debeam, illos hoc privilegio perperam fuiſſe abuſos, intromittendo pro ſimplicitate tantam terminorum æquivocationem, improprietatem, & barbariem, ut à nemine poſsint intelligi, licèt à multis legantur. Quod me in hanc injicit opinionem. Nempe Philoſophi (Scholaſticos illos intelligo Philoſophos, exceptis ab eorum claſſe antiquis) cùm rerum haberent ideas admodum confuſas & obſcuras, ne dicam nullas, eas tamen explicare ſatagerent, ſimplicitatis ſtudium præ ſe ferentes, id ſibi juris arrogarunt, ut novos eoſque barbaros obtruderent terminos, ſub quibus ipſorum ignorantia latitaret. Nec ipſis ſanè res malè ceſsit. Quippe Lectoris attentio circa terminos ſatis ſuperque occupata, rerum ipſarum futilitatem deprehendere ampliùs non valuit. Ita, ut ſi quid obſcurum eſſet, id partim profundæ Philoſophorum eruditioni, partim ipſorum ingenii tarditati lectores tribuerent, atque ſic gens barbara, dum ſimplicitatis ſtudium ſimulavit, obſcuritatem ſibi equidem commodam invexit. Hinc igitur patet vocem *ſimplicitatis* eſſe æquivocam. Philoſophi vulgò dicuntur *ſimpliciter* loqui, & ornamenta orationis negligere. Nos verò dicimus illos *barbarè* loqui, nec ornamentis uti, quia illorum quæ dicunt deformitas tanta eſt ut nullum patiatur *ornamentum*. Hæc non eſt verorum Philoſophorum *ſimplicitas*, nec fuit etiam noſtra in hac verſione. Terminos

Schola-

Scholasticos cane pejus & angue ubique vitavimus. *Simplicitas* igitur hîc adhibita opponitur turgido illi, κομψὸλέξῳ, & metaphorico stylo, qui nihil sapit præter phaleras & cothurnos, quo authores sæculi veluti grallis incedentes populo fucum faciunt.

Dixi veros Philosophos ab ejusmodi stylo abhorrere. Idque non una de causa. Etenim cùm *Veritas* sit objectum Philosophiæ, homines verò iis quæ sensus palpant longè magis addicti sint, quàm iis quæ purâ mente percipiuntur, si *Veritas* orationis, ornamentis & tropis, seu aliis quibuslibet involucris induta, ipsis proponeretur, sensibus & imaginatione ita detinerentur circa illa externa, ut ad *veritatem* sub iis delitescentem assequendam inepti prorsus evaderent. Philosophi igitur veritatem nudam, quantum quidem fieri potest, hominibus proponere debent, ac proinde *simpliciter* & propriè loqui.

Nec tamen, ut hîc dicam quod res est, malè institutum fuit, ut cæteri homines dum non philosophantur, istius *philosophicæ simplicitatis* jugum excutiant, & imaginationi indulgeant. Etenim cùm VERITAS, circa quam versantur Philosophi, sit admodum brevis & uniformis, si homines puram & nudam veritatem *simpliciter* ubique exprimere vellent, citò ad silentium vel ad injucundas redigerentur repetitiones, sicque societas interiret. Omnes veritates ad quasdam easque paucissimas generales classes possunt referri, quibus peractis eadem dicenda semper recurrerent, vel silendi necessitas incumberet. Hinc factum est, ut homines ad societatem nati, tropos & figuras tum in verbis tum in rebus invenirent, quibus res easdem, licèt diversa sub veste, indesinenter sibi mutuò offerrent. Adeò, ut de plerisque illorum libris & colloquiis, si quis absque præjudicio & seclusis sensibus judicare velit, comperiat haud dubiè in iis sub innumeris propè ornamentis & externis modis veritatis & realitatis oppidò parùm subesse. Sed hæc vulgus observare necesse non est, immò nequit, utpote quòd de omnibus per sensus judicet. Utinam saltem qui Philosophi audire gestiunt, ad id attenderent. Hoc pacto enim studia ita instituerent sua, ut veritate à veritatis speciebus secretâ, ab ingentium illorum voluminum lectione abstinerent, quæ, si sola veritas ex iis exprimeretur, ad paucissimas redigerentur paginas, & futiles illas syllogisticas disputationes procul arcerent, in quibus dies toti consumuntur ad rem evolvendam, quæ unico momento simpliciori methodo confici posset.

Verùm præter hæc de *simplicitate* generatim dicta, pressiùs ago, & dico styli simplicitatem hîc non modò fuisse consentaneam, verùm

etiam inevitabilem relatè ad authoris propositum. Totus hic nihil sapit, nihilque disertiùs commendat quàm *simplicitatem*. Immò Capita integra destinantur ad impugnandum plerorumque authorum fastum atque τύφον. Versatur circa sensuum, imaginationis & affectuum errores, qui ab idearum confusione & *multiplicitate* duntaxat oriuntur. Ac denique methodum tradit, quâ scientiæ revocari possint ad principia simplicissima. Quid igitur, si *simplicitatis* præcepta stylo inflato & eloquentiæ floribus ubique distincto tradidissem? Certè pro hoc Opere, ab omnibus tantopere jamdudum desiderato, nihil publico communicasse meritò dicerer, præter monstrum Horatiano simile.

Ad ea quæ minùs Latina forsan in hac versione reperientur. Non inficior multos posse passim occurrere Gallicismos, cùm interpres sit Gallus. Sed si Germanus aut Anglus eidem Operi incubuissent, occurrerent pariter phrases Germanicæ & Anglicæ, & sic de cæteris. Addo etiam me Latinæ linguæ non studuisse tantum, ut Latinam linguam callerem, sed duntaxat ut res Latino idiomate scriptas in authoribus tum antiquis tum recentibus intelligere possem. Quemadmodum dotes suas hominibus natura variè distribuit, sic proinde varia ipsis competunt negotia & studia. Sunt qui linguæ Latinæ genium, energiam, proprietates & veneres accuratissimè assequuntur, quippe qui à natura ad id fuerint comparati. Si ejusmodi viri huic versioni operam navâssent, Latinitate puriori & elegantiori usi fuissent, sed res forsan minùs clarè & energicè expressissent, quippe qui eas minùs clarè intellexissent. Jam autem illud Opus non ad titillandas aures, sed ad mentem erudiendam destinatum fuit. Quanquam reverâ Galli felices prædicari debent, quorum solum tantùm tulit virum, quem linguâ sibi vernaculâ loquentem audire, & scribentem legere possint. Cæterùm, si multa circa meam Latinitatem desiderentur, id possum respondere, quod Cartesium respondisse alicubi legi, iis, qui rem eandem ipsi vitio vertebant. Nempe illos qui perfectam Latinæ linguæ cognitionem sunt assequuti, nullam ex ea habere prærogativam quam non haberet ancilla Ciceronis.

Uno verbo, ut istud missum faciam, etsi illâ puriori & accuratiori Latinitate uti voluissem, id nec potuissem nec debuissem. Quum enim juxta novas ideas (novas intelligo respectu nostri, non in se) ratiocinetur author, novis etiam utendum fuit terminis, quibus illæ alligarentur ideæ. Nempe termini usitati ideas vulgares & *usitatas* excitâssent. Unde fit, ut nemo ad Librum Latinum faciendum se

accingere

accingere debuerit, nisi priùs, principiis in eo expositis altè imbutus. Ac quemadmodum oportuit Interpretem sæpe sensibus & imaginationi silentium imponere, ad excogitandos terminos, qui res exprimerent, eadem etiam necessitas incumbit Lectoribus, ut occasione terminorum adhibitorum, ideas habeant quas ipsos habere par est.

Denique, qui objicient multa in ea versione occurrere & obscura & ἀκατάληπτα, viderint, ne obscuritas, quam tribuunt Interpreti, ipsis sit potiùs tribuenda. Multos vidi qui eandem quererentur obscuritatem & ἀκαταληψίαν in Exemplari Gallico; ac eosdem pariter monebam, illud vitium ipsorum ingenii tarditati potiùs esse imputandum quàm authori, qui clarè quidem loquitur, licèt ab attentis duntaxat intelligi possit.

Sunt malè feriati quidam homines, qui, quas primo intuitu non sunt assequuti, veluti absurda & intentione indigna respuunt, vulgaribus ideis præpediti, si quid ipsis inusitati offeratur, illud veluti ineptum aut hæreticum igni addicunt. Sic, philautiâ duce, ignorantiam & stupiditatem suam obtegunt. Nemo igitur animum despondeat; veritas non est indigna quæ hunc ab hominibus laborem & patientiam impetret.

Ac certè, ut hîc exemplo utar ad rem apprimè facienti, si quid unquam obscuri & ἀκαταλήπτου in lucem prodierit, id de Aristotelis Interpretibus dicere posse mihi videor. Id quod ex eo patet, quòd integra volumina conflata fuerint, in quibus, quid de hac vel illa re senserit Aristoteles, ultrò citroque disputatur. Nihilominùs tamen, quo ardore, quâ perseverantiâ in Scholis leguntur isti Interpretes, qui Aristotelem veluti Proteum quendam multiformem inducunt? Illum æstum aliquot abhinc annis multis in locis deferbuisse equidem fateor. Sed tamen adhuc plures sunt Peripatetici, quàm veri Philosophi. Veros Philosophos intelligo, qui nulli sectæ, nullive Magistro speciali addicti, rectâ ratione utuntur, illam sedulò interrogant, & ipsius responsiones attentè auscultant ad res naturæ cognoscendas. Jam verò à diligentibus illis Stagiritæ Philosophi asseclis, qui ipsius Interpretes diurnâ nocturnâque versant manu, lubens petam, quid à laboribus suis fructûs tandem perceperint? an naturam meliùs quàm anteà cognoscant? an effecta per causas faciliùs explicare possint? an talia habeant principia, ex quibus pro re nata, consequentias deducant necessarias ad solvenda obvia quælibet dubia? an se ipsos & sui authorem distinctiùs quàm antea cognoscant? an affectibus dominari didicerint? an à sensuum & imaginationis impe-

rio possint sese aliquando ad res ut in se sunt inspiciendas, extricare? an deniq; incomparabilem istam, circa quam tantopere desudant, Philosophiam senserint lumen menti & cordi sanctitatem aspersisse? ausim dejerare illos, si equidem sint sinceri, inanitatem suam esse fassuros. Quòd si superbia ipsos sincerè mentem aperire vetet, loquantur modò, proprio ferro ipsi sese jugulabunt. Audias illos terminis vagis & barbaris, confusa, insulsa & indigesta quædam, thrasonicâ audaciâ deblaterantes, nihil verò certi, nihil distincti, nihil solidi. Adeò, ut ipsorum systema terminorum potiùs quàm rerum systema dicas. Præterea sunt superbi, acres, morosi, iracundi &c. Atque hæc sunt egregia Philosophiæ Scholasticæ emolumenta. Si igitur in libris adeò inutilibus, ne dicam perniciosis, legendis & evolvendis tempus consumere & omnes vorare difficultates non dubitaverint hucusque Philosophiæ Studiosi; omnem profectò superaret absurditatem, si propter leves quasdam difficultates deterrerentur à legenda versione istius tantæ spei Operis *de Inquirenda Veritate*. Stultum est equidem difficiles habere nugas, sed veritatem quolibet pretio sibi comparare viri sapientis est. Lectorem igitur bono animo esse, & errores in hac versione admissos nobis indicare enixè rogamus.

Istud enim specimen est duntaxat, quod publici juris facimus, totum Opus emendaturi, si viri cordati sinceris & benignis nos dignentur admonitionibus. Nec id modò. Si hoc initio satisfactum fuerit publico, iis quæ supersunt ejusdem authoris scriptis, nempe *tractatui de natura & gratiâ, colloquiis Christianis, Meditationibus Christianis, Responsioni ad Arnoldum, & Systemati Ethicæ Christianæ*, mox publicandis, operam nos daturos esse pollicemur. Nec certè hujus laboris nos pœnitebit. Dum modò hic Liber ab extraneis non legatur eodem modo ac spiritu, quo jam à plerisque popularibus nostris lectus fuit. In Gallia nemo non legit hunc Librum; at quotusquisque est, cui eo lecto sit mens perspicacior & purior, judicium rectius & subactius? unde istud? Causam sine dolore non possum afferre. Nempe legunt hunc librum & cæteros ejusdem generis tanquam historias, quas equidem memoriâ tenent, & de quibus ubi casus postulabit multa historicè narrabunt. Sed ubi ipsis incumbit proprio Marte ratiocinari, de rebus judicium ferre, verum à falso dignoscere, ac denique vitæ justum genus cooptare, ipsos ut antea videas sensuum, imaginationis & affectuum imperio mancipatos in ratiocinia confusa & absurda, in judicia vulgaria relapsos, verum pro falso, & falsum pro vero accipere, à ratione in omnibus aberrare, ac idem vitæ & studiorum

rum

rum genus eligere, ac si nulla unquam hac de re tradita essent præcepta. Quia scilicet, cùm bonos libros in proprium succum & substantiam convertere debuissent, illos sine attentione, examine, philalethiâ, rationis & libertatis usu, sed duntaxat famæ sibi conciliandæ gratiâ legerunt.

Ceterùm, quemadmodum quæ in hac præfatione à me dicta sunt, authori legitimè non possunt imputari, quamvis ab ipsius cogitationibus & genio me accommodare conatus fuerim; pariter æquum non esset mihi omnes omnino sententias authoris tribuere. Recordari debet Lector me hîc Interpretem agere non verò authorem. Author nihil equidem proferre debet quod reverâ intus non sentiat. Ac proinde per ipsius scripta aut verba de ipsius sententiis meritò judicamus. Sed de Interprete res secus se habet. Omnia juxta authoris mentem fideliter exprimere tenetur, etiam reluctante mente. Res omnes authoris sunt, sola Latinitas est Interpretis.

Hæc Lectorem monere operæ pretium duxi. 1. Ne iisdem præconceptis opinionibus, quibus præpediri solent Commentatores, & eâdem ratione Interpres etiam præpediri videar. Certè de authore istius Operis malè mererer, si in ipsius verba jurarem, ipsique ἀναμαρτησίαν tribuerem; cùm ipse caput integrum destinaverit ad explodendum futilem Commentatorum & Interpretum consuetudinem, qui authores suos ad astra evehere solent. *vid. Cap. VII. Lib. II.*

2. Quia, licèt systema & institutum authoris si generatim accipiatur omnem veritatem, utilitatem, & accurationem, ut ita dicam, superet; si tamen speciatim inspiciatur, multa poterunt passim occurrere, quæ vix sese uniuscujusque menti probabunt. Possumus asserere nullum esse humanum Opus, quod humanitatem non sapiat, ac proinde quod in quibusdam non erret & errare videatur, si speciatim examinetur. Author ipse Cartesium in genere probat, multa tamen specialia in ipso & quidem meritò carpit. Nec debet nobis succensere, immò non succensebit si de illo idem judicium feramus, quod ipse tulit de Cartesio. Itaque hîc moneo me ita esse affectum, ut tum circa ea quæ in hoc libro clarissima & certissima mihi visa sunt, tum circa ea quæ minùs clara & certa immò omnino falsa judicavi, judicium meum pariter suspendam. Poterit enim fieri, ut ea quæ nunc probo imposterum accuratiori examine facto vel melioribus adductus argumentis sim improbaturus, & quænam vel ex tarditate ingenii vel ex præjudiciis improbo aut non assequor, sim postea & approbaturus & assequuturus. Hâc meâ declaratione viris cordatis &

æqui

æqui amantibus poterit satisfieri, & os obturari malevolis istis hominibus, qui, in aliorum sententias ambitiosè & tyrannicè inquirentes, minimam erroris umbram, immò sæpe veritatem, si recèns sit retecta & ipsis incognita, velut hæresin traducere audent. Ceterùm cùm ingenui & liberalis nec modesti Interpretis sit sese authoris censorem gerere, ab iis, quæ in hoc Libro minùs certa mihi equidem visa sunt, enarrandis supersedebo.

Articulum duntaxat de Voetio Theologo Reformato attingere operæ pretium existimavi. Etenim cùm hæc versio in usum extraneorum, inter quos Voetius plurimùm floruit, sit comparata, cùmque Opus ipsum veritates omnibus Christianis communes, quæ non obstante religionum discrepantiâ possunt admitti, contineat; forsan plurimi inter Christianos Reformatos dictos, de quibus Voetius benè meritus est, & erga quem proinde sunt benè affecti, ægrè ferent illum ab authore adeò malè excipi, &, hoc solo præoccupati, ab hujusce tam utilis Operis lectione deterrebuntur. Ut igitur authori, seu potiùs veritatibus, quas exponit, patrociner, sedato animo dicam quod res est. Fateor Voetium fuisse præstantem Theologum, vastâ eruditione præditum, & in eo quod consectatus studiorum genere cæteris palmam facilè eripuisse. Sed strenuè etiam asserere debeo, ipsum immeritò & zelo sine cognitione in Cartesium fuisse invectum. Et virum hunc, cæterùm eximium & judicio præditum, hîc tamen sine judicio sese affectibus & præjudiciis mancipasse, ut Cartesium proscinderet, quia ad novum Studiorum genus ipsius scriptis adigi videbatur. Itaque author noster quoad rem meritò à Cartesii partibus stat adversùs Voetium, licèt quod ad modum rei certè immeritò in Voetium tam acerbè invehatur. Id nec Philosophum, multo minùs Christianum, decuisse videtur. Verùm ne in authoris rationes arcanas æquo curiosiùs inquiramus, ut pateat authorem sponte sine occasione & fundamento non carpsisse Voetium, poterit legi *Epistola Cartesii ad Gisbertum Voetium*, ibi totum istud negotium delucidabitur.

At verò hujusce totius Operis de *Inquirenda Veritate*, lectione & accuratâ meditatione, omnem malevolentiam & maledicentiam adversariorum Cartesii compressum iri speramus. Illius enim principiis ad utilitatem publicam & ad veritatis propagationem adeò feliciter usus est author noster, ut qui de fonte per rivos judicaverit, non dubitet Deo gratias agere, quòd tantum veritatis vindicem suscitaverit, qualis fuit Cartesius. Sed ut de illo specialiùs agamus relatè

latè ad authorem nostrum. Observandum est in Cartesio, duo esse accuratè distinguenda, scilicet, veritates speciales à veritatibus generalibus & methodo illarum docendarum. Veritates generales quas docuit sunt veræ quidem & certæ, hoc est, inter illas & mentis assensum, manifesta & necessaria deprehenditur relatio. Ita ut Philosophia, quam Cartesius docuit, quatenus ex his generalibus veritatibus constat, non tam dici debeat Philosophia Cartesii, quàm Philosophia universalis, quæ omnium hominum, cujuscunque tandem sint gentis & sæculi, mentibus insita est, sed quam crassis præjudiciorum tenebris obnubilaverant, quamque Cartesius methodo suâ è puteo veluti eruit. Qui igitur Cartesio hac in parte succensent, videant, ne veritatis & rationis ipsius sese præstent antagonistas. Dixi, veritates illas naturales è tenebris, quibus obruebantur, Cartesii methodo emersisse. Reverâ, videmus illarum veritatum semina passim disjecta in antiquis Philosophis, ut in Pythagora, Platone & Aristotele. Verùm, quia veritates illæ in ipsorum mente erant indigestæ, nec ad illas attendebant, illas inscii in scriptis ex impetu naturæ sine ordine & intempestivè disseminârunt, ita ut Lectores eas quoque incogitanter præterirent. Sed Cartesius illas in ordinem digerendo, atque ut veritates graves proponendo, attentionem excitavit, eoque homines adduxit, ut intra se collecti iis assensum præbuerint, ac ut principiis certis usi fuerint, quæ in aliis Philosophis veluti per transennam legerant. Hinc igitur patet, quàm iniquè circa hæc nonnulli Cartesio indignentur.

Ad veritates speciales quod spectat, possumus dicere illas esse Cartesii, quandoquidem industriâ & ingenio suo illas ex veritatibus generalibus secundùm methodum supradictam deduxerit. Itaque cùm è veritatis & rationis sinu immediatè non educantur, illas tradere & accipere non debemus, ut veritates certas & immotas. Sed tamen ob eas non est quòd Cartesio succenseamus, immò ipsi grates agere debemus, quòd, in specialibus illis hypothesibus statuendis, innixus fuerit veritatibus generalibus & invictis, methodumque adeò accuratam sequutus, ut res ad verum propiùs adduxerit, quàm antea adductæ fuerant. Itaque si quis secundùm eadem principia eandemque methodum, novas circa specialia hypotheses nobis proponat, non modò attentionem ipsi non sumus denegaturi, verùm assensum pollicemur, si viderimus illum rem acu feliciùs tetigisse, quàm Cartesius. Qui circa Cartesium hoc non utuntur temperamento, nec distinguunt inter veritates generales & speciales, omniaque indiscriminatim & præfractè defendunt, *Cartesiani* meritò dicuntur, hoc est, ali-

cujus Sectæ nomine meritò indigitantur, nam Cartesius ipsos pro discipulis non agnosceret.

Verùm ut Cartesii causam pleniùs agamus: distinguenda est ipsius Philosophia quandiu mansit in merâ speculatione, ab eadem ejus Philosophiâ in praxin redactâ. Licèt enim veritas in se ipsa sit amanda: & res non dicantur veræ aut falsæ, nisi quatenus sunt in mente ac proinde speculativæ, utiles verò vel noxiæ quatenus sunt in corde seu voluntate, hoc est, quatenus in praxin rediguntur. Tamen quia homines non tam ad speculandum quàm ad agendum nati videntur, & utile illos longè vividiùs afficit, quàm verum: tantopere non miror, homines primo intuitu in Philosophiam Cartesianam insurrexisse, quandiu illius utilitas, quam per se, ob socordiam, pertinaciam & stupiditatem, deprehendere non poterant, ipsis demonstrata non fuit. Veritates illæ erant novæ; quomodo igitur ab hominibus, quibus philautia suggessit, se omnes assequutos fuisse veritates, admitti potuissent? Certè hominibus sic affectis novum & hæreticum perinde est. Deinde veritates illæ erant difficiles, quia erant inusitatæ. Igitur stupendum non est, homines ingemuisse, immò rinxisse, dum unius hominis fungi instar intra unius noctis spatium nati causâ, eò se devenisse senserunt, ut prioribus cognitionibus sibi adeò caris & familiaribus abdicatis, novam omnino & incognitam insisterent viam, totumque cerebri ordinem inverterent, ut illud ideis hactenus inauditis induerent. Certè id nec per pigritiam, nec per superbiam licebat. Denique, cui bono, ajebant, tantæ molis opus aggredi? an his perfectiores & feliciores sumus evasuri? his enim incitamentis solent agere homines. Absurdum esset cognitiones, quæ hactenus commodis nostris tantopere inservierunt, nunc deserere, ad amplectendas cerebrosi cujusdam speculationes. Sic ratiocinabantur ingenia obtusa, & legitimè quidem, si ad illorum dispositionem animum advertas, at nunc saltem obloqui desinant. Ex arbore per ipsius fructus judicent. Hunc Librum, qui totus Cartesii principiis generalibus & methodo innixus est, attentè legant, meditentur, relegant. Ausim asserere, vel mentis meæ naturam à natura mentis cæterorum hominum diversam esse, vel ipsos esse experturos, libri illius lectionem tantam menti lucem & capacitatem, judicio accurationem, & cordi sanctitatem aspersisse, quantam ex ullo libro humano unquam percipere potuerint. Meditentur leges illas seu canones illas capite secundo primi Libri traditos, ad vitandum errorem in scientiis, illâ Cartesii Meditatione fretus, quæ pristinas omnes cognitiones in dubium vocare jubet, ut nihil admittatur, quod

distinctè

distinctè & evidenter non perceptum fuerit. Certè si omnibus & singulis occasionibus observentur hi canones, illorum ope eò certitudinis deveniemus, ut tantùm non infallibiles dicamur. Totum etiam systema de sensibus, imaginatione, & mente purâ nititur illâ meditatione Cartesii, in qua statuitur distinctio corporis & mentis. Jam autem ex illo systemate accuratè examinato potest expromi Ethica Christiana, quæ ad mores nostros, juxta Dei voluntatem informandos, mirum in modum inserviet. Deinde quæcunque passim habet Author noster de legibus naturæ & gratiæ, nituntur meditatione Cartesii, quâ Deus definitur *Ens summè perfectum.* Ita ut, qui ad ideam illam clarè attenderit, Deo nihil ipsius majestate indignum sit tributurus. Permulta alia possem afferre, quibus Cartesio hominum gratiam conciliarem. Sed unumquemque per se experiri juvabit.

Cùm itaque Docti huc usque *locis* quibusdam *communibus* addicti fuerint, ex quibus nihil præter falsam eruditionem generi humano atque etiam Christianismo noxiam sibi comparaverunt, moneo ipsos hocce Libro, ut *Loco communi* ad omnes scientias posse uti. Cùm enim inter veritates, licèt circa diversa occupentur, sit quædam analogia & veluti sympathia, ubi semel ad unam recta via strata fuit, ad cæteras iter perquàm facillimum est. Hæc digna essent, quæ fusiùs explicarentur, si per præfationis angustias liceret. Sed suppono me ad viros perspicaces loqui. Tantùm generalia tradam præcepta, quibus utiliter legi possit istud Opus. 1. Hic liber eo animo legendus non est, vel ut refutetur, vel ut admittatur, sed duntaxat ut veritas in eo quæratur, ideoque attentè, sine ullo affectu, nisi erga veritatem. 2. Legendus non est tumultuariè, aut vicibus nimis interruptis, vel per partes duntaxat, sed ipsius lectio à principio est incipienda & ad finem usque perducenda. Etenim si quasdam illius partes separatim legas, in ea forsan incides loca, quæ tibi absurda & ridicula videbuntur, quia à toto systemate ita pendent, ut separatim non possint intelligi. 3. Legendus non est etiam curioso & ambitioso animo, sed mens ab omnibus affectibus & philautia vacua, in ejus lectione adhibenda est. Denique legendus non est, ut historia quædam, in eo enim non facta, sed res continentur, iste liber non est memoriæ, sed mentis & judicii exercitium.

Cæterùm non est, quòd quis animum despondeat propter terminorum novitatem ac veluti insolentiam. Attendat modò Lector; familiares sibi reddat illos terminos, sese palpet, consulat & videbit eorum occasione claras in ipsius mente excitari ideas. Conetur per

se alios invenire, & nullas res aptiùs exprimere posse mirabitur. Deinde terminos illos opponat terminis Scholasticis, quibus assuevit, videbit hos ab illis differre, quantum tenebræ differunt à luce. Saltem termini Authoris nostri tales sunt, ut, cùm ideas claras & distinctas excitent, ea quæ exprimunt possint intelligi, examini subjici & rejici, si falsa aut mala sint, admitti verò si bona aut vera. At verò cùm termini Scholastici sint confusi & æquivoci nullasque nisi æquivocas & confusas excitent ideas, eorum ope de rebus, quas exprimunt, aut exprimere deberent, judicium ferri nequit. Quo malo penè orbis terrarum in ignorantiam & errorem delapsus est. Ubi enim homines authoritate graves quicquid libet sub terminis æquivocis & obscuris proferunt & obtrudunt, quò mortalia pectora non cogunt? sed hæc non urgebo, invidiam in me movere metuens.

Denique qui objicient, Authorem esse in quibusdam nimis abstractum & Metaphysicum; attendant opus istud, nec circa res vitæ ordinarias, nec circa Politicam, nec immediatè circa Ethicam & Religionem, sed immediatè & præcisè circa veritatem versari. Equidem periculosum esset in rebus vitæ ordinariis ad abstracta & Metaphysica ferri, quia sic homines ab actione, quæ tum sola utilis est, ad speculationem præposterè detorquerentur. Si homo, antequam cibum sumeret, singulas particulas & configurationes cibi, quomodo fiat brachii motus, dum attingit cibum, quænam sit analogia inter cibum & palatum, unde nascatur sensatio doloris aut voluptatis occasione cibi ortæ, quomodo fiat concoctio &c. examinare vellet; priusquam hæc omnia examinâsset, fame enecaretur. Circa res religionis res non secus se habet. Exempli gratiâ, Scriptura nos docet, *fidem esse ex auditu*, officium igitur Christiani est, verbum audire, & ad illius auditum converti. Sed si vellet inquirere, quomodo vox præconis, à se sat longè distantis, posset ipsius aures ferire, deinde quomodo ab auribus ad mentem perducatur, quomodo fiat ista unio & veluti *correspondentia* inter res adeò diversas, ut sunt mens & corpus, & quænam sit relatio inter terminos seu sonos, quibus utitur præco, & res quas ille percipit; hisce speculationibus Philosophicis, à Christiani officio, quo credere, & secundùm fidem agere tantùm tenetur, longè abduceretur. Et sic de cæteris. At verò de rebus Philosophicis, quæque circa rerum veritatem simplicem & præcisam versantur, res secus se habet. Ad illas plenè & planè exponendas necessariò utendum est ratiociniis abstractis.

Verùm quia vox illa *Abstractum* forsan eodem modo ab omnibus


bus

bus non intelligitur, illius æquivocatio est amovenda. Per res *abstractas* vulgus intelligit res quaslibet difficiles & inusitatas, quas intelligere vix potest. Ita, ut quælibet absurda, chimerica, falsa, uno verbo, quælibet meteoremata, *abstracta* vocet. Hoc sensu fatemur Philosophos uti non debere ratiociniis abstractis, veritatemque iis non explicari; atque Authorem nostrum iis usum fuisse negamus. Ad aliam igitur significationem *abstracti* transeundum est. *Abstracta* propriè significant *ea, quæ seclusis sensibus mente purâ percipiuntur, & terminis ita simplicibus & propriis exprimuntur, ut nullam ideam sensibilem in mente excitent.* Hæc equidem difficilia sunt, quia sunt inusitata, & homines longè frequentiùs sensibus utuntur, quàm mente, atque hinc factum est, ut vulgus omnia difficilia & inusitata *abstracta* dixerit. Sed negamus *abstracta* posteriori sensu accepta, in se difficiliora esse, cùm sint simplicissima & clarissima, nobisque (si attendamus) maximè intima. Hoc autem sensu accepimus vocem *abstracti*, dum diximus, nihil quicquam posse planè & plenè explicari, nisi ad ultima rationis principia, quæ abstracta sunt & Metaphysica, deveniatur. Ac reverâ cùm sensus & affectus duntaxat comparati fuerint ad vitæ & societatis conservationem, jam autem ad illas conservandas opus non sit res cognoscere ut in se sunt; si sensus & affectus consuleremus circa rerum veritatem, ex iis nihil certi addisceremus. Igitur mens pura abstrahenda est à sensibus, ut de rebus quales in se sunt, sine ulla aliena relatione, judicare possimus. Si quis, exempli gratiâ, è vulgo me hîc scribentem videns rogaret, ut ipsi ostenderem, quomodo possim scribere, certè ipsi ludibrium deberem, si rem Metaphysicè exponerem. Cedò calamum, inquirem, chartam & atramentum & ostendam tibi, quomodo scribam. Si verò Philosophus à me rem eandem quæreret, supponendo quædam principia è Philosophia nostra petita, ipsi rem breviter satis possem exponere. At si perpetuò urgeret, principiaque mea impugnaret, aut sibi probari optaret, tum, ad illa probanda, utendum esset ratiociniis valde abstractis & Metaphysicis? Unde patet rem minimam non posse planè & plenè explicari, nisi seclusâ mente à sensibus, ut secundùm ideas simplicissimas & purissimas judicare posit. Quicquid sit, attendat Lector, ut abstractiones Authoris vitio vertere desinat. 1. Ipsum res ad veritatem propiùs adduxisse, hâc ratione abstractâ, quàm antea adductæ fuerant. Quod solum ab homine potest legitimè exigi. 2. Etsi principiis istis abstractis multa expugnari videantur, recordandum est gravissima incommoda eò nos adducere non debere, ut à prin-

cipio

cipio claro & indubitato desistamus. Quia mens finita, innumeras relationes percipere non valens, omnes non potest solvere difficultates, quæ in principio certo deprehendi possunt. 3. Abstractiones mentis esse utilissimas, ubi illarum ope ea evidenter mente percipimus, quæ fide & revelatione jam acceperamus. Cùm autem abstractiones Authoris nostri sint hujus generis, non video, cur quenquam repugnantem haberent. Sed sentio me jam limites prætergressum fuisse. Tamen Præfationem facio, non Librum. Hic igitur subsisto, & Lectorem impensè rogo, ut hanc meam opellam æqui boniqúe consulat.

FINIS.



PRÆFATIO.

INter Creatorem & Creaturas corporeas naturâ suâ medium tenet mens hominis, cùm juxta D. Augustinum, supra illam nihil sit, præter Deum solum, nihil verò infra præter corpora. Sed quemadmodum ingens ipsius supra res materiales eminentia non obstat, quo minùs iis uniatur, imò ab aliqua materiæ portione pendeat; ita distantia infinita, quæ inter Ens summum & mentem humanam intercedit, non obstat pariter, quo minùs hæc illi immediatè, & perquàm intimè uniatur. Hâc ultimâ unione mens supra omnia eminet, vitam, lucem, & totam sui felicitatem ab ea consequitur; Et Augustinus de illâ unione, tanquam de unione maximè naturali & essentiali menti, passim loquitur: Contrà verò unio mentis cum corpore illam maximè deprimit, & omnium ipsius errorum ac miseriarum nunc causa est.

Nihil est potentius illâ creaturâ, quæ *mens* dicitur *rationalis*; nihil est sublimius. Quicquid supra illam est, jam Creator est. *Tr. 23. in Joan.* Quod rationali animâ melius est, omnibus consentientibus, Deus est, *Aug.*

Vulgus hominum, aut Ethnicos Philosophos, in mente nihil præter ipsius relationem & unionem cum corporibus, nullatenus verò ipsius unionem & relationem cum Deo, considerare, equidem non miror. At Philosophos Christianos, quos Spiritum Dei ingenio humano, Mosem Aristoteli, D. Augustinum misello cuidam Philosophi Ethnici Commentatori anteponere decet, in eo versari errore ut mentem potiùs habeant, tanquam formam *corporis, quàm ut factam ad imaginem Dei & propter imaginem Dei, hoc est, juxta Augustinum, propter veritatem, cui soli immediatè unitur, illud est quod omnem superat admirationem. Mens equidem corpori est unita, & illius naturalis est forma. Sed illam Deo unione longè strictiori & magis essentiali uniri constat. Ipsius relatio ad Corpus posset non existere; sed ipsius relatio ad Deum ita essentialis est, ut mentem à Deo creari, sine illa relatione, concipere nemo possit.*

Ad ipsam similitudinem non omnia facta sunt, sed sola substantia rationalis: quare omnia per ipsã sed ad ipsã, non nisi anima rationalis. Itaq; substantia rationalis & per ipsam facta est, & ad ipsam; non enim est ulla natura interposita. *Lib. Imp. de Gen. ad Lit.* Rectissimè dicitur factus ad imaginem & similitudinem Dei, non enim aliter incommutabilem veritatem posset mente conspicere. *De ver. Rel.*

)()()(*Deum*

Deum non posse agere nisi propter se, evidens est; mentes non posse creare nisi ut ab ipsis cognoscatur & ametur, nullam ipsis posse impertiri cognitionem, nullumq; imprimere amorem, nisi propter se, quiq; ad se non tendat, evidens est; at mentes potuit non unire corporibus, quibus jam uniuntur. Itaq; relatio mentis humanæ ad Deum, est naturalis, & necessaria; sed relatio mentis ad corpus, quamvis naturalis sit, non est tamen omnino necessaria.

Omnes authoritates & rationes, quibus ad id adducimur ut credamus magis essentiale esse menti humanæ uniri cum Deo, quàm uniri corpori, proferre hic non attinet, id per Præfationis angustias non licet. Ut enim hæc veritas dilucidè explanaretur, præcipua Philosophiæ Ethnicæ fundamenta essent convellenda, mala ex peccato orta exponenda, experientia, falsò sic dicta, impugnanda, ac denique adversùs sensuum præjudicia & illusiones esset ratiocinandum.

Res tamen ingeniis attentis, veramq; Philosophiam edoctis facilè potest probari. Sufficit enim eos hujus commonefacere; nempe cùm voluntas Dei naturam uniuscujusq; rei determinet, naturæ menti longè meliùs competere uniri Deo per cognitionem veritatis, & amorem boni, quàm uniri corpori, cùm, ut jam dictum est, certum sit, mentes à Deo fuisse creatas ad ipsum cognoscendum & amandum potiùs, quàm ad informanda corpora. Illud argumentum mentes perspicaces primâ fronte commovere, postea attentas præbere, ac denique convincere potest. At verò homines carnis & sanguinis participes, quos omnium præter eorum, quæ sensibus percipiuntur, cognitio fugit, ejusmodi ratiociniis convinci impossibile est. Cùm ejuscemodi hominibus utendum est argumentis crassis & sensibilibus, quia ipsis solidum nihil videtur, nisi in sensus agat.

Mens quod non sentit, nisi cùm purissima & beatissima est, nulli cohæret, nisi ipsi veritati, quæ similitudo & imago patris, & sapientia dicitur. *Aug. lib. imp. de Gen. ad litt.*

Primi hominis peccatum unionem mentis nostræ cum Deo ita imminuit, ut duntaxat perspiciatur ab iis, quorum cor purum est & mens oculata; illa unio iis omnibus qui judicia sensuum, & affectuum motus cæco impetu sequuntur, imaginaria videtur.

Contrà verò, unionem mentis cum corpore ita corroboravit, ut istas duas nostri partes habeamus, veluti unicam substantiam seu potiùs sensibus & affectibus nostris ita nos mancipavit, ut corporis nostri præcipuam esse partem existimemus.

Dum

Dum ad varia hominum attendimus negotia, ad id meritò adducimur, ut credamus illos de se ipsis admodum abjectè & crassè sentire. Cùm enim felicitatis & perfectionis sint omnes cupidi, & ad id tantùm collaborent, ut feliciores aut perfectiores evadant, quis non judicet, corpus & corporis bona ab illis anteponi menti & bonis mentis, dum perpetuò versantur circa res corporeas, rarenter verò cogitant de iis, quæ ad mentis perfectionem conferre possunt.

Plerique labore indefesso in id duntaxat desudant, ut miseram hanc possint sustentare vitam, & liberis opes corporis conservationi necessarias relinquant.

Si verò quos fortuna aut nativitas ab isto necessitatis telo exemit, exercitiis & occupationibus suis non magis arguunt, se mentem ut nobilissimam sui partem existimare. Venatio, Chorus, Ludus, epulæ illos habent totos. Ipsorum mens corpori mancipata omnes hasce delectationes, licèt ipsâ indignas magnifacit. Quia verò corpus omnibus sensibilibus relatione aliquâ unitur, mens non modò corpori, verùm etiam per Corpus & propter corpus omnibus sensibilibus mancipatur; Nam per corpus uniuntur cognatis, amicis, civitati, muneri & omnibus, quæ possident bonis sensibilibus, quorum conservatio ipsis æquè utilis ac necessaria videtur ac sui ipsorum conservatio. Itaq; bonorum quibus fruuntur conservatione, eorum quæ non possident cupidine, gloriæ & dignitatum ambitione, longè magis occupantur & agitantur, quàm mentis perficiendæ studio.

Ipsi docti, quiq; ingeniosi audire gestiunt, maximam vitæ partem consumunt in actionibus merè animalibus aut quæ saltem ejusmodi sunt, ut arguant illos valetudinem, bona & famam, mentis perfectioni præferre. Studia in id potiùs instituunt, ut magnitudinem chimaricam in hominum imaginatione positam sibi concilient, quàm ut mentis vim & capacitatem augeant. In caput suum ut in armarium quoddam indiscriminatim & sine ordine congerunt, quicquid quendam eruditionis characterem præ se fert, hoc est, quicquid rarum & extraordinarium videri, & aliorum admirationem movere potest. Illis Curiositatum & antiquitatum apothecis, in quibus nihil est solidi, & quarum pretium in sola imaginatione, affectu & fortuna situm est, similes esse gloriantur, ac nullam fermè ad id conferunt operam, ut mentis rectitudinem consequantur, & cordis motibus dominentur.

Non exigua hominis portio, sed totius humanæ universitatis substantia est. Ambros. 6. hexa. 7.

Id tamen ex eo non oritur, quòd homines omnino ignorent se mente præditos esse, & mentem illam esse præcipuam ipsorum partem. Immò centies experti sunt famâ, divitiis, valetudine per aliquot annos potiri, non tanti esse; & omnia in genere corporis bona, quæ non nisi per corpus & propter corpus possidentur, esse bona imaginaria & caduca. Neminem hominum latet præstare esse justum quàm divitem, rectum admittere rationis usum, quàm eruditum esse, ingenio vivaci & perspicaci, quàm corpore agili, præditum esse. Non possunt, quin has veritates videant, dum se ipsos seriò consulunt. Homerus, exempli gratiâ, qui Achillem suum ob pedum velocitatem laudat, si ad rem attendisset, vidisset sanè hanc laudem equis aut canibus venaticis meliùs competere. Alexander insignibus latrociniis famosus, easdem nonnunquam in intima ratione audiebat objurgationes ac sicarii & latrones, licèt assentatoribus undiq. stipatus. Et Cæsar in Rubiconis transitu terrorem à conscientia sibi incussum, non potuit non patefacere, ubi ambitioni Patriæ libertatem immolare tandem decrevit.

Ubique veritas præsidet omnibus consulentibus te, simulque respondes omnibus etiam diversa consulentibus.

Mens quamvis corpori arctissimè unita, unitur tamen etiam Deo, immò ipso momento, quo à corpore sensationes vividas & confusas recipit, à veritate æterna, quæ ipsius menti præest, officii sui cognitionem accipit. Ubi à corpore fallitur, à Deo corporis fallaciæ monetur. Ubi corpus ipsi abblanditur, à Deo læditur, ubi corpus ipsi congratulatur, Deus illam intus increpat, & legis purioris & sanctioris lege carnis, quam sequuta est, manifestatione condemnat.

Liquidè tu respondes, sed non liquidè omnes audiunt. Omnes unde volunt consulunt, sed non semper quod volunt audiunt. *Conf. S. Aug. l. 10. C. 26.*

V. Quint. Curt. l. 7. c. 8.

Alexander Scytharum admonitionibus, linguâ exoticâ factis, non indigebat, ut suum cognosceret officium; ab illo qui Scythas & Gentes maximè barbaras instituit, leges justitiæ edoctus fuerat. Lumen veritatis, quæ omnes illuminat homines, ipsi etiam affulgebat, & vox naturæ, quæ nec Græcè, nec Scythicè, nec Barbarè loquitur, ipsum ut cæteros homines, sermone clarissimo compellabat. Frustra illum officii sui admonebant, dum Deus ipsius cor non alloquebatur. Vel potiùs Deus equidem ipsius cor alloquebatur, verùm ille solus audiebat Scythas, à quibus ipsius provocabantur affectus, proinde extra se ipsum rapiebatur, ita ut veritatis vocem, licèt illâ territus, non audiret, ipsius lumen, quo tamen perfundebatur, non videret. Fateor

Intus in domicilio cogitationis, nec Hebræa, nec Græca, nec Latina, nec Barbara veritas, sine oris & linguæ organis, sine strepitu syllabarum. *Conf. Aug. lib. 11. c. 3.*

Fateor equidem unionem nostram cum Deo eò magis imminui & debilitari, quò magis unio nostra cum sensibilibus augetur & corroboratur, sed tamen unio illa penitùs destrui nequit quin toti priùs destruamur. Quamvis enim qui in vitium ruunt, & sese voluptatibus ingurgitant, veritatem non sentiant, ipsi tamen uniuntur, veritas ipsos non deserit, sed illa ab ipsis deseritur. Lumen veritatis lucet quidem in tenebris, sed tenebras non semper dissipat: quemadmodum lumen solis cæcis & iis, qui oculos claudunt, circumfulget, licèt illos non illuminet.

Videtur quasi ipse à te occidere, cùm tu ab ipso occidas. *Aug. in Psal.* 25.

Nam etiam sol iste & videntis faciem illustrat & cæci; ambobus sol præsens est, sed præsente sole unus absens est. Sic & Sapientia Dei Dominus J. C. ubique præsens est, quia ubique est veritas, ubique sapientia. *Aug. in Joh. Tract.* 35.

*De Unione mentis nostræ cum corporibus res non secus se habet. Illa minuitur prout unio nostra cum Deo augetur. Verùm nunquam penitùs destruitur nisi morte nostra. Licèt enim eadem nobis esset illuminatio, & æquè à rebus sensibilibus abstraheremur ac Apostoli, ex quo peccatum irrepsit, necesse est mentem nostram pendere à corpore, & legem carnis perpetuò resistere legi spiritûs. Mens eò majorem puritatem, perspicacitatem, fortitudinem & capacitatem assequitur, quò magis ipsius unio cum Deo augetur; quia ex illa unione pendet tota ipsius perfectio. Contrà verò corrumpitur, debilitatur, occæcatur, coarctatur, prout unio ipsius cum corpore augetur & corroboratur; quia illa unio totam ipsius constituit imperfectionem. Illius itaque dispositio, qui de omnibus per sensus judicat, in omnibus affectuum motus sequitur, & iis tantùm delectatur, quæ ipsum palpant, omnium est maximè miserabilis; & sic affectus, à veritate & bono perquàm longè distat. *Sed ubi quis de rebus per ideas puras mentis tantùm judicat, creaturarum tumultum sedulò refugit, & apud se ipsum silentibus affectibus & sensibus summum Magistrum auscultat, extra omne erroris periculum versatur.*

Deus eos nunquam fallit à quibus interrogatur seriâ applicatione, & integrâ mentis ad ipsum conversione, quamvis iis semper non respondeat; verùm ubi mens à Deo ad creaturas deficit, atque ad veritatem consequendam corpus tantùm interrogat, & sensus, imaginationem & affectus ipsi indesinenter admurmurantes audit, tum manifestum & perpetuum ipsi imminet erroris periculum. Sapientia & veritas, bonum & felicitas,

Quod hic dico de duabus unionibus mentis cum Deo & cum corpore, intelligi debet juxta modũ vulgarem res concipiendi. Etenim constat mentem non posse uniri immediatè nisi cum Deo; hoc est, mentem à solo Deo verè dependere; ac si uniatur corpori, aut ab eo pendeat, id fit, quia voluntas Dei operatur efficaciter hanc unionem & dependentiam. Sed hæc in operis serie satis percipientur.

* Quis enim benè se inspiciens non expertus est, tantò se aliquid intellexisse sincerius quantò removere, atque subducere intentionem mentis à corporis sensibus potuit. *Augustin de immortal. anima cap.* 10.

non sunt bona, quæ à corpore possint sperari, ab eo solo, qui est supra nos & à quo esse nostrum accepimus, perfectionem consequi possumus.

L. 1. de Gen. ad litt. c. 50.

Hac egregiè nos docet Augustinus, Principium, *inquit*, creaturæ intellectualis est æterna sapientia, quod principium manens in se incommutabiliter, nullo modo cessat occultâ inspiratione vocationis loqui ei creaturæ, cui principium est, ut convertatur ad id ex quo est, quòd aliter formata ac perfecta esse non possit.

Joan. ep. 1. cap. 3. v. 2.

Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est, *inquit Johannes. Hac contemplatione veritatis æternæ, ad illud magnitudinis fastigium, ad quod omnes creaturæ spirituales naturæ necessitate tendunt, extollemur.*

Corpus quod corrumpitur, aggravat animam. Sap. 9. 10.

Verùm quamdiu hîc in terris degimus, corporis pondus mentem deprimit; illam perpetuò à Dei præsentia, aut ab illo lumine interno quô illuminatur abstrahit; in id omnino enititur, ut ipsius unionem cum sensibilibus objectis adaugeat, illamq; ad id adigit, ut omnia sibi repræsentet, non prout in se sunt, sed prout sunt relatè ad vitæ conservationem.

Terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, & difficile existimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt invenimus cum labore. Sap. 9. 15.

Corpus, juxta Sapientem, mentem tanto sensationum numero implet, ut res maximè obvias cognoscere nequeat; corporis visus perstringit & dissipat visum mentis. Nec fieri potest, ut veritas quapiam oculis mentis percipiatur, eodem tempore, quô ad eam cognoscendam oculis corporis utimur. Atq; hinc patet solâ mentis attentione veritates retegi, & scientias addisci, cùm verâ attentio mentis nihil aliud sit, præter ipsius conversionem ad Deum, solum magistrum nostrum, & à quo in omni possumus informari veritate, solâ ipsius substantiæ manifestatione, ut loquitur Augustinus. *

* Deus intelligibilis lux, in quo, & à quo, & per quem intelligibiliter lucent omnia. 1. *Sol.* Insinuavit nobis (*Christus*) animam humanam non vegetari, non illuminari, non beatificari, nisi ab ipsa substantia Dei. *August. in Joh.*

Ex his omnibus liquet impetui corporis adversùs mentem esse perpetuò resistendum, ad id paulatim assuescendum, ut respuamus testimonium, quod sensus nostri nobis perhibent de omnibus corporibus, quibus circumdamur, quæ semper ab illis nobis repræsentantur ut digna applicatione & studio nostro: namque sensibilia attentionem nostram nec occupare nec sistere debent. Hanc veritatem nos docuisse videtur Sapientia æterna incarnatione suâ.

suâ. Postquam enim carnem sensibilem ad supremam evexit dignitatem, summâ ejusdem carnis humiliatione nobis, quantopere objecta sensibilia aspernari debeamus, ostendit. Hanc fortè ob causam dicebat Paulus, se non cognoscere JESUM CHRISTUM *secundùm carnem: Etenim carni Jesu Christi non est immorandum, sed spiritui carne velato.* Caro vas fuit, quod habebat attende, non quod erat, *inquit Augustinus.* * *Quicquid est visibile aut sensibile in* JESU CHRISTO, *non meretur adorationes nostras, nisi propter unionem cum Verbo, quod solius mentis objectum esse potest.*

Illa autoritas divina dicenda est quæ non solùm in sensibilibus signis transcendit omnem humanam facultatem, sed & ipsum hominem agens, ostendit ei quousque se propter ipsum depresserit, & non teneri sensibus, quibus videntur illa miranda; sed ad intellectum jubet evolare, simul demonstrans, & quanta hic possit, & cur hæc faciat, & quàm parvi pendat. *Aug. 2. de ord. 9.* * *Tract. in Joan. 27.*

Iis qui Sapientiæ & felicitatis sunt cupidi, planè necesse est, suprà dicta altâ mente reposita manere. Non sufficit eos dictis meis fidem adhibere, & hâc veritate veluti subitaneo quodam lumine perstringi. Id apud eos innumeris experimentis & demonstrationibus extra omne dubium positis constare oportet, ita ut è mente deleri nunquam possit, & omnibus studiis & cæteris vitæ occupationibus semper præsens adsit.

Qui hoc nostrum opus attentè legere dignabuntur, hanc mentis dispositionem, ni fallor, induent. In eo enim multifariam ostendimus, sensus, imaginationem & affectus nostros nobis esse inutiles ad retegendam veritatem, & bonum nostrum; quin nos potiùs perstringere & ubique decipere, ac in genere, omnes quas mens, per corpus, vel propter motus quosdam in corpore excitatos, recipit cognitiones, esse falsas & confusas, relatè ad objecta, quæ repræsentant; quamvis sint utilissimæ ad conservationem corporis, & bonorum, quæ cum corpore relationem habent.

In isto, quod publici juris facimus, Opere, multi impugnantur errores; ac ii præcipuè, quæ apud vulgus hominum maximè obtinuerunt, aut qui majorem mentis pariunt inordinationem; ac illos errores penè omnes procedere ex unione mentis cum corpore ostenditur. Multis in locis menti servitutem suam & dependentiam à rebus sensibilibus patefacere conamur, ut veternum excutiat & liberationem suam aliquo conatu tentet.

Præter simplicem aberrationum nostrarum expositionem, ibi etiam mentis natura explicatur. Missâ, exempli gratiâ, longiori errorum specialium sensuum & imaginationis enumeratione, causis illorum errorum præcipuè insistitur. Facultates mentis

tis & errores generales quibus obnoxii sumus explicando, eodem tempore innumeri errores speciales, in quos incidere possumus, explicantur. Totum itaque istud opus circa mentem humanam versatur. Illam in se ipsa, relatè ad corpora, & relatè ad Deum consideramus. Omnium ipsius facultatum natura examinatur; usus ex illis percipiendi ad vitandum errorem indicantur. Denique pleraque eorum, quæ ad progressum in cognitione hominis faciendum utilia existimata fuêre, exponuntur.

Omnium Cognitionum pulcherrima, jucundissima & maximè necessaria sanè est cognitio nostri. Ex omnibus scientiis humanis, scientia hominis homine maximè digna est: hæc tamen scientia omnium non est maximè exculta & perfecta. Illam vulgus penitùs negligit. Inter eos, qui scientias profitentur, pauci huic operam dant; ac inter eos, qui huic ex professo operam dant, pauciores adhuc felicem sortiuntur exitum. Qui periti apud homines audiunt, non nisi admodùm confusè vident differentiam essentialem, quæ est inter mentem & corpus. Ipse Augustinus qui hæc duo entia ita apprimè distinxit, se illam differentiam diu ignorasse fatetur. Et quamvis mentis & corporis proprietates explicando, eos omnes qui ante & post ipsum ad nostrum usque sæculum hac de materia scripserunt, reverà superaverit; operæ tamen pretium fecisset, si corporibus, quæ nos ambiunt, omnes qualitates sensibiles, quas eorum operâ percipimus, non tribuisset; Etenim illæ qualitates in idea, quam habebat de materia, clarè non continentur. Differentiam itaq. mentis & corporis non nisi ab aliquot annis clarè notam fuisse, strenuè dicere possumus.

Confess. l. 4. c. 15.

Nonnulli mentis naturam sibi optimè notam esse arbitrantur. Plurimi illam cognosci non posse persuasum habent. Denique maximus numerus, cui bono illa cognitio possit inservire, non deprehendit, illamq. hanc ob causam spernit. Verùm omnes istæ adeò vulgares opiniones ex imaginatione & inclinatione hominum potiùs oriuntur, quàm ex visu claro & distincto mentis. Nempe non sine fastidio & labore possunt intra se colligi, ut suas cognoscant ærumnas & infirmitates, & scientiis curiosis quæq. aliquem præ se ferunt fulgorem rimandis delectantur. Cùm extra se perpetuò divagentur, propria sua mala non nôrunt. Se bene valere arbitrantur, quia sese non sentiunt. Immò eos qui morbum suum deprehendêre remediis uti ægrè ferunt

eosque,

tosq; dum sanitatem suam restituere conantur, morbum sibi contrahere dicunt.

Verùm sublimia illa, si Deo placet, ingenia, quæ abditissima naturæ arcana scrutantur, quæ mente cœlos petunt, & in abyssos descendunt, quid ipsi sint recordari deceret. Hisce ingentibus objectis forsan duntaxat perstringuntur. Mentem extra se ipsam excedere oportet, ut tot & tanta possit attingere, jam verò extra se exire non potest, quin dissipetur.

Homines ad id nati non sunt, ut Astronomi & Chymici fiant, ut perpetuò ad telescopium pendeant, vel fornaci adhæreant, ac ex istis postea operosis observationibus consequentias satis inutiles deducant. Astronomus terras, maria, & montes in Luna primus deprehenderit; maculas Solis primus viderit, illiusq; motus accuratè supputaverit. Chymicus tandem assequutus fuerit arcanum figendi Mercurium, vel conficiendi istud Alkaert, *quò Vanhelmontius se corpora omnia dissolvere posse jactabat; an inde sapientiores & feliciores evaserunt? Forsan aliquam sibi conciliaverunt famam: verùm, si ad rem attenderunt, hæc fama ipsorum auxit servitutem.*

Astronomia, Chymica, & cætera penè omnes scientiæ, possunt haberi tanquam viri cordati & ingenui oblectamenta: Verùm ob illarum fulgorem non debent præferri scientiæ hominis. Quamvis enim imaginatio ideam quandam magnitudinis Astronomiæ alliget, quia hæc scientia versatur circa objecta magna, fulgida, & supra alia infinitis distantiis edita; hanc tamen ideam mens cæca non debet amplecti veneratione: illius judicem se gerere, ac illam fastu sensibili, quò ratio prævertitur, spoliare debet. Mens de omnibus juxta Lumina sua interna, rejecto falso & confuso sensuum & imaginationis testimonio, judicare debet, ac si juxta purum veritatis lumen de omnibus scientiis humanis judicet, ausim asserere, illas penè omnes ab ipsa contemnendas esse, eam verò, quæ nos docet quid simus, cæteris omnibus anteponendam.

Satius igitur ducimus Veritatis amantes hortari, ut de hujus operis materiâ judicent juxta responsa, quæ à supremo omnium hominum magistro, seriò ab ipsis interrogato, accipient, quàm illos ingenti oratione, quæ fortè pro quodam loco communi & vano præfationis ornamento haberetur, prævertere. Quòd si hanc materiam attentione & studio suo dignam existiment, illos iterum rogatos velim, ne de rebus in hoc libro contentis judicent juxta

rationem bonam vel malam quâ exprimantur, sed semper sese apud se recipiant, ut verâ judiciorum normâ utantur.

Nolite putare quenquam hominem aliquid discere ab homine. Admonere possumus per strepitum vocis nostræ, si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster. *August. in Joh.*

Cùm persuasum omnino habeam homines sese mutuò docere non posse; ac eos, qui nos audiunt veritates, quas ipsorum auribus insusurramus, non discere, nisi eodem tempore, qui eas non docuit eas etiam ipsorum menti manifestas faciat; eos adhuc monere teneor, qui hoc Opus legent, ne bono aliquo erga me affectu moti mihi temerariè credant, neve odio praeoccupati dicta mea impugnent. * *Quamvis enim hìc nihil à me in medium prodiisse credam, quod meditatione non fuerit acquisitum, me tamen pigeret si sententias meas alii admitterent, sine matura cognitione, & in errorem aliquem laberentur, vel quia eas satis non intelligerent, vel quia ipse hallucinatus fuissem.*

* Auditus per me factus, intellectus per quem S. dixit aliquis & ad cor vestrum, sed non eum videtis. Si intellexistis fratres, dictum est, & cordi vestro. Munus Dei est intelligentia. *Aug. in Joh. Tr. 40.*

V. Lib. de Magistro August.

Nonnullorum Doctorum, qui in verba sua jurari exigunt, superbia nobis videtur intolerabilis. Deum postquam loquuti sunt interrogari agrè ferunt, qui ipsi Deum non interrogavêre. Statim atque ipsorum placitis fidem quis adhibere negat, exacerbantur, ac tenebras ipsorum imaginationis, puro veritatis lumini, quod mentem illuminat, præferri volunt.

Hanc agendi rationem absit ut imitemur, quamvis illam imitari sæpe accusemur. Facta & experimenta à nobis allata credi equidem optamus; quia hæc non addiscuntur applicatione mentis ad rationem supremam & universalem; sed quoad omnes veritates, quæ in veris rerum ideis deprehenduntur, quas veritas æterna in intimo rationis nos docet; quoad illas, inquam, monemus non esse acquiescendum cogitationibus nostris; haud enim leve ducimus crimen sese, hoc imperio in mentes, Deo parem facere.

Noli putare te ipsum esse lucem. *Aug. in Psal.*

Cæterùm inter rationes, ob quas istud Opus attentissimè legi optamus, præcipua est, ut errorum à nobis admissorum moneamur, etenim erroris immunitatem non affectamus. Mens corpori tam arctè unitur, & ab eo ita dependet, ut non immeritò vereamur nos non semper accuratè distinxisse tumultum confusum imaginationis à pura Veritatis, quæ mentem alloquitur, voce.

Si Deus solus nos alloqueretur, ac de iis tantùm quæ intelligimus judicaremus, hisce JESU CHRISTI *verbis forsan uti possemus:* Sicut audio, sic judico, & judicium meum justum est.

Johan. c. 5. v. 30.

Verùm

INDEX CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

De Erroribus Sensuum.

CAPUT I. I. De naturâ & proprietatibus intellectûs, II. De naturâ & proprietatibus voluntatis, ubi quid sit libertas examinatur, pagina 1

CAPUT II. I. De judiciis & ratiociniis. II. Illa à voluntate pendere III. Quomodò respectû illorum quisque uti debeat libertate suâ. IV. Duo proponuntur canones generales, quibus error & peccatum vitari possint. V. In canones istos animadversiones quædam necessariæ adduntur. p.7.

CAPUT III. Responsiones ad objectiones quasdam. In ea quæ dicta sunt observationes. p.11.

CAPUT IV. I. De causis erroris occasionalibus, & quidem esse quatuor præcipuas. II. Totius hujusce operis generale propositum, & speciale hujusce primi libri. p.15.

CAPUT V. DE SENSIBUS, Corruptio quam peccatô contraxerunt bifariam explicatur. Libertatem nostram esse veram errorum nostrorum causam, non verò sensûs. Canon, quô in usû sensuum nostrorum errorem vitemus, proponitur. p.17.

CAPUT VI. De erroribus visûs respectû extensionis in seipsâ consideratæ. Errores illi ad objecta invisibilia extenduntur: De erroribus oculorum nostrorum circa extensionem respectivam. p.23.

CAPUT VII. De erroribus oculorum nostrorum circa figuras. Nos de minimis nullam habere cognitionem. Cognitionem quam de maximis habemus non esse accuratam. Quædam judicia naturalia, quibus errorem vitamus, explicantur. Eadem ipsa judicia in occasionibus quibusdam singularibus nos decipere. p.31.

CAPUT VIII. Ab oculis nostris nos non doceri magnitudinem aut celeritatem motûs in se considerati. Durationem ad motum

cognoscendum necessariam, nobis ignotam esse. Exempla errorum visûs nostri circa motum & quietem. p.34

Caput. IX. Idem argumentum tractatur. Errores visûs nostri circa motum generaliter demonstrantur. Cognoscendam esse objectorum distantiam priùs quàm de ipsorum motûs velocitate judicium fiat. Rationes quibus distantiæ cognosci possunt examinantur. p.37

Caput X. De erroribus circa qualitates sensibiles. Distinctio animæ & corporis. Organa sensuum explicantur. Cui corporis parti animæ immediatè unitur. Quid objecta externa agant in corpus. Quid in mentem, & cur mens non percipit motus fibrarum corporis. Quatuor in unaquaque vulgò confunduntur. p.44.

Caput XI. De errore quem admittimus circa actionem objectorum in fibras externas sensuum. Causa hujus erroris. Objectio cum responsione. p.48

Caput XII. De erroribus circa motûs fibrarum sensuum nostrorum. Hosce motûs nobis esse imperceptos vel à nobis confundi, cum sensationibus nostris. Res experimento probatur. Tria sensationum genera. Errores quos secum ducunt. p.50.

Caput XIII. De natura sensationum. Circa eas ignorantiam nostram non eam esse quam credimus. Objectio cum responsione. Cur nullam sensationum nostrarum cognitionem nos habere existimamus. Omnes homines eorundem, objectorum occasione, iisdem affici sensationibus, falsò credi. Objectio cum responsione. p.54

Caput XIV. De fallis judiciis quæ sensationes nostras comitantur, quæque cum iis confundimus. Causæ horumce falsorum judiciorum. Errorem non esse in sensationibus nostris, sed duntaxat in his judiciis. p.60

Caput XV. Errores speciales visûs explicantur, ut exemplo sint errorum generalium sensuum. p.63

Caput XVI. Errores sensuum nostrorum nobis esse loco principiorum generalium & fœcundissimorum ex quibus falsas conclusiones elicimus quæ suo loco principiorum vices gerunt. Differentiarum essentialium origo. De formis substantialibus. De quibusdam erroribus Philosophiæ scholasticæ. p.65

Caput XVII. Aliud exemplum ex Ethica desumptum, ex quo patet sensûs nostros nihil nobis offerre præter falsa bona. Deum solum esse verum nostrum bonum. Errorum Epicureorum & Stoicorum origo. p.68

Caput

CAPUT XVIII. Sensûs nostros nos in errores injicere etiam circa res non sensibiles. Exemplum ex hominum commercio & consuetudine mutuâ deductum. Ex habitu externo ei sensibili judicium non esse statuendum. p.70

CAPUT XIX. Duo alia exempla. 1. Prius de erroribus circa naturam corporum. Posterius de erroribus circa qualitates eorundem corporum. p.72

CAPUT XX. Hujusce primi Libri conclusio. Sensus nobis tantum concessos fuisse in usum corporis nostri. Ipsorum testiononio diffidendum esse. Illum non paulum promovisse, qui ritè atque opportunè dubitare didicit. p.75

LIBER SECUNDUS.

De Imaginatione.

PARS PRIOR.

CAPUT I. Idea generalis imaginationis. Ipsam duas in se includere facultates, alteram activam, alteram passivam. Causa generalis mutationum quæ fiunt in imaginatione hominum, & fundamentum hujusce secundi libri. p. 77

CAPUT II. De spiritibus animalibus, & mutationibus quibus in genere obnoxii sunt. Chylum ad cor transire, atque in spiritibus mutationem adferre. Vinum idem efficere. p. 81

CAPUT III. Aërem quem spiramus aliquam etiam in spiritibus Immutationem afferre.

CAPUT IV. De mutatione quam in spiritibus efficiunt nervi illi qui cor & pulmones attingunt. De mutatione quam efficiunt nervi, qui jecur, lienem & viscera attingunt. Hæc omnia citra voluntatis nostræ consensum nec tamen sine providentia fieri. p. 84

CAPUT. V. De memoria & habitibus. p. 88

CAPUT VI. Fibras cerebri non mutari æquè celeriter ac spiritus. Tres mutationes in tribus hominis ætatibus. p.91

CAPUT VII. De communicatione quæ est inter cerebrum matris & cerebrum infantis ipsius. De communicatione quæ est inter cerebrum nostrum, & cæteras corporis partes quâ ad imitationem misericordiámque movemur. Explicatio generationis monstrorum, & propagationis specierum, Quædam inordinationes mentis & in-

clinationem voluntatis explicantur. De concupiscentia & peccato originali. Objectiones cum responsionibus. p. 92

Caput VIII. Mutationes quas in infantis ex utero matris exeuntis imaginatione, mutuo cum nutrice, genitrice, aliis commercio, contingunt. Præcepta ad eos benè educandos utilia traduntur. p. 104

PARS SECUNDA.

De Imaginatione.

Caput I. De imaginatione mulierum. De imaginatione virorum. De imaginatione senum. pag. 110

Caput II. Spiritus plerumque tendere in vestigia idearum nobis maximè familiarium, unde fit ut rectum de rebus judicium ferre non possimus. p. 114

Caput III. De vinculo mutuo inter ideas mentis & vestigia cerebri & de vinculo mutuo vestigiorum cum vestigiis, & idearum cum ideis. p. 116

Caput IV. Eos qui literis & scientiis operam dant errori magis obnoxios esse. Cur malimus authoritate niti, quàm ratione uti. p. 123

Caput V. Duo pravi effectus lectionis in imaginationem. p. 126

Caput VI. Homines studio deditos alicui utplurimum authori sese mancipare, adeò ut in id unum colliment, ut nempe quid ille author tenuerit, non verò quid tenendum sit, accuratè discant. p. 128

Caput VII. De præconceptis Commentatorum opinionibus. p. 132

Caput VIII. De novorum systematum inventoribus. II. Ultimus eorum error, qui studio scientiarum operam dant. p. 137

Caput. IX. De Ingeniis effeminatis. De ingeniis superficiariis. De viris authoritate præditis. De iis qui experimenta faciunt, p. 139

PARS TERTIA.

De communicatione contagiosâ imaginationum fortium.

Caput I. De illa dispositione quâ ad alios in omnibus imitandos propendemus, unde manat communicatio errorum qui ab imagina-

tionis

tionis facultate dependent. Duæ causæ principales quæ illam augent dispositionem. Quid sit imaginatio fortis. Eam esse multiplicem. De insanis ac de iis qui imaginationem fortem secundùm sensum hîc explicatum habent. Duo vitia memorabilia eorum qui habent imaginationem fortem. Quàm sint idonei ad persuadendum & fucum faciendum. p. 145

Caput II. Exempla generalia quibus vis imaginationis demonstratur. p. 149

Caput III. De vi imaginationis quorumdam Authorum. De Tertulliano. p. 156

Caput IV. De Imaginatione Senecæ. p. 158

Caput V. De Libro Domini Montagne (nobilis Galli.) p. 165

Caput VI. De sagis & veneficis imaginariis, seu de iis qui imaginationis vi se fascinatos & fascinantes credunt, & Lycanthropis. Concluduntur duo primi Libri. p. 172

LIBER TERTIVS.

De Intellectû seu mente purâ.

Caput I. Sola cogitatio essentialis est menti. Sentire & imaginari nihil aliud sunt præter ipsius modificationes. Omnes non cogniscimus modificationes quas mens potest suscipere. Illæ modificationes diversæ sunt à cognitione nostrâ & amore nostro, immò ipsas non semper sequuntur. p. 177

Caput II. Cum mens sit finita non potest capere quod pertinet ad infinitum. Ipsius mentis limitatio seu angustia multorum errorum origo est. Et præcipuè hæreseω, mens est submittenda fidei. p. 183

Caput III. Philosophos ingenium suum opprimere ac veluti dissipare dum nullo in studiis suis ordine servato, rebus incumbunt quæ nimias in se includunt relationes, & à pluribus pendent. Exemplum ex Aristotele desumptum. Geometras contra se benè gerere in veritatis investigatione, ac eos potissimùm qui Algebra & Analysi utuntur. Ipsorum methodum vim ingenij augere, Logicam verò Aristotelis ipsam minuere? Aliud vitium eorum qui studio operam dant. p. 187

Caput IV. Mens non potest diu incumbere objectis quæ nul-

lam secum habent relationem, aut quæ cum infinito nihil habent commune. Voluntatis inconstantia causa est istius mentis in applicationis & per consequens erroris. Sensationes nostræ nos magis occupant quàm ideæ puræ intellectûs. Ex quo manat morum corruptio. Vt & ignorantia vulgi. p.190

PARS SECVNDA.

De Intellectû puro.

CAPUT I. Quid per ideas intelligatur. Illas reapse existere, ipsásque necessarias ad percipienda objecta omnia naturalia. Divisio omnium modorum quibus objecta externa percipi possunt. p.196

CAPUT II. Objecta materialia nullas mittere species sibi similes. p.199

CAPUT. III. Mentem præditam non esse virtute producendi ideas. Causa erroris in quem hac de re labuntur homines. p. 201.

CAPUT. IV. Nos non percipere objecta per ideas nobiscum creatas. Deum eas in nobis non producere, quotiescunque ipsis indigemus. p. 205.

CAPUT. V. Mentem nec essentiam nec existentiam objectorum videre suas perfectiones considerando. Deum solum obiecta hoc modo percipere.. p.206

CAPUT VI. Nos omnia in Deo videre. p. 208

CAPUT VII. Quatuor diversæ rationes res videndi. Quomodo Deus cognoscitur. Quomodo corpora cognoscuntur. Quomodo unusquisque mentem suam cognoscit. Quomodo mentes cæterorum hominum, & puræ intelligentiæ cognoscuntur. p. 214

CAPUT VIII. Præsentia intima ideæ vagæ entis in genere est causa omnium abstractionum inordinatarum mentis, & plerarumque chimærarum Philosophiæ vulgaris, quæ impediunt quo minus multi Philosophi agnoscant soliditatem verorum principiorum Physices. Exemplum de essentia materiæ. p. 218

CAPUT IX. Vultima causa generalis errorum nostrorum. Ideas rerum non semper præsentes adesse menti statim atque id optamus. Omnem mentem finitam obnoxiam esse errori, & cur res sic se habeat. Iudicandum non esse nihil existere præter corpora aut spiritus nec iudicandum esse Deum esse Spiritum, ut alios concipimus

spiritus. p. 225

Caput X. Exempla quorundam errorum Physices in quos labuntur homines, quia supponunt res quæ naturâ suâ, qualitatibus, extensione, duratione, & proportione differunt, esse similes in hisce omnibus. p. 228

Caput XI. Exempla nonnullorum errorum circa Ethicam ab eodem principio pendentium p. 234

Concluduntur tres primi Libri. p. 237

LIBER QVARTVS.

De Inclinationibus seu motibus naturalibus mentis.

Caput I. Spiritus debent habere inclinationes, quemadmodum corpora habent motus. Deus nullum dat motum spiritibus nisi propter se. Spiritus non feruntur versùs bona specialia, nisi per motum quo versùs bonum in genere feruntur. Origo præcipuarum inclinationum naturalium in quas dividetur quartus hic Liber. p. 240

Caput II. Inclinatio versùs bonum in genere est principium inquietudinis voluntatis nostræ. Et per consequens negligentiæ nostræ & ignorantiæ. Primum exemplum. Ethica plerisque hominibus parùm nota. Secundum exemplum. Immortalitas animæ à nonnullis impugnatur. Ignorantiam nostram esse maximam circa res abstractas, aut quæ parùm habent relationis ad nos. p. 244

Caput III. Curiositas est naturalis & necessaria. Tres leges quibus illa possit intra justos limites contineri. Prima illarum legum explicatur. p. 254

Caput IV. Pergitur in eadem materiâ. Secunda curiositatis lex explicatur. p. 259

Caput V. De secunda inclinatione naturali, aut de philautiâ. Dividitur philautia in amorem ™ esse & ™ benè esse, seu in amorem magnitudinis & voluptatis. p. 262

Caput VI. De inclinatione quâ versùs id omne quod nos supra cæteros extollit, ferimur. De falsis nonnullorum piorum judiciis. De falsis superstitiosorum & hypocritarum iudiciis. De Voetio Cartesij adversario. p. 265

Caput VII. De scientiæ desiderio ac Doctorum falsò sic dictorum iudiciis. p. 270

Caput VIII. I. De desiderio, quo homines docti videri cupiunt. II. De ψευδωνυμων Doctorum colloquiis. III. De Ipsorum operibus. p.274

Caput IX. Quomodò propensio hominum versùs dignitates & divitias eos in errorem injiciat. p.280

Caput X. De voluptatis Amore relatè ad Ethicam. I. Voluptas fugienda est licet non efficiat felices. II. Voluptas ad bonorum sensibilium amorem nos ferre non debet. p.282

Caput XI. De amore voluptatis relatè ad scientias speculativas. I. Quomodo amor ille nos à veritate retengenda arceat. II. Exempla afferuntur. p.288

Caput XII. De effectis quæ bonorum & malorum cogitatio in mente edere potest. p.297

Caput XIII. I. De tertia propensione naturali, nempe de amicitiâ quâ cæteros homines prosequimur. II. Ista propensio eò nos fert ut amicorum nostrorum cogitationes probemus eósque falsis laudibus decipiamus. p.302

LIBER QUINTUS

De Affectibus.

Caput I. De natura & origine affectuum in genere. p.310

Caput II. De unione mentis cum rebus sensibilibus, vel de vi & extentione affectuum in genere. p.314

Caput III. Explicatio Peculiaris omnium mutationum quæ menti & corpori à perturbationibus seu affectibus afferuntur. p.319

Caput IV. Voluptates & motûs affectuum nos in errorem aspectu boni injicere, ipsis indesinenter esse resistendum. Ratio impugnandi libertinismum. p.328

Caput V. Perfectionem mentis consistere in ipsius unione cum Deo per cognitionem veritatis & per amorem virtutis, & contrà ejus imperfectionem oriri ex corporis in ipsam imperio, propter inordinationem ipsius sensuum & affectuum. p.334

Caput VI. De Erroribus generalibus sensuum. Quædam exempla generalia afferuntur. p.340

Caput VII. De affectibus speciatim, & primò de admiratione & pravis ipsius effectis. p.344

Caput VIII. Tractatur eadem materia. De recto admirationis

& cæ-

& cæterorum affectuum usu. p.357.

CAPUT IX. De amore & odio, variisque utriusque speciebus. p.362.

CAPUT X. De affectibus speciatim, & in genere de rationeillos explicandi, & agnoscendi errores ex iis oriundos. p. 367.

CAPUT XI. Omnes affectus sese excusare: & de judiciis in quæ nos conjiciunt ad sui excusationem seu justificationem. p.372.

CAPUT XII. Affectus, seu passiones quibus malum est pro objecto, esse maximè periculosas & injustas; easque quæ cum minima conjunguntur cognitione, esse omnium vividissimas, & maximè sensibiles, p.377.

LIBER SEXTUS

De Methodo.

CAPUT I. Hujusce libri Institutum declaratur, ut & duæ rationes generales conservandæ evidentiæ in investigatione veritatis, quæ hujus libri argumentum constituent. p. 381.

CAPUT II. Attentionem esse necessariam ad conservandam evidentiam in cognitionibus nostris. Modificationes mentis illam reddere attentam, sed ipsius capacitatem percipiendi plus æquo distrahere. p.384.

CAPUT III. Quomodò utendum sit affectibus & sensibus ad conservandam mentis attentionem. p.386.

CAPUT IV. De usu imaginationis ad conservandam mentis attentionem, & de utilitate Geometriæ. p.391.

CAPUT V. De modis augendi extentionem & capacitatem mentis. Arithmeticam & Algebram ad id omninò necessarias esse. p.403.

PARS SECUNDA.

De Methodo.

CAPUT I. De Legibus observandis in veritatis investigatione. p.412.

CAPUT II. De Lege generali quæ versatur circa materiam studiorum nostrorum. Philosophos scholasticos illam

non obſervare, quod multorum in Phyſicâ errorum cauſa eſt. p.415.

CAPUT III. De Errore periculoſiſſimo Philoſophiæ veterum. p.420.

CAPUT IV. Explicatio ſecundæ partis legis naturalis. Illam à Philoſophis non obſervari. Carteſium verò illam accuratè obſervaſſe. p.427.

CAPUT V. Explicatio principiorum Philoſophiæ Ariſtotelis, ubi oſtenditur, illum nunquam obſervaſſe ſecundam partem regulæ generalis, & quatuor ipſius elementa, & qualitates elementares, examinantur. p.441.

CAPUT VI. *Præcepta generalia neceſſaria ut ordine procedatur in inquirenda veritate & in delectû ſcientiarum.* p.455.

CAPUT VII. De uſû primæ regulæ quæ ſpectat quæſtiones ſpeciales. p.463.

CAPUT VIII. Applicatio cæterarum regularûm ad quæſtiones ſpeciales. p.474.

CAPUT IX. Ultimum exemplum ut iſtius operis utilitas pateſiat. In hoc exemplo cauſa unionis partium corporum inter ſe invicem, & leges communicationis motuum examinantur. p.487.

Concluduntur tres poſtremi libri. p.508

FINIS INDICIS CAPITUM.

DE INQUI-



DE INQVIRENDA VERITATE.



LIBER PRIMVS.

DE ERRORIBVS SENSVVM.

CAPVT PRIMVM.

I. De natura & proprietatibus intellectûs. II. De natura & proprietatibus voluntatis, ubi quid sit libertas examinatur.



ERROR humanæ miseriæ causa est, ex hoc pessimo principio fluxere, omnes quæ inter mortales irrepserunt, ærumnæ. Is est scilicet, qui in mente nostrâ, cuncta quibus conflictamur mala, gignit fovetque; adeò ut frustrà quisquam solidam veramque speret felicitatem, qui priùs errori vitando seriam non dederit operam.

Homines, ideò tantùm esse miseros, quòd peccatores sint & rei, ab ipsa Scriptura sacra, docemur; jam autem nec peccatores essent, nec rei, nisi assensu quem errori præbent, peccato sese manciparent.

Si autem error est reverâ, fons humanæ miseriæ, par est haud du-

biè ut quolibet nisu ab eo sese expediant homines. Nec certè ipsorum operam, quamquam plenum non sortiatur effectum, inutilem tamen & sterilem omnino fore, existimandum est. Si erroris immunes non evadunt, saltem multò rarius errabunt; si omnibus malis sese non subducunt, nonnulla saltem declinabunt: in hisce terris, erroris immunitatem frustrà ambias, ac frustrà proinde perfectam speres beatitatem. At quia liberationem nostram ab infirmitatibus, assiduis exoptamus votis, assiduo pariter labore, in errorem depellendum nos incumbere decet. Quid plura? non secus ac mens nostra, fœlicitatis quam vel non sperat, desiderio tamen flagrat, sic tota eò tendere debet, ut ab errore fiat vacua, licet, id consequi, frustrà speraret.

Porrò veritatis indagationem, tantæ molis esse non est arbitrandum. *Libro VI.* Sat erit si modo oculos aperias, attentum te præbeas, legesque nonnullas, quas deinceps tradituri sumus, accuratè observes. Illa autem judicij accuratio, vix ullius est negotij; haudquaquam dura est servitus, ut eam nobis inducit imaginatio nostra; quin utilitates quæ inde ad nos redundant, laborem nostrum, non compensant modò, verùm etiam longius exuperant. Quid enim lucem mentibus affundere, veritatemque aperire, si hanc excipias accurationem, potest?

Sed, quid Lectoribus, quos jam ad veritatis inquisitionem spònte accinctos supponere satius est, disponendis diutiùs immoramur? Jam igitur errorum nostrorum & causam & naturam investigemus: Cæterùm, cùm methodus illa, quæ quodlibet ab origine sua resumit, rebus in ordinem digerendis, dilucidiùs cognoscendis, nec non penitiùs introspiciendis, aptior cæteris videatur, illa est quam hoc in negotio amplectemur.

I. *De naturâ & proprietatibus Intellectûs.*

Cùm mens humana non sit materialis, sive extensa, illa procul dubio est substantia simplex, indivisibilis, omnisque compositionis partium expers. In eâ tamen duæ facultates *intellectus* scilicet & *voluntas*, vulgò distingui solent, quas hic ante omnia explicare, operæ pretium est: quippe notiones sive ideæ, quas sibi de hisce facultatibus hactenus efformarunt Philosophi, minus videntur, claræ atque distinctæ.

Cum verò ejusmodi ideæ sint admodum abstractæ, nec sub imaginationem cadant illas proprietatibus materiæ adumbrare haud abs re erit: illæ enim materiæ proprietates imaginationem facilè ferientes, notiones, hisce duobus vocabulis (*intellectus* scilicet, & *voluntas*) affingendas, nobis magis distinctas & familiares efficient; dummodò id unum attendamus, has scilicet analogias inter spiritum & materiam, non omninò quadrare, & in eum duntaxat usum esse comparatas, ut mens attentior facta, quæ mox dicturi sumus, facilius hauriat percipiatque. Materiæ sive extensionis duæ sunt proprietates, seu mavis facultates: altera est facultas recipiendi varias figuras, altera verò est mobilitas, sive facultas illa, quâ moveri potest. Mens humana pariter, duabus pollet facultatibus, quarum prior, quæ *intellectus* dicitur, est facultas recipiendi multas ideas, hoc est multa percipiendi; posterior verò, est facultas

cultas

cultas multas recipiendi *inclinationes*, seu mavis propensiones, seu multa volendi. Primò, quâ ratione prior materiæ facultas cum priori spiritus facultate conveniat, explicemus.

Extensio duplicis generis figuras potest suscipere. Hæ nimirum externæ tantùm sunt, ut rotunditas, e.g. respectû corporis cujuslibet cerei, illæ vero internæ, singulis cerei illius corporis particulis propriæ. Figuræ enim particularum corporis cerei, à figuris particularũ corporis ferrei, haud dubiè valdè differunt. *Figuram* igitur voco eam quæ externa est, internam verò, quæ ipsi ceræ necessaria est ut cera sit, ipsique maximè propria, *configurationis* nomine insignio.

De mente humanâ res non secus se habet; ipsius enim ideæ duplicis pariter sunt generis; (jam autem per ideas, illud omne intelligo, quod mens immediatè percipit.) Priores igitur ideæ, nobis aliquid externum, sive extra nos positum exhibent, qualis est idea quadrati, idea domûs, &c. Posteriores verò, illud solum, quod menti nostræ internum est, nobis repræsentant; quales sunt sensationes nostræ, dolor, voluptas, &c. Illas enim ideas, nihil aliud esse pręter quandam mentis humanæ schesin, sive quendam ipsius existendi modum, infrà sumus demonstraturi, nec aliam ob causam istas ideas, appellavimus *modificationes* mentis.

Nec diffiteor mentis inclinationes sive propensiones, eadem de causâ dici posse ipsius mentis *modificationes*; cùm enim voluntatis inclinatio sive propensio sit certa quędam mentis schesis, sanè mentis *modificatio* adprimè dici posset; non secus ac motus corporum, qui nihil aliud est pręter quandam eorundem corporum schesin, dici posset materiæ *modificatio*. Inclinationes tamen voluntatis, motúsq; materiæ, *modificationum* nomine non designabo; hac, nimirum, adductus causâ, quòd istæ inclinationes, istique motus ad aliquid externum plerumque respiciant, inclinationes, scil. ad bonum, motúsque ad aliquod corpus extraneum. At figurarum & configurationum corporum, nec non mentis sensationum, nulla prorsus est necessaria relatio ad res externas. Quemadmodum enim illa figura, tum est rotunda, cùm singulæ partes externæ corporis alicujus, pari intervallo ab illa parte quæ centrum dicitur, distant; sine ulla ad corpora externa relatione; sic singulæ sensationes, quibus affici potest mens nostra, subsistere valerent, quamquam nullum objectum extra nos actû existeret. Ipsorum esse, si fas sit ita loqui, nullam, ut alibi sumus demonstraturi, necessariam cum corporibus, ex quibus oriri videntur, analogiam infert: adeò ut, cùm illæ propriè loquendo, nihil aliud sint pręter mentem certâ quadam ratione dispositam seu modificatam, modificationes animæ ritè dici possint, his igitur primò dictis, jam liceat illas sensationes, aperiendæ mentis causâ, *modificationes* nuncupare.

Ac primò quidem facultas illa, quâ materia variis *figuris* & *configurationibus* suscipiendis idonea est, cum illa facultate, quâ mens pariter variis recipiendis ideis, seu modificationibus, apta nata est, in eo convenit, quòd utraque facultas, sive illa sit, quâ materia varias recipitsi-

guras & configurationes, sive illa sit, quâ mens varias recipit ideas & modificationes, merè passiva sit, nullamque prorsus includat actionem; hanc autem mentis facultatem, seu capacitatem hęc omnia recipiendi, *intellectum* voco.

Unde legitimè concludas intellectum solum percipere, quia scil. solus objectorum ideas recipit; jam autem, objectum quoddam percipere, & ideam, quæ illud objectum repręsentat, excipere menti res est una, eadémque. Pręterea, intellectus quoque est, qui mentis modificationes percipit; nihil aliud enim per intellectum designo, pręter facultatem illam mentis passivam, quâ mens ipsa varias excipit modificationes; jam autem illo existendi modo affici, qui dolor dicitur, & dolorem ipsum percipere, menti perinde est; dolore enim non afficitur, nisi quatenus dolorem percipit. Unde colligere pronum est, intellectum objecta absentia, ut ita loquar, imaginari, præsentia verò sentire, ac proinde, sensus & imaginationem, nihil aliud esse, ut infrà fusiùs explicabimus, pręter intellectum, objecta per organa sensuum, percipientem.

Quia autem dolor, sive aliud quodlibet id genus, sensuum interventû percipitur, id reverâ ab ipsis sensibus percipi, vulgus hominum dicere solet, quid per istud vocabulum *sensus*, intelligat, non satis sibi constans; existimat scilicet homini quandam esse facultatem à mente distinctam, quâ vel mens ipsa, vel corpus, sentire valeat, organa enim sensuum, res unà nobiscum percipere autumat. Corpus, si hominibus ejusmodi fidem adhibeas, tantopere confert sensationibus nostris, ut mens ab ipso separata, quicquam sentire non ampliùs possit. Sed quis non videat, hanc opinionem, pręconcepto cuidam judicio originem suam debere? quia nempe, dum hic versamur, nihil unquam sine sensuum organis sentimus, ut fusiùs infrà patebit.

Ut vulgatis loquendi formulis aliquid indulgeamus, sensus ipsos sentire in posterum dicemus. Attamen *sensûs* vocabulo, nihil aliud intelligimus, pręter passivâ illam mentis facultatem, de qua modò verba fecimus, hoc est intellectû, aliquid, occasione eorum, quæ circa corporis organa versantur, ex naturæ instituto, percipientem, ut alibi videbitur.

Altera analogia, quæ inter utramque, animæ scil. & materiæ facultatem, deprehenditur, hæc est; quemadmodum enim materia figurâ mutatâ, ipsa tamen non mutatur, cera v. g. rotunda, non minùs est cera, quàm cera quadrata. Ita, mens ob diversas quas excipit ideas, non immutatur, sive enim v. g. mens ideam quadrati, sive ideam rotundi alicujus corporis recipiat, nec propter quadratum, nec propter rotundum, ullam memorabilem immutationem patitur.

Pręterea, quemadmodum materia, jam tum non leviter immutari censenda est, cùm scil. ipsa configurationem particulis ceræ congruam deperdit, ut configurationem igni & fumo accommodatam recipiat, vel breviùs, cùm cera in ignem vel in fumum convertitur: sic mens non leviter mutari, putanda est, cùm in ipsa mutatis modificationibus, dolor voluptati succedit. Unde non obscurè liquet, ideas & sensationes mentis

mentis, figuris & configurationibus materiæ, non malè adumbrari.

Multæ, præter has quas observavimus, sunt adhuc similitudines, inter *figuras* & *configurationes* materiæ, ideasque & modificationes mentis. Materia enim mentis nostræ imago non absurdè dici posset. Rem clarius dico. Non paucæ, scilicet, in materia proprietates, ab ipsis mentis proprietatibus, non procul dissitæ, deprehenduntur. Tametsi, natura spiritus, ab ipsius materiæ natura, ut infra patebit, toto genere differt.

Ex supra dictis autem; id altâ mente repostum maneat, per *intellectum*, nihil aliud hic intelligi, præter facultatem illam quâ mens percipit, hoc est recipit, non modò varias *ideas*, verum etiam innumeras *sensationes*; ad eundem modum, materia quibuslibet *figuris* externis, & *configurationibus* internis suscipiendis idonea est.

Posterior materiæ facultas ea est quâ materia multis excipiendis *motibus*, apta est; Posterior verò mentis facultas, ea est quâ multas *inclinationes* sive propensiones recipere potest. Jam harumce duarum facultatum instituatur comparatio.

II. *De natura & proprietatibus voluntatis, & libertatis.*

Omnium materiæ *motuum*, quemadmodum omnium mentis inclinationum eadem est causa universalis, nempe ipsius Autor Naturæ; jam autem, ut omnes motus secundùm lineam rectam naturâ suâ ducuntur, nisi à causis externis & peculiaribus determinati in lineas circulares, ipsarum interventu agantur; sic, omnes quas à Deo accepimus inclinationes, rectæ quidem sunt, & ad bonum verumque unicè tenderent, nisi ipsius naturæ impulsus, à causa quadam peregrinâ: in malos fines deflecteretur: hæc verò causa peregrina, eadem est quæ omnia, quibus afficimur, mala invexit, inclinationesque nostras labefactavit.

Quod ut nobis liquidò pateat, istud primò cognitum velim. Magnum scilicet est discrimen, inter impressionem aut motum, quo Autor naturæ materiam afficit, & impressionem aut motum, quo mentem indesinenter movet. Materia enim, tota est actionis expers, nulla pollet virtute, quâ motum suum, vel sistere, vel determinare, vel huc aut illuc deflectere possit. Ipsius motus ut jam dictum est secundum lineam rectam semper agitur, quod si quid hanc determinationem mutet, lineam circularem, quam maximam potest, hoc est ad lineam rectam propius accedentem describit. Deus enim motûs ab ipso inditi, determinationem dirigit. Res verò secus se habet de voluntate; agit enim ex seipsa aliquatenus; & inclinationem sive impressionem à Deo acceptam, variè determinandi, virtute prædita est. Quamquam istius impressionis ita domina non est, ut eam possit sistere, eam tamen ad nutum determinare, & hoc pacto, omnem quæ in inclinationibus grassatur, ἀταξίαν, omnesque miserias, assiduas & ineluctabiles peccati pedissequas, afferre potest: hoc igitur VOLUNTATIS vocabulo, *impressionem illam seu motum designo, quo ad bonum indeterminatum & universale, ferimur:* voce verò LIBERTATIS, nihil aliud intelligo, præter vim illam, qua mens impressionem istam versus objecta nobis arridentia diducere po-

Vide Illustrationes.

test, atque hoc pacto efficere, ut inclinationes nostræ naturales versus bonum universale, Deum intelligo, qui solus est bonum generale; quia solus in se cuncta bona possidet, vago quodam & non determinato motu anteà tendentes, singulari cuipiam objecto defixæ adhæreant.

Unde nullo negotio comperias, inclinationes naturales, voluntarias quidem esse, sed non tamen esse liberas, libertate illa indifferentiæ, quæ in eo consistit, quod possim velle aut nolle; inclinationibus naturalibus reluctari, & diversum quid, ab eo circa quod feruntur, velle. Quamvis enim voluntario & libero erga bonum, teneamur amore, quia nempe sola voluntas, amamus, & voluntatem unquam cogi pugnat. Bonum tamen non amamus liberè, libertate indifferentiæ, quia penes voluntatem non est, beatitatem non optare.

At verò, & id sedulò animadvertendum est, mens nostra, si illam quidem spectes, quatenus versus bonum in genere impellitur, versus bonum aliquod speciale, motum suum determinare nequit, nisi cognito prius isto bono. Voluntas scilicet, ut cùm vulgo loquar, est facultas cæca quæ circa res nullas ferri potest, nisi prius ab intellectu, sibi oblatæ fuerint. Adeò ut voluntas, impressionem, quâ versus bonum fertur, & inclinationes suas naturales non possit variè determinare, nisi prius intellectui, ut sibi quoddam objectum speciale, repræsentet, imperaverit.

Vide Illustrationes.

Vis ea igitur qua voluntas inclinationes suas determinare valet, vim ferendi intellectum, versus objecta sibi arridentia, necessariò includit.

Rem uno exemplo sensibus objiciam. Dignitatem quamlibet, veluti bonum quod sperare potest, animo suo effingat aliquis; continuò ipsius voluntas illud bonum, eo ipso quod bonum est, vult; impressio scil. qua mens indesinenter versus bonum indeterminatum & universale movetur, ipsam versus hanc dignitatem fert. Cùm autem illa dignitas non sit universale bonum, nec à mente quæ nunquam clarè perspicit, id quod actu non est, tanquam universale bonum, clara & distincta perceptione judicetur, impressio quâ versus bonum naturâ ferimur, ab isto motu singulari, non omnino sistitur; menti adhuc superest motus, quo ulterius progrediatur; amor quo versus illam dignitatem fertur, cum nec necessarius nec invictus sit, liber est. Hinc autem oritur, illa libertas, quod, cum hanc dignitatem omne bonum amabile, in se complecti, pro comperto non habeat, judicium & amorem suum, suspensum cohibere potest. Deinde verò, ut in tertio Libro id sumus exposituri, quandoquidem mens humana, cum ente universali in quo residet omne bonum, arctissimè conjuncta sit, hujus unionis ope, alia cogitare, ac proinde alia bona amare poterit. Denique mens humana ita comparata est, ut singula bona possit inter se conferre, collatâ ratione ordinis & præstantiæ amare, ac ea denique, ad illud bonum referre, quod in se tanquam in scaturigine, cætera bona complectitur, quodque unum, nostram amandi facultatem replere valens, unicè pariter dignum, qui amori nostro circumscribat limites.

Cognitio

Cognitio veri, ab ipso boni amore non valdè diversa se habet ratione. Impressione quadam naturali, veritatis cognitione, non secus ac boni possessione gaudemus; neutra enim harum impressionum est invicta, nisi evidentia, ac perfecta & adæquata objecti cognitio accedat; adeò ut, libertate nostrâ, non minus fruamur, in falsis nostris judiciis, quàm in incompositis amoris nostri motibus, ut Capite sequenti sumus ostensuri.

CAPVT II.

I. De judiciis & ratiociniis. II. Ipsa à voluntate pendêre. III. Quomodo respectu illorum, quisque debeat uti libertate suâ. IV. Duo proponuntur canones generales, quibus errorem & peccatum vitari possint. V. In canones istos animadversiones quædam necessariæ adduntur.

EX iis quæ Capite præcedenti dicta sunt, colligere est 1. Intellectum nunquam judicare, sed duntaxat res percipere; sive judicia & ratiocinia, quatenus in intellectu sunt, nihil aliud esse præter puras perceptiones. 2. Voluntatem solam reverà judicare, iis quæ sibi ab intellectu objiciuntur sponte & placidè acquiescendo, ipsamque proinde solam in errorem nos injicere. Sed hæc fusiori indigent explicatione. I. *De judiciis & ratiociniis.*

Hoc igitur primum statuo; in intellectu videlicet, simplicem perceptionem, judicium, & ratiocinium, in eo duntaxat differre, 1. quòd rem simplicem, sine ullâ relatione, simplici etiam apprehensione, percipiat. 2. quod idem intellectus, relationes quæ sunt inter res plurimas, judiciis perspiciat. 3. Denique, quod relationes, quæ sunt inter ipsas rerum relationes, ratiociniis dignoscat; adeò ut omnes intellectus operationes *meræ* sint *perceptiones.*

Cum verbi gratiâ, bis duo, vel 4. percipimus, tum *simplex* fit *perceceptio*, cum verò judicamus, bis duo esse 4. aut bis duo non esse 5. quid in hoc negotio agit intellectus? id unum certè, percipit nimirum relationem paritatis, quæ intercedit inter bis duo, & 4. & relationem imparitatis, quæ intercedit inter bis 2. & 5. *judicium* igitur intellectûs nihil aliud est, præter *perceptionem relationis, quæ inter duas vel plurimas res deprehenditur*; sed *ratiocinium* est perceptio relationis, quæ non inter duas plurimasve res reperitur; eo casu enim esset judicium, sed est *perceptio relationis, quæ inter duas plurimasve relationes, duarum vel plurimarum rerum deprehenditur.* Ita, cum sic concludo. 4. minorem faciunt quantitatem quam 6. sed bis 2. sunt 4. ergo bis 2. minorem faciunt quantitatem quam 6. non solum percipio, relationem imparitatis, quæ est inter bis 2. & 6. tunc enim simplex esset judicium, sed hic prætereà percipio relationem

relationem imparitatis, quæ est inter duas relationes, nempe inter relationem, quam bis 2. habent ad 4. & relationem quæ est inter 4. & 6. quod verum est ratiocinium. Perceptio igitur, unica est intellectûs functio, voluntas verò sola judicat & ratiocinatur, iis quæ ab intellectu ipsi offeruntur, voluntariè ut dictum est, assentiendo.

I I. *Judicia & ratiocinia pendere à voluntate.* Interea tamen, ubi res quas apprehendimus, evidentissimæ sunt, tum assensus noster non amplius liber videtur; unde eò facilè adducimur, ut credamus intellectum judicare, non verò voluntatem.

Sed ut erroris nostri convincamur; animadvertendum est, res nobis videri evidentissimas, postquam intellectus eas usquequaque, & juxta singulas relationes ex quibus judicium ferre queat, expendit, non verò prius; unde fit ut voluntas, cujus natura non patitur, ut quicquam sine cognitione appetat, in intellectum agere amplius nequeat, hoc est nihil novi circa objectum ab ipso exigere potest, quia singulis partibus, ad rem de quâ agitur, ab ipso discussis, nihil ulterius cognoscendum desideratur: in iis igitur quæ ab intellectu, proposita sunt, conquiescere, nec illum amplius compellare & sollicitare, necessariò tenetur voluntas. Hic autem plenus assensus, propriè dicitur judicium & ratiocinium. Itaque, cùm judicium illud, circa res omnium evidentissimas, non sit liberum, libertate indifferentiæ, involuntarium etiam nobis videtur.

Sed quandiu, in rebus, quæ à nobis examini subjiciuntur, aliquid subobscuri superest, aut quandiu, aliquid circa quæstionem agitatam, ut in rebus difficilibus, & quasi multiformibus, plerumque contingit, comperiendum desideratur, tum ab assensu supersedere licet, voluntasque intellectui, ut rem ad examen denuò revocet, imperare potest, unde fit ut judicia, quæ circa res ejuscemodi ferimus, voluntaria esse facilius credamus.

Plerique tamen Philosophi existimant, ea etiam judicia, quæ circa res obscuras facimus, non esse voluntaria, illamque actionem quâ mens assentitur veritati, quamque *assensûs* nomine designant, esse actionem intellectûs contendunt; hanc scilicet distinguentes, ab illa actione quâ mens cum bono consentit, quam voluntati tribuunt, quamque *consensus* nomine indigitant. Sed ipsorum & distinctionis & erroris, hæc est causa.

Ita scilicet sumus affecti, ut sæpius veritates, extra omnem dubitationis aleam, positas videamus; Quocirca voluntas, ut mox explicuimus, in consensu, quo hasce veritates amplectitur, non est indifferens. Sed res secus se habet de bonis, nullum enim bonum est circa cujus amorem aut fugam, mens incerta non pendeat. Animi nostri motus, & nobis innata ad voluptates corporeas propensio, suppeditant nobis causas, confusas quidem, sed efficaces tamen propter naturæ nostræ corruptionem, quibus languescimus, & ipsum Deum, amore quodam indifferenti prosequimur. Itaque indifferentiæ & libertatis nostræ dum Deum amamus, manifestâ convincimur experientiâ.

At vice versâ, usus libertatis nostræ in assensu quem veritati potissimum

ſimum evidentiſſimæ præbemus, non pariter elucet. Et hinc continuò ipſum non eſſe voluntarium conclùdimus. Quaſi ſola indifferentia, voluntarias efficeret actiones; nonne beati in cœlis, Deum amore neceſſario, & à quo nullâ dimoveri poſſunt causâ, per quam voluntario tamen complectuntur. Nulla ſane ratio, aſſenſum quem huic propoſitioni bis 2. ſunt 4. præbeo, cohibere poteſt, adeo ut illum neceſſariò, ſed voluntariè tamen præbere tenear.

Sed verò, ut conſenſus quo voluntas veritatem, à conſenſu quo eadem, bonitatem amplectitur, facilius dignoſcatur; diſcrimen quod inter veritatem & bonitatem, his vocibus, ſenſu vulgari, & cùm relatione ad nos acceptis, intercedat, ſedulò ſtabiliendum eſt. Illud autem diſcrimen, in eo poſitum eſt, quod bonitas nos reſpiciat & afficiat, veritas verò nuſquam. Veritas nihil aliud eſt præter quandam convenientiam inter duas vel plurimas res, bonitas verò in ea convenientia conſiſtit, qua res nobis congruunt. Unde fit ut unica ſit actio voluntatis reſpectu veri, approbatio ſcilicet, ſive aſſenſus, cum analogia inter res quaſlibet, repræſentatur. Duæ verò ſunt ejuſdem voluntatis actiones reſpectu boni, quarum prior eſt, conſenſus ille quo rem nobis convenire, agnoſcit, & approbat, poſterior verò eſt amor ſeu motus verſus illam rem; quæ actiones, etſi vulgò confundantur, longè tamen differunt. Quis enim rei aſſenſum ſimpliciter præbere, & rem ab intellectu propoſitam perſequi, perinde eſſe exiſtimet? Sæpenumerò certè contingit, ut rebus quas timemus & fugimus aſſentiamur tamen.

Geometræ non amant veritatem ſed veritatis cognitionem, utut vulgò loquantur.

Quibus æquâ judicij lance perpenſis nemo non facilè comperiet, voluntatem ſemper aſſentiri, non rebus quidem niſi ipſi arrideant, ſed ſaltem rerum repræſentationi. Et jure meritò quidem. Cùm enim res ita evidentes ſunt, ut nihil evidentius, nullaque amplius in iis analogia ſeu convenientia ab intellectu cognoſcenda deſideretur, cur non acquieſceret voluntas? Illa igitur intellectus operâ circa hanc rem non amplius indigens, ſeſe exagitare & macerare deſinit, & ſine ullo erroris periculo aut ſuſpicione, tranquilla tutaque acquieſcit. Cæterum præcipuè animadvertendum eſt, eum in quo verſamur ſtatum non niſi imperfectam nobis concedere rerum cognitionem; adeò ut illa libertas indifferentiæ, quâ aſſenſum noſtrum ſuſtinemus, nobis plenè neceſſaria ſit.

Quæ neceſſitas ut à nobis agnoſcatur, attendendum eſt nos in verum & bonum, naturali quodam motu propendere. Cum autem voluntas, non feratur niſi in res ab intellectu aliquantum cognitas, in id certè neceſſariò ferri debet, quod vero & bono ſimile eſt; ſed quia quicquid vero & bono ſimile eſt non reipſâ tale eſt, non dubium quin in perpetuos penè errores incideret, ſi non libera eſſet, & in quolibet vero & bono ſimile, neceſſario & ineluctabili ferretur impetu. Unde ipſius errores ſummo conditori, à quo eſſe ſuum accepit, tribui non immeritò viderentur.

III. *Quomodo debeamus, uti libertate nostra ad vitandum errorem.*

Libertate igitur à Deo donati sumus, ut missâ verisimilitudine, in sola veritate acquiescentes, errorem pœnamque ipsum prementem pede non claudo, vitemus. Nostrum, nempe est, animum indesinenter intendere, ad assiduum rerum examen, donec iis à capite ad calcem expensis & enucleatis, nihil ulterius comperiendum, desideretur. Veritatem enim ab evidentia separatam, vix unquam reperias. Jam autem evidentia in eo consistit, ut singulas partes & relationes quibus de objecto quopiam judicari tutò possit, clarè & distinctè percipias.

Si igitur *libertate nostrâ quantum possumus* utimur, eâ ritè quidem utemur; hoc est si nulli unquam rei, nisi internis rationis nostræ objurgationibus moniti & adacti, assentiamur.

Qui falsis veritatis speciebus & indiciis fidem incautus adhibet, vel reluctante Deo sese mancipat; Qui verò tacitis rationis admonitionibus, quibus dum assensum denegamus, ad assensum tamen incitamur, candidè subscribit, is voci veritatis æternæ, nos intus compellanti auscultat. Jam igitur super his adsunt tibi duo canones, in scientiis speculativis & in ipsis moralibus per quam necessarij, cùm omnis humanæ scientiæ fundamentum, haberi meritò possint.

IV. *Generales canones ad vitandum errorem, & peccatum.*

Prior, qui ad scientias, hic est: *Ne assensum plenum unquam præbeas, nisi propositionibus adeo evidenter veris, ut illum sine interno quodam cruciatu; tacitoque rationis murmure, non possis denegare:* hoc est, nisi clarè intelligas, te libertate tua perperam usurum, ipsiusque libertatis imperium æquo latius producturum esse, si assensum tuum denegares.

Posterior, qui in moralibus usu venit, hic est. *Si ab alicujus boni amore, sine conscientiæ sollicitudine possis abstinere, illud bonum ne amato absolutè & ἁπλῶς.* Unde sequitur, Deum solum, amandum esse, absolutè & sine ullo respectu, quandoquidem ipse solus est, à cujus amore, sine ejusmodi conscientiæ cruciatu abstinere non possimus; evidenter scil. intelligeremus, nos iniquè agere, si Deum ratione aut revelatione semel cognitum, non amemus.

V. *Animadversiones quædam in hos can.*

Sed hic animadvertendum est, nos à natura ita esse comparatos, ut rebus quæ nobis videntur verosimillimæ, vix ac ne vix fidem denegare possimus, piget nos reluctari, adeò ut nisi cautè attendamus, assensu nostro erroris periculum nobis impendeat; rarò enim admodum contingit ut veritas cum verisimilitudine planè consentiat. Atque hanc ob causam in hisce canonibus disertis verbis monui, nunquam assentiendum esse, nisi evidentissimè videas, te perperam uti libertate tuâ, nisi assentiaris.

Quamvis autem assensum nostrum, verisimilitudini non facilè denegemus, si tamen seriò præcaveamus, an reverà evidens assentiendi necessitas incumbat: contrarium proculdubio comperiemus. Si enim verisimilitudo sensuum impressionibus nixa est, verisimilitudinem sanè falsò sic dictam! tum ab assensu non sine magno negotio temperabis; sed unde tam proclivis assensus? ex aliquo scil. motu aut affectu generali; quo in res sensibiles, ut infra patebit, propendemus.

Sed

Sed si verisimilitudo, ex aliquâ cum vero conformitate oritur, ut cognitiones verisimiles, veræ esse solent, certo quodam sensu acceptæ; tum si quis in semetipsum oculos convertat, in duo inclinare se, deprehendet. Primò enim in assensum, deinde in iterandum examen; nunquam tamen ita persuadebitur, ut sine malitiæ conscientiâ, non possit assensum suum cohibere.

Istæ autem duæ inclinationes, quas verisimilium respectu in nobis experimur, sunt per quam legitimæ. Possumus enim & debemus, assensum nostrum præbere rebus verisimilibus, quatenus scilicet, imaginem veritatis referunt, ille tamen assensus non debet esse plenus, ut in canone scriptum est; priùs enim objectum undequaque dispiciendum est, ut naturam ipsius penitus introspicientes, verum à falso dignoscere, & tunc plenè, si id exigit evidentia, assentiri queamus.

In id igitur assiduè incumbendum est, ut verum à falso, nosmet ipsos, ut dixi, discutiendo, internoscere, assuescamus. Hæc enim negligentia causa est cur duabus rebus tantoperè diversis, eodem tunc modo afficimur. Vix enim credibile est, quanti sit momenti, libertate suâ bene uti, assensum & amorem cohibendo, donec vera autoris natura efficacissima, quam mox rationis obmurmurationum, & conscientiæ sollicitudinum nomine, designavi, exaudiatur.

In hoc recto libertatis usu, constituta sunt omnia entium spiritualium, tum Angelorum, tum hominum officia; adeò ut si, vanitatis & mendacij imperio sese subducentes, libertate suâ appositè utuntur, omnem, quam ipsorum fert natura perfectionem sperare non immeritò possint. Dummodo intereà intellectum suum otiosum jacere non sinant, perpetuò exerceant, ad novas cognitiones excitent, ipsiusque capacitatem, assiduis & legitimis meditationibus, adaugeant.

Ut enim mens perfectionem assequatur, rectè uti libertate, assensum suum perpetuò cohibendo, non sufficit; illorum hominum instar, qui absolutam ignorantiam, perpetuamque animi suspensionem ambitiosè venditant. Nec etiam omnibus est assentiendum ut alij non pauci, quos, dum omnia cognoscere satagunt, quicquam ignorare pudet. Sed intellectu ita utendum est, frequentibus meditationibus, ut sæpius rebus ab ipso propositis, tutò assentiri possit, voluntas.

CAPUT III.

I. Responsiones ad Objectiones quasdam. II. In ea quæ dicta sunt, observationes.

NOn pauci, equidem, ut subodorari pronum est, prioris nostri canonis praxim iniquo ferent animo. Illi potissimum scioli, quos, dum rerum omnium scientiam sibi arrogant, nihil tamen non latet,

quique dum res facillimas ignorant, de difficillimis quibuſque deblaterare audent, hoc audito canone, vix ſeſe continebunt.

Illos audire jam mihi videor cum Ariſtotele dicentes, in ſolis Mathematicis ſcientiis perfectam eſſe quærendam certitudinem. In Moralibus verò & Phyſicis ſufficere, ſi probabilitas adſit. Carteſium deliraſſe, cùm Phyſicam, ad Geometriæ modum tractavit, nec mirum eſſe ſi oleum & operam tam miſerè perdiderit. Homines ad naturæ cognitionem fruſtra adſpirare, arcanam ipſius compagem intellectum humanum fugere, & innumera alia, quæ magna pompa nobis propinant, adductâ ſecum ingenti Autorum cohorte, quorum autoritate placita ſuffulciunt, ipſorum nomina & ſententias ambitioſè laudantes.

Verum illud genus hominum liceat mihi compellare: quorſum tot verba de rebus ſibi, ex ipſorum confeſſo incognitis? Siſtant quæſo, inſanas vanitatis ſuæ agitationes; & de rebus, circa quas ſuam non diffitentur imperitiam, prætumida conflare volumina deſinant.

Exuant iſti homines, præjudicatas opiniones ſuas, & rem ſeriò examinent, certè nullo negotio comperient, horum alterutrum omnino neceſſarium eſſe, aut ſæpe ſæpius errare, aut plenum nunquam niſi rebus evidentiſſimis, aſſenſum dare. Unde fit ut veritas ſit perpetua Geometriæ comes, niſi ex hujuſce legis obſervatione? certè, errores quorundam circa quadraturam circuli, & cubi duplicationem, non aliunde, quam ex præcipiti quodam & pervicaci judicio, quo decepti veritatem à veriſimilitudine non ſatis diſtinxere, manare potuerunt.

Ab ipſis etiam accipere velim, cur vulgata Philoſophia tot falſis & indigeſtis ſcateat; quia nimirum Philoſophi iſtius commatis, famæ & utilitati duntaxat velificantes, veriſimilitudinem quam in procinctu habuerunt, ipſi veritati antepoſuere. Quid ille eſt opinionum circa rem eamdem numerus prope innumerabilis, niſi ſit errorum fons uberrimus. Permultos tamen diſcipulos, in illorum magiſtrorum verba, quorum ſenſum ipſi non attingunt, ſerviliter jurantes, iiſdem etiam erroribus impediri videas.

Non pauci, equidem, inter illos reperiuntur, qui viginti vel triginta annis miſerè conſumptis, ſe ex tam variis & aſſiduis lucubrationibus nihil novi hauſiſſe tandem agnoſcunt, ſed eos id palam profiteri pudet. Nullam dari ſcientiam ſuâ primum ratione & methodo probare nituntur, quo facto lubenter ignorantiam ſuam fatentur. Quis enim ipſorum auditis rationibus, riſum non compeſcat? Vel Quis potius à cachinno temperaret, ſi ipſos incautos eò adduceret, ut progreſſus ſuos in iſto tam egregio, eruditionis genere, enarrarent? aut ſi ex ſubita quadam ingenij alacritate, labores in hoc ſtudium exantlatos, graphicè & ſigillatim nobis depingerent.

Verum licet hæc docta & ſublimis inſcitia ludibrium debeat, ſatius erit tamen ſi ipſi ignoſcentes, nos illorum infortunij miſereat, qui tot annos incaſſum emenſi ſunt, hoc ſcilicet falſo omnique cognitioni & veritati adverſo, *nullius rei dari poſſe ſcientiam*, adducti principio.

Si

Si igitur lex illa, quam modo constitui, tantæ est uti videmus ad veritatis inquisitionem, necessitatis, ne quis illam torvis conspiciat oculis. Quibus verò ab ipsâ abstinere placuerit, ne saltem, in celebri, qualis est Cartesius autore, id vitio dent, quod istam viam institerit, aut si malint, insistere conatus fuerit. Si virum, de quo adeò temerè opinantur, rectè nossent, non tam inverecundè ipsum damnarent. Sed quid mirum? Ipsius lucubrationes, fabularum illarum instar, quæ quodlibet, dum placeat, mentiuntur, animi gratiâ tantum legunt. Cum illo igitur Philosopho, meditentur, apud semetipsos adhuc deprehendent quasdam notiones, & quædam veritatum quas ipse docet, semina, quæ se immani quo premuntur, falsæ eruditionis pondere, sese furtim subducent.

Magistrum habemus nos intus docentem, qui sepositâ clarissimorum Philosophorum autoritate à nobis vult solus auscultari. Lumen suum liberaliter dispergit, quid igitur cessamus illum compellare? Sed quo modo à nobis se compellari gaudet? assiduâ scilicet meditatione, & attentione non interruptâ. Nobis verò internâ quadam convictione, & tacitis, quibus inpertinaces & incredulos animadvertit, objurgationibus, respondet.

Eâ mente eoque consilio legenda sunt hominum placita, ut ab ipsis erudiri non speremus. Ad lumen mundi oculi nostri sunt convertendi, ut luminis sui nos faciat participes. Si consultum deneget, malè profectò à nobis consultum fuerit.

Sive igitur Aristotelem sive Cartesium legas, calculum tuum neutri protinus adjicito, sed ut ipsi meditati sunt, aut saltem meditari debuerunt, attentissimus meditare, deinde voci nostri omnium magistri, morigerus obtempera, nec convictioni internæ, motibusque quos excitat meditatio reluceteris.

Cuilibet sic præparato licet de Autoribus judicare, discussis ad hunc modum Philosophiæ tum Cartesij tum Aristotelis principiis, alter necessariò rejicitur, alter verò admittitur? Et de posteriori nemo sanè non comperiet, ipsius principiis, quatenus saltem ipsi peculiaria sunt, nullum naturæ phænomenum explicari unquam posse. Ut vel ex eo patet, quod à bis mille annis, à doctissimis & in plerisque orbis terrarum locis, frustra laboratum fuerit. At posteriorem, abditissima quæque, aciemque oculorum quam maximè fugientia, penetrasse, & ad omnes veritates, supra mentem finitam, non transcendentes, viam patefecisse tutissimam confidenter asserere nemo dubitabit.

Sed quid horumce duorum Philosophorum opinionibus immoramur, nil sane humani ab ipsis alienum est. Ne igitur ægre ferant Aristotelici, si per tot sæcula in tenebrico versati, nihilque progressi, res nostris tandem oculis usurpare velimus, jam satis superque cæcos egimus, nos oculis pollere tandem aliquando recordari, par est.

Pro certo igitur constet, illam regulam, quæ nos *plenè assentiri nisi rebus evidentissimis*, vetat, in veritate inquirenda, esse omnium maximè ne-

cessariam, nihilque admittamus, quod cum eâ, quam exigit canon noster, evidentia à nobis non perspiciatur; sine hac animi dispositione, præconceptas nostras opiniones, non possumus exuere; nec veritatis cognitionem adipisci possumus, nisi hisce præjudicatis opinionibus, nuntium remittamus, quippe mentem impuram, lumen veritatis subire nequit *sapientia prima est, stultitia caruisse.*

II. *In ea quæ dicta sunt, observationes.* Antequam huic Capiti finem imponam, tria observanda sunt. 1. Me hic non agere de rebus fidem spectantibus, quas evidentia non comitatur quemadmodum scientias naturales; nimirum res non nisi per ideas nobis impressas percipere possumus, Deus autem eas tantum in nobis ideas creavit, quæ necessariæ fuerunt, ut secundùm ordinem naturalem à se præstitutum ageremus; adeo ut mysteria fidei in ordine quodam supernaturali collocata, à nobis evidenter non posse cognosci, mirum videri non debeat, quia videlicet, ne vel eorum ideas habemus. Mentes enim nostræ, vi decreti illius generalis, quibus singulæ notiones necessariæ nobis suppetunt creatæ sunt; mysteria verò fidei, ordine tantùm gratiæ, ordine naturæ, secundùm nostrum concipiendi modum, posteriori, comparata sunt.

Mysteria igitur fidei, à rebus naturalibus, sedulò distinguenda sunt. Fidei & evidentiæ pari summissione cedendum est: at in rebus fidem spectantibus, nulla quærenda est evidentia, sicut in rebus naturæ, fides seu autoritas Philosophorum nihili facienda est, uno verbo fidelis cæcus esse debet, hoc est rebus revelatis, potiusquam rationi suæ etiam reluctanti, credere. Philosophus verò debet esse oculatus & perspicax.

Sunt equidem, præter veritates fidei, quædam aliæ veritates, circa quas demonstrationes invictas postulare foret iniquum. His accenseo gesta quæ in historiis memorantur, & cætera quæ ab hominum voluntate pendent. Veritates enim aliæ sunt necessariæ, aliæ contingentes. Necessarias voco veritates immutabiles naturâ suâ, & immotâ Dei voluntate constitutas. Cæteræ sunt veritates contingentes. Mathematica, Physica, Metaphysica Ethica, maxima ex parte, veritates necessarias complectuntur. Historia verò Grammatica, jus cuilibet loco speciale, sive ritus, & multa hujusccemodi, ab instabili hominum voluntate dependentia, veritates contingentes duntaxat continent.

Observatio igitur nostri canonis accurata, in veritatibus necessariis, quarum cognitio jure merito dici potest scientia, expostulatur; in historia verò, quæ est rerum contingentium, si verisimilitudo, & illa quidem maxima reperiatur, sufficiet. Quippe, linguarum, rituum, variarum, in quas vulgus Philosophorum scinditur, opinionum cognitio, quia hæc omnia solius ope memoriæ, nullâ adhibitâ certitudine aut evidentiâ adepti sumus, Historiæ nomine, non absurdè indigitamus.

Quod 2. observatum optamus, illud est. In Ethica scilicet, in Politica, in Medicina, & in cæteris scientiis practicis, in sola verisimilitudine acquiescere necesse est. Non semper quidem, sed saltem ad tempus. Non quod illa verisimilitudo nihil menti incompertum relinquat,

quat,

quat, sed quia instat opus. In hisce enim rebus, si plenam certitudinem operiaris tempus agendi præterfluit, & nil promoves. Sed quamvis agendi necessitas incumbat, de rerum eventu tamen dubius hærere debet animus. Ut errores agnoscendo certius agas, cùm agendi tempus denuo recurret, ut quemlibet studentem, mentisque suæ perfectioni consulentem, decet.

3. Denique, non omnino aspernanda est verisimilitudo plures enim simul junctæ, evidentissimis demonstrationibus sæpenumero æquipollent; hujusce veritatis in Physicis & Moralibus, innumera suppetunt exempla; adeò ut, si rem quampiam demonstratione probare non possis, multis congestis verisimilitudinibus, quod aliter fieri non posset, hoc pacto confeceris.

Dura quidem illa lex est, non inficior. Non pauci nunquam ratiocinari optabunt magis quàm his cancellis includi, inter ratiocinandum. Cum adeò anxiis cautionibus, multorum celeritas moram patietur. Sed quanto, sodes tutius ibis, si illam observes legem. Nonne præstat lentè festinare, quàm præpropera quadam diligentiâ eo adduci, ut ex itinere revertaris, eademque vestigia denuò premas. Certè si Cartesius, intra triginta annorum spatium innumeras veritates cæteris Philosophis incompertas ex hoc præscripto agens, veluti è puteo eruit, quid obstat, quo minus multi iisdem insistentes vestigiis, pleraque ad vitam fœliciter degendam, necessaria detegerent; quantum saltem beatitudinis in terra cui Deus maledixit, sperare æquum est,

---

CAPUT IV.

I. De causis erroris occasionalibus, & quidem esse quatuor præcipuas. II. Totius hujusce operis generale propositum, & speciale hujusce primi libri.

PErversum libertatis usum, acrem & præcipitem voluntatis versus verisimilitudines, propensionem, & ejusdem voluntatis consensum, intellectûs perceptione longius patentem, causas esse erroris, superiori capite vidimus. Nec certè res fusiori indiget demonstratione, quippe si de rebus clarè perspectis tantùm judicaretur, nullus esset errori locus.

Sed quamvis propriè loquendo, libertatis abusus, unica sit errorum nostrorum causa, multæ tamen insunt nobis facultates, quæ errorum nostrorum causæ, non efficientes quidem, sed saltem occasionales, jure merito dici possunt. Singuli nostri percipiendi modi, totidem ministrant nobis hallucinandi occasiones. Cum enim falsa nostra judicia ex duobus, ex consensu scilicet voluntatis, & intellectus perceptione oriantur; omnes nostros percipiendi modos, nobis aliquam errandi occasionem

I. De causis occasionalibus errorum dari 5. præcipuas.

occaſionem præbere, non obſcurum, quandoquidem ſcilicet, ad aſſenſus temerarios nos adducere poſſunt.

Cum autem ſummoperè neceſſe ſit, mentem infirmitatum & errorum commonere atque convincere, ut ab iis emergendi legitimo commota deſiderio, præjudiciis ſuis ſeſe minori expediat negotio, accuratam percipiendi modorum, diviſionem tradere aggreſſuri ſumus, quæ deinceps veluti totidem errorum quibus mens noſtra obnoxia eſt, capita habenda erunt.

Trifariam res percipere poteſt mens noſtra, *intellectû* ſcilicet *puro*, *imaginatione*, & *ſenſibus*.

Intellectû puro, mens percipit ſpiritualia, univerſalia, notiones communes, perfectionis & entis ſummè perfecti ideas, & in genere omnes ſuas cogitationes, quas internâ circa ſeipſam meditatione cognoſcit. Quædam etiam materialia, ut extenſionem cum ipſius proprietatibus percipit *intellectû puro*. Solus enim intellectus purus, circulum & quadratum perfectum, figuram chiliagonam, & ſimilia apprehendit. Ejuſmodi perceptiones puræ intellectiones, aut puræ perceptiones dicuntur, quia nimirum hæc ſine phantaſmatibus ſive imaginibus in cerebro impreſſis, percipit.

Imaginatione, res materiales tantùm mens percipit. Cùm eas licet non actu præſentes, ut præſentes tamen exhibet ſibi, phantaſmatibus ſive imaginibus ipſarum in cerebro efformatis. Hoc pacto quaſlibet figuras, circulum, triangulum, vultum, equum, urbes, campos, ſive eas jam viderimus, ſive non, imaginamur, hujuſcemodi perceptiones dici poſſunt *imaginationes*, quia mens hæc ſibi effingit, eorum imagines in cerebro, formando, quoniam ſpiritualium imagines, non poſſunt exprimi hinc ſequitur mentem ea non poſſe imaginari. Quod ſedulò obſervandum eſt.

Senſibus denique objecta ſenſibilia & craſſa mens percipit, cum præſentiâ ſuâ in organa externa corporis agunt, ſic planities, ſaxa oculis ſuis objecta cernit, ferri duritiem, gladij aciem & ſimilia perſentit. Ejuſmodi autem perceptiones, *ſenſus*, ſive *ſenſationes* dicuntur.

Mens igitur hiſce tribus duntaxat modis, res percipit. Quod facilè quiſque videbit, ſi modò attendat, res omnes quas percipimus vel eſſe ſpirituales vel materiales. Si ſpirituales ſint, tum intellectus purus, eas ſolus percipere poteſt. Si ſint materiales, certè aut aderunt aut aberunt. Si abſuerint, mens eas ſolâ imaginatione percipere ſolet; ſi verò adfuerint, mens eas percipere poteſt impreſſionibus quas in ſenſus noſtros agunt, eos feriendo jam igitur mentem trifariam tantum, *intellectu* ſcilicet, *puro*, *imaginatione*, & *ſenſibus* res percipere, pro certo habeatur.

Ad has igitur tres facultates, velut ad capita quædam, errores hominum & ipſorum errorum cauſas referemus, vix enim, præ tanto errorum numero, alia confuſio ratione vitari poſſet.

Verum *inclinationes* ſive propenſiones noſtræ, & affectus ſive motus incompoſiti etiam vehementer agunt mentes noſtræ aciem nos falſo

quodam

quodam fulgore perstringunt, illam tenebris circumfusam, opprimunt. Itaque inclinationes nostræ, & affectus sive motus incompositi, nos in errores innumeros conjiciunt, si nosmetipsos ab ejusmodi falsis splendoribus deludi sinamus. Inclinationes igitur nostræ, nostrique motus seu affectus, ut errorum & delictorum nostrorum fontes haberi debent, non secus ac tres mentis facultates, de quibus supra. Et erroribus sensuum, imaginationis ac intellectus puri, errores affectuum, & inclinationum naturalium accedere debent. Itaqua omnes hominum errores ipsorumque causæ, ad quinque capita, referri possunt, quorum en tibi ordinem.

Primò de *erroribus sensuum.* 2. *de erroribus imaginationis.* 3. *de erroribus intellectus puri.* 4. *de erroribus inclinationum.* 5. de erroribus *passionum* agetur hac enim impropriâ voce, brevitatis causâ, imposterum utemur. Postquam denique mentem ab erroribus suis vindicare tentaverimus, *methodum generalem*, qua veritas possit haud infeliciter inquiri, tradituri sumus. II. *Totius hujusce operis propositum generale.*

Jam igitur ab erroribus sensuum seu potius ab erroribus quos sensuum abusu, erramus, ordiemur. Cæterum erroribus specialibus numero prope infinitis, minus quàm generalibus errorum causis rebusque ad naturæ mentis humanæ cognitionem adipiscendam, necessariis, insistemus. III. *Primi Libri speciale propositum.*

CAPUT V.

DE SENSIBUS.

I. Corruptio quam peccato contraxerunt bifariam explicatur. II. Libertatem nostram veram esse errorum nostrorum causam, non verò sensus. III. Canon, quo in usu sensuum nostrorum errorem vitemus, proponitur.

SEnsus & passiones hominis, fini ob quem ipsi concessa sunt, tam aptè respondent, ut eorum opinionem, qui illa peccato omnino corrupta fuisse, censent, vix quisquam ad rem attentus, possit digerere. Sed ne quis ab eorum sententiâ, nos gratis discedere existimet, quo ordine facultates & passiones primi nostri Parentis in statu justitiæ procederent, & immutationes ac perturbationes ex peccato ortas, hic explicare operæ pretium est. Hæc autem bifariam à nobis concipi possunt.

1. Si genuinum rerum ordinem consulas, quo præstantioribus mens fruitur bonis, eo majori perfundi debet voluptate, id ex notione communi constat. Voluptas est naturæ instinctus quidam, vel ut clarius dicam, est ipsius Dei impressio quâ in aliquod bonum inclinamus; hæc autem impressio eo vehementior est, quo bonum illud est majus. Hoc

posito principio; primum nostrum Parentem ante peccatum, & è manibus Dei recens eductum, solidiora bona cæteris longè anteposuisse, nemo est qui inficietur. Cùm itaque Deus, verum ipsius bonum, cum ut ab ipso amaretur, creasset, probabile est, in ipso quoque gustum sui excitasse, in sui amorem, voluptate quadam internâ, leviter ipsum inflexisse, officiumque ipsi præscriptum temperasse internâ quadam & alacri dulcedine, infra quam exquisitissimæ sensuum voluptates longè sidebant, & a qua homines nunc peccatores nisi speciali quadam gratiâ adjutentur, prorsus desueverunt.

Intereà tamen, cùm idem homo corpore etiam præditus esset, quod Deus ipsi & conservandum, & ut altera suimet ipsius pars habendum dederat; voluptates etiam hoc in corpore excitabat, ab illis quibus nunc, dum utimur rebus vitæ nostræ conservandæ idoneis, afficimur voluptatibus, haud absimiles.

An primus homo, præcipuâ cerebri sui parte ab objectis sensibilibus semel commotâ, sensationes jucundas aut injucundas, posset coërcere, non est tutum decidere. Hoc forsan imperio in seipsum pollebat, propter illam quâ Deo parebat summissionem, licet rem secus se habere facilius crediderim; quamvis enim Adam spirituum & sanguinis commotiones, nec non cerebri concussus ab objectis sensibilibus ortos, sistere posset, quia nimirum, ordo secundum quem constitutus fuerat, corpus spiritui cedere postulabat. Ipsum tamen, non cohibitis priùs motibus in illa corporis sui parte, cui mens immediatè conjungitur, ab objectorum sensu, sive sensatione, temperare potuisse, haudquaquam vero simile est. Cùm enim mentis cum corpore unio in eo præcipuè sita sit, quod sensus sive sensationes animæ & motus organorum, mutuo quodam consensu, sibi invicem respondeant; sanè si Adam, ubi semel præcipua corporis sui pars, corporum circumjacentium actionem receperat, sensationibus tamen vacare potuisset, hæc unio potius arbitraria, quàm naturalis habenda fuisset. Rem tamen in medio relinquo.

Primus igitur homo, ex iis omnibus, quæ vel corporis vel animæ perfectioni, numerum aliquem addebant, voluptate commovebatur, quâ erat autem perfectione, voluptatem spiritualem, voluptate corporeâ vividius experiebatur. Itaque justitiam illam quam sine gratia Christi nec consequi nec conservare possumus, quia hac destituti officio nostro nonnisi invito fungimur animo, ille per se facile conservare poterat; miserè tamen deceptus, in laqueos incidit. Inobedientiâ suâ justitiam amisit. Nihil autem in hac immutatione prius, & sensibus nostris funestius illâ quâ in hominem justè animadvertit Deus pœnâ; ab illo scilicet communione suâ orbato secessit, & quemadmodum ipsius bonum sese præstare noluit amplius, nullam pariter voluptatem, tanti favoris indicium, in ipso excitavit. Voluptates igitur corporeæ ad sola bona corporea incitantes duntaxat superfuere, quæ cum iis voluptatibus mentem ad verum bonum antea erigentibus, paribus non amplius libratæ momentis, unionem qua cum Deo conjungebatur homo magnopere debili-

Divus Gregorius homil. 30. in Evangel.

debilitarunt, unionemque quâ corpori adhærebat, adauxerunt, corroborarúntque. Voluptas sensuum domina, cor ejus rebus omnibus corporeis mancipatum labefecit: corruptio cordis menti caliginem obduxit, oculis à lumine ipsi prius affulgente deflexis, res omnes cum solo respectu ad corpora, objecit.

Verumtamen non est quod quis sensus ideò magnopere immutatos fuisse credat. Quemadmodum enim si duo pondera in utraque libræ lance, æquato examine sustineam, ac posteà aliquid de uno ex illis ponderibus demam, pondus quod integrum remansit, libram ad se depressurum est, nihil immutato primo pondere, idem enim est pondus quicquid fiat. Sic ex quo peccatum irrepsit, voluptates sensuum animam versus res sensibiles depresserunt, delectationibus illis internis, quæ propensionem nostram versus res sensibiles, velut æquipondium quoddam, suspensam tenebant, deficientibus; non eâ, tamen quæ vulgò existimatur, in sensibus, immutatione factâ.

Hæc est posterior explicandæ perturbationis ex peccato ortæ, ratio, quæ priore proculdubio cum veritate magis consonat; ab illa quidem longo distat intervallo, quippe quæ dissimili nitatur principio, ambæ tamen illæ rationes, quoad sensûs, inter se optime conveniunt.

Cùm ex duabus partibus corpore scilicet & animâ constemus, duo quoque bonorum genera, spiritualia scilicet & corporea, persequenda nobis incumbunt. Bifariam pariter, an quid nobis sit utile, an verò noxium, nempe mentis solius, vel mentis cum corpore unitæ ope, dignoscere possumus. Utilitas nostra seu mavis bonum nostrum, clara & evidenti cognitione, non secus ac sensu quodam confuso, à nobis cognosci potest. Justitiam esse amabilem ratione quidem comperio, sed gustu, certior evado, hunc fructum boni esse saporis; justitiæ pulchritudo sensu, fructûs suavitas ratione, non discernitur. Bona corporea, mentis quam Deus sibi soli comparavit, attentione non digna sunt. Mens igitur ejusmodi bona certo & facili sensuum testimonio contenta, nullo adhibito examine cognoscat oportet; lapides corporis alimentum esse nequeunt, id experientiâ certissimâ constat, idque uno gustus testimonio omnes homines adducti unanimo profitentur consensu.

His igitur positis, voluptas & dolor certa sunt & genuina indicia, quibus bonum & malum internoscantur, fateor: Sed ubinâ hoc cōtingit? In iis scilicet rebus, quæ cum nec bonæ nec malæ sint per se & natura sua, tales quoque clarâ & distinctâ cognitione haberi nequeunt. Cùm enim res illæ mente hominis inferiores sint, illam certè nec beare nec punire possunt. Unde fit ut prorsus indignæ sint quæ mentis applicationem tantillum sollicitent: quo circa Deus mentem nostram iis incumbere non sinens, instinctu quodam, hoc est sensationibus jucundis aut injucundis, ad illas nos propendere curat.

Res verò secus se habet de Deo, ipse enim verum est mentis bonum, ipse solus supra illam eminet, ipse solus dignus est cui mens tota

adhærescat, sui cognitionem amore vacuam jacere non metuens; nec aliam ob causam amore cæco, & ex solo instinctu seu impetu naturæ nato non contentus; sese primo menti cognoscendum præbet, ut cognitus ab ipsa eligatur, & unicè ametur.

Si mens, quod reverâ corporibus inest idque unum, nil prætereà sentiens, perciperet, ut ea vix amaret, iis pariter haud facilè uteretur; itaque ea menti grata fieri in ipsâ scilicet sensationes, ex rebus quibus tamen carent, ortas excitando, necesse est: at verò quoad Deum ratio valde diversa est; dummodò qualis in se est conspiciatur, non potest non amari, nec ad illum voluptarium instinctum velut ad lenocinium quoddam, ut captet amorem, ipsum confugere opus est.

Beati in cœlo, Deum, quo præsente potiuntur, summo complectuntur amore; sed voluptas quâ in hoc amore perfunduntur, minus est instinctus cujusdam effectum, quam ipsorum amoris fructus ac veluti merces, non enim solâ adducti voluptate Deum diligunt, sed quia præcipuè ipsum verum esse bonum, evidenter agnoscunt.

Vide Illustrationes.

His ita positis, Adamum ad Dei amorem officiumque suum, nullâ voluptate prævertente, inductum fuisse, credere par est; Deum ut unicum sui bonum pernoscebat, gaudium ex beatâ cum Deo unione natum, ipsius pectus pertentabat, hæccine igitur ad officium satis efficaciter non adigebant? Et his actus incentivis, nunquid Deum potius sibi demerebatur, quam si voluptate quadam antevertente determinatus ipsum amasset? sic constitutus plena libertate fruebatur. Quid si hoc sensu Scriptura hisce verbis nobis illum repræsentare intendisset. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui*, hoc est, illum nulla voluptate præoccupatum, solâ sui boni & officij clarâ perceptione, sibi obstrinxit. Sed experientia hominis, tam ritè, ut erat ante peccatum, tamque beatè constituti, fragilitatem, maximo cum liberi arbitrij opprobrio, summaque Dei gloria demonstravit.

Verum circa res sensibiles non eadem erat Adami conditio, ac circa res spirituales, illas enim & quæsiisse & usurpasse cum accurata ipsarum cum corpore suo convenientia, credibile non est. Quid enim? Si varias partium cujuslibet fructûs sui ipsius corporis configurationes, perscrutandas habuisset, ut inde comperta inter utrasque analogiâ & correlatione, ex calore sanguinem suum agitante, & innumeris aliis corporis sui dispositionibus colligere posset, an fructus ille corpori suo nutriendo aptus fuisset, necne; tota ipsius mentis capacitas rebus adeò exilibus haud feliciter, repleta fuisset: ejusmodi enim cautionibus, quantumvis anxiis, si solæ adfuissent, longævam sane vitam non vixisset.

Cuivis igitur, mentem Adami non fuisse infinitam attendenti, durum videri non debet, si omnes corporum proprietates, quæ haud dubiè sunt infinitæ, ipsi compertas non fuisse, affirmemus. Hoc igitur quod negari non potest, concessum mihi velim, hominis mentem ad id comparatam non fuisse, ut motus & configurationes materiæ dispiceret,

sed

sed ut in Dei cognitionem & contemplationem perpetuâ incumberet meditatione. Quo concesso, non est quod quis nobis succenseat, si existimemus Adamum animum suum ab assidua perfectiorum boni sui contemplatione ad excutiendam fructus, sive aliûs cujuslibet alimenti naturam, avocare non potuisse, sine memorabili illius in quem cuncta digesta erant, ordinis perturbatione.

Iisdem igitur sensibus ac nos Adamus pollebat, quibus, à Deo nusquam semotus, corpori suo consuleret; non secus ac nos voluptatibus immò etiam doloribus, aut fastidiis quibusdam antevertentibus & inopinatis, afficiebatur. At istæ voluptates (quo quidem discrimine ab ipso longè distamus) illum in servitutem & infelicitatem non conjiciebant, quia scilicet motuum corporis sui compos semel monitus ipsos pro arbitrio compescebat; nec dubium est quin illo imperio circa dolores semper uteretur. Hei nobis! cur non eadem ratione se gessit, circa voluptatem? cur faciem Dei sibi faventem lubens declinavit? cur vanâ spe lactatus, falsâ fructus interdicti dulcedine, vel forsan arroganti ex perfectionum suarum contemplatione, in mente excitato gaudio, mentem suam totam occupari sivit?

Verum peccatum semel admissum novam induxit rerum faciem! Voluptates hominem priùs modestè veluti compellabant; dolores, illibatam hactenus fœlicitatem suam, in infelicitatem posse commutari, placidè tantum commonefaciebant. At post peccatum eæ voluptates & dolores hosce prætermiserunt moderationis limites; sensus & affectûs ab eo desciverunt, excussumque jugum ipsius cervici imposuerunt, adeò ut quemadmodum nos, rerum sensibilium mancipium factus fuerit.

Sensus igitur & passiones ex peccato non originem quidem suam, sed tyrannidem illam, qua peccatores opprimunt, ducere existimandum est, hujus autem tyrannidis sedes non tam in sensibus est, quàm in mente & in voluntate, quæ Deo non ut anteà unitæ, ab ipso, lumen & virtutem quâ libertatem & felicitatem possent custodire, non amplius excipiunt.

Ex hisce duabus, explicandæ peccati corruptionis, rationibus, duo pariter ad nostram integritatem denuò recuperandam, requiri facilè colligas.

Remedium adversus corruptionem ex peccato originis ortam, & fundamentum Ethicæ Christianæ.

Primò in id incumbendum est, ut de illo pondere quo in bona corporea proclives, deprimimur, aliquid detrahamus. Voluptates nostras scilicet assiduè abdicando; vividamque & delicatulam sensuum nostrorum, circa res sensibiles alacritatem, pœnitentiâ, & cordis circumcisione enecando.

Vide Illustrationes.

Secundò, pondus gratiæ Dei, cum delectatione illa nos veluti præmulcente, quam nobis Christus merito suo conciliavit, ab ipso Deo exorandum est; quippe nisi adsit illa gratia, quicquid de priori isto pondere demamus, gravitabit semper, & nos jam pronos in peccatum & corruptionem haud dubiè præcipites aget.

C 3



Hæc duo igitur, ut in officio nostro, ad illud semel revocati perstemus, necessariò prærequiruntur; unde non obscurè liquet rationem & Evangelium, amicam inter se conserere manum; cum ab utroque doceamur, nos inclinantes, ad Deum erigi non posse, nisi prius peccatum ejuremus, vel saltem ipsius pondus extenuare studeamus.

Sed quamvis præsens sors nostra, nos in assiduas adversus sensus nostros, pugnas adducat; sensuum tamen illorum absoluta corruptio & inordinatio, inde confici non debet. Quis enim illos ad corporis nostri conservationem nobis concessos fuisse, apud se reputans, statim non miretur, quam ritè vices suas hac in parte obeant. Profectò tam tutò tamque fideliter nostri respectu scopum suum assequuntur, ut inordinationis corruptionisque, non sine injuria videantur insimulari. Dum illos tantâ pernicitate, tot modis, dolore scilicet voluptate, jucundis aut injucundis sensationibus, animum de rebus conservationi suæ vel utilibus vel noxiis, monentes, conspicis; num illam promptitudinem, illum ordinem, illamque assiduitatem, velut quædam peccati consectanea, poteris tibi exhibere?

Sensus igitur nostri, ut falso id opinantur, corrupti non sunt, sed intima mentis nostræ pars ac libertas nostra, vera est corruptionis sedes. Non à sensibus, sed à voluntate nostra ad judicandum æquo promptiori, decipimur. Dum lumen cernimus, id quod cernimus verè quidem lumen est, dum calorem sentio, calorem me reverà sentire, sine erroris periculo credere possum, sive peccatum præcesserit, sive secus, perinde est. Sed si calorem, quem ego sentio, extra mentem, calorem illum reverà sentientem, subsistere puto, tum erro, & quidem gravissimè, ut infra patebit.

A sensibus igitur in errorem non conjiceremur, si libertate nostrâ, ut par est, utentes, ipsorum testimonio, dum de rebus judicandis agitur, fidem nimis præcipitem non adhiberemus. Quia verò ab ista credulitate ob arctissimam mentis cum corpore nostro unionem, vix temperare possumus, in usu sensuum nostrorum, erroris devitandi gratiâ, hoc modo procedendum est.

Nimirum. *De rebus quales in se sunt, ope sensuum tuorum, cave ne unquam judices, iis solum utaris, ut cognoscas, quo modo res mutua relatione sibi invicem respondeant.* Et reverà sensus nostri, eo consilio non dati sunt nobis, ut res quales in se sunt cognoscamus, sed duntaxat, quatenus nostræ conservationi vel utiles sunt vel noxiæ.

Sed ut istam, quâ sensus nostros in rerum veritate disquirendâ consulimus, nobis innatam consuetudinem, lubentes exuamus, præcipuos & generaliores, in quos sensuum ductu, labimur errores, capitibus sequentibus recensere propositum est, Inde enim de supradictis facilius constabit apud unumquemque.

CAPUT VI.

I. De erroribus visûs respectu extensionis in seipsâ considerata. II. Errores illi ad objecta invisibilia extenduntur. III. De erroribus oculorum nostrorum circa extensionem respectivam.

VIsus cæteros sensûs, ordine, dignitate, & extensione suâ superat, adeò ut si sensus nobis darentur ad veritatem cognoscendam, visus cæteris in hac disquisitione, præiret, & præcelleret. Si igitur autoritatem quam in rationem usurpant oculi, evertamus, nullis amplius ni fallor, opus erit argumentis, quibus erroris nostri convincamur, & imposterum sensibus nostris cauti diffidamus.

Jam igitur ostensuri sumus, visus nostri testimonio, nequaquam circa rerum veritatem, sed tantum circa vitæ nostræ conservationem, fidedum esse; Ab oculis nostris in omnibus generatim nos decipi, nempe in corporum quantitate, figuris, motibus, in luce & coloribus, quibus exceptis nihil oculis nostris usurpamus. Demonstrabimus prætereà hæc omnia non actu esse, qualia nobis apparent, neminem esse qui falsis eorum speciebus non decipiatur, & ex hoc errore in errores alios innumeros non incidat. Ab extensione inchoaturi, argumenta quibus eò adducimur, ut credamus, ipsam reverâ non esse, ut se nobis præbet, in medium proferamus.

I. De erroribus visûs respectu extensionis in se considerata.

Perspicillis quorum autor nobis fuit Galilæus, animalcula, ipsâ arenulâ penè invisibili, longè immò centies exiliora, sæpius visa sunt. Atomi illæ viventes non secus ac cætera animalia, gradiuntur. Habent igitur crura & pedes, ossa quibus crura sustineantur, musculos quibus moveantur tendines, & innumeras fibras in unoquoque musculo, sanguinem denique aut spiritus animales subtilissimos & tenuissimos, quibus musculi impleantur & vicissim moveantur. Hæc enim si non adsint, qui illa vivere, nutriri, ex uno loco in alium transmeare, pro variis objectorum impressionibus, concipias? Immò potius fieri nequit ut ipsi anatomici & naturæ investigatores, numerum, varietatem, exilitatem omnium partium, ex quibus hæc corpuscula, ut vivant omnésque vitæ functiones obeant, necessario constare debent, imaginari possint.

Vide diarium Doctorum.

Imaginatio tantâ tenuitate stupet & absorbetur; partes inperceptâ & furtivâ serie dilabentes, non potest arripere, & ipsi rationi id nos evidenter docenti, sensus & imaginatio reluctantes, animum nostrum sæpius suspendunt.

Visus noster angustis circumscriptus limitibus, objecto tamen limites figere non debet. Extensioni fines præscribit quidem; sed ideò extensionem hisce finibus includi quis frustrà concluderet. Infinita aliquatenus dici potest. Atque hæc tenuissima materiæ particula, quæ nostros fugit

fugit oculos, orbem in quo totidem, res quamvis pro rerum proportione longè tenuiores, quot in hoc ingenti orbe continentur, etiam contineri poſſent.

Hæc animalcula ab aliis animalculis minimis, ſibique quemadmodum ipſa nobis, ob ſtupendam parvitatem imperceptis, fortè exeduntur. Quod nobis eſt acarus, illud ſunt acaro ejuſmodi animalcula perquam tenuiſſima. Nec impoſſibile eſt dari in naturâ animalcula his tenuiora, & in infinitum uſque tenuiora, illâ tam diſſitâ acari cum homine proportione ſervatâ.

Materiæ diviſibilitatem in infinitum demonſtrationibus evidentibus & mathematicis, poſſumus demonſtrare; quidni igitur animalia parva & minima ad infinitum uſque dari poſſe, vel ipsâ inſurgente imaginatione, crederemus? In eum duntaxat uſum comparavit materiam Deus, ut ex ea, mirabilia ederet opera; cùm autem certum ſit nullam eſſe partem, licèt inter minimas ſit minima, ex qua Deus pro ſua infinita potentia, non poſſit ejuſmodi animalcula eruere, cur iſtam potentiam infinitam, definimus? cur imaginatione noſtrâ finitâ, iſtius opificis & potentiam & induſtriam metiendo, ideam quam opificis ſummè perfecti habere nos decet, temerè extenuamus.

Jam experientiâ duce errorem exuimus, & illum quidem non levem. Hac enim experientiâ animalcula acaro millies tenuiora dari poſſe edocti ſumus. Cur his adhuc exiliora non dari crederes? Id ſi credas, gratis certè credes. Quin ego longè facilius exiſtimem his à nobis jam compertis, multò minora poſſe reperiri. Animalcula non deſunt microſcopiis, microſcopia deſunt animalculis. Hoc eſt nulla ſunt microſcopia ita tenui partium configuratione formata, ut animalcula illa nobis exhibere poſſint.

Cum per hyemem, germen ex tulipæ bulbo eductum per vitrum convexum, aut ſolis oculis intueor, in illo germine, folia quæ tempore verno vireſcere, folia quæ florem conſtituere & adornare debent, hoc ſpatiolum quo ſemen includitur, & ſex columellas quæ illud ſpatiolum in interiori tulipæ parte cingunt, nulla difficultate deprehendo. Ex quibus, germen ex tulipæ bulbo eductum, totam ipſam tulipam includere, nemo eſt qui non colligat.

De ſemine ſynapi, de acino pomi, & generatim de quibuſlibet arboribus & plantis, quamquam res oculis, ne vel ipſius microſcopij ope, uſurpari nequeat, idem eſto judicium: nec ſingulas arbores, in ſeminis ſui germine, compendioſè contineri, abſurdum eſt dicere.

Nec id modò. Ne ἀπροσδιόνυσον quidem cuiquam videri debet, ſi dicamus in uno germine dari poſſe arbores infinitas; illud enim germen arborem illam cujus ſemen eſt non ſolum continet, verum etiam innumera alia ſemina, quæ novas arbores & nova arborum ſemina, poſſunt includere. Quæ iterum quantumvis minuta minutiſſima, poterunt adhuc alias arbores, aliáque ſemina primis non minus fecunda, complecti. Adeò ut, hoc, quod nec inſulſum nec ludicrum cuiquam, niſi

nisi infinitæ Dei potentiæ mirabilia ideis sensuum & imaginationis metiatur, videri debet, posito principio, haud absurdè dici possit, in uno pomi acino, pomos, poma, pomorúmque semina, in sæcula propè infinita dari, proportione pomi perfectæ, cum pomo in semine suo, servata; adeò ut naturæ partes hac in re illæ sint. Nempe, arbores illas evolvit & explicat, incrementum conspicuum arbori illi quæ est extra semen suum, ministrando, dum incrementa imperceptа quidem, sed realia tamen & magnitudini suæ accommodata largitur arboribus illis quæ in semine suo esse concipiuntur. Possunt enim esse corpora adeò minuta, ut in fibras arborum illarum, quæ in semine suo esse concipiuntur, sese insinuent, ac illis alimenta præbeant.

Quod de plantis eorumque germinibus dictum est, ad animalia ipsorumque germen pari jure transferri potest; in tulipæ germine, tulipam integram vides. Vides pariter in ovi recentis, cui non incubuit gallina, umbilico seu germine, pullum fortè omninò conformatum. In ovis ranarum cernuntur ipsæ ranæ, & cum satis sagacitatis & experientiæ accedet; aliæ præter hæc cernentur animalia in suo germine. Sed quocunque tandem procedat visus, ne tamen ibi subsistat mens nostra, quæ aciem suam longius proferre potest, quàm oculi corporei possunt suam. Quid obstat igitur quo minus credamus, omnia corpora hominum & animalium, quæ ad finem usque sæculorum generabuntur ab ipsa mundi creatione, producta fuisse? hoc est fœminas primorum animalium, fortè creatas fuisse, cum omnibus animalibus ejusdem speciei, quæ genita sunt, & quæ imposterum generanda erant.

Germen ovi est macula illa candida quæ conspicitur in ipsius ovi vitello. V. lib. de formatione pulli in ovo. Viri clarissimi Malpighi. Vid. miraculum naturæ Swammerdami.

Istud mentis cogitatum à vero fortè non ita abludit, ut amplius urgeri non possit. Sed in Dei opera penitius introspicere meritò extimescimus. Nihil in iis præter infinitates videas. Non modo sensûs nostri, nostraque imaginatio angustioribus circumscribuntur limitibus ut ea possint attingere, sed mens ipsa quantumvis pura puta materiæque expers, hebetior debiliorque est, ut vel in minimum inter Dei opera, possit penetrare, ad unius atomi, ut sensuum more loquar, conspectum, ipsius acies obtunditur, hebescit, perstringitur, stupet. Sed hoc saltem mens sensibus & imaginatione præstat, quod scilicet suam infirmitatem, Deique magnitudinem agnoscat, quodque infinitum, quo absorbetur, percipiat. At verò sensus nostri, & imaginatio nostra opera Dei depriment nosque in imprudentem atque cæcam injectos cōfidentiam, in errorem etiam præcipites agunt. Oculi enim nostri nullam in nobis ingignunt ideam, eorum omnium quæ microspiorum ope, vel ipsâ ratione conspicimus, corpora acaro aut animalculo illo quod Midam vocant minora, visu nostro non cernimus. Si ipsius testimonio fides adhibeatur, acarus dimidiatus est parum nihil Midas ipsi est instar puncti Mathematici, si dividis annihilas. Visus igitur noster extensionem, non ut in se est, sed duntaxat ut est respectu corporis nostri, nobis repræsentat. Quia autem dimidiatus midas corpori nostro nec prodesse nec officere potest, illum visus noster nobis prorsus eripit.

D

Si verò oculi nostri ad microſpiorum exemplar eſſent conformati, ſeu potius ſi acaros aut midas magnitudine non excederemus, de ipſa corporum magnitudine aliâ prorſus ratione judicaremus. Nam proculdubio hæc animalcula oculos habent ita diſpoſitos, ut objecta quibus circundantur, videant; & ſuum ipſorum corpus majus ipſis videri debet quàm nobis alioqui impreſſiones vitæ conſervandæ neceſſarias accipere non poſſent, & oculi quibus prædita ſunt, ipſis forent inutilia.

Sed ut rem omninò excutiamus; attendendum eſt oculos noſtros nihil aliud reverâ eſſe præter perſpicilla quædam naturalia, ipſorum humores idem eſſe cum vitro perſpicillorum, & juxta cryſtallini humoris figuram, ipſius à tunica retina diſtantiam objecta multifariam à nobis videri; adeò ut non poſſis tutò aſſerere duos homines, objecta cum eadem magnitudine videre, quia duos homines vix comperias, quorum oculi eodem modo ſint conformati.

Apud omnes optices peritos hæc propoſitio admitti debet, objecta ſcilicet æquidiſtantia, eo majora videri, quo figura quæ in intima oculi parte exprimitur major eſt. Jam autem in eorum oculis quorum humor cryſtallinus convexus magis eſt, figura minores pro convexitate exprimi, pro certo conſtat. Quorum igitur viſus obtuſus objecta eminus non poteſt conſpicere, cùm cryſtallinum humorem habeant magis convexum, objecta etiam minora vident, quam ij qui eodem, quo cæteri homines pollent viſu, aut quàm ſenes, qui perſpicillis inter legendum utuntur, & qui objecta eminus probè proſpiciunt.

Hæc omnia Geometricè demonſtrari nullo negotio poſſent; iiſque probandis diutius immoraremur, ſi quemquam laterent. Qui verò ea doceri cupient, quamplurimos autores qui de hiſce egerunt, conſulant.

Cùm igitur duos homines vix reperias, qui objecta cum eadem magnitudine, videant; cumque ut plurimum eadem objecta ſiniſtro conſpecta oculo eidem homini majora appareant; quam cum ea adſpicit dextro, ut obſervatum videmus in diario Doctorum Romæ menſis Januarij 1669. cuivis clarè patet hac in re judicium ſenſuum noſtrorum eſſe incertiſſimum. Rationem igitur ſatius eſt nos conſulere. Illâ enim comperiemus primò nos nihil quicquam circa corporum magnitudinem abſolutum poſſe definire; ſecundò nos nullam extenſionis pedalis, aut ipſius corporis noſtri ita certam ideam nobis efformare poſſe, ut illud quale eſt illa idea nobis exhibeat. Corporum omnium minimum, ſi unicum eſſet, parvum non fore, ratio evincit; cùm corpus illud innumeris conſtet partibus, quarum unaquæque, Deo ſic volente terram poſſet efficere, quæ reſpectu aliarum partium ſimul junctarum, nihil eſſet niſi punctum. Mens itaque humana tantam non poteſt ſibi efformare ideam, ut vel minorem extenſionem poſſit capere aut complecti. Mens enim finita, qualis eſt noſtra, ideam infinitam non poteſt ſuſcipere.

Mens quidem rationes quibus hæc infinita ad ſe invicem referuntur hoc e. g. illo duplo majus eſſe, & decempedam eſſe quantitatem decem pedum

pedum cognoſcere poteſt. Sed quid in ſe ſint, nullâ poteſt ideâ comperire.

Sed eſto; mens has ſuſcipere poſſit ideas, quæ corporum extenſionem exæquent aut dimetiantur. Rem enim ſecus ſe habere vix cuiquam perſuadere queas; quid demum hoc dato non conceſſo colligere poſſis, videamus. A Deo ſcilicet nos non decipi, oculos quibus nos munivit perſpicillis non eſſe ſimiles quæ objecta vel augent vel extenuant; ac proinde oculos nobis res quales in ſe ſunt repræſentare.

Nos equidem nunquam fallit Deus, ſed errorum noſtrorum nobiſmet ipſis ſæpe ſumus autores, judicia de rebus nimis præcipitata ferendo. Sæpe enim objecta quorum idea noſtro impreſſa eſt cerebro non ſolùm actu exiſtere, verum etiam hæc ideis noſtris planè ſimilia eſſe judicamus, Licet plerumque non modò ſint abſimilia, ſed etiam non exiſtant.

Ex eo quod rei alicujus ideam habeo, non ſequitur rem iſtam exiſtere, minus verò rem iſtam ideæ meæ ſimilem eſſe. Ex eo quod Deus hancce ideam ſenſibilem magnitudinis nobis impreſſerit, cum decempeda oculis noſtris obverſatur, non ſequitur decempedam illam extenſionem, eâ quæ nobis repræſentatur, majorem non habere. Nam primò eandem iſtius decempedæ ideam ſenſibilem non habent omnes homines, quippe qui oculis eodem modo diſpoſitis non præditi ſint. Secundò idem homo variam habet ideam ejuſdem decempedæ, provt illam intuetur oculo dextro aut ſiniſtro, ut dictum eſt. Denique ſæpenumerò contingit ut idem homo varias ejuſdem objecti pro variis temporibus habeat ideas: provt illud vel propinquius vel remotius eſſe opinatur. Ut alibi ſumus expoſituri.

Corpora igitur ſecundum veram magnitudinem ſuam à nobis videri, falsò huc uſque præjudicavimus. Cùm enim oculi noſtri in eum finem nobis tantùm conceſſi ſint, ut corpus noſtrum foveamus, munus ſibi demandatum ritè quidem obeunt, dum in nobis efficiunt ideas ipſi corpori accommodatas.

Sed ut quid de extenſione corporum, ex oculorum noſtrorum teſtimonio, judicare nos decet, doceamur. Hoc liceat nobis animo fingere. Deus ſcilicet cœlum, & terram, ex materiæ portione ad pilæ palmariæ magnitudinem accedente, velut in ſinopſin quandam contraxerit, in illa terra homines collocaverit, ſervatis iiſdem quæ in hoc univerſo deprehenduntur proportionibus; homunciones illi ſeſe invicem, partes corporis ſui, & animalcula etiam ſibi infeſſa ſanè conſpicerent. Quorſum enim alioqui ipſorum oculi. Hoc igitur ſuppoſito, homunciones illi ideas magnitudinis corporum longè diverſas haberent, ab illis quas nos habemus; parvum enim orbem ſuum, qui nobis eſſet pila, velut ſpatia quædam infinita haberent, non ſecus ac nos de orbe quem incolimus judicare ſolemus.

Vel ſi id facilius à nobis concipi poſſit. Fingamus Deum terram hac noſtrâ infinitis ampliorem ſpatiis creaſſe, adeò ut hæc nova terra

nostræ sit ; id quod nostra erat illi parvæ de quâ anteà. Præterea supponamus Deum eandem in hujusce novi orbis partibus servasse proportionem, quam in hoc nostro servavit ; homines hujusce novi mundi, spatia quæ inter terram nostram & stellas maximè dissitas intercedit, magnitudine suâ excessuros esse liquet ; adeò ut si easdem quas habemus corporum ideas, ipsi haberent, quasdam corporis sui partes discernere non possent, alias verò cum immani crassitudine cernerent ; objecta igitur cum eadem magnitudine quâ nos, ipsos visuros esse, nemo sanus cogitaverit.

Ex duabus suppositionibus anteactis, homines magni aut parvi mundi, magnitudinis corporum ideas, ab iis quas nobis efformamus, diversas sibi efformaturos esse manifestò liquet, si saltem supponas ipsorum oculos, objecta circumjacentia, pro corporis proprij ratione, ipsis repræsentare. Si autem homines illi oculorum testimonio freti, corpora eandem quam oculis usurpant, habere magnitudinem, audacter assererent, hallucinarentur haud dubiè ; id tamen non minore jure quo nos possent asserere atque propugnare. Jam igitur illorum exemplo moniti teneamus, nos de magnitudine corporum quibus circumdamur, esse per quam incertos, & visu nostro nihil posse comperire, præter relationem, sive potius corporum istorum cum nostro convenientiam. Oculos nostros denique, in eum usum non fuisse comparatos, ut ab illis rerum veritatem edoceamur, sed tantùm ut utilia à noxiis secernere queamus.

Sed non modò circa objecta visibilia oculis suis credunt homines, verum etiam circa invisibilia. Quæ non vident, continuo non existere arbitrantur, oculis suis perspicacitatem penè infinitam arrogantes; hoc præjudicio præpediti innumerorum effectorum naturalium causas ignorant. Illa enim effecta facultatibus quibusdam & qualitatibus imaginariis non raro tribuunt, horum causas reales, quæ in variis corporum configurationibus consistunt, nescientes.

Quia, exempli gratiâ, aëris, flammæ, multò magis lucis, & aliûs cujusdam materiæ subtilioris particulæ ipsos fugiunt, tum hasce particulas vel non existere, vel nullâ vi aut actione pollere facilè autumant. Unde fit ut ad qualitates occultas, facultatesve imaginarias, hæc omnia effecta, quorum particulæ illæ imperceptæ genuina sunt causa, explicaturi, confugiant.

Ut rationem qua hydraulis sursum elevatur aqua, explicent, horrorem vacui nobis obtrudere malunt, quàm ad aëris gravitatem confugere; maris æstum lunæ qualitatibus quàm aëris terram ambientis, pressioni, tribuere exoptant magis : fingere in sole facultates attractivas elevandis vaporibus aptas, quàm vapores illos, soli impulsioni à partibus materiæ subtilis, quam sol indesinenter respergit, factæ, tribuere satius existimant.

Illorum sententia, qui nihil admittunt præter sanguinem & carnem ut motuum quibus animalia moventur, ipsorum habituum, & memoriæ

moriæ corporeæ hominum rationem reddant, ipsis debet ludibrium; quippe qui cerebrum oppidò parvum concipientes, illud tantæ capacitatis esse non existiment, ut vestigia rerum innumerabilium conservare possit; animam in bestiis, quæ nec sit spiritus nec corpus, concipiant necne, admittere; qualitates & species intentionales, ad explicandum habitus & memoriam hominum, aut similia quorum in mente nostrâ nec vola nec vestigium reperitur, fingere malunt.

Si singulos errores ex hoc præjudicio natos enarrare aggrederemur, nullus dicendi foret finis. Ex illo omnes penè qui admittuntur in Physica errores, manarunt. Et si quis rem attentus velit considerare, non poterit quin obstupescat.

Sed quamvis his insistere non sedeat animo, aspernationem tamen illam, qua homines insecta quædam, & animalcula, ex materia illâ quam corruptam vocant oriunda despiciunt silentio prætermittere non possumus; aspernatio certè illa iniqua est, & solius ignorantiæ atque præconceptionis fructus. In natura nihil est aspernabile. Deus ipse in operibus suis nihil desiderat, cur igitur illa nos non magni faceremus? minimi culices animalia grandiora perfectione suâ exæquant, ipsorum membra cum eadem proportione adtemperata sunt, quid? ornamentis quibusdam ipsorum parvitatem Deus compensasse videtur. In ipsorum caput oculos injice, cristas, coronas, aliaque id genus ornamenta, conspicies, quæ artem hominum luxuriantem longius exuperant. Et homines illos in Magnatum Principumque aulis versantes ausim provocare, nihil sanè oculis suis quantumvis luculentum & magnificum, usurparunt, quod ad decorem qui in muscæ capite perspicillo conspicitur, accedat.

Hæc equidem tenuissima sunt, sed quis non miretur tot mirabilia in tam exiguo spatio contineri posse? Isthæc autem licet vulgaria, non est quod quis in minimo habeat pretio, numerus de perfectione nihil detrahit; quin imò eò se præbet magis admirandum Deus, quod hæc animalcula creando, numerum penè innumerabilem mirabilium tam magnificè tamque copiosè ediderit.

Hæc omnia tamen adeò pulchra, visum nostrum fugiunt; ipse imbecillitate suâ, nos eò adducit, ut opera Dei prorsus stupenda despiciamus. Quia animalcula illa respectu corporis nostri sunt tenuissima, quasi absolutè & ἁπλῶς parva essent, aut esse possent, imprudentes despicamur.

His igitur edocti exemplis, ne imposterum sensuum impressionibus, circa corporum magnitudinem fidem adhibeamus incautam. Cum, verbi gratiâ, avem dicemus esse parvam, id à nobis absolutè ne intelligatur; nihil enim in se aut magnum est, aut parvum. Avis cum muscâ collata magna est; quod si parva videatur dum illam cum corpore confers, ne statim credas illam reverâ parvam esse. Corpus enim nostrum, cæterorum corporum non est mensura. Sed res ut certior evadat,

Corpus nostrum cum terræ globo componatur, tunc minimum videbitur. Iterum terram, cum circulo illo quem sol aut ipsâ terrâ circa se invicem describunt componito, & circulum illum cum spatio quod inter nos & stellas fixas interjacet; & sic deinceps spatia ad infinitum usque, ut fieri potest, imaginator, magnitudinem corporum respectivam esse hoc pacto, nullo negotio comperies.

Verum nequidem credendum est, sensûs nostros nos accuratè docere relationem quam ad nostrum habent, cætera corpora. Accurationem enim in cognitionibus sensuum, quæ vitæ conservandæ duntaxat inserviunt, frustrà quæras; Proportionem quidem illam satis accuratè judicamus, cùm corpora nobis propinqua sunt. Sed quo plus à nobis recedunt, eo minus etiam à nobis cognoscuntur, quia nempe minus ad nos referuntur; idea aut sensus magnitudinis, qui in nobis corporis cujuslibet præsentiâ excitatur, statim atque ita recedit ut nobis nocere non valeat, in nobis extenuatur. Vice versâ idea illa crescit statim atque illud corpus ad nos accedit, aut potius statim atque relatio quam illud corpus ad nostrum habet, augetur. Denique si relatio illa omnino desinat, hoc est, si quoddam corpus à nobis tanto distat spatio, vel adeo exiguum est, ut nobis nocere non possit, illud pariter sentire desinimus. Visu igitur relationem quæ est inter cætera corpora & nostrum, immo relationem quam inter se invicem habent, judicare interdum possumus; sed ipsa ejusdem esse magnitudinis, quæ nobis apparet, non est quod credamus.

Oculi nostri exempli gratiâ, solem & lunam quasi quantitatem pedalem aut bipedalem duntaxat haberent, nobis repræsentant. Sed hæc astra tam arcto constringi spatio non est arbitrandum, ut Epicurus & Lucretius arbitrati sunt. Eadem luna oculis nostris, stellis maximis, major videtur; ipsam tamen longè minorem esse, nemo est qui inficietur. Sic, ut ex quotidianâ constat experientia, duorum aut plurium corporum magnitudinem sæpe non possumus conferre, quia scilicet ipsorum distantiam non satis accuratè assequi possumus. Quid plura? vix de proportione duorum corporum nobis proximorum possumus judicare; & postquam ipsa manibus diu libravimus, dubiè sæpiusculè hæremus, ut id facilè patet, cùm quis nummos duos penè æquales inter se compositurus est. Alterum enim alteri subjici necesse est, ut quis major quisve minor sit, tutius cognoscatur. Oculi igitur nostri non modo nos circa corporum magnitudinem decipiunt, verum etiam circa mutuam ipsorum relationem.

CAPUT VII.

I. De erroribus oculorum nostrorum circa figuras. II. Nos de minimis nullam habere cognitionem. III. Cognitionem quam de maximis habemus non esse accuratam. IV. Quædam judicia naturalia, quibus errorem vitamus, explicantur. V. Eadem ipsa judicia in occasionibus quibusdam singularibus nos decipere.

VIsus noster circa figuras, quam circa quodlibet aliud, in errorem nos rarius inducit, figura enim in se & absolutè considerata nihil est, ipsius natura, in sola relatione quæ est inter partes spatium aliquod terminantes, & punctum quod in illo spatio concipitur, quodque sicut in circulo vocare possumus, centrum figuræ, consistit; adeò ut figura sit propriè magnitudinis determinatio. Multifariam tamen circa figuras erramus, nec ullam quidem sensibus accuratè cognoscimus.

I. De erroribus visus nostri circa figuras.

Omnimodam extensionem ab oculis nostris non conspici, sed eam solum quæ cum corpore nostro aliquâ proportione convenit, statim probavimus, unde etiam omnes minimorum animalium, ut & corporum tum durorum tum liquidorum partes à nobis non videri, liquidò patuit. Cùm igitur partes illas ob nimiam exilitatem non possimus percipere, figuras quoque partium illarum nos fugere necesse est, cum figura corporum nihil aliud sit quam ipsorum terminus. Jam igitur innumeras figuras, oculi nostri nobis non exhibent. Unde fit ut, mens ipsorum capacitati plus æquo fidens, remque satis non expendens, hasce figuras non existere sæpius existimet.

II. Minimarum figurarum nos nullam habere cognitionem.

Corporum verò visui nostro accommodatorum, quæ sane præ cæteris pauca sunt, figuram aliquatenus quidem, sed nunquam accuratè sensibus nostris apprehendimus. Ne visu quidem, an rotunda & quadrata figura, quæ ambæ figuræ sunt omnium simplicissimæ, non sit Ellipsis & Parallelogramma, quamquam istas figuras præ manibus & ob oculos habeamus, certiores tamen evadere possumus.

III. Cognitionem maximarum non esse accuratam.

Nec id modo; si linea longior sit, an illa sit accuratè recta an verò secus judicare penes nos non est, nisi amussim habeamus. Quid amussim narro? ne quidem teremus an ipsa amussis sit ritè constituta. Ni tamen, ut vel pueri norunt, lineam cognoscas ullam aliam figuram cognoscere frustrà speres.

Illud est quod de figuris nobis ita propinquis, ut eas oculis usurpemus, manibusque teramus, dicendum suppetit. Verum si eas supponis dissitas; Quàm variè in oculorum nostrorum internam partem sese projicient? Illud enarrare foret inutile. Si quis hæc sibi confirmari cupiat, adeat optices peritos, figurasque quæ in tabulis reperiuntur, ipse examinet. Si enim Pictores, figuras illas, ut in statu genuino & naturali

spectatoribus

& figura sibi pingit. Imaginatio enim nostra ampliorem extensionem inter objecta & oculos nostros interjectam non solet sibi repræsentare, nisi aliis objectis interjacentibus visu sensibili perceptis, aliquid ulterius imaginetur.

Nec aliam ob causam, Luna in ortu suo aut in occasu longè grandior nobis videtur, quam cùm supra horizontem nostrum elevata eminet. Quippe propter ipsius elevationem nulla inter ipsa & nos objecta cernimus, quorum magnitudinem dimetiri possimus, ex quorum collatione de Lunæ magnitudine queamus judicare. At paulo post ipsius ortum, vel cum ad occasum vergit, inter ipsam & nos, multos videmus campos, quorum magnitudinem propemodùm cognoscentes, pro illa magnitudine lunam remotiorem, ac proinde grandiorem esse judicamus. Vide Caput 9. sub finem.

Et observandum est ipsam, cùm supra capita nostra eminet, quamvis ratione certò sciamus esse remotissimam, à nobis tamen videri quasi minima esset & proxima. Quia nimirum ejusmodi judicia naturalia visûs, ejusdem visûs perceptionibus duntaxat nituntur, & a ratione corrigi non possunt; adeò ut iis ducibus sæpe in errorem incidamus judicia libera ipsis consentanea ferentes. Cùm enim judicamus ut sentimus, semper fallimur, cùm è contra nunquam fallimur dum judicamus ut concipimus. Corpus enim corpus solum docere potest, at Deus veritatem usquequaque docet, ut alibi demonstrabo.

Falsa hæc judicia non modò circa corporum distantiam & magnitudinem, quod istius quidem non est capitis, verum etiam circa figuram nos decipiunt. Solem, verbi gratiâ, Lunam, cæteraque corpora sphærica remotissima, tanquam plana essent, & circulorum adinstar, videmus. Quia à nobis tantoperè distant, ut discernere non possimus, an pars illa quæ è regione nostri sita est, aliis partibus sit propinquior; unde fit ut illam æquidistantem judicemus. Eadem de causa stellas omnes & cæruleum illum colorem qui in cœlo apparet à se invicem æqualiter distantia, ac veluti in fornice quodam accuratè convexo collocata existimamus. Quia mens nostra ubi inæqualitatem non agnoscit, æqualitatem supponere solet, quam tamen, nisi evidentia convicta, non deberet admittere.

Errores visus nostri circa corporum figuras fusius non explicamus, curiosis ad optices peritos ablegatis. Et certè hæc scientia, nihil præter oculos fallendi rationem docet. Totaque ipsius solertia in eo versatur, ut nos in judicia naturalia, de quibus supra intempestivè facienda, impellat. Idque tot rationibus fieri potest, ut inter omnes figuras, nulla sit quæ mille modis non possit pingi, adeò ut visus haud dubie in errorem labatur. Sed hæc excutiendi tempus non est. Hæc dicta sufficiant ut oculis nostris circa ipsas corporum figuras diffidere, assuescamus; licet circa figuras rarius quam circa quodlibet aliud, decipiant.

CAPUT VIII.

I. Ab oculis nostris nos non doceri magnitudinem aut celeritatem motûs in se considerati. II. Durationem ad motum cognoscendum necessariam, nobis ignotam esse. III. Exempla errorum visûs nostri circa motum & quietem.

JAm præcipuos & generaliores visus nostri errores circa extensionem & figuras deteximus, nunc verò ejusdem visûs errores circa materiæ motum emendare par est. Quod nullo fiet negotio, si ad ea quæ de extensione præmissa sunt, attendamus. Tanta enim est inter hæc duo, convenientia atque relatio, ut si circa corporum magnitudinem erremus, circa ipsorum motum, errandi ineluctabilis incumbat necessitas.

Sed ut omnia clarè & distinctè à nobis dicantur, prima fronte amovenda venit æquivocatio, quæ est in voce motus. Vox enim illa duo vulgò significat. Primò vim illam, quæ in corpore moto inesse, motumque efficere creditur: Secundò translationem continuam corporis alicujus, ab alio corpore quod in quiete esse concipitur, recedentis, aut ad illud accedentis.

Quum, exempli gratiâ, globulum quendam motum suum alteri globulo communicasse dicimus, tum motus primo sensu sumitur. Si verò simpliciter dicimus globulum esse in maximo motu, tum motus sumitur secundo sensu. Uno verbo iste terminus, *motus*, denotat simul causam & effectum quæ duo tamen toto genere differunt.

Circa vim motum corporibus indentem, ipsaque transferentem, gravissime nec sine periculo errare mihi videntur Philosophi. Speciosi illi termini, *natura*, scilicet, & *qualitates impressæ* quorsum inventi sunt? nisi ut Doctorum illorum ψευδονύμων ignorantiam, impiorumque licentiam prætexant, ut facile esset probatu. Sed de illa vi corpora movente verba faciendi hic non datur locus, in ipsa enim nihil est visibilis, jam autem de erroribus visûs nunc agitur. Res igitur suo tempore fiet.

Vid. cap. 3. 2. part. lib. 3.

Motus, secundo sensu accepto hoc vocabulo, scilicet, pro translatione corporis ab alio corpore secedentis, est aliquid visibile, de quo hoc capite nobis agendum est.

Visum nostrum, non corporum magnitudinem in se, sed tantum relationem illam quâ sibi invicem & corpori nostro respondent, nobis exhibere, capite 6. demonstrasse mihi videor. Unde colligo, nos velocitatem aut tarditatem ipsorum motus accuratè cognoscere non posse, sed duntaxat relationem sive convenientiam mutuam quæ est inter motus istorum corporum, & præcipuè inter motum illum quo corpus nostrum moveri solet. Quod sic probo

Non

Non possumus judicare de intentione motûs alicujus corporis nisi ex spatio, quod illud ipsum corpus emensum est, id clarum est, Si igitur oculi nostri veram spatij confecti longitudinem nobis non ostendunt, profectò nec veram motûs intentionem ipsi patefacere poterunt.

Istud argumentum omnem vim suam desumit, ex iis quæ jam de extensione dicta & demonstrata sunt. En tibi unum quod nihil habet prius unde dependeat : Illud est igitur quod dico. Licet clarè cognoscere-mus longitudinem spatij confecti, non tamen inde sequeretur, nos posse eadem ratione cognoscere intentionem motûs.

Motûs intentio seu velocitas duo includit. Primò translationem corporis ex uno loco in alium, ut Lutetiâ, San-Germanum. Secundò tempus quod in illa translatione insumptum est. Jam autem ut scias, an quis motu rapido, an vero lento istud itineris emensus fuerit, non sufficit si teneas accuratè intercapedinem quæ exstat inter Lutetiam & San-Germanum; quantum prætereà in eo itinere temporis spatium insumpserit, sciendum est. Itineris ergo longitudinem posse cognosci non inficior : sed visu seu aliâ quavis ratione, tempus quod in illo itinere conficiendo consumptum est, veramque durationis magnitudinem posse cognosci, pernego.

Nec aliam ob causam una hora quatuor diuturnitate suâ nobis exæquare interdum videtur, & vice versâ aliàs quatuor horæ sine sensu præterlabuntur. Quum, verbi gratiâ, voluptate perfunderis, tum singulæ horæ momentaneæ sunt, quia scilicet, tempus dulci quadam & imperceptâ celeritate effluit. Quum verò animus mœrore confectus est, vel dolore quodam vehementissimo afflictus, tunc dies annorum ad instar produci videntur ; mentem enim tam operosæ durationis tædet; durationem illam eò sentit facilius, quo ipsi attentius incumbit. At verò per gaudium sive per voluptatem ; animus à semetipso præcisus, & in unum voluptatis objectum defixus tædium molliter fallit. Quemadmodum enim picta tabella, singula seorsim in eâ speculanti, grandior videtur, aut sicut caput muscæ microscopij ope undequaque circumspectum, maximum apparet ; sic mens, dum suæ durationis partibus attentior adhæret, ipsam longiorem experitur ; & apud se sentit.

Quibus positis, Deus mentem nostram durationis partibus ita potest adjungere, multas brevissimo temporis spatio sensationes in eâ excitando, ut unicâ horâ multa sæcula implere videatur. Quemadmodum enim nullæ sunt atomi in corporibus, nullum pariter est temporis punctum indivisibile ; & quemadmodum minima materiæ particula in infinitum divisibilis est, sic partes durationis in partes breviores, & brevissimas ad infinitum possent dividi, ut demonstratu facile est. Si igitur mens durationis suæ partibus ita attenderet, ut sensationes in eâ excitarentur, quæ vestigia satis profunda relinquerent, illa sanè duratio ipsi multò longior videretur.

Sed quid plura? horologiorum usus, durationem accuratè non cog-

nosci satis superque probat. Si enim motûs velocitas, non cognitâ prius durationis longitudine, cognosci nequit, hinc sequitur intentionem motûs absolutam non posse accuratè cognosci, si prius longitudo durationis absoluta non cognoscatur.

Quia vero relationes aliquot durationum, siue rationes aliquot quibus tempora sibi invicem respendent, cognosci possunt, sic relationes aliquot motuum, sive rationes quibus motûs sibi invicem respondent, cognosci queunt. Quemadmodum enim, annum solarem longiorem esse Lunari cognoscere potes; sic tormentarium globum testudine velocius ferri facilè comperias; adeò ut, si velocitatem motûs absolutam & in se nos non edoceant oculi nostri, illorum tamen ope intentio motûs respectiva quâ ratione scilicet motus hic cum illo conveniat, nobis innotescit. Quod corporis nostri conservationi sufficit.

Nos visu nostro circa corporum motum decipi multoties quidem agnoscimus, nec rarò quæ nobis moveri videntur, quiescunt, & vice versâ quæ videntur quiescere, moveri tamen sæpius contingit. Quum, verbi gratiâ, navi velociter & æquabiliter vectæ insideo, terræ & urbes recedere mihi videntur, illæ scilicet moveri videntur, dum navis quiescit.

Pariter, homo quispiam super Planetâ Martis constitutus, solem, terram, cæterosque Planetas cum stellis fixis, intra 24. aut 25. horas, quo temporis spatio Mars circa axem suum movetur, circulum suum agere, visu suo judicaret. Terra tamen sol, stellæque circa hunc planetam non feruntur; adeò ut homo ille quiescentia moveri crederet; ipseque dum moveretur, quiescere sibi videretur.


Cur homo navi insidens ab errore oculorum suorum facilius sese expediret, dum alter in planeta Martis constitutus falsæ opinioni suæ præfractè adhæreret, hîc non explico. Nemo est qui hujusce rei causam per se non agnoscat. Sed ut causa illa facilius innotescat. Huic exemplo attendendum est; Fingamus hominem in navi sumno sopitum, derepentè expergefieri, quid si expergefactus, nihil præter summum alicujus navis malum ad se accedentem videret? certè si nec vela turgida, nec nautas operi instantes nec ullam aut in se aut in navi in qua sedet, agitationem succussionemve deprehenderet, utra ex duabus navibus moveretur dubius ambigeret; & hujusce rei comperiendæ causa oculos suos, ipsamque rationem suam frustra consuleret.

CAPVT

CAPUT IX.

Idem argumentum tractatur. I. Errores visûs nostri circa motum generaliter demonstrantur. II. Cognoscendam esse objectorum distantiam, prius quàm de ipsorum motûs velocitate judicium fiat. III. Rationes quibus distantiæ cognosci possunt examinantur.

OMnes errores, in quos visus noster circa motum nos injicit hoc exemplo, veluti argumento generali, demonstrari possunt. *I. Errores visûs nostri circa motum generaliter demonstrantur.*



A, Sit oculus spectatoris, C verò objectum quod ab A satis dissitum suppono. Hoc posito illud est quod dico, quamvis objectum in C positum immotum maneat, illud tamen ita potest conspici ut ad D recedere, & etiam ad B accedere videatur, quamvis objectum ad D recedat ita tamen videri potest, ut immotum in C, & etiam ad B accedere censeatur. Et vice versâ, quamvis ad B accedat, ita tamen potest videri, ut in C immotum manere, necnon etiam ad D tendere credatur. Quamvis objectum à litera C usque ad literam E, vel H, vel G, vel K progressum fuerit, illud tamen à C, usque ad F, vel usque ad I, tantum promovisse credere possumus. Et è contrà quamvis objectum à C, usque ad F, aut usque ad I motum fuerit, illud tamen usque ad E, aut H, vel ad G, aut K, motum existimari potest; Quod si objectum moveatur per lineam à spectatoris oculo æqualiter distantem, hoc est per circunferentiam cujus spectator sit centrum; quamvis objectum à C in P moveatur, à B tamen ad O duntaxat illud moveri quis posset credere, ut è contra quamvis ex B ad O, tantum moveatur, ita tamen conspici potest, ut à C ad D moveri credatur.

Si ultra objectum C, aliud objectum M, verbi gratiâ, reperiatur, quod quamvis versus N, moveatur, immotum tamen existimetur: licet objectum C immotum maneat, vel saltem multò tardius moveatur versus F, quàm M, versus N; versus Y moveri videbitur, & vice versâ, si, &c.

II. *Cognoscendam esse objectorum distantiam, prinsquam de ipsorum motûs velocitate judicium fiat.*

Has omnes propositiones, si ultimam quæ difficultate caret excipias, hoc uno nos scilicet de distantia objectorum tutò non posse judicare, demonstrari, liquidò patet; si enim de distantia certum judicium ferre nequimus, hinc liquet nos non posse tenere, an C versus D progressum fuerit, an verò ad B accesserit, & sic de cæteris.

III. *Examinantur rationes quibus objectorum distantia cognoscitur.*

Ut autem comperiamus, an judicia, quæ circa objectorum distantiam ferimus, sint certa, quâ ratione ad ejusmodi judicia procedamus, animadvertendum est; si ad illa, ratione incerta procedimus, certè judicia errore vacua esse non poterunt. Jam autem variis rationibus ad illa judicia nos accingimus, quæ nobis excutiendæ sunt.

Prima, quæ & universalior & sæpe tutior ratio est, quâ distantiam objectorum possimus dignoscere, est angulus quem formant radij ex oculis nostris emissi, cujus anguli caput sive apex, est objectum ipsum; hoc est, objectum est punctum in quo radij angulum efficientes, concurrunt. Cùm angulus ille maximus est, objectum etiam proximum videmus, cùm verò angulus minimus est, tum etiam videmus objectum maximè dissitum. Mens igitur nostra de objectorum proximitate aut distantia judicat, provt situs oculorum nostrorum, variis anguli istius mutationibus immutatur. Quemadmodum enim cæcus, duos baculos rectos quorum longitudinem nequidem cognosceret, præ manibus tenens, Geometriâ tamen quâdam naturali, distantiam alicujus corporis, illud scilicet corpus duobus baculis suis attingens, juxta dispositionem & distantiam manuum suarum, aliquatenus saltem dignoscere posset; ita mens de objecti cujuspiam distantiâ judicat ex oculorum suorum dispositione; quæ dispositio diversa est, secundum magnitudinem aut parvitatem anguli cujus ope objectum illud videt, hoc est, secundum objecti propinquitatem & distantiam.

Mens hæc omnia judicia quæ ipsi tribuo non fert; judicia hæc naturalia nihil aliud sunt præter sensationes; sic igitur loquor perspicuitatis causâ. Vide artic. 4. cap. 7.

Hoc facili experimento quivis rem poterit clarè percipere. De extremo filo suspendatur annulus, ita ut ipsius interna capacitas nobis non sit adversa; vel terræ intrudatur baculus, dum alium baculum in extremo recurvum præ manibus gestabis; Postea verò tribus vel quatuor passibus ab annulo, aut à baculo in terram infixo secede; alterum oculum manu tuâ occludes, altera verò manu annulum trajicere vel baculum baculo quem in manu gestas ad altitudinem oculi aut circiter, transversum ferire conator. Quod primò facillimum existimasti id centies tentatum te non tamen potuisse assequi miraberis. Quod si baculo deposito annulum digito transversum agere velis; rem quamvis proximus, non sine difficultate poteris efficere.

Sed cùm dixi, annulum esse trajiciendum, baculumque feriendum, utrumque in transversum positum esse intellexi; res enim alioqui esset

facillima

facillima, & facilior quidem altero oculo clauso quam si utrumque aperires; hoc pacto enim ictus, facilius dirigeretur.

Cur autem annulum illum, altero duntaxat oculo aperto, vix potes trajicere, hæc est causa, nimirum altero oculo clauso, angulus de quo supra, nobis non innotescit. Ut enim anguli magnitudinem cognoscas, non sufficit cognoscere magnitudinem basis istius anguli, & magnitudinem alterius ex illis duobus angulis quem efficit alterum latus in basi; quod ex præcedenti experimento clarum est; sed præterea necesse est cognoscere alterum angulum, quem efficit alterum latus in basi, aut longitudinem alterius ex lateribus. Quod accuratè dignosci nequit, nisi alterum oculum aperias. Quocirca mens Geometriâ suâ naturali, ut distantiam annuli cognoscat, uti nequit.

Dispositio igitur oculorum, quæ comitatur angulum radiorum visualium, qui in objecto occurrunt & secantur, ratio melior est & universalior quâ mens ad dijudicandam rerum distantiam utatur. Si igitur angulus ille manifestò non immutatur quum objectum paulò dissitum est, sive ad nos accedat, sive à nobis recedat; ex hoc ipso inferre poteris hanc rationem dijudicandæ objectorum distantiæ, vitiosam & falsam esse.

Hunc autem angulum non mediocriter mutari, quum objectum ab oculis nostris uno pede distans ad quatuor pedes transfertur nemo non videt, at verò si à quatuor pedibus ad octo pedes transferatur, tum mutatio non erit adeò manifesta; si ab octo pedibus ad duodecim, minus; si à mille pedibus ad centum pedum millia, tum penè impercepta fiet mutatio; mutatio denique illa, si ulterius, vel in spatia usque imaginaria ttansferatur objectum, impercepta prorsus fiet. Adeo ut si spatium memorabile inter A & C intercedat, mens hac ratione, an objectum sit propinquum literæ B, an verò literæ D, cognitura non sit.

Hanc ob causam, Sol & Luna nubibus involvi nobis videntur, quamvis ab iis, infinitis propemodum distent spatiis; eodem adducti præjudicio, singula astra æquidistantia cometasque stabiles, & sub finem cursus sui penè immotos, imaginamur. Ipsos etiam cometas post aliquot menses penitus dissipari, arbitramur, quia nempe à nobis, per lineam rectam & oculorum nostrorum respectu directam, recedunt; atque hoc pacto in ingentia illa spatia, unde non redeunt, nisi post multos annos vel etiam post multa sæcula sese recipiunt, & oculis nostris subducunt.

Secunda ratio quâ mens utitur, ut cognoscat objectorum distantiam, consistit in oculorum dispositione diversâ, ab ea quam supra exposui. Ut secunda illa ratio explanari possit id cognitum velim; nimirum; Figura oculi, juxta diversam objectorum distantiam, diversa quoque necessariò debet esse. Quum enim homo quispiam objectum sibi proximum videt, oculi ipsius longiores esse debent, quam quum objectum remotius est; ut enim radij istius objecti in nervum opticum coincidant, quod quidem, ut fiat visio, necesse est; sane distantia inter nervum opticum & crystallinum, major esse debet.

Si

Si equidem cryſtallinus convexior fieret, quum objectum propinquum eſt; id perinde eſſet ac ſi oculus extenderetur; ſed cryſtallinum facilè mutare poſſe convexitatem ſuam, credibile non eſt; præter quam quod, oculum extendi ſive produci, experimento manifeſto patet. Anatomiâ enim docemur quoſdam eſſe muſculos, qui oculum circundant, iſtoſque muſculos oculum prementes ſentimus, cùm aliquid cominus ſpectamus.

Sed quo pacto id fiat tenere hîc nil opus eſt, ſatis eſt, ſi ſciamus oculi diſpoſitionem immutari; ſive à muſculis illum circundantibus prematur, ſive nervuli correſpondentes ligamentis illis *ciliaribus*, quæ cryſtallinum inter alios oculi humores ſuſpenſum tenent, remittantur, ad augendam cryſtallini convexitatem, vel intendantur ad ipſam minuendam.

Mutatio enim, qualiſcunque tandem illa ſit, eò tantum fit, ut radij objectorum in nervum opticum rectà coincidant. Jam autem ſive objectum quoddam quingentis aut ſexcentis paſſibus, ſive decies mille leucis à nobis diſtet, cum eadem prorſus oculorum diſpoſitione à nobis proſpicitur, nullâ in muſculis oculum circundantibus aut nervis qui ligamentis *ciliaribus* cryſtallini correſpondent, memorabili immutatione factâ; radiique objectorum in retinam ſive in nervum opticum accuratiſſimè coincidunt. Mens igitur objecta decem aut etiam centum millibus leucarum diſſita, quingentis aut ſexcentis tantùm paſſibus diſtare judicat, cùm ſcilicet de iſtorum objectorum diſtantiâ, ex ſolâ illâ oculorum diſpoſitione, de quâ loquutus ſum, judicium fert.

Hanc tamen rationem, mentem in judiciis ſuis adjuvare certum eſt, cùm objectum eſt propinquum. Si, exempli gratiâ, objectum ſemipede duntaxat diſtet, ipſius diſtantiam, diſpoſitione muſculorum oculos noſtros ut longiores fiant, prementium, facilè diſcernimus; atque hæc diſpoſitio non ſine dolore aliquo comparatur. Si idem objectum duobus pedibus diſtet, diſtantiam illam adhuc diſcernimus, quia diſpoſitio quamvis non amplius dolorem, ſenſum tamen quendam in mente gignit. At ſi objectum illud aliquot pedibus adhuc amoveatur, diſpoſitio muſculorum mentem noſtram adeò debiliter afficit, ut judicio noſtro circa diſtantiam objecti, quicquam opitulari deſinat.

Ambæ igitur illæ rationes cognoſcendæ objectorum diſtantiæ quas jam enarravimus, prorſus inutiles ſunt, cùm objectum illud ſexcentis aut circiter paſſibus diſtat; nec etiam quamvis objectum propius admoveatur, tutæ haberi poſſunt.

Tertia ratio qua de objectorum diſtantiâ judicium fertur.

Tertia ratio conſiſtit in magnitudine imaginis, quæ in internâ oculi noſtri parte pingitur, quæ objecta nobis repræſentat; imaginem iſtam minui, recedente objecto, nemo eſt qui diffiteatur. Sed quo objectum quod ſitum ſuum mutat remotius eſt, eò magis, imaginis diminutio imperceptа eſt. Cum enim objectum quodpiam ab oculis noſtris jam ſatis diſtat, ut ſexcentis, verbi gratiâ, paſſibus, aut alio quovis ſpatio ſimili pro objecti ipſius magnitudine; objectum illud, inquam, non

mediocriter

mediocriter potest recedere, nullâ tamen in illius objecti imagine sensibili immutatione factâ, ut demonstratu facile est. Tertia igitur illa ratio, eodem quo priores, laborat vitio.

Prætereà observandum est mentem, objecta illa remotiora non judicare, quorum imago picta in retinâ, minor est. Quum, exempli gratiâ, hominem & arborem, & utrumque centum passibus à me dissitum, aut plures in cœlo stellas adspicio, hominem arbore, stellasque minores, majoribus esse remotiores, statim non judico quamquam hominis & stellularum imagines in retinâ pictæ, minores sint imaginibus arboris & stellarum majorum. Insuper objecti magnitudo cognoscenda est, ut ipsius distantia aliquatenus saltem cognoscatur. Quia autem compertum mihi est, domum homine majorem esse, licet imago domûs, hominis imagine major sit, domum tamen homine ideò propinquiorem esse, non judico. De stellis res pariter se habet. Illas oculi nostri in eadem distantia positas nobis exhibent: nonnullas tamen aliis longè remotiores esse, per quam verosimile est. Cùm igitur innumera sint objecta, quorum magnitudinem non cognoscimus, innumera pariter esse, quorum distantia nos latet, credere par est.

De objecti alicujus distantiâ, ex vi quâ in oculos nostros agit, etiam judicamus; objectum enim remotum, objecto propinquo longè debilius agit; necnon ex distinctione & perspicuitate cum quâ imago objecti pingitur in oculo, cùm enim objectum dissitum est, tum oculus ut illud videat, latius patere debet, unde fit ut radij in oculum confusiùs coincidant. Hanc ob causam objecta subobscura, aut minus distinctè à nobis conspecta, dissita videntur, cum è contra, corpora lucida, & distinctè à nobis visa, propinqua videantur. Hisce posterioribus rationibus, certum circa objectorum distantiam, stabiliri non posse judicium, liquidò patet; quocircà iis non immoror ad ultimam, quæ imaginationem magis adjuvat, & quâ mens objecta esse dissita facilius judicat, rationem progressurus.

Sexta ratio quâ de objectorum distantiâ judicamus.

Sexta igitur & præcipua ratio, in eo posita est, quod objectum solum, & à cæteris semotum, menti non exhibeat oculus; quin singula objecta, quæ inter nos, & objectum illud circa quod præcipuè versatur, interjacent, ipsi conspicua præbet.

Quum verbi gratiâ, turrim campanariam satis dissitam prospicio, eodem oculi jactu, multas terras multasque domus interjectas, ut plurimum video. Quia autem de illarum terrarum illorumque ædificiorum distantiâ judico, turrim campanariam his remotiorem animadvertens, protinus & remotiorem, & ampliorem, & celsiorem, quam si sola appareret, ipsam judico. Imago tamen quam turris illa in interna oculi parte efformat, sive terræ & ædificia intersint, sive non, ejusdem semper est magnitudinis, dummodò ut supponimus, illam ex eodem loco vel saltem æquè distanti respiciamus. Corporum igitur magnitudinem, ex ipsorum distantiâ dijudicamus; ac proinde corpora inter nos & objecta visûs nostri interposita, imaginationem nostram in ju-

diciis circa distantiam ferendis, mirum in modum sublevant. Non secus ac de durationis nostræ magnitudine, aut de tempore quod, post aliquid à nobis gestum, præteriit, judicamus, ex confusâ rerum post novissimam illam actionem gestarum aut continuas à serie cogitatarum, recordatione. Hæc enim aut cogitationum aut actionum nostrarum series, mentem nostram in dijudicandâ temporis cujuslibet vel etiam, aliquâ saltem ex parte, durationis nostræ longitudine, adjutat, vel potius confusa harum omnium cogitationum sese mutuò excipientium, recordatio, nihil aliud est præter ipsum de duratione nostrâ judicium. Quemadmodum visio confusa terrarum quæ inter nos & turrim campanariam interjacent, nihil aliud est præter ipsum de distantiâ turris, judicium.

Hinc percipere facile est, cur Luna sub ortum nobis grandior appareat, quam quum supra horizontem eminet. Cùm enim oritur Luna multis leücis distans immò ultrà horizontem sensibilem aut terras quæ visum nostrum terminant, sita nobis videtur. At verò, cùm directè supra horizontem nostrum eminet, tum semileücâ tantùm, vel septies ædificiis nostris sublimior videtur. Itaque illam prope horizontem sitam longè grandiorem judicamus, quam cum ab illo valdè distita est; quia nempe illam orientem judicamus longè remotiorem, quam cum jam supra horizontem nostrum editissima eminet.

Non pauci equidem Philosophi illud effectum vaporibus è terra ascendentibus tribuunt. Nec ab illis hac in parte dissentire velim; quod scilicet vapores objectorum radios frangentes; illa majora nobis exhibent. Nec præterea diffiteor, majorem esse numerum vaporum inter nos & Lunam cum oritur, quam cùm supra horizontem eminet; ipsamque ideò, si à nobis semper æquè distaret, paulò majorem sese præstituram, quam reverâ se præstat. Intereà tamen hæc refractio radiorum Lunæ, omnium illarum mutationum, quæ in ipsius magnitudine conspiciendas se præbent, causa dici nequit; hæc enim refractio non obstat quo minus, imago illa quæ in internâ oculorum nostrorum parte, cùm Lunam videmus orientem, pingitur, sit minor quàm imago quæ efformatur, cum luna jamdudum orta supra caput nostrum eminet.

Astronomi, quorum est Planetarum diametros metiri, quo magis Luna ab horizonte recedit, ac proinde quo minor illa videtur, eo magis ipsius diametrum augeri observant; itaque diameter imaginis, quæ in internâ oculorum nostrorum parte pingitur, minor est, cum Lunam videmus majorem. Re verâ Luna oriens à nobis terræ semidiametro remotior est, quam quum supra verticem nostrum lineâ perpendiculari eminet. Nec aliam ob causam ipsius diameter augetur, cum supra horizontem ascendit, tum enim ad nos accedit.

Cur igitur illam, dum oritur, majorem videmus? non certè propter refractionem

refractionem radiorum, à vaporibus terræ factam, cum imago ex istis radiis efformata minor sit; sed id oritur ex judicio naturali, quod de ipsius distantiâ ferimus, quia nempe trans terras à nobis longè dissitas, ut jam dictum est, posita videtur. Rem sanè stupendam! Philosophos hujusce erroris sensuum nostrorum causam inventu difficiliorem existimare, quàm maximas algebræ *æquationes*.

Hæc ratio, quâ de alicujus objecti distantiâ, ex ipsâ rerum inter nos & illud objectum interjectarum distantiâ judicamus, utilitate suâ, cæterarum rationum de quibus supra inutilitatem, non rarò supplet. Hac enim postremâ ratione, quædam objecta multis leücis à nobis dissita esse, facilè judicamus, quod aliarum rationum ope judicare non licet illam tamen si expendas, multis vitiis scatere, comperies.

Ac primò quidem hæc ratio, circa res duntaxat quæ super tellure posita sunt, non verò circa res quæ sunt in aëre vel in cœlis, nisi rarò admodum, & inutiliter ut plurimum, usu venit. Secundo in tellure, eâ ratione uti non datur, nisi circa objecta, aliquot tantummodò milliaribus dissita. Tertiò, si inter nos & objectum contemplandum, vel valles, vel montes, vel aliud quodlibet simile, intersint, hæc ratio erit inutilis. Denique nemo est, ut puto, qui plus satis non sit expertus, quàm incerta sint judicia quæ circa objectorum distantiam ferimus ex sensibili rerum interpositarum visu. His etiam fortè diutius æquo immoror.

Hæ igitur sunt rationes, quibus de objectorum distantiâ judicamus. Ex vitiis deprehensis, jam colligere est, judicia iis innixa esse per quam incerta.

Unde nullo negotio præcedentes propositiones meas demonstrare possum. Objectum G ab objecto A satis dissitum supposui: Ergo multoties admoveri potest ad D, aut accedere ad B; ita tamen ut nemo mutationem illam agnoscet; quandoquidem non sit tuta ratio dijudicandæ ipsius distantiæ. Immò objectum illud versus D, recedere potest, cum ad B accedere censebitur; quia imago objecti nonnunquam in retina augetur, sive ob trepidationes quasdam quæ nonnunquam fient in nervo optico, sive quia aër, inter objectum & oculum interjectus, radios interdum magis refrangit, seu tandem quia impressio, quam unio radiorum non satis accurata agit in retinam, ad partes quasdam, quæ ipsâ tamen affici non deberent, transit, quod non unâ de causâ contingere potest. Itaque objectorum imago tum major facta, eò adducit mentem, ut credat objectum accedere. De cæteris propositionibus idem esto judicium.

Prius quam huic capiti finem imponam, istud observatum velim; scilicet, vitæ nostræ conservationi perquam utile esse, ut eo accuratius motum aut quietem corporum cognoscamus, quo corpora illa propius ad nos accedunt; hanc verò accurationem non ita esse utilem, cùm objecta à nobis dissita sunt. Ex hac enim observatione, illius quod de omnibus sensibus in genere protuli, veritas patet; sensus scilicet nostros,

res nobis patefacere, duntaxat quatenus nobis sunt utiles, non verò quales in se sunt. Motum enim & quietem corporum, ut jam dictum est, eò accuratius cognoscimus, quo magis ad nos accedunt; de iis verò, sensuum nostrorum ope judicare desinimus, cum ita à nobis recesserunt, ut corpori nostro nec utilia nec noxia esse amplius possint. Ut, verbi gratiâ, cum à nobis sexcentis aut circiter passibus recedunt, si saltem alicujus sint magnitudinis; vel etiam si propius adsint, quum sunt minora, aut denique longius, si sint majora.

CAPUT X.

De erroribus circa qualitates sensibiles. I. Distinctio animæ & corporis. II. Organa sensuū explicantur. III. Cui corporis parti anima immediatè unitur. IV. Quid objecta externa agant in corpus. V. Quid in mentem, & cur mens non percipit motus fibrarum corporis. VI. Quatuor in unaquaque sensatione vulgò confunduntur.

SUperioribus capitibus, judicia quæ ex oculorum nostrorum testimonio, circa extensionem, figuram & motum corporum, formamus, nunquam esse accuratè vera, probavimus. Illa tamen non esse usquequaquè falsa fatendum est. Hanc saltem includunt veritatem, extensionem, scilicet figuras, motus, qualiacunque tandem illa sint, extrà nos esse.

Multa equidem videmus, quæ nec sunt, nec unquam fuerunt, ac statim atque aliquid extra nos videmus, illud reverâ extra nos existere, frustra colligeremus. Ab ideâ, menti hominis cujuspiam præsenti, ad actualem rei illius quam idea repræsentat existentiam, nulla est necessaria consequentia, ut vel ex somniantibus aut delirantibus plus satis liquet. Cùm tamen extensionem, figuras, motus videmus, illa ut plurimum reverâ esse extra nos, asserere tutò possumus. Hæc non tantum imaginaria, verum etiam realia sunt, nec fallimur, cum ipsis existentiam realem & ab intellectu nostro independentem tribuimus, quamquam id probatu sit perquam difficillimum.

Vide Illustrationes.

Judicia igitur, quæ circa extensionem, figuras, & motus corporum, à nobis feruntur, aliquam includere veritatem, constat. Verum res secus se habet de judiciis, quæ circa lucem, colores, sapores, odores, cæterasque qualitates sensibiles decernimus; illa enim, ut in hoc primo libro conspicuum erit, semper falsa sunt.

Lux à coloribus hic à nobis non disjungitur; tum quia reapse inter se non valde differunt, tum etiam quia seorsim explicari non possunt. De cæteris etiam qualitatibus sensibilibus in genere, eodem tempore quo de hisce duabus, agetur; quippe quæ omnes eodem principio sint à nobis

à nobis explicandæ. Infra dicendis, utpote superius dicta & pondere & utilitate suâ longius exuperantibus, enixè attendendum est.

Ac primùm lector, duas ideas quæ menti nostræ insunt, quarum prior corpus, posterior spiritum seu potius substantiam immaterialem aut incorpoream, nobis repræsentat, apud se reputasse & expendisse supponimus; utramque ab ipso suis proprietatibus positivis apprimè distingui; ipsum, uno verbo, hanc veritatem altè imbibisse, extensionem scilicet, à cogitatione esse distinctam atque diversam. Vel supponimus lectorem, quosdam Divi Augustini locos, ut, verbi gratiâ 10. cap. libri decimi de Trinitate, quartum & decimum-quartum caput libri de Quantitate mentis, aut Meditationes Viri clarissimi Cartesij; id præcipuè quod ad distinctionem corporis & animæ seu mentis spectat; aut denique sextam dissertationem de distinctione animæ & corporis viri cl. De Cordemoy, attentè legisse.

Distinctio animæ & corporis.

Ideam hic voco quicquid est objectum mentis immediatum.

II. *Organorum sensuum explicatio.*

Præterea lector anatomiæ organorum sensuum, peritus esse debet. Ipsum nempe non debet latere, organa illa constare ex tenuibus fibris, è medio cerebro originem suam ducentibus, quæ hinc in singula membra sensu prædita disperguntur, ac denique, nullâ interruptione factâ, ad externas usque corporis nostri partes extenduntur. Illarum autem fibrarum, dum vigilamus aut prosperâ utimur valetudine, alterum extremum moveri nequit, quin extremum oppositum, protinus moveatur, propter ipsarum perpetuam intentionem; quemadmodum funis contenti, alterum extremum, altero immoto, movere non potes; Quod à lectore etiam resciri velim.

Insuper neminem fugere debet, hasce fibras bifariam moveri posse, scilicet per extremum illud quod est extra cerebrum, vel per extremum illud quod est intra cerebrum. Si fibræ illæ ab objectis extrinsecùs afficiuntur ita ut ipsorum agitatio ad cerebrum usque non perveniat, ut fit per somnum, tum ex ista agitatione mens nullam novam recipit sensationem. Si verò tenues illæ fibræ spirituum animalium concursu, aut ab alia quavis causâ intrinsecus in cerebro moveantur, tum mens aliquid percipit, quamvis fibrarum illarum partes extra cerebrum sitæ, & per omnes corporis nostri partes dispersæ, omninò quiescant, ut iterum in somno contingit.

III. *Mentem immediatè uniri isti cerebri parti in quâ organa sensuum coeunt.*

Nec abs re erit hîc etiam obiter unum observare, quod experientiâ duce cognoscimus. Nos scilicet in quibusdam corporis nostri partibus penitus resecatis, dolorem interdum sentire. Quia, scilicet, fibræ cerebri, quæ istis partibus correspondent, eodem modo ac si revera partes illæ sauciarentur commotæ in mente nostra, partium illarum quas fingit imaginatio, occasione, dolorem realem excitant. Hæc enim, mentem, in illâ cerebri parte in qua hæc sensuum organa originem suam sortiuntur, immediatè residere, evidenter demonstrant: ibi, scilicet, quæcunque objectorum occasione in ista parte vertuntur, sentit, nec etiam quod extra hanc partem cerebri agitur, nisi fibrarum illarum interventu potest percipere. Hoc posito & clarè intellecto, quo-

modo fiat sensatio nullo negotio comperies, sed rem uno exemplo dabo claram.

I V. *Exemplum, quo quid objecta valeant in corpus explicatur.*

Quum acûs cuspidem manui meæ applico cuspis illa movet & dividit fibras carnis meæ. Fibræ illæ hinc ad cerebrum usque porriguntur, & dum vigilo, satis intenduntur, ut externæ partes, immotis internis cerebri partibus, moveri possint. Extrema igitur fibrarum cerebri etiã moventur; jam autem si fibræ manûs mediocriter moveantur, tum & fibræ cerebri mediocriter movebuntur. Quod si motus ille ita vehemens sit ut aliquid in manu disrumpat, tum etiam in cerebro vehementior & violentior sentietur.

Pariter, si manum ad ignem admoveas, particulæ ligni, quas innumeras indesinenter & vehementer pellit, ut id ratio deficiente visu demonstrat, fibras concutiunt, & ipsis aliquam agitationis suæ partem impertiuntur. Si illa agitatio temperata est, temperata pariter erit agitatio fibrarum cerebri quæ manui respondent. Si autem agitatio illa ita violenta est in manu, ut in ea particulas aliquas discerpat, ut fit cum in aliqua corporis parte combureris, tum etiam agitatio internarum cerebri fibrarum & vehementior & violentior erit: illud est quod in corpore nostro agitur, cum ab objectis afficimur, jam videamus quid menti nostræ contingat.

V. *Quid objecta agant in mentem, & cur mens non percipiat motus fibrarum corporis.*

Mens autem, in illa cerebri parte, ex qua omnes nervorum nostrorum fibræ principium suum ducunt, præcipuè, si fas sit ita loqui, sita est. Ibi verò constituta fuit, ut singulas corporis nostri partes foveat atque tuetur; ac proinde omnes quæ in illis fibris fiunt mutationes, ipsam accipere par est; ut mutationes coporis constitutioni congruas, ab iis quæ ipsi officiunt discernere valeat; ipsi enim, si eas ἁπλῶς & sine ulla ad corpus relatione cognosceret, foret inutile. Quapropter, quamvis omnes illæ fibrarum mutationes in motibus duntaxat reverâ consistant, qui in se plerumque non differunt, nisi quatenus sunt vel plus vel minus vehementes; mehs tamen de iis, quasi essentialiter differrent, judicare tenetur. Licet enim in se parum differant, si tamen conservationem corporis respicias, eas essentialiter differre haud dubiè comperies.

Hæc ratiocinatio confusa, aut istud judiciũ naturale nihil est præter sensationem compositam. Vide quæ supra dixi de judiciis naturalibus & cap. 1. 3ii lib.

Motus, exempli gratiâ, dolorem pariens, non valde ut plurimum differt, ab illo motu, qui titillationem excitat; inter hosce duos motus essentialem existere differentiam haud opus est; quamvis titillatio & dolor, quæ ambo illi motus in mente excitant, necessariò inter se differant. Quippe commotio fibrarum unde oritur titillatio, menti denunciat validam corporis constitutionem, quâ objecti impressioni ita resistere potest, ut ne ex ejusmodi impressione, quicquam detrimenti patiatur, timendi non detur locus. Verum motus unde oritur dolor, cùm paulò violentior sit, aliquam corporis fibram rumpere potest; cui malo ut consulat mens, molestâ aliquâ sensatione, moveri par est. Itaque, quamquam motus qui in corpore excitantur in se reverà non differant, nisi quatenus, alij aliis vehementiores sunt, illos tamen

tamen, si vitæ nostræ conservationem respicias, essentialiter differre agnosces.

Hanc ob causam, mens nostra commotiones quæ ab objectis excitantur, in carnis nostræ fibris non percipit; ipsas cognoscere foret inutile; quippe quæ ab iis non posset accipere, an objecta nos circumcingentia, corporis nostri compagem vel conservarent vel destruerent: sed iis afficitur sensationibus, quæ essentialiter differunt, quæque objectorum qualitates, quatenus saltem corporis interest, ipsi indicantes, ipsam etiam distinctè docent, an objecta illa corpori possent officere.

His adde quod, si mens nihil perciperet, præter id quod in manu agitur, momento combustionis; si nihil præter motum aut divisionem aliquot fibrarum, id certè susque deque haberet; quin ejusmodi motibus nonnunquam fortè, repentino quodam acto impetu delectaretur, Vesanorum illorum adinstar, quos per furorem, omnia subruere juvat.

Vel non secus ac captivus, carceris sui claustra dirui, non ægro cerneret animo, vel etiam spe libertatis adductus gauderet. Ita, si solam partium corporis nostri divisionem perciperemus, dum comburimur, fœlicitatem nostram in eo non esse positam, ut corpore quod nos à beatitudine nostra potius amovet, includamur, statim arbitrantes, ipsius destructionem exoptaremus.

Unde liquet, autorem unionis animæ cum corpore, summâ instituisse sapientiâ, ut dolorem tum sentiremus, cùm in corpore talis contingit mutatio, ut ex ipsa detrimentum patiatur; ut, verbi gratia, cùm acus carni infigitur, aut cùm ignis ipsius partes dividit; titillationem verò aut sensationem quamlibet jucundam experiremur, quum motûs illi temperati sunt; Et hæc omnia quidem, sine ulla perceptione eorum quæ reverà in corpore nostro aguntur, aut motuum fibrarum, de quibus anteà.

Primò, quum dolorem & voluptatem, quæ toto genere differunt, sentimus, objecta quæ istis sensationibus occasionem præbuerunt, facilius dignoscimus. Secundò, hæc ratio, quâ monemur, an corporibus nos ambientibus, adhærere, an verò ab iis recedere debeamus, brevior est, mentisque Deo comparatæ capacitatem minus occupat. Denique, cùm dolor & voluptas, sint modificationes mentis quas cum respectu ad corpus suum percipit, quæque illam magis afficiunt, quam cognitio motuum aliquot fibrarum; hinc fit ut ad istas sensationes sollicita attendat, unioque inter utramque hominis partem arctior evadat. Ex his igitur liquet, sensus nobis concessos fuisse, non ut ab iis veritatem doceamur, sed tantum ut eorum ope vitam nostrã conservemus.

Quod de titillatione & dolore dictum est, de omnibus sensationibus in genere intellectum velim, ut infra clarius patebit. Ab hisce duabus sensationibus, potiusquam ab aliis initium duximus, tum quia vividiores sunt, tum quia rem præstant clariorem.

Nos circa lucem & colores, nec non generatim circa omnes qualitates sensibiles, ut circa frigus, calorem, odores, sapores, sonum, dolorem, voluptatem, innumeros errores admittere, jam facile est demonstratu. Quid si singulos errores nostros, circa omnia sensuum objecta expedire, esset animus. Multi certè anni, re adhuc infectâ, præ ingenti illorum errorum numero, consumerentur. De iis igitur generaliter dicere sufficiat.

VI. *Quatuor vulgò confunduntur in unaquaq; sensatione.* In omnibus penè sensationibus, quatuor licet diversa confunduntur, quia scilicet, simul & velut in instanti aguntur. Atque illud est cæterorum errorum sensuum principium.

Primum quod confunditur, est *actio* objecti, hoc est, in calore, exempli gratiâ, *impulsio* & motus particularum ligni in fibras manûs.

Secundum est *passio* organi sensûs, hoc est, agitatio fibrarum manûs orta ex impulsione particularum ignis, quæ agitatio ad cerebrum usque pervenit, alioqui enim mens nil sentiret.

Tertium est *passio*, sensatio, aut perceptio mentis, hoc est, id quod quilibet sentit, quum ad ignem accedit.

Quartum est *judicium*, quo mens judicat, id quod sentit esse in manu sua & in igne. Judicium autem illud naturale est, vel potius nihil aliud est præter sensationem compositam, hanc verò sensationem, seu hoc judicium naturale, aliud judicium liberum semper comitatur, quod mens ferre ita consuevit, ut ab eo vix temperare queat.

Hæc quatuor, ut videre est, longè diversa sunt, nec tamen vulgò distinguuntur; unio scilicet arcta quæ est inter mentem & corpus, nos sæpe impedit, quo minus hæc distinguere valeamus, quippe propter hanc tam arctam unionem, proprietates materiæ, à proprietatibus mentis sive substantiæ incorporeæ, sejungere vix possumus.

Nemo tamen est, qui ad rem attendens, non videat, ex hisce quatuor quæ in nobis aguntur, dum aliquo objecto afficimur, duo priora ad corpus, duo verò posteriora ad mentem duntaxat pertinere. Si saltem priusquam ad hancce lectionem se accinxerit super mente & corpore aliquandiu fuerit meditatus, ut præsuppositum est. Sed hæc seorsim sunt explicanda.

CAPUT XI.

I. De errore quem admittimus, circa actionem objectorum in fibras externas sensuum. II. Causa hujus erroris. III. Objectio cum responsione.

IN hoc capite & in tribus sequentibus, de hisce quatuor, quæ confundi, & tanquam simplex esset sensatio haberi mox diximus, agetur. Errores, quos hac in re erramus, generali tantum ratione explicabuntur;

cabuntur; nullus enim esset dicendi finis, si eos sigillatim enumerare aggrederemur. Qui tamen dicenda seriò expendet, omnes errores sensuum nostrorum, nullo negotio deprehendet. Verum id ab illo vehementer exoptem, ut nempe supra dictis, & infra dicendis attentus incumbat.

Quod primum confunditur in unaquâque sensatione, est actio objectorum in fibras externas corporis nostri. Nullam ferè admitti differentiam, inter sensationem mentis, & ipsam objectorum actionem, pro certò constat; nec res comprobatione indiget. Plerique Homines, calorem, in igne à quo excitatur, esse arbitrantur, lucem esse in aëre, & colores in objectis coloratis. De motibus corpusculorum quæ istas sensationes excitant, ne per somnium quidem cogitantes. I. *De errore qui admittitur circa actionem objectorum in fibras sensuum nostrorum.*

Dolorem esse in acu quâ punguntur, haud equidem existimant, quemadmodum calorem esse in igne credunt. Quia nempe acus & ipsius actio sub visum cadunt, particulæ verò ligni ex igne emissæ, motûsque quo manus nostras movent, visum nequaquam feriunt. Cum itaque nihil videamus, quod manus nostras attingat, dum calefimus, calorem tamen in iis sentiamus, hunc calorem esse in igne, in illo nihil aliud deprehendentes, sponte nostrâ judicamus. II. *Hujus erroris causa.*

Plerumque igitur sensationes nostras objectis tribuimus, quum causæ istarum sensationum nos latent. Quia verò dolor & titillatio corporum sensibilium actione excitantur, ut verbi gratiâ, acu aut pennâ, quas videmus & tangimus, hanc ob causam, in hisce objectis quicquam esse quod sensationibus nostris simile sit, non imaginamur.

Nihilominus tamen, combustionem non esse in igne, sed tantum in manu, judicamus; quamquam hæc combustio, non secus ac calor, quem igni tribuere solemus, à ligni particulis producatur. Sed hujusce judicij hæc est causa: combustio, scilicet, est quoddam doloris genus; jam autem, cum multoties, dolorem non esse in corpore externo à quo excitatur, sensérimus; idem de combustione judicium, nullo negotio facimus. III. *Objectio.*

Ad hoc judicium hac etiam de causâ impellimur; dolor scilicet, aut combustio mentem nostram corporis nostri partibus, attentissimam præbent, quæ attentio ab alia quavis cogitatione mentem deterret; quo pacto sensationem ex combustione ortam, objecto sibi præsentissimo arrogat. Quia autem paulò post combustionem vestigia quædam in parte combustâ reliquisse, comperimus hoc experimento, combustionem esse in manu, certiores adhuc evadimus.

Hoc tamen non obstat quo minus hoc axioma generale admittatur. *Nos, scilicet, vulgò tribuere sensationes nostras objectis, quotiescunque illa objecta motu partium quarundam invisibilium, in nos agunt.* Nec aliam ob causam, colores, lux, odores, sapores, sonus, cum aliis quibusdam sensationibus, in aëre, aut in objectis externis, à quibus excitantur, inesse vulgò creduntur; quia, nempe, istæ omnes sensationes, motu corporum quorundam imperceptorum in nobis excitantur.

CAPVT XII.

I. De erroribus circa motûs fibrarum sensuum nostrorum. II. Hosce motûs nobis esse imperceptos vel à nobis confundi, cum sensationibus nostris. III. Res experimento probatur. IV. Tria sensationum genera. V. Errores quos secum ducunt.

QUod secundò in unaquaque sensatione deprehenditur, est commotio fibrarum nervorum nostrorum, quæ cerebrum pertingit. In eo autem erramus, quod scilicet hanc commotionem cum sensatione mentis nostræ semper confundamus; quodque cum nullam commotionem sensibus deprehendimus, nullam reverâ esse statim judicemus.

Commotionem, exempli gratiâ, quam ignis excitat in fibris manûs nostræ cum sensatione caloris confundimus, caloremque in manu nostrâ esse dicimus. Quia autem commotionem illam quâ objecta visibilia nervum opticum, in internâ oculi parte positum, movent, non sentimus, nervum illum non moveri, nec coloribus quos videmus obduci existimamus; quin objectum externum hisce misceri coloribus censemus. Colores tamen nervo optico æquè fortiter ac vividè impressos esse, ac objectis visibilibus, experimento sequenti patebit.

Sumatur oculus bovis recens jugulati, detrahantur pelliculæ illæ, quæ pupillæ adversæ sunt, juxta nervum opticum, & in earum loco, charta quædam valdè pellucida, supponatur. Hoc facto, oculus ille fenestræ cujusdam foramini applicetur, ita ut pupilla aëri objiciatur, posterior verò oculi pars includatur intra cubiculum, quod ita clausum & obturatum esse debet, ut perobscurum sit. Tunc omnes objectorum, quæ extra cubiculum posita sunt, colores in interna oculi parte respersos conspicies; sed ita tamen ut objecta resupina appareant. Quod si colores non sint satis vividi, oculus erit extendendus, ipsius lateribus compressis si, nempe, objecta quæ in interna oculi parte pinguntur, sint propinquiora; si verò remotiora, oculus erit contrahendus.

Si igitur sensus nostri, veritatis inveniendæ causâ nobis essent concessi, aut si rationem, in judiciis nostris circa objecta sensuum, ducem sequeremur, colores in interna oculorum parte judicare aut sentire haud dubiè deberemus, quemadmodum calorem in manibus nostris esse judicamus.

At verò ut hujusce judiciorum nostrorum, circa qualitates sensibiles, ut ita dicam, anomaliæ, sive irregularitatis, causa aliqua afferatur, animadvertendum est, mentem corpori tam arctè unitam esse,

&

& ex quo peccavit, adeò carnalem, ut ita loquar evasisse ut ipsi corpori multa tribuat, quæ sua sunt, utque vix ac ne vix semetipsam à corpore suo discernere queat, adeò ut ipsi non modò, sensationes omnes, de quibus jam agitur mentio, verum etiam vim imaginandi, & ipsam quandoque ratiocinandi facultatem tribuat. Non paucis enim Philosophis ingenium fuit adeò stolidum & præposterum, ut mentem nihil aliud esse crederent, præter delicatissimam & subtilissimam corporis partem.

Cuivis Tertullianum attentè legenti, res manifestò patebit. Ipse enim se cum multis aliis authoribus, in hac esse sententia profitetur. Nec quemquam de sua sententia ambigere sivit, cum in Libro quem *de animâ* composuit, probare conatus fuerit, nos eò, ut animam credamus corpoream, fide, scriptura, necnon revelationibus specialibus adduci. Ejusmodi opinionibus confutandis non immoror, quippe qui jam supposuerim Lectorem meum legisse quosdam libros Divi Augustini, aut Viri Clarissimi Cartesij, ubi hujusce sententiæ ineptia satis demonstratur, & distinctio extensionis à cogitatione, & mentis à corpore immotis stabilitur fundamentis.

Tanta est igitur mentis cæcitas, ut ipsa se fugiat, propriasque sensationes sibi ipsi non asserat. Verùm ut id clarius explicetur; tria sensationum genera in mente distinguenda veniunt. Nonnullæ, scilicet, validæ sunt & vividæ; Nonnullæ debiles & languidæ; Nonnullæ denique inter utrasque mediæ.

Sensationes validæ & vividæ, eæ sunt quæ mentem commovent, & vehementer excitant, quia ipsi vel jucundissimæ sunt, vel molestissimæ: hujus generis sunt, dolor, titillatio, frigus acre, ingens calor, eæ denique omnes in genere, quæ non modo vestigia quædam in cerebro imprimunt, verum etiam quæ spiritus animales versus internas corporis partes movent mittuntque, hoc est quæ ita movent spiritûs, ut ex hoc motu, excitari possint affectûs seu *passiones*, ut infra patebit.

Sensationes debiles & languidæ, eæ sunt quæ mentem leviter attingentes, ipsi nec jucundæ, nec molestæ sunt, ut lux mediocris, omnes colores, sonûs lenes qui audiri solent, &c.

Sensationes denique inter utrasque mediæ, eæ sunt quæ mentem mediocriter afficiunt, ut lux præfulgida, sonus vehemens, &c. Jam autem sensatio debilis & languida primò media, ac deinde vivida fieri potest. Sensatio, exempli gratiâ, quæ ex luce oritur, debilis est, cum lux è face emissa languescit, aut cum fax ipsa procul sita est, sed hæc sensatio media fieri potest, si propius admoveatur fax; at vero validissima & vividissima evadit, si facem ita appropinques, ut oculi perstringantur; ut id etiam continget si solem prospicias. Sensatio igitur lucis juxta varios gradûs, valida, debilis aut media esse potest.

Hæc sunt igitur mentis nostræ judicia circa hæc tria sensationum genera; ex quibus videre est, ipsam, impressiones sensibiles, aut judicia naturalia sensuum, cæco quodam impetu, sequi; adeo ut per

omnia objecta excurrens, in ipsa, quæ sua sunt, transferre non dubitet.

Priores sensationes mentem adeò vividè afficiunt ut non possit, quin eas, veluti suas, agnoscat, adeò ut ipsas non modò in objectis verum, etiam in corporis, quod ut sui ipsius partem habet, membris inesse judicet. Unde fit ut frigus & calorem non solùm in glacie aut in igne, sed & in manibus suis esse censeat.

Sensationes verò languidæ, mentem adeò leviter attingunt, ut eas nec suas esse judicet, nec in seipsâ, nec in corpore suo, sed in objectis duntaxat esse censeat. Non aliâ de causâ, objecta externa luce & coloribus exornamus, dum iis mentem & oculos nostros spoliamus; quamvis hanc lucem hosque colores in ideâ materiæ nequaquam includi ipsâ ratione comperiamus; & quamvis experientiâ doceamur, nos ita æquo jure posse judicare hanc lucem & hosce colores esse in oculis nostris, ac ea judicamus in objectis; siquidem ea in oculis nostris cernimus æquè ac in objectis, ut ex oculo bovino in fenestrâ collocato probavi.

Cur autem, colores, odores, sapores, cæterasque sensationes, ut quasdam mentis nostræ modificationes, primo intuitu non habeamus; hæc est causa; quia nempe ideam mentis nostræ claram & distinctam non habemus. Cum enim rem quampiam, ex ideâ quæ rem istam repræsentat cognoscimus, tum omnes istius rei modificationes clarè cognoscimus. Nemo est, exempli gratiâ, qui non fateatur, rotunditatem esse modificationem quandam extensionis, quia, scilicet, nemo est qui extensionem, ex ideâ clarâ quæ ipsam repræsentat, non cognoscat. Cùm itaque mentem nostram non per ideam suam, ut alibi id explicabo, sed tantùm internâ quadam conscientiâ cognoscamus; certè non possumus comperire ex simplici apprehensione, sed tantùm ratiocinio, an albedo, verbi gratiâ, lux, colores, & cæteræ sensationes debiles, sint vel non sint modificationes mentis nostræ. Ad sensationes verò vividas, ut dolorem & voluptatem, quod attinet; illas quidem in nobis esse facilè judicamus, quia nempe ipsis vividè afficimur, nec, ut à nobis, tanquam nostræ, agnoscantur, ipsarum ideis indigemus.

At circa sensationes medias, mens non parùm ambigit. Hinc enim ad judicia naturalia sensuum propendens, à se ipsâ quantum potest, hasce sensationes amovet, ut eas objectis tribuat; illinc verò, non potest, quin eas, ut suas agnoscat & sentiat; potissimum quum sensationes illæ ad validas & vividas accedunt. Sic igitur in suis judiciis procedit; si à sensatione satis vividè attingitur; tum sensationem illam in corpore suo, non secus ac in objecto esse judicat. Si ab eâ leviter duntaxat attingitur tum eam in objecto duntaxat judicat; quod si sensatio illa inter utrasque accuratè media est, tum mens, si sensûs solos habeat magistros, quo se vertat incerta est.

Si exempli gratiâ, candelam eminus prospicio, mens mea lucem in solo objecto residere, judicat. Si verò candelam illam ad oculos meos quàm

quàm proximè admoveo,tum mens lucem non in objecto tantùm,sed etiam in oculis esse judicat. Quod si candelam ab oculis amoveo ad pedis distantiam, tum mens an lux illa in solo sit objecto, aliquandiu incerta hæret. Sed nunquam eò adducitur quo tamen adduci deberet, ut,nempe, lucem nec esse,nec esse posse materiæ proprietatem aut modificationem, sibique soli pertinere, apud se reputet; quia, scilicet, ratione suâ hujusce veritatis assequendæ causa non utitur, sed sensibus duntaxat, qui unius corporis conservationis causâ comparati, veritatem nunquam aperiunt.

Cur autem mens objectum sensibile contemplatura, ratione, hoc est, purâ intellectione suâ non utatur,hæc est causa. Nimirum, rebus purâ intellectione perceptis non commovetur,cum è contra rebus sensibilibus vehementissimè commoveatur. Mens enim neglectis iis rebus quibus non commovetur, iis solùm attendit quibus vehementer commovetur; judicia igitur sua libera, ad judiciorum naturalium sensuum normam plerunque dirigit.

Ut igitur rectum lucis & colorum, cæterarumque qualitatum sensibilium feratur judicium, sensus coloris, à motu nervi optici sedulò distinguendus est, animadvertendumque motûs & impulsiones esse proprietates corporum, quæ proinde in objectis & in organis sensuum esse quidem possunt; at verò lucem & colores, esse modificationes mentis ab aliis longè diversas, quæque proinde ideas etiam longè diversas efformant.

Rusticus enim, exempli gratiâ, colores equidem videt, & eos à qualibet aliâ re discernere novit. Nullum etiam motum in objectis coloratis nec in internâ oculorum suorum parte deprehendit. Ergo color non est motus, seu est quid à motu diversum. Pariter, Rusticus calorem quidem sentit, illumque, à qualibet aliâ re, quæ non sit calor, dignoscere potest, fibras tamen manûs suæ fuisse motas, nequaquam cogitat; calor igitur ille quem sentit non est motus, cum ideæ caloris & motûs diversæ sint, alteramque sine alterâ possit habere. Nullam enim aliam afferre potes causam, cur quadratum non sit rotundum, quam quia idea quadrati diversa est ab idea rotundi, & quia de quadrato cogitare potes, non cogitato rotundo.

Si tantillum attendas facilè comperies, non necessarium esse, ut causa quæ hujus vel illius rei sensationem in nobis excitat, rem illam in se contineat. Quemadmodum enim, cum oculis manu meâ percussis lucem video,non necesse tamen est ut lux sit in manu mea. Sic cùm manus ad ignem admovens calorem sentio, non necesse est ut sit calor in igne. De cæteris qualitatibus sensibilibus res eodem modo se habet; ut illas sentiam, non opus est eas objectis inesse. Objecta illa aliquam in fibris carnis meæ commotionem excitare satis est, ut mens mea ipsis unita, aliquâ sensatione modificetur. Nulla est analogia inter motûs & sensationes; concedo. Sed nulla pariter est analogia inter corpus & substantiam immaterialem; jam autem cùm natura sive

Creatoris voluntas has duas substantias, quantumvis naturâ suâ oppositas, conjungat; ipsarum modificatione, inter se reciprocari non mirum est, id sic se habere necesse est, ut duæ illæ substantiæ unicum componant totum.

Verum enimverò, cum sensûs ad corporis nostri conservationem aptati fuerint, non frustrà est, quòd eorum ope, de qualitatibus sensibilibus ita judicemus. Dolorem & calorem in corpore nostro sentire, longè utilius nobis est, quam si istas sensationes in solis objectis esse judicaremus. Cum enim dolor & calor membra nostra lædere possint; mentem nostram moveri par est, cum iis afficiuntur, ut huic malo occurrat.

Res verò de coloribus aliter se habet: cùm enim internam oculi partem, in quam coeunt, non possint lædere, haudquaquam opus est, ut sciamus ipsos in ea esse pictos. Colores illi ad id tantum necessarij sunt, ut distinctius objecta cognoscamus, nec aliam ob causam sensuum nostrorum testimonio freti, illos solis tribuimus objectis. Judicia itaque, quæ per impressionem sensuum ferimus, sunt rectissima, si solam corporis conservationem respicias. Incertissima tamen, sunt immo falsissima, si ad veritatem spectes, ut jam patuit, clariúsque infra patebit.

CAPUT XIII.

I. De naturâ sensationum. II. Circa ipsas ignorantiam nostram non eam esse quam credimus. III. Objectio cum responsione. IV. Cur nullam sensationum nostrarum cognitionem nos habere existimamus. V. Omnes homines eorundem objectorum occasione, iisdem affici sensationibus, falsò credi. VI. Objectio cum responsione.

I. *Sensationum definitio.*

QUod tertium in unaquaque sensatione reperitur, seu id quod sentimus, cum exempli gratiâ, prope ignem sumus, est *Modificatio mentis nostræ orta ex eo quod in corpore, cui unita est, agitur.* Hæc modificatio jucunda est cum id quod in corpore agitur, circulationi sanguinis, cæterisque vitæ functionibus conducit; illa verò modificatio est molesta & à priori prorsùs diversa, cum id quod in corpore agitur, ipsum infestare & comburere potest, hoc est quando motûs corporis, aliquas ipsius fibras rumpere possunt, idque vulgò dicitur, dolor seu ustio, & sic de cæteris sensationibus. Sed hæc sunt quæ vulgus circa istud opinatur.

II. *Circa sensationes ignorantiam nostram non eam esse quã credimus.*

Ac in eo primùm errat quod, se nullam sensationum suarum cognitionem habere immeritò credat: Innumeros quotidie videas homines circa doloris, voluptatis, cæterarumque sensationum naturam valde sollicitos; quamvis ipsas in sola mente esse ac nihil aliud esse præter mentis modificationes non negent. Ejusmodi homines non possum qua

quid sciret. Res quæ ipsos latere non possunt, edoceri tamen volunt; quis enim dolorem sentiens, quid sit dolor, penitus ignoret?

Qui, verbi gratiâ, in manu uritur, dolorem quo tunc afficitur, à luce, colore, sono, saporibus, odoribus, voluptate, & ab alio quovis dolore, apprimè distinguit: Illum dolorem ab admiratione, desiderio, amore, nullo negotio discernit. Iterum illum à quadrato, circulo, motu, quàm facillimè dignoscit. Quid plura? Illum denique ab omnibus iis quæ non sunt ille dolor, diversum sentit. Si autem nullam doloris cognitionem haberet, qui, quæso, illud quod sentit ab omnibus supra dictis diversum esse, certè & evidenter cognosceret?

Id igitur quod immediatè sentimus quum colores videmus, aut alio quovis afficimur, aliquatenùs à nobis cognoscitur; nec certè, si id non cognosceremus ullum objectum sensibile cognosceremus. Aquam, verbi gratiâ, à vino non possemus distinguere, nisi sensationes ab aqua ortas, à sensationibus à vino ortis, diversas sentiremus; & ita de cæteris quæ sensuum ope cognoscimus.

Quod si me urgeas, à me exigendo, ut quid sint dolor, voluptas, color tibi explicem; me id verbis exprimere non posse fateor. Sed quid inde? id non obstat quominus, dum colorem video, aut dum comburor, id quod sentio aliquatenùs saltem non cognoscam. III. *Objectio cum responsione.*

Cur autem sensationes verbis exprimi non possint ut cætera, hæc est causa. ab hominum, scilicet, voluntate pendet, ideas rerum quibuscunque nominibus ex arbitrio alligare. Cœlum nuncupare possunt *Ouranon Schamajim*, Græcorum & Hebræorum exemplo. Verùm isti homines sensationes suas verbis, aut ulli alij rei, pro lubitu non alligant: frustrà de coloribus coram illis loquaris, eos non vident, nisi oculos aperiant. Nullos gustant sapores, nisi aliqua in ordine fibrarum linguæ & cerebri fiat immutatio. Uno verbo sensationes non pendent ab hominum voluntate. Solusque ipsarum author eas in mutuâ convenientiâ seu correlatione quæ inter modificationes mentis & modificationes corporis deprehenditur, conservare potest. Si igitur quis calorem aut colorem sibi à me repræsentari cupit, ut id faciam frustra verbis utar; sed motûs quibus hasce sensationes alligavit natura in ipsius sensuum organis excitari opus est, ad ignem admoveatur, pictasque videat tabellas oportet.

Atque hæc est causa, cur nunquam possis notificare cæcis, quid per rubrum, viride, flavum, intelligas. Cùm enim à quoquam non possis intelligi, nisi, qui te audit, easdem tecum ideas habeat: certè, cum colores non verborum sono, aut motui nervi aurium, sed motui nervi optici alligentur, illi colores non possunt repræsentari cæcis, quia ipsorum nervus opticus objectis coloratis commoveri nequit.

Aliquam igitur habemus sensationum nostrarum cognitionem. Jam videamus cur tamen illas nos non cognoscere credimus, atque ideò ipsarum cognitionem quærimus. Hæc est hujus erroris causa. IV. *Cur sensationes ignorari putantur.*

Mens, ex quo peccavit, facta est veluti corporea, inclinatione saltem

tem suâ. Amor ille quo sensibilia complectitur unionem sive convenientiam suam cum rebus *intelligibilibus* (aut spiritualibus, aut incorporeis) indesinenter minuit. Quæ sensûs non feriunt, ipsi protinus fastidium tædiúmque pariunt. Imagines quasdam quibus ea sibi repræsentet in cerebro formare nititur, istique conceptionis generi à creatione suâ ita assuevit, ut ea quæ non imaginatur, sese non cognoscere credat.

Non pauca tamen sunt, quæ cum corporea non sint, imaginibus corporeis menti repræsentari nequeunt, ut v. g. mens nostra cum modificationibus suis. Quum igitur mens nostra, naturam suam, suas sensationes sibi repræsentare vult ipsarum corpoream imaginem efformare conatur. In omnibus entibus corporeis seipsam disquirit. Et sibi ipsi modo hujus modò illius naturam affingit; modò aërem, modò ignem, modò quandam partium corporis harmoniam sese existimat esse. Cum igitur seipsam inter corpora invenire suasque modificationes, quæ sensationes sunt, modificationum corporis adinstar imaginari velit, non mirum est, si erret, ac seipsam penitus ignoret.

Quod mentem etiam eò adducit, ut sensationes suas imaginatione percipere velit, illud est; ipsas, scilicet, in objectis esse, immo ipsorum objectorum modificationes esse judicat; unde fit ut eas, tanquam aliquid corporeum & imaginabile habeat. Sensationum igitur suarum naturam, in solo motu qui eas excitat aut in alia quadam corporis alicujus modificatione consistere censet. At verò cum comperit id diversum esse ab eo quod sentit, quod nec corporeum est, nec imaginibus corporeis potest repræsentari, anxia hæret, eóque adducitur ut credat se non cognoscere suas sensationes.

Illos verò, qui quamvis irrito non se macerent molimine, ut mentem ipsiusque modificationes corporeis imaginibus sibi repræsentent, & anxij tamen sint circa sensationum naturam, scire decet; mentem nostram, ipsiúsque modificationes, per ideas non cognosci, si saltem ideæ vocabulum suo vero sensu, quem tertio libro determino & explico, sumatur, sed tantùm sensu quodam interno seu mavis conscientiâ; cum igitur optant sibi explicari sensationes per ideas, id optant, quod penes nullum hominem est. Homines enim nos docere non possunt, formando in nobis ideas rerum, sed eas tantùm excitando, quas jam habemus.

Secundus error, quem circa sensationes admittimus, in eo consistit, quod eas objectis tribuamus. Is autem capite XI. & XII. explicatus fuit.

V.
Omnes homines eorundem objectorum occasione iisdem affici sensationibus falsò credi.

Tertius in eo consistit quod judicemus, omnes easdem de iisdem objectis habere sensationes. Existimamus, exempli gratiâ, omnes videre cœlum cæruleum, prata virentia, & cuncta objecta, qualia ea nos videmus; & sic de cæteris qualitatibus sensibilibus. Immò non pauci mirabuntur, me res, juxta ipsorum opinionem extra dubitationis aleam positas, in dubium tamen revocare. Ausim tamen asserere, hancce ipsorum

ipſorum opinionem, nullo legitimo niti fundamento : & quamvis eos non poſſis erroris mathematicè convincere, poſſem tamen id demonſtrare, quòd ſcilicet, ſi non errent, id ſanè fortunæ acceptum referre debeant. Nec etiam deſunt rationes quibus ipſos reapſe errare, poſſim affirmare.

Ut propoſitionis meæ veritas pateat,id quod ſupra probavi revocandum eſt in memoriam, ſenſationes, ſcilicet, à cauſis ſenſationum valdè differre. Inde enim inferre licet,fieri poſſe,abſolutè loquendo, ut iidem fibrarum internarum nervi optici motus,eaſdem ſenſationes in diverſis hominibus non excitent ſive eoſdem non exhibeant colores,& contingere poſſe ut motus qui in hoc ſenſationem cærulei excitaverit,in illo viridis aut falſi ſive novam prorſus,& quam nemo unquam paſſus ſit, ſenſationem excitet.

Id fieri poſſe conſtat, nec contrarium ullâ ſolidâ ratione demonſtrari poteſt; rem tamen ſic non ſe habere,veroſimilius mihi videtur. Satius eſt exiſtimare Deum in unione qua mentes & corpora univit,ſemper æqualiter agere,ipſúmque eaſdem ideas eaſdémque ſenſationes,ſimilibus fibrarum internarum cerebri multorum hominum motibus,alligare.

Jam igitur id apud omnes conſtet,eoſdem, ſcilicet, motûs fibrarum quæ in medium cerebrum coëunt, eaſdem in omnibus hominibus excitare ſenſationes; certè ſi eadem objecta, eoſdem in cerebro motus non excitant, eaſdem proinde in mente non excitabunt ſenſationes. Jam autem, cùm organa omnium hominum non ſint eodem modo diſpoſita, profectò nec eaſdem, ex iiſdem objectis, omnes excipere debent ſenſationes.

Ictûs pugni, exempli causâ, quibus animi gratiâ & in mutuæ benevolentiæ ſymbolum ſeſe confricant bajuli, alios homines poſſent graviter lædere. Idem ictus variè igitur movet hominem robuſtum puerum tenerum, & fœminam delicatulam, ac in iis proinde longè diverſas excitat ſenſationes. Cum itaque non ſint fortè duo homines, quorum organa eodem prorsùs modo conformata dici poſſint; vix pariter reperies duos homines eadem objecta, eodem prorsùs modo ſentientes.

Nec aliunde eſt ſtupenda illa inclinationum varietas quæ inter homines deprehenditur. Alij muſicam deperiunt, alij verò illam negligunt. Ac inter muſicæ amatores alij hoc alij verò illo muſicæ genere delectantur; pro varietate propemodum infinitâ fibrarum nervi auditûs, ſanguinis,& ſpirituum. Quantùm,exempli gratiâ,differt muſica Gallorum, Italorum, Sinarum, & aliarum gentium ? ac proinde quantùm differunt ſenſationes variorum iſtorum populorum circa varia muſicæ genera, variis etiam temporibus eodem concentu ſiue eadem Symphoniâ variè afficimur. Si enim imaginatio ſpirituum rapidè fluentium copiâ æſtuet, tum muſica licentioſa & diſſonans, molliori & ad normam Mathematicam exactâ arridet magis. Id jam experientiâ probatum, ratione confirmare non foret difficile.

De odoribus res non secus se habet, qui citrij floris odore gaudet, rosæ odorem fortè refugiet,& contrà.

Circa sapores non minor est varietas quàm circa alias sensationes. Condimenta variè parata esse debent,ita ut diversis hominibus placeant, vel ut iidem homini variis temporibus grata sint.

Sunt quos dulce juvat, dum alij acido delectantur ; quidam vino gaudent, dum alij illud horrescunt. Ac idem homo cui vinum videbatur jucundissimum dum sanus erat, illud febricitans amarum reperiet. Et sic de cæteris sensibus. Omnes tamen homines voluptate gaudent, sensationibus jucundis delectantur. In hoc inter se optimè consentiunt, iisdem igitur sensationibus non afficiuntur ex iisdem objectis, cum ea non pari prosequantur amore.

Cur igitur homo quispiam, se dulci delectari dicit ? quia nempe sensatio quam in ipso excitat dulce, ipsi jucunda est. Cur verò alter, se dulci non gaudere dicit, quia reverà eadem ac prior non afficitur sensatione. Atque cùm dicit se dulci non gaudere, non idem est ac si diceret, se eadem sensatione non gaudere,quâ alter, sed tantùm se eadem illâ non affici. Impropriè igitur loquitur qui dicit se non amare dulce; aptius loqueretur si diceret se non amare saccharum, mel, &c. quæ cæteris dulciora videntur.In iis verò se non eundem deprehendere saporem, quia nempe fibræ linguæ diversè dispositæ sunt à fibris cæterorum hominum.

Sed exemplum istud erit clarius. Ex viginti hominibus unum fingamus, qui manibus algeat, quique ignoret voces quibus utuntur Latini, ut sensationes frigoris & caloris exprimant, cæteri verò manus habeant calidissimas. Si per hyemem iis admoveretur aqua frigidiuscula lavandi ergo, quibus essent manus calidæ, sese vicissim lavantes, aptè quidem dicerent ; hæc aqua nimis frigida est, id mihi molestum est. Qui verò manibus alget, ad lavandum sese accingens ; nescio, inquiret, cur aquam frigidam fugiatis, ego vero frigore & lavatione istâ delector.

Ex hoc exemplo liquidò patet, hunc hominem qui, se frigus amare profiteretur, idem significasse ac si dixisset, se amare calorem, ipsumque sentire, ubi cæteri frigus experiuntur.

Pariter cum quis dicit, amaris gaudeo, dulcia non possum ferre, idem est ac si diceret se iisdem non affici sensationibus, quibus afficiuntur, ij qui dulcibus delectantur,amara verò horrent.

Sensatio igitur cuipiam jucunda, jucunda quoque erit iis omnibus qui eadem afficientur, sed eadem objecta illam in omnibus non excitant, propter diversam organorum sensuum dispositionem. Quæ observatio in Physicis & Moralibus non levis est momenti,

VI. *Objectio cum responsione.* Unum hîc solutu non difficile quis forte posset objicere, eosdem homines cibos quos modò cum voluptate comedebant, nunc horrere, sive quia inter manducandum impuri aliquid irrepsit, quod fastidium creavit, sive ob morbum ex cibo illo immoderatè sumpto contractum,

sive

sive aliâ quavis de causâ. Illi homines, inquies, iisdem quibus anteà non ampliùs gaudent sensationibus; iisdem enim afficiuntur cum adhuc iisdem utantur cibis; eas tamen jucundas non ampliùs experiuntur.

Ut huic objectioni respondeam, animadvertendum est, istos homines, dum cibos gustant, quos horrent, fastidiuntque, duabus sensationibus longè diversis affici; sensatione, scilicet, cibi quem comedunt, ut supponit objectio & sensatione fastidij, quæ inde oritur, quòd immunditiem quam cibis intermixtam deprehenderunt apud se imaginentur. Cùm, nempe, duo motus in cerebro eodem tempore excitati sunt, alter sine altero non excitatur ampliùs, nisi tempus memorabile abhinc effluxerit, sic, quia, sensatio jucunda sine sensatione illa injucunda, nunquam excitatur, & quia res quæ eodem tempore fiunt, confundere solemus hanc sensationem quæ anteà jucunda erat, injucundam existimamus, adeò ut si injucunda existimetur, id ex eo oriatur, quod cum alia confundatur, quæ plus parit fastidij, quàm hæc voluptatis.

Colores, & alias quasdam sensationes, quas debiles & languidas nuncupavi, easdem non esse, in omnibus hominibus probare difficilius est. Istæ enim sensationes mentem adeò leviter attingunt, ut non possis distinguere utra sit jucundior, quemadmodum in saporibus aut aliis sensationibus vividioribus, distinguis, nec proinde diversitatem sensationum, ex varietate voluptatis aut fastidij quæ in diversis hominibus deprehenderentur, agnoscere. Eadem tamen ratio, quâ cæteras sensationes in diuersis hominibus non esse similes demonstramus, in sensationibus colorum esse quoque diversitatem ostendit. Quis enim inficietur, multam esse varietatem in organis visûs multorum hominum, non secus ac in organis auditûs aut gustûs? perfecta enim similitudo in nervo optico omnium hominum nullâ ratione asseri potest; Cum in rebus Naturæ & præcipuè in materialibus infinita sit varietas. Omnes igitur homines eosdem colores in iisdem objectis non videre, verosimile est.

Nunquam tamen, aut vix unquam, ut puto, contingit ut homines album & nigrum sub alio colore quo nos, videant, quamvis illud non æqualiter album aut nigrum conspiciant. Colores verò medios, ut rubrum, flavum, & cærulæum, & eos potissimum qui ex hisce tribus constant, quod spectat; perpauci sunt qui de iis eandem prorsùs habeant sensationem. Nonnulli enim reperiuntur qui corpora quædam altero oculo conspicientes, illa vident flava c.9. Si verò eadem objecta altero conspiciant oculo, illa videbunt viridia aut cœrulea. Si tamen illi homines cœlites nati supponerentur, vel iis oculis instructi, quibus id quod viride dicimus, cœruleum viderent, objecta sub iisdem coloribus ac nos sese cernere crederent; quippe qui viride aut cœruleum id dictitari audivissent, quod flavum aut rubrum viderent.

Ex eo etiam probare possemus eosdem homines eadem objecta sub eodem colore non cernere, quòd, juxta quorundam observationes,

eidem colores omnibus non æquè arrideant; si enim sensationes eædem essent, certè omnibus hominibus æquè arriderent. Quia verò in hoc argumentum, quædam non levia responso mox dato freta objici possunt, ab illo, utpote non satis solido abstinemus.

Nec reverà æque frequens est ut colorem alteri postponas, ac frequens est, ut hoc sapore magis quàm illo delecteris. Cujus differentiæ hæc est causa, sensationes, scilicet, colorum ad id non excitantur, ut judicemus an corpora nobis alendis sint apta, necne. Id autem voluptate & dolore duobus genuinis boni & mali caracteribus indicatur. Objecta quatenus colorata, nec bona nec mala sunt ad edendum si objecta quatenus colorata, nobis jucunda aut injucunda viderentur ad ipsorum præsentiam semper moverentur spiritus animales, quorum agitatio passiones excitat, mens enim affici non potest, quin commoveatur bona odio, mala verò amore sæpe prosequeremur; vitamque hoc pacto non diù conservaremus. Quid plura? sensationes colorum in nobis excitantur, dumtaxat ut corpora discernamus & à se invicem distinguamus. Quæ distinctio perinde fit, si herbam videas rubram, ac si illam viridem videres, dummodò illam semper sub eodem colore videas.

Sed hæc de sensationibus dicta sufficiant; jam de judiciis naturalibus, & de judiciis liberis, quæ ipsa comitantur agamus. Illud est quod quartò confundimus cum tribus de quibus supra.

CAPVT XIV.

I. De falsis judiciis quæ sensationes nostras comitantur, quæque cum iis confunduntur. II. Falsorum illorum judiciorum causa. III. Errorem in sensationibus nostris non deprehendi, sed tantummodò in istis judiciis.

I. *De falsis judiciis quæ sensationes nostras comitātur, queq; cum iis à nobis confunduntur.*

NOn paucos, opinor, repugnantes habebit hæc nostra generalis propositio, quâ nos nullam habere sensationem rerum externarum, quæ unum aut plurima non includat judicia, asserimus. Plerique, ne vel ullum existimant comperiri judicium verum aut falsum in sensationibus nostris. Illi igitur homines hujusce propositionis novitate attoniti; hæc secum. At verò qui ista? hunc murum esse album non judico, illum tamen album clarissimè video dolorem esse in manu mea non judico, illum tamen in manu mea certissimè sentio. Quis res adeò certas in dubium revocet, nisi objecta sentiat, aliter ac ego ea sentio? Immò ipsorum in præjudiciis infantiæ tenacitas ipsos fortè ulterius adducet; nec immeritò sanè eos inter moderatos ac sui compotes accenseas, si hac in re dissentientes non contemnant contumeliisque non lacessant.

Sed

Sed quid mentis nostræ cogitatis tam infaustum auguramur eventum? ipsa potiùs in tantam lucem edamus, tamque validis stabiliamus argumentis, ut nemo quantumvis pervicax ex oculis apertis positis possit adoriri, quin protinus vincatur. Nobis incumbit probandum, nullam esse sensationem rerum externarum, quæ aliquod judicium falsum non includat. Quod sic probatur.

Mentes nostræ non eam habent capacitatem quæ possit implere ingentia illa spatia quæ inter nos & stellas fixas exstant; nemo est ni fallor qui id neget; licet ipsi concederem mentem esse quid extensum; hoc posito, non est quod quis credat mentes nostras in cœlis esse, dum in illis vident stellas. Nec ipsas etiam mentes è corporibus ad mille passuum spatium transmeare, ut domos ad eam distantiam videant, credibile est. Mentem igitur stellas & domos ubi non sunt videre necesse est, cum è corpore suo non egressa, videat tamen illas domos & stellas, extra suum corpus positas. Cum autem stellæ quæ menti immediatè uniuntur, quas solas mens videre potest, non sint in cœlis, hinc sequitur omnes homines qui stellas in cœlis vident, quique deinde eas in cœlis esse sponte judicant, duo falsa judicia ferre, quorum alterum naturale est, alterum verò liberum. Alterum est judicium sensuum, sive sensatio composita ex qua judicandum non est. Alterum est judicium liberum voluntatis, à quo possumus abstinere, quodque ideò suspendere debemus, ut error vitetur.

Sed cur eædem stellæ quas immediatè videmus, extra mentem & & in cœlis esse credantur, hæc est causa. Quia nempe penès mentem non est eas pro lubitu videre. Eas enim duntaxat percepit, cum in cerebro excitantur motus quibus ideæ istorum objectorum naturâ alligantur, Quia autem mens organorum motûs non percipit, sed suas tantùm sensationes, & quia præthereà suas sensationes in se à seipsa non excitari pro certo habet; eò adducitur ut ipsas extrinsecus & in causa quæ eas ipsi repræsentat, esse credat, ac ista judicia, statim atque objecta percipit, ferre ita consuevit, ut ab iis vix possit desuescere. II. *Falsorum istorum judiciorum causa.*

Ut suprà dicta penitùs exigerentur & explicarentur, ostendenda esset inutilitas innumerabilis istius minutorum entium numeri, quæ species & ideæ vulgò dicuntur, quæque cum nihil sint, omnia tamen repræsentant, quæ pro lubitu creamus & destruimus, quæque imaginatio nostra commenta est, ut eorum quæ non intelligimus rationem reddamus. Demonstrandum esset quàm solida sit eorum sententia, qui existimant Deum esse verum patrem luminum, qui solus omnes homines illuminat, sine quo veritates etiam simplicissimæ intelligi non possent, & ipse sol quantumvis in se lucidus nobis non affulgeret; quique prætereà existimarunt, nullam naturam à Creatoris voluntate diversam agnoscentes, ideas quæ nobis creaturas repræsentant, nihil aliud esse præter perfectiones Dei, quæ creaturis illis, aliqua convenientia respondent, illasque repræsentant.

Denique ut hæc clariora evaderent quid per illud quod ideas vo-

camus intelligatur, explicandum esset. Sed hæc diutiùs nos detinerent. Hæc ad tertium librum remittimus ordinis causâ. Jam sufficiat, si exemplum unum certum & manifestum afferam, in quo plurima judicia cum eadem sensatione confusa sive mixta deprehendentur.

Nemo est, ut puto, qui Lunam prospiciens, illam à se mille passibus aut circiter distitam non videat; quique illam orientem vel occidentem, majorem non videat quàm cum supra horizontem eminet, nec in ista sua sensatione ullum esse judicium arbitratur; nisi tamen esset judicium quoddam in sensatione sua inclusum, Lunam ad eam distantiam quæ ipsi apparet, non videret; & prætereà illam videret minorem cum oritur, quam cum supra horizontem eminet, illam enim majorem videmus dum oritur, quia duntaxat ipsam remotiorem judicamus, judicio quodam naturali, de quo capite sexto actum est.

Sed præter judicia nostra naturalia, quæ sensationes compositæ haberi possunt, in omnibus penè sensationibus judicium quoddam liberum deprehenditur, judicio enim non tantum naturali homines judicant dolorem, exempli gratiâ, esse in manu, verum id etiam judicant, judicio libero, eum dolorem in manu non sentiunt modò, sed & credunt inesse atque ejusmodi judicia tam altas egerunt radices, ut ab iis vix temperare possint. Hæc tamen judicia in se falsissima sunt, quamquam conservationi vitæ utilissima. Sensus enim, nihil nos nisi ratione corporis, docent; & cuncta judicia libera sensuum judiciis conformia, à vero sunt alienissima.

Verùm ut hæc omnia, nullâ eorum redditâ ratione, vel saltem nullâ patefactâ viâ quâ ipsorum causâ possit inveniri, non prætermittamus duo esse entium genera hîc tenendum est; entia, scilicet, quæ mens nostra immediatè videt, & entia quæ non nisi horumce priorum ope, cognoscit. Cum, verbi gratiâ, Solem orientem percipio, primò percipio solem illum quem immediatè video; quia verò priorem illum solem ideò tantum percipio, quod aliquid sit extra me, quod motus quosdam in oculis meis & in cerebro excitet, tum judico priorem illum solem qui in mente mea est, extrinsecus esse, & actu existere.

Contingere tamen potest, ut priorem illum solem qui menti nostræ intimè unitur, videamus altero supra horizontem non eminente, vel etiam non existente. Pariter priorem illum Solem majorem videre possumus, dum alter oritur, quàm quum supra horizontem eminet. Quamvis autem verum sit, priorem illum solem quem immediatè videmus, majorem esse dum alter óritur; hinc tamen non sequitur alterum illum solem reverâ majorem esse. Solem enim reverâ orientem, propriè non videmus, cum à nobis infinitis propè distet spatiis, sed priorem illum videmus, qui reapse major est, qualis nobis videtur. Quæcunque enim immediatè videmus, ea semper reipsâ videmus ut sunt: & in eo tantum fallimur, quod existimemus, id quod immediatè à nobis videtur, esse in objectis externis quorum interventu illud videmus.

Pariter quum priorem illum Solem menti nostræ immediatè unitum

tum percipientes, lucem videmus, non fallimur si credamus id quod à nobis videtur esse lucem. Res est indubitata. Sed in eo vertitur error, quòd sine ratione, immò etiam contra rationem, lucem illam quam immediatè videmus, existere in sole extra nos posito pertendamus. Res sic se habet de cæteris objectis sensuum.

III. *Errorem in sensationibus nostris non deprehendi, sed tantùm in istis judiciis.*

Ex supra dictis nemo est qui non facilè comperiat, inter omnia quæ in unaquaque sensatione deprehenduntur, errorem duntaxat reperiri in judiciis, quibus sensationes nostras in objectis esse judicamus.

Primò enim, non error quidem est, ignorare actionem objectorum consistere in motu quarundam partium istorum objectorum, motúmque illum ad organa sensuum transire, quæ duo in singulis sensationibus ante omnia reperiuntur. Rem enim ignorare, & circa illam errare, toto cœlo differunt.

Secundò, in eo quod tertiò in singulis sensationibus deprehenditur, quod est ipsa sensatio, non erramus. Dum sentimus calorem, lucémque, colores & alia objecta videmus, nos ea videre verum quidem est, licet phrenesi laboraremus. Omnes enim delirantes haud dubiè vident, id quod vident, ipsorúmque error in solis judiciis consistit, quibus id quod vident revera extra se existere, judicent, eo ipso quod illud videant extrinsecùs positum.

Illud judicium libertatis nostræ consensum secum fert, ac proinde nos in errorem injicit. Et ab ipso quantum in nobis est, abstinere par est, juxta canonem initio hujusce libri traditum. De ulla re scilicet nunquam judicare debemus quandiu à judicio possumus abstinere, & ad illud evidentiâ ac certitudine non adigimur, ut hîc contingit. Licet enim consuetudine altè inhærente, eò propendeamus, ut sensationes nostras in objectis esse judicemus, calorem, verbi gratiâ, esse in igne, & colores in tabulis pictis, nullâ tamen ratione certâ & evidenti ad id credendum impellimur. Adeò ut errori ultrò nos mancipemus, perverso libertatis usu, cùm ejusmodi judicia liberè formamus.

CAPVT XV.

Speciales visûs errores explicantur, ut errorum generalium sensuum sint exemplum.

JAm igitur ni fallor, viam satis facilem patefecimus, ad cognoscendos errores sensuum nostrorum circa qualitates sensibiles in genere, de quibus actum est desumptâ luminis & colorum, quæ primò explicari ordo postulabat, occasione. Nunc singulos errores, in quos sensuum ductu incidimus sigillatim examinare operæ pretium foret. Iis tamen non immorabimur, quia supra dictis cuilibet attento abundè satisfactum putamus. Errores tantùm generales, in quos visus noster, nos

nos circa lumen & colores injicit, proferemus, quo exemplo omnes cæterorum sensuum errores facilè discas.

Quum aliquandiu Solem conspeximus, hæc sunt quæ in oculis, & in mente nostra aguntur, atque hi sunt errores quos erramus.

Qui prima tenent Dioptricæ elementa, nec mirabilis oculorum nostrorum structuræ sunt imperiti, non ignorant radios Solis in *crystallino* aliisque humoribus aliquantùm refrangi, ac deinde coincidere in *retinam* seu nervum opticum, quæ (retina) totam internam oculi partem tapetis instar sternit, non secus ac radij Solis per vitrum lenticulare, seu convexum permeantes coeunt in *focum*, seu punctum cõburens hujus vitri ad distantiam duorum, trium aut quatuor digitorum, pro ipsius convexitate. Jam autem, ut experientiâ docemur, si in *foco* istius vitri fragmentum aliquod panni aut chartæ nigræ collocetur, radij Solis adeo vehementer agunt in pannum aut chartam, ipsiúsque particulas tanto impetu exagitant, ut eas rumpant & à se invicem dividant, uno verbo exurant ac in fumum aut cineres redigant.

Charta nigra facilè comburitur, sed opus est vitro lenticulari majori vel magis convexo ad urendam chartam albam.

Ex quâ experientia illud colligere est, si scilicet nervus opticus esset niger, & si pupilla, aut uveæ foramen, quo lux in oculos transit, ita dilataretur, ut facilem permitteret radiis Solis transitum; cùm è contra coarctetur ut transitum illum præcludat; retina nostra eodem modo afficeretur, quo pannus aut charta nigra; ipsiusque fibræ tantoperè agitarentur ut brevi frangerentur & urerentur. Nec aliam ob causam, plerique homines, si solem tantillùm respiciant, gravi afficiuntur dolore, quippe pupillæ foramen ita non possunt claudere, ut sat radiorum non ingrediatur, ad agitandas vehementer fibras nervi optici, nec sine ruptionis periculo.

Mens nihil eorum quæ diximus cognoscit, dumque solem adspicit, nec nervum opticum, nec motum in eo excitatum percipit. Sed id non est error, est tantum simplex ignorantia, primus ipsius error in eo est, quòd judicet dolorem quem sentit esse in oculo.

Si postquam Solem conspicatus fueris, locum perobscurum oculis apertis subeas motus ille fibrarum nervi optici qui radiis Solis excitatus fuerat minuitur, ac paulatim immutatur; nec alia potest concipi mutatio in oculis. Illud tamen non est quod mens percipit, percipit duntaxat lumen quoddam albicans & flavum; ac secundus ipsius error in eo est, quod lucem illam quam videt in oculis aut in muro proximo esse judicet.

Denique agitatio fibrarum *retinæ* semper decrescens, paulatim cessat; cùm enim corpus aliquod commotum est, nihil in eo concipere potes, præter motus sui diminutionem, illud verò non est quod mens in oculis percipit. Colorem illum qui albus erat, aureum, posteà rubrum ac tandem cœruleum fieri observat, atque error quem hac in re admittimus. in eo consistit, quòd judicemus in oculo nostro, aut in muro nobis proximo, mutationes fieri quæ longè aliter differunt quam secundùm magis & minus, quia scilicet color aureus, cœruleus

cœruleus & ruber longè aliter differunt quàm secundùm magis & minus.

Hi sunt aliquot, ex erroribus nostris circa lucem & colores; atque isti in alios nos conjiciunt, ut infra patebit.

CAPUT XVI.

I. Errores sensuum nostrorum nobis esse loco principiorum generalium & fœcundissimorum, ex quibus falsas conclusiones elicimus, quæ suo loco principiorum vicem gerunt. II. Differentiarum essentialium origo. III. De formis substantialibus. IV. De quibusdam erroribus Philosophiæ Scholasticæ.

DUmmodò quæ jam explicata sunt in viros præjudiciis vacuos, & attentos incidant, naturam sensationum nostrarum errorésque generales qui in iis reperiuntur satis superque demonstrabunt. Jam restat ut ostendamus, homines hisce erroribus generalibus usos esse, quasi principiis quibusdam indubitatis, quibus omnia explanare voluerunt; ex iis erroribus innumeras deduxisse consequentias; ex quibus iterum veluti ex principiis quibusdam novas adhuc collegerunt consequentias; atque hoc pacto scientiæ illæ imaginariæ, inanes ac omni destitutæ realitate conflatæ sunt, quas homines cæco quodam impetu consectántur, quæque spectrorum adinstar eos pudore suffundunt qui miserè sese ab iis deludi sinunt. Unde illud ineptiæ genus quæ tot homines eò adduxit ut vanis sese pascant chimæris & illusionibus. Sed hæc exemplis sunt illustranda.

I. Errores sensuum nobis sunt loco principiorum generalium ex quibus falsas conclusiones elicimus quæ suo loco principiorum vicem gerunt.

Jam probavimus hunc morem apud nos invaluisse, ut sensationes nostras objectis tribuamus, utque colores, odores, sapores, cæterásque qualitates sensibiles in objectis coloratis odorantibus, &c. esse judicemus; In hoc nos errare comperimus; Jam restat ut demonstremus; nos hoc errore uti, tanquam principio ex quo falsas ducimus consequentias; quas deinde consequentias veluti alia quædam principia habemus, quibus ratiocinia nostra fulcimus: Uno verbo incumbit nobis explicandum, quo ordine procedat mens nostra in investigandis specialibus quibusdam veritatibus, ubi semel hoc falso principio, *sensationes*, scilicet, *nostras esse in objectis*; ita imbuta est, ut illud indubitatum existimet.

Verùm ut id fiat manifestius, aliquod corpus sumamus, cujus naturam investigare propositum sit; videamus quo modo se gereret, quilibet qui ad mellis & salis naturam cognoscendam se accingeret. Primò certè utriusque colorem, odorem, saporem, cæterásque qualitates sensibiles consideraret; quænam sint mellis, quænam verò salis qualitates; quâ in re inter se conveniant, quâ in re discrepent; & quam habeant

analogiam cum qualitatibus cæterorum corporum. Hoc facto, ad hunc modum ni fallor ratiocinaretur, si saltem sensationes esse in objectis pro certo crederet.

II. *Origo differentiarum quæ objectis tribuuntur, istas differentias esse in mente.* Quæcunque sentio inter gustandum, videndum & tractandum mel & sal illud, sunt in melle & in sale illo. Iam autem certum est id quod sentio in melle, essentialiter differre ab eo quod sentio in sale, albedo salis à colore mellis haud dubiè longè aliter differt quàm secundùm magis & minus; & sic dulcedo mellis, à pungente salis sapore; ac proinde differentia essentialis inter mel & sal debet esse, cum id quod in utroque sentio non mediocriter tantùm sed essentialiter differat.

Hoc primum. Namque ille homo non alio modo potest judicare, mel & sal essentialiter differre; nisi quia species sive indicia externa unius, à speciebus sive indiciis externis alterius essentialiter differunt; hoc est quia sensationes mellis à sensationibus salis essentialiter differunt; alio, inquam, non potest judicare modo quia tantùm judicat ex impressione quam utrumque in sensus facit. Suam igitur conclusionem habet, veluti novum quoddam principium, ex quo alias deducit conclusiones, ad hunc modum.

III. *Formarum substantialium origo.* Cùm igitur mel & sal cæteráque corpora naturalia à se invicem essentialiter differant; illi haud dubiè toto cœlo errant, qui nos eo adducere vellent, ut credamus, totum discrimen quod intercedit inter hæc corpora, consistere duntaxat in variâ particularum ex quibus constant configuratione. Cùm enim figura non sit essentialis corporibus, certè licet figura particularum illarum quas in melle imaginantur, immutaretur mel semper esset mel, licet ipsius partes salis partium figuram accepissent. Unde prorsus necesse est, ut substantia quædam sit, quæ materiæ primæ omnibus corporibus communi adjuncta, differentiam essentialem inter ipsa constituat.

Hoc modo sic secundò procedens homo ille *formas substantiales*, egregium illud & felix ingenij humani commentum, eduxit substantias sanè fœcundas, quæ cum in sola Philosophi nostri imaginatione existant quicquid in natura conspicimus producunt tamen? sed jam quibus proprietatibus, ens illud rationis suæ liberaliter sit ornaturus, videamus, cæteras enim substantias suis proprietatibus essentialibus, ut iis novum illud ens induat, spoliare non dubitabit.

IV. *Origo cæterorum errorũ generalium Physicæ Scholasticæ.* Cùm igitur pergit, unumquodque corpus naturale ex duabus constet substantiis; alterâ quæ melli, sali, cæterisque corporibus communis est; alterâ verò, quæ efficit, ut mel sit mel, sal verò, sal, & ut cætera corpora sint id quod sunt; hinc sequitur, primam substantiam, quæ est materia, cum non habeat contrarium, & ad omnes formas sit indifferens, sine vi & actione esse debere, quippe quæ nihil habeat à quo sibi præcavere opus sit. Cæteræ verò substantiæ, quæ sunt formæ substantiales, qualitatibus atque facultatibus stipari & muniri perpetuò debent, ipsas oportet, indesinenter excubias agere ne forte de

improviso

improviso occupentur, suæ conservationi perpetuò consulant, imperium in materias vicinas prorogent, victorias denique suas, quantùm in se est, longè latéque proferant, necesse est. Si vi & actione carerent, ab aliis formis subitò oppressæ annihilarentur, pugnent igitur indefessæ, & adversus formas illas sibi insidiantes, antipathias & odia internecina foveant æquum est.

Quod si forma aliqua materiam aliûs formæ, forma cadaveris, exempli gratiâ, corpus canis occupet; forma illa, canis formam annihilare non contenta, ut odium expleat suum, omnes qualitates formæ sibi inimicæ asseclas destruat oportet. Protinus, cadaveris pili albescere debent albore, qui novam denotet creationem; sanguis rubescere rubore non suspecto, totum illud corpus iis institui par est qualitatibus, quæ formæ suæ fideles, ipsam tutentur, quantum quidem possunt id facere qualitates cadaveris mox interituræ. Quia verò pugnæ aliquis tandem debet esse finis, cunctáque suum quietis habent locum; hanc ob causam, ignis, verbi gratiâ, suum habet centrum, quo levitate suâ & propensione naturali perpetuò tendat, ut quiescat, urere desinat, suum etiam calorem deponat, quo hîc in terris, sui conservationis duntaxat gratiâ sese muniebat.

Illæ sunt, magnâ saltem ex parte, consequentiæ, quæ ex postremo hoc principio, dari, scilicet, formas substantiales, deduci solent. Philosophum equidem hasce consequentias æquo liberius, & majori ingenuitate colligentem fortè introduximus, hæc enim ab aliis magis seriò dici solent.

Innumeras alias consequentias quotidie deducunt Philosophi, pro ingenio & indole, pro fecunditate aut sterilitate imaginationis; hisce enim duntaxat à se invicem differunt.

Hasce substantias chimæricas impugnare foret inutile, quippe quæ ab aliis jam fuerint exactæ, formas substantiales in rerum natura nunquam extitisse, ipsásque in hunc duntaxat finem fictas fuisse, ut ex iis fluant innumeræ consequentiæ, falsæ, ridiculæ & contradictoriæ, satis superque probatum est. Ipsarum originem in mente humana invenisse sufficiat, & ostendisse eas omnem suam haurire realitatem, ex præjudicio omnibus hominibus communi quo, *sensationes esse in objectis* falsò judicant. Qui enim supra dicta attentè expendet, nempe, corporis nostri conservationi conducere, ut sensationes habeamus essentialiter diversas, quamvis impressiones objectorum in corpus nostrum oppidò parum differant; facilè intelliget, tantam in objectis sensuum diversitatem falsò existimari. Cap. 10. artic v.

Verùm, ut id obiter dicam, non est quod in hisce terminis, *forma* & *differentia essentialis* quicquam desideremus. Mel haud dubiè formâ suâ mel est, & hoc pacto à sale essentialiter differt. Sed hæc forma, sive hæc differentia essentialis in varia partium configuratione duntaxat consistit. Hâc variâ configuratione mel est mel, & sal est sal, & quamvis materiæ in genere sit accidentale tantùm, ut habeat configura-

tionem partium mellis aut salis, ac proinde ut habeat formam mellis aut salis, essentiale tamen est melli & sali, ut sint id quod sunt, habere hanc aut illam partium configurationem. Quemadmodum sensationes frigoris, caloris, voluptatis & doloris menti quatenus mens est non sunt essentiales, sed tantùm menti quatenus istis afficitur sensationibus, his sensationibus dicitur sentire calorem, frigus, voluptatem, dolorem, &c.

CAPUT XVII.

I. Aliud exemplum ex Ethica desumptum, ex quo patet sensus nostros nihil nobis offerre præter falsa bona. II. Deum solum esse nostrum verum bonum. III. Errorum Epicureorum & Stoicorum origo.

PRincipium illud, quo *sensationes in objectis esse* statuuntur in Physica errores innumeros propagare non invalidis demonstravimus argumentis. Jam quædam ex Ethica depromamus, in qua idem illud præjudicium cum hoc, *objecta sensuum*, scilicet *solas esse & veras sensationum nostrarum causas*, conjunctum, in leviores non injicit errores.

I. *Exemplum ex Ethica deductum ex quo patet sensus nostros nil nobis offerre præter falsa bona.*

Inter homines, plerosque videas bonis sensibilibus addictos; alij musicâ, alij cupediis, alij aliâ qualibet re delectantur. Ut autem hæc objecta bona esse persuaderentur, hæc secum reputasse necesse est. Sapores illi qui in conviviis voluptatem pariunt, soni qui aurem molliter & jucundè demulcent & cæteræ voluptates quibus aliàs afficimur, procul dubio in objectis sensibilibus continentur, vel saltem eas objectorum ope sentimus, nec denique sine illis eas sentire possumus. Jam autem voluptatem esse bonam, dolorem verò malum nemo est qui inficietur, hujusce rei intùs conscij sumus, ac proinde objecta quæ passiones sive affectus movent bona sunt perquam realia, quibus, ut felicitatem consequamur, incumbere nos decet.

Sic plerumque ratiocinamur etiam incogitantes. Itaque, quia credimus sensationes nostras esse in objectis, vel saltem objecta eâ pollere virtute, quâ eas in nobis possint excitare, veluti bona nostra habemus ea quæ infra nos subsidentia, in corpora nostra duntaxat ad plurimum possunt agere, & aliquos motus in fibris excitare, sed quæ in mentes nostras nunquam agere, nec in illis ullum voluptatis aut doloris sensum excitare queunt.

Explicabo in ultimo libro quo sensu objecta agunt in corpus.

II. *Deum solum esse nostrum verum bonū, omniaque objecta sensibilia non*

Certè, si mens nostra non est quæ in seipsam agit, occasione eorum quæ in corpore geruntur; Deus solus est qui hac polleat virtute. Si mens sibi ipsi voluptatem aut dolorem, pro varietate motuum fibrarum corporis non creat, ut verosimile est ipsam id non facere, cùm sæpius dolorem & voluptatem præter consensum sentiat; ubi tanta vis est ut hasce sensationes in ipsa excitare possit, si Autorem naturæ excipias?

Solus,

Solus Deus sanè verum nostrum bonum est. Ipse solus iis omnibus quibus affici possumus voluptatibus, nos perfundere potest, & per sui cognitionem & amorem duntaxat illas in nobis excitare decrevit: Voluptates quas cum motibus corporis nostri conjunxit, ut ipsius conservationi consuleremus, exiguæ sunt, debiles, breves; licet ipsarum, tanta fuit vis peccati! mancipia facti simus. At verò voluptates, quibus Electos suos in cœlis afficiet, longè vividiores & perfectiores erunt. Deus enim nos eo consilio condidit ut ipsum cognoscamus & amemus. Cùm enim ordo naturæ postulet, ut quo majora sunt bona, eo majori afficiamur voluptate. Certè voluptas eorum qui Deo fruentur cæteras voluptates infinitis superabit parasangis, quippe qui suprà omnia longissimè emineat. *poss. in nobis excitare voluptatem.*

III. *Errorum Epicureorum & Stoïcorum origo.*

Quod de errorum nostrorum circa bonum causâ mox dictum est, falsitatem opinionum Stoïcorum & Epicureorum de summo bono, satis superque demonstrat. Illud Epicurei in voluptate constituebant. Quia verò voluptas in vitio æque ac in virtute sentitur, immo sæpius in priori quàm in posteriori, ideo in omne voluptatum genus ruere habiti sunt illi Philosophi.

Hæc autem est prima ipsorum erroris causa. Falsò, scilicet, judicantes esse aliquid jucundi in objectis sensuum, aut saltem objecta veras esse voluptatum quibus afficiebantur causas: sensu prætereà quodam interno convicti, voluptatem esse aliquid sibi bonum, dum illa potirentur; in omnes passiones, ex quibus nihil incommodi percipere poterant, prorumpere non dubitabant. At verò si ratione ritè usi fuissent, voluptatem quæ ex rebus sensibilibus percipitur, in hisce rebus esse non posse, ut in sua causa, nec alio quovis modo, comperissent; ac proinde bona sensibilia non posse esse bona respectu mentis nostræ, & cætera quæ explicuimus.

Stoïci contrà, pro certo habentes voluptates sensibiles esse in solo corpore & in solius corporis usum, mentemque suo peculiari & proprio potiri debere bono, beatitudinem in virtute ponebant. Jam autem hæc est ipsorum erroris origo.

Existimabant scilicet, voluptatem & dolorem sensibiles vel quæ ex rebus sensibilibus ortum ducebant, non esse in mente, sed in corpore duntaxat. Et ex hoc falso judicio principium statuebant, cujus ope falsas colligebant conclusiones, ut verbi gratiâ, dolorem non esse aliquid mali, voluptatem non esse aliquid boni, voluptates sensuum in se non esse bonas, ipsas esse communes hominibus & belluis, &c. Quamquam tamen Epicurei & Stoïci in multis sint hallucinati in nonnullis tamen à ratione non ablaserunt. Beatorum enim beatitudo in virtute omnibus numeris perfecta, hoc est in cognitione & amore Dei & in voluptate ipsos nunquam deserente tantùm consistit.

Maneat igitur altâ mente repostum objecta externa nihil in se jucundi aut molesti includere; ipsa non esse causas voluptatum nostrarum; ipsáque à nobis non nisi immeritò timeri aut amari posse; Deum

solum esse timendum & amandum; quippe qui solus nos punire aut remunerare, dolore aut voluptate afficere valeat, in Deo solo denique, & ex Deo solo nos sperare posse voluptates, in quas motu tam vehementi, tam naturali, tamque legitimo, propendemus.

CAPUT XVIII.

I. Sensus nostros nos in errores injicere etiam circa res non sensibiles. II. Exemplum ex hominum commercio & consuetudine mutuâ deductum. III. Ex habitu externo & sensibili judicium non esse statuendum.

SEnsuum nostrorum errores circa objecta sensibilia, ut circa lucem, colores cæterasque qualitates sensibiles fusè satis explicuimus. Jam videamus errores in quos ab ipsis circa objecta non sensibilia, quæque ideò ipsorum non sunt veluti jurisdictionis conjicimur, dum scilicet ab attenta illorum objectorum consideratione nos deterrent, eò nos adducendo ut de illis objectis juxta ipsorum testimonium judicemus. Sed istud indiget explicatione.

I. *Sensus nos in errorem injicere etiã circa res non sensibiles.*

Attentio & applicatio mentis ad ideas claras & distinctas quas de objectis habemus, ita necessaria est ad cognoscendam veram ipsorum naturam, ut nihil sit magis. Quemadmodum enim alicujus opificij pulchritudinem videre frustra pertendas, nisi oculos apertos in ipsum attentè defigas. Ita mens pleraque cum mutuis relationibus videre nequit, nisi ea attentissimè consideret. Jam autem ab attentione ad ideas claras & distinctas nullâ aliâ re magis depellimur quàm sensibus nostris, ac proinde nullâ aliâ re à veritate magis amovemur, & in errorem conjicimur.

Ut hæc à nobis concipiantur: Sciendum est, tres percipiendi rationes, quæ fiunt sensibus, imaginatione, & intellectu puro, mentem æqualiter non tangere, atque ideò ipsam non æqualem attentionem præbere iis omnibus quæ harum rationum ope percipit, iis enim quibus vehementer afficitur valdè, iis verò quibus leviter afficitur, parum attendit.

Quod verò per sensus percipit ipsam vehementer afficit, attentamque proinde præbet: quod per imaginationem cognoscit ipsam levius attingit; quod denique per seipsam sive independenter à sensibus & imaginatione percipit, ipsam vix excitat. Quis enim, mentem levissimo dolore quam meditatione profundissimâ magis moveri, non est expertus?

Hujusce rei hæc est causa; sensus, scilicet, objecta veluti præsentia repræsentant, imaginatio verò ea veluti absentia duntaxat exhibet. Jam autem ordo postulat ut ex multis bonis aut multis malis menti objectis, præsentia

præſentia illam moveant magis & ſiſtant quàm abſentia ; mentem enim citò determinari hac in re opus eſt. Sic punctiunculæ attentior eſt quàm ſublimibus ſpeculationibus : voluptates etiam & dolores hujuſce ſæculi ipſam vehementius percellunt quàm dolores infandi & voluptates infinitæ æternitatis.

Senſus igitur mentem objectis quæ ipſi offerunt ſummoperè applicant. Cùm autem finita ſit, nec multa ſimul poſſit liquidò percipere, id quod intellectus ipſi repræſentat non poteſt clarè percipere dum ſenſus ipſi aliquid conſiderandum objiciunt ; Ideas igitur claras & diſtinctas intellectûs rerum veritati aſſequendæ idoneas prætermittit, ut unicè incumbat ideis ſenſuum confuſis, quæ illam vehementer movent, ipſique res non ut in ſe ſunt, ſed duntaxat ut ſunt relatè ad ſuum corpus, repræſentant.

Si, exempli gratiâ, quis ad veritatem quandam explicandam ſe accingat ; voce utatur, ſenſáque ſua ac internas animi conceptiones, motibus & modis ſenſibilibus exprimat, neceſſe eſt. Mens autem multa eodem tempore diſtinctè concipere nequit. Unde fit ut iis quæ ſenſuum ope ad ipſam deveniunt attentiſſima, vix rationes ſibi propoſitas expendat. Sed voluptati ſenſibili quam ex numeroſa periodorum concinnitate, ex mutua inter geſtus & res voce prolatas convenientiâ ex oris elegantiâ & liberalitate, ex forma denique externa & habitu loquentis percipit, tota penè adhæret. Intereà tamen, re auditâ judicare ſatagit : ſic fert mos. Unde fit ut judicia pro diverſis ſenſuum impreſſionibus, diverſa pariter futura ſint.

II. Exemplum ex mutuis hominum colloquiis deductum.

Si verbi gratiâ, orator mentem ſuam expeditè expromat, ſi periodos numeroſè componat, ſi in ore liberalitatem quandam & ingenij acumen ferat, ſi claro ſanguine oriundus, ſi magno incedat comitatu, ſi verbis gravitatem quandam & autoritatem conciliet ; ſi cuncti ſileant attentiſque auribus adſtent, ſi exiſtimatione clareat, atque virorum primi ordinis conſuetudine utatur, ſi denique eò felicitatis pervenerit ut ſibi favorem exiſtimationémque captet, Tum quæcunque dicet rectiſſimè dicet. Quid plura ? ipſius etiam ornatus nonnihil probabit.

At verò ſi iis non ſit ornatus dotibus, demonſtret quantùm voluerit, nil tamen probabit ; elegantiſſima proferat, ne auſcultabitur quidem attentione ſolis rebus ſenſibilibus defixâ, auditor ad hominis tam incompoſiti conſpectum nauſeâ pene commotus, & in id unum incumbens, mentem ab ipſius cogitatis avertet. Cæſitium illud ſordidum & contritum oratori ipſiuſque dictis contemptum apud omnes pariet, ipſiúſque habitus Philoſophum cogitabundum redolens eò impellet auditores, ut ſublimes veritates plebeculæ captum ſuperantes, deliriorum & ineptiarum loco habeantur.

Hæc ſunt hominum judicia, oculi & aures non verò ratio de rerum veritate judicant, ubi tamen ſola ratio judicium ferre poteſt ; Quia, nempe,

nempe, ſolis ſenſibilibus & jucundis modis attenti ad veritatem adipiſcendam ſedulam ſeriámque vix unquam conferunt operam.

III. *Habitui externo & jucundo non ſistendum eſſe.* De rebus tamen judicare ex externa ſpecie, veritatémque adſpernari, quia iis non inſtructa eſt ornamentis quæ nos juuant, quid ab æquitate magis abludit. Philoſophos viróſque cordatos haſce jucundas agendi dicendique rationes potiuſquam veritatem ipſam exquirere, & vanum verborum ſonum rerum ſoliditati anteponere pudeat, ſolum vulgus indoctum, animæ carnis & ſanguinis, numeroſis periodis, figuriſque & motibus quæ affectûs excitent, capiantur:

Omnia enim ſtolidi magis admirantur amantque
Inverſis quæ ſub verbis latitantia cernunt
Veráque conſtituunt, quæ bellè tangere poſſunt
Aures, & lepido quæ ſunt fucata ſonore.

At viri ſapientes adverſus vim malignam, fortéſque iſtorum ſenſibilium modorum illecebras ſeſe præmuniunt. Senſûs quidem ipſis ut cæteris hominibus, quippe qui etiam homines ſint, nonnunquam fucum faciunt; ſed ipſorum teſtimonium generosè deſpiciunt. Illuſtre illud judicum Areopagi æmulantes exemplum, qui cauſidicis iſtis pellacibus verbis, figuríſque fallacibus uti interdicebant; ipſóſque nunquam niſi in loco tenebricoſo audiebant; ne verborum & geſtuum venuſtas veritati pallium obduceret, ipſóſque à rerum ſoliditate deterreret.

CAPVT XIX.

Duo alia exempla. I. Prius de erroribus circa naturam corporum. II. Poſterius de erroribus circa qualitates, eorundem corporum.

INnumeros errores ab intenta mentis applicatione ad ea quæ ſenſuum ope percipit, & à negligentia in qua verſatur circa res ipſi ab intellectu propoſitas, tanquam à prima cauſa manare, mox demonſtratum eſt. Hujuſce rei exemplum non adſpernandum ex mutuo hominum commercio & conſuetudine depromptum ad Ethicam faciens, tradidimus. En tibi alia ex rerum naturâ deducta, quæ in Phyſica obſervare neceſſe eſt.

I. *Errores circa naturam corporum.* Inter errores illos quos in Phyſica erramus, error quo plus ſubſtantiæ corporibus quæ ſenſus feriunt, quam iis quæ vix ſub ſenſum cadunt ineſſe imaginamur, non eſt poſtremus. Plerique exiſtimant in auro & in plumbo plus eſſe materiæ quàm in aëre & in aqua. Et ipſi pueri qui aëris effecta ſenſibus non deprehenderunt, illum nihil habere realitatis autumant.

Aurum & plumbum ſunt graviſſima & duriſſima corpora ſenſúſque maximè

maximè feriunt, aqua verò & aër vix sub sensus cadunt. Hinc concludunt priora longè plus habere realitatis quàm posteriora. De rerum veritate judicant per impressionem sensuum quæ nos nunquam non decipit; dum ideas claras & distinctas mentis quibus nunquam fallimur, negligunt; quia scilicet id quod sensibile est nos afficit & applicat, quod verò intelligibile soporem creat.

Hæc falsa judicia pertinent ad substantiam corporum, adsunt circa qualitates eorundem corporum.

Homines ut plurimùm ita sunt comparati, ut objecta quæ in ipsis sensationes jucundiores excitant, perfectiora cæteris judicent & puriora; qua in re consistat materiæ perfectio & puritas nescij, nedum solliciti.

Aiunt, exempli gratiâ, lutum esse impurum, aquam verò limpidam esse purissimam. Verùm cameli aquâ lutosâ gaudentes, & animalia quæ in luto degunt, secùs sentirent. Belluæ sunt, fateor; sed homines qui viscera rusticulæ avis, & Martis excrementa amant, non censent quicquam in iis esse impuri, quamvis id de cæterorum animalium excrementis dicant. Moschus denique & electrum apud omnes magno habentur pretio, quamvis nihil aliud esse præter excrementa existimentur.

II. Errores circa ipsorũ qualitates & perfectionem.

Non aliter certè judicamus de perfectione & puritate materiæ quàm relatè ad sensus nostros; cùm autem sensus diversi sint in omnibus hominibus, ut fusè explicatum est, diversa admodum pariter esse debent judicia de perfectione aut puritate materiæ. Libri itaque qui quotidie de perfectionibus imaginariis, quas nonnullis corporibus tribuunt, componuntur, non possunt quin stupenda errorum farragine scateant; cùm ipsorum ratiocinia falsis, confusis, & incertis sensuum ideis nitantur.

Philosophi non debent affirmare, materiam esse puram aut impuram, nisi priùs quid per voces illas, purum & impurum, intelligant, certò & accuratè teneant. Res enim eloqui, nec eas intelligere, hoc est, ideas non habere distinctas, quæ terminis respondeant, turpe est. Quod si utrique hoc vocabulo ideas claras & distinctas alligassent, id quod purum dictitant sæpe impurissimum esse, quod verò ipsis impurum videtur purissimum tamen esse deprehenderent.

Si, exempli gratiâ, decernerent materiam illam esse purissimam & perfectissimam, cujus partes sunt tenuiores & ad motum aptiores, aurum, argentum, margaritæ essent corpora admodum imperfecta, aër verò & ignis corpora perfectissima, caro corruptioni propinqua & malè olens, ad perfectionem tenderet. Et fœtens cadaver perfectius esset carne integrâ.

Quod si vice versâ statuerent corpora illa esse omnium perfectissima, quorum partes crassiores, solidiores, motúque difficiliores, terra esset auro perfectior, atque aër & ignis corpora essent omnium imperfectissima,

Quod si quis terminis *puri & perfecti* ideas distinctas de quibus verba feci alligare recuset, alios potest substituere terminos, sed si hasce voces solis notionibus sensibilibus definire velit, omnia perpetuò confundet, quia significatio terminorum quibus exprimuntur nunquam erit determinata. Omnes homines, ut id jam probavimus, varias de iisdem objectis habent sensationes: Ergo hæc objecta ex sensationibus quas in nobis excitant, judicari non debent; nisi quis obscuritate & confusione gaudeat.

Sed, ut penitiùs rem introspiciamus nulla certè datur materia cæteris materiæ portionibus perfectior, nequidem cœlorum materia. Cujuslibet materiæ tota aptitudo in eo mihi videtur consistere, quod varios motus variásque figuras possit recipere; Jam autem ipsius motus & figuræ sint regulares, ut ita loquar, aut irregulares id ipsi perinde est. Solem esse perfectiorem aut lucidiorem luto, formásque illas egregias quas nobis animi gratiâ pingunt fabulæ & carmina, cadaveribus esse præstantiores non comperimus. Id à sensibus nostris fallacibus accepimus: Nec est quod quis hîc quicquam obganniat; Cuilibet enim ad rationes supra allatas attento cavillationes & exclamationes omnes, ridiculæ & frigidiusculæ proculdubiò videbuntur.

Qui sentiunt tantùm, nec aliâ ratione res percipere assueverunt, solem esse luce plenum existimant; Qui verò sentiunt simul & ratiocinantur, aliter censent: dummodò saltem judicium sagacitate suâ sentiendi facultatem æquet. Sententiam haud dubiè mutarent qui sensibus pertinaciùs adhærent, si supra dicta seriò meditarentur. Verùm illusionibus sensuum nimis indulgent, ipsorum servitio jamdudum assuefacti mentis suæ obliti sunt, ita ut omnes perfectiones quas in corporibus videre sibi videntur ab ipsa pendere non attendant.

Nec verò hujusce commatis homines adorimur, laudent aut vituperent, id nobis perinde est, auscultare recusant; qui igitur possent judicare? sat erit nobis si veritatis causam agamus nobisque illorum conciliemus approbationem, qui in id seriò incumbunt, ut ab erroribus sensuum sese expediant, & luminibus mentis rectè utantur. Hos enixè rogamus, ut hæc nostra cogitata attentè, quantum in iis erit meditentur, ac postea judicent. Damnent, probent ipsis judicibus litem relinquimus; Quippe meditatione sua eò devenerunt, ut summum jus in cogitata nostra ipsis denegari meritò non possit.

CAPVT

CAPUT XX.

Hujusce primi Libri conclusio. I. Sensus nobis tantùm concessos fuisse in usum corporis nostri. II. Ipsorum testimonio diffidendum esse. Illum non parum promovisse, qui ritè atque opportunè dubitare didicit.

ERrores generales in quos sensus nostri, sive circa propria ipsorum objecta, sive circa res quæ solo intellectu percipiuntur, nos conjiciunt, satis clarè ni fallor aperuimus. Qui supradictis tantillùm attendet, nullum ut puto, admittet errorem, cujus causam facilè non deprehendat.

I. *Sensus nobis duntaxat cõcessos fuisse in usum corporis nostri.*

Vidimus prætereà sensus nostros nos tutissimè & accuratissimè docere analogias sive convenientias omnium corporum cum nostro; quamquam ut id etiam vidimus, eorum ope non possimus doceri quid hæc corpora sint in semetipsis. Diximus etiam illum suis malè uti sensibus qui eos ad alios convertit usus, quàm ad valetudinis & vitæ conservationem; adeò ut ipsos prorsus adspernari debeat; quum sibi in mentem imperium arrogant. Id primum & præcipuum est quod ex primo hoc libro retineri velim. Ut scilicet altè imbibamus, sensus nostros, nobis in eum duntaxat usum esse concessos, ut vitam nostram conservemus. Istud nobis radicitùs inhæreat, ut deinceps ignorantiam fugaturi, ad alia confugiamus auxilia.

II. *Sensuum testimonio diffidendum esse.*

Quod si nonnulli sint (ut erunt sanè & quidem æquo plures) quos supra dicta non potuerint convincere veritatis harumce propositionum, id saltem ab iis impetrare liceat, ut duntaxat sensibus suis aliquantùm diffidere discant; si ipsorum testimonium falsitatis & fallaciæ omninò arguere non sustineant, de istorum tamen testimoniorum veritate dubitare non recusent.

Quid? Quæ jam dicta sunt nonne satis habent momenti ut suspicionem scrupulùmque viris non obesæ naris injiciant, ipsósque proinde eò adducant, ut libertate suâ, rectiùs quàm anteà usi sunt, nunc uti recordentur? certè si semel de sensuum testimonio dubitare non reformident, assensum faciliùs cohibebunt, erroréſque quibus hactenùs obnoxij fuerant minori negotio imposterum vitabunt, dummodò imprimis canonis initio traditi memores sint. Hic est. *Ne assensum plenum unquam præbeas nisi propositionibus evidentissimè veris, & quibus assensum tuum non potes denegare, quin certò agnoscas te perperam usurum libertate tuâ, si deneges,*

III. *Illum non parùm promovisse qui*

Porrò ne quis mediocriter se promovisse putet, si solùm dubitare didicerit.† Dubitare cum judicio & ratione, ita me Deus amet non leve est. Etenim ut rem ingenuè fatear, dubitare & dubitare duo sunt,


† Dubitare est gymnasium veritatis

ritè & opportunè dubitare didicit. variæ ſunt dubitandi rationes. Nonnulli feroci & abrupto, alij cæco & maligno impetu ducti; alij denique per inconſtantiam quandam, & quia tantùm ſic libuit, dubitant. Sed præter hos dubitatores, ut ita loquar, ſunt etiam qui ex prudenti diffidentia, & ſapienti quadam judicij ſagacitate dubitant. Academici & Athei priori dubitant ratione: Veri Philoſophi poſteriori. Prior dubitatio eſt dubitatio quædam caliginoſa, quæ lucem non affert, fugat potius. Poſterior dubitatio ex luce oritur, lucémque tandem affert.

Qui priori tantùm ratione dubitant, ingenioſè dubitare neſciunt. Rident dum Carteſium legunt in prima Meditatione Metaphyſicâ docentem dubitandi methodum. Sat enim ſe habere credunt ſi pro lubitu dubitent; ſi in genere profiteantur, naturam noſtram eſſe infirmam, mentem noſtram plerumque cæcutire; præjudicia eſſe abdicanda, & cætera hujuſcemodi. Hiſce vagis freti ratiociniis erroris immunes evadere pertendunt. At verò quid promoves ſi dum fateris mentem eſſe debilem, ipſam non moneas debilitatis ſuæ? quid ſi ipſam errori obnoxiam eſſe agnoſcas, niſi errorum naturam cauſámque aperias. Id à nobis prælibatum fuiſſe primo hoc Libro arbitramur, dum naturam & errores ſenſuum explicuimus. Jam ut hoc Secundo pergamus, naturam & errores imaginationis exponere propoſitum eſt.



DE



DE INQVIRENDA VERITATE.




LIBER SECVNDVS. DE IMAGINATIONE.

PARS PRIOR.

CAPVT PRIMVM.

I. Idea generalis imaginationis. II. Ipsam duas in se includere facultates, alteram activam, alteram passivam. III. Causa generalis mutationum quæ fiunt in imaginatione hominum, & fundamentum hujusce secundi Libri.



LIBRO præcedenti de sensibus actum est, ipsorum naturam necnon legitimum usum explicare conati sumus; potiores & generaliores errores in quos ipsorum ductu labimur, patefecimus, ipsorum facultates ita circumscripsimus ut qui illos in suis limitibus continuerit, omnia ab iis sperare, nihil verò formidare debeat. In hoc secundo Libro de Imaginatione agemus. Ordo id postulat: tanta enim est inter sensus & imaginationem relatio & convenientia, ut se-

parari non debeant. Deinceps etiam patebit hasce duas facultates non aliter inter se differre, quàm secundùm magis & minus.

Hoc ordine procedet Secundus hic Liber. In tres partes distribuitur. In prima causæ Physicæ inordinationis & errorum imaginationis explicantur. In secunda causas illas ad errores generaliores imaginationis applicamus. Ibi etiam de istorum errorum causis loquimur, quæ Ethicæ seu Morales dici possunt. In tertia agimus de contagiosa communicatione imaginationum fortium sive vividarum.

Quæ hoc tractatu agitabuntur erunt quidem magis vulgata, quàm quæ inter explicandos sensuum errores dicta sunt, non est tamen quòd ea quis minus utilia ducat. Viri perspicaces & eruditi haud equidem ignorant errores & ipsas errorum causas de quibus hic agitur; verum pauci reperiuntur qui ad ea attendant. Omnes erudire non satago, indoctos solos edocere gestio; cæteros quod spectat, ipsos commonefacere sum contentus, quin memetipsum hìc potius instituere & commonefacere conor.

I. *Idea generalis imaginationis.*

Primo Libro diximus, organa sensuum nostrorum tenuibus fibris constare quæ ab uno extremo ad cutem terminantur, ab altero verò ad mediam usque cerebri partem perducuntur. Jam autem fibræ illæ bifariam possunt moveri. Motus enim oriri potest vel ab extremis fibrarum quæ sunt in extremis corporis partibus. Cùm agitatio fibrarum illarum non possit ad cerebrum usque pervenire, quin mens protinùs aliquid percipiat; si agitatio oriatur ex impressione objectorum in superficiem externam fibrarum nervorum nostrorũ & cerebrum pertingat, tum mens sentit * & judicat id quod sentit extrinsecùs positum esse, hoc est, objectum ut præsens percipit. Sed si fibræ internæ tantùm agitentur spirituum animalium cursu, aut alio quopiam modo, tum mens imaginatur, judicatque id quod imaginatur, non esse extrà sed intrà cerebrum, hoc est, objectum ut absens percipit, atque illud est discrimen quod intercedit inter sentire & imaginari.

** Iudicio naturali de quo multoties actum est Libro præcedenti.*

Verùm observandum est fibras cerebri multò vehementiùs agitari objectorum impressione, quàm spirituum animalium concursu; nec aliam ob causam objectis externis, quæ veluti præsentia ac proindè ad id idonea ut in se excitent voluptatem aut dolorem multò magis afficitur, quàm spirituum animalium concursu. In iis tamen quorum spiritus animales, ob jejunia, vigilias, febrim ardentiorem, sive quamlibet aliam causam, sunt concitatissimi, quandoque contingit, ut spiritus illi moveant fibras internas cerebri non minori vehementiâ quàm objecta externa movere solent; adeò ut homines sic affecti id sentiant quod tantùm imaginari deberent, ac objecta ob oculos se habere putent, quæ sunt tantùm in imaginatione sua. Ex quo id quod mox dixi liquidò patet. Sensus scilicet, & imaginationem non aliter differre quàm secundùm magis & minus, circa ea quæ in corpore aguntur.

Sed ut idea imaginationis distinctior & specialior præbeatur; tenendum

nendum est, quotiescunque aliquid immutatur in illa cerebri parte in quam nervi coëunt, toties etiam mentem aliquam pati immutationem. Hoc est, ut explicuimus, si in illa parte motus quidam excitetur, qui ordinem fibrarum interturbet, nova etiam fit in mente perceptio, aliquid novi sentit aut imaginatur, ita ut mens nihil novi unquam sentire aut imaginari queat, nisi aliqua in fibris ejusdem cerebri partis fiat immutatio

Facultas itaque imaginandi seu imaginatio, consistit in sola facultate quam mens habet sibi efformandi imagines objectorum; afferendo mutationem aliquam in fibris hujusce partis cerebri, quæ dici potest pars *principalis*, tum quia omnibus corporis nostri partibus correspondet, tum etiam quia mens nostra ibi immediatè, si fas sit, ita loqui, sita est.

Hinc non obscurè liquet, facultatem illam quâ mens imagines rerum sibi efformare potest, duo in se includere. Alterum quod ab ipsa mente pendet, alterum verò quod pendet à corpore. Prius est actio & imperium voluntatis. Posterius est obsequium spirituum animalium, qui hasce imagines insculpunt, & fibrarum cerebri quibus istæ imagines imprimi debent. Hac autem in tractatione utrumque horum *imaginationis* voce indifferenter designatur, nec terminis *activi* & *passivi*, quibus nuncupari possent, distinguuntur. Ex materia subjecta enim facilè comperias de vtro fiat sermo, an de *activa* mentis *imaginatione*, an verò de *passiva* corporis *imaginatione*. II.

Duæ facultates in imaginatione, altera activa, altera passiva.

Nec decidimus speciatim, quænam sit illa pars principalis cujus meminimus supra. Primò quia id inutile satis ducimus. Secundò quia res est per quam incerta. Tertiò denique hac in re tacere satius existimamus, cujus veritas hîc nequit demonstrari aliis, licet apud nos constaret quænam sit illa pars principalis.

Jam igitur, ut placet Willisio, in duobus corpusculis, quæ *corpora striata* nuncupat, resideat sensus communis; sinûs cerebri conservent species memoriæ; & corpus callosum sit sedes imaginationis, sive, ut vult Fernelius, in pia matre quæ cerebri substantiam involvit; sive in glandula *Pineali* viri clar. Cartesij, sive in alia quapiam parte nobis hactenùs incognitâ; res non me valdè anxium habet, dummodò sit quædam pars principalis, id sufficiet; immò id pernecessarium est. Systema etiam Cartesij, quoad ipsius substantiam, subsistere debet. Quippe licet hallucinatus fuisset, cùm asseruit glandulæ Pineali mentem immediatè adhærere, id non obstat quominus ipsius systema, quoad rem ipsam, infractum subsistat, ex illo enim percipies omnem utilitatem, quam percipere potes ex vero, ut in hominis cognitione progressum facias.

Cùm igitur imaginatio consistat in sola virtute, quâ mens sibi imagines objectorum efformare potest eas imprimendo, ut ita loquar, fibris cerebri, certè quò vestigia spirituum animalium, quæ sunt veluti imaginum illarum lineamenta, erunt distinctiora & grandiora, eò fortiùs III.

Causa generalis mutationum quæ fiunt in ima-

ginatione; & fundamentum hujusce secundi Libri.

fortiùs & distinctiùs mens objecta illa imaginabitur ; quemadmodum autem latitudo, profunditas, seu maris altitudo, & distinctio alicujus sculptilis operis, pendet à vi actionis cœli in cuprum, & à tractabilitate cupri, seu mavis à facilitate qua cuprum cœlo cedit; ita altitudo & distinctio vestigiorum imaginationis à vi spirituum animalium, & à constitutione fibrarum cerebri pendet, atque illa varietas quæ in hisce duobus deprehenditur, tantæ differentiæ quæ exstat inter hominum ingenia causa est,

Ex his enim, varietatis quæ in hominum ingeniis reperitur, ratio facilè reddi potest, hinc ubertate, & inopiâ, agitatione & tarditate, crassitudine & tenuitate spirituum animalium; illinc exilitate & densitate, humiditate & siccitate; flexibilitate aut inflexibilitate fibrarum cerebri; & denique analogiâ seu convenientiâ spirituum animalium cum hisce fibris, nec extra rem foret si unusquisque primò varias illas combinationes imaginari conaretur, illásque deinde differentiis quæ inter ingenia deprehenduntur, adaptaret. Re verâ nonne utilius, immò jucundius foret ingenio suo uti, illúdque ad veritatis indagationem informare & assuefacere, quàm illud corruptioni quæ ex otio contrahitur, permittere, ut fit cùm rebus jam concoctis & expeditis duntaxat incumbit. Huc accedit quòd in ingeniorum differentiis, quædam reperiuntur tam subtilia tamque impervestigabilia, ut dum ea quandoque potes per te sentire & assequi, eadem tamen aliis repræsentare & exhibere nequeas.

Verùm ut hæc discrimina quæ sunt inter hominum ingenia, quantùm quidem fieri poterit explicentur, utque unusquisque in suomet ingenio faciliùs deprehendere queat causam mutationum quas identidem animadvertit hîc causas mutationum quæ fiunt in spiritibus animalibus & in fibris cerebri in genere examinare operæ pretium videtur, hoc pacto omnes imaginationis mutationes etiam comperientur.

Quod petiit spernit, repetit quod nuper omisit. Æstuat & vitæ disconvenit ordine toto.

Homo sibi similis non diu perstat: propriæ inconstantiæ quisque apud se conscius est, circa eandem rem mox hoc, mox illud fertur judicium. Quid plura? hominis vita in perpetua sanguinis circulatione, & in alia cogitationum & desideriorum circulatione duntaxat consistit, nec putem tempus utilius posse collocari, quàm in disquisitione causarum ejusmodi mutationum quæ fiunt in nobis. Hoc pacto enim nostri cognitionem possumus adipisci.

CAPVT

CAPUT II.

I. De spiritibus animalibus, & mutationibus quibus in genere obnoxij sunt. II. Chylum ad cor transire, atque in spiritibus mutationem adferre. III. Vinum idem efficere.

NEmo est qui diffiteatur spiritus animales nihil aliud esse præter partes subtilissimas & velocissimas sanguinis, qui subtilitatem & agitationem præcipuè acquirit fermentatione quam in corde recipit, & motu violento musculorum ex quibus hæc pars constat: hosce spiritus cum reliquo sanguine per arterias in cerebrum usque deduci; ibique à sanguine separari partium quarundam in hunc usum comparatarum ope, de quibus nondum satis constat.

Ex his illa sunt quæ colligo; si sanguis sit subtilissimus, major erit spirituum animalium copia, si sit crassus, paucior; si sanguis constet partibus quæ facilè inflammari possint in corde, & ad motum aptissimæ sint, spiritus qui in cerebro erunt vehementer incalescent & agitabuntur: quòd si contrà sanguis non satis fermentetur in corde, spiritus animales languidi erunt & inertes, ac denique juxta soliditatem partium sanguinis, spiritus animales erunt solidiores aut minus solidi, ac per consequens velocius aut tardius movebuntur. Sed hæc, ut pro veris habeantur, fusius explicari, ac exemplis & experientiis indubitatis illustrari debent.

Priscorum autoritas quorundam ingenio non modo fucum fecit, sed eos excæcavit etiam. Non pauci enim adhuc reperiuntur tantâ erga veteres opiniones veneratione ducti, aut forsan adeò pervicaces, ut ea videre recusent quibus haud dubiè non inficiarentur, si tantummodo oculos aperire dignarentur. Quotidie videas viros vastâ suâ lectione & eruditione spectatos satis, qui libros componere, mutuásque publicè disceptationes adversus experientias visibiles & palpabiles circulationis sanguinis, ponderis & virtutis elasticæ aëris, aliáque similia, habere audeant. Experimentum illud cujus nostro sæculo Autor nobis fuit vir clarissimus Pecquet, quo etiam hoc loco utemur, ideò tantùm non arridet quòd nascendo canitiem cujus magna semper fuit reverentia, præ se non tulerit, hoc nihilò secius, idque non invidentibus viris cordatis, utemur.

II. Chylum ad cor transire & in spiritibus mutationem adferre.

Juxta illud experimentum constat chylum non statim è visceribus ad jecur per venas *mesaraïcas* transire, ut sumniant veteres; sed illum chylum, ex intestinis in venas lacteas, ac deinceps in quædam receptacula transire, quò venæ illæ coëunt: hinc per canalem sive ductum thoracicum per vertebras dorsi ascendere, & sese commiscere cum sanguine in vena *axillari*, quæ ingreditur truncum superiorem

venæ cavæ ; ubi commixtus cum sanguine ad cor rectà tendit.

Ex hoc experimento concludere est ; cùm sanguis chylo admixtus ab alio sanguine, qui jam multoties per cor circulasset, sit valdè diversus ; spiritus animales qui nihil aliud sunt præter subtilissimas ipsius partes fore etiam valdè diversos in jejunis & in iis qui mox alimentum sumpsissent. Præstereà, cùm innumera sint ciborum & potionum genera, atque ij etiam qui istis utuntur sint temperamento variè constituto, duo homines qui simul in eadem mensa accubuerunt, statim post cœnam in facultate imaginandi tantam sentire debent varietatem, ut eam vix possis describere.

Qui equidem prosperâ utuntur valetudine ita concoquunt cibos, ut chylus ad cor transiens nec augeat nec minuat calorem ; ita ut sanguis eâdem facilitate fermentetur, ac si solus nec mixtus ingressus fuisset ; unde fit ut spiritus animales, & proinde facultas imaginandi vix ullam patiantur immutationem. Senes verò & infirmi remotis mensis in se percipiunt maximas immutationes, sopiuntur plerunque : aut saltem ipsorum imaginatio vivacitate & promptitudine destituta languescit : nil distinctè percipiunt, ad rem ullam animum appellere nequeunt, alio prorsus denique modo ac anteà constituti sunt.

III. *Vinum idem efficere.* Sed ut id etiam sani & robusti manifestò experiantur, meminerint quid in ipsis factum fuerit, quum copiosius solito vinum potarunt, vel cùm in uno convivio nil nisi vinum, in altero verò aquam tantùm bibent. Certè nisi omninò sint stupidi, aut nisi corpus habeant modo prorsus insolito constitutum, statim aut hilaritate, aut sopore, aut alio quovis novo modo se habebunt.

Vinum est adeò spirituosum, ut ad spirituum animalium naturam quam proximè accedat : verùm spiritus illi æquo sunt luxuriosiores, jugum voluntatis ob soliditatem & agitationem vehementem non facilè subeunt. In eorum itaque qui viribus & vigore pollent præ cæteris, imaginationi & cæteris corporis partibus plus affert inordinationis quàm cæteri cibi potúsque : *Vinum luctator dolosus est*, inquit Plautus, atque in ingenio multa efficit ab iis quæ describit Horatius non longè diversa :

Quid non ebrietas designat? operta recludit
Spes jubet esse ratas : in prælia trudit inermem :
Sollicitis animis onus eximit : addocet artes.
Fœcundi calices quem non fecere disertum?
Contractâ quem non in paupertate solutum?

Præcipuorum effectuum quæ ex mixtione chyli cum sanguine in spiritibus animalibus deinde in cerebro & in ipsa mente oriuntur, rationem reddere non ita difficile est. Cur, exempli gratiâ, vinum exhilaret ; cur moderatè sumptum ingenium exacuat ; cur illud hebetet cùm immoderatè & frequentiùs sumitur. Cur post epulas sopor corpus invadat,

vadat, & multa id genus, quibus causæ ridiculæ affingi solent. Sed præter quam quod non datur hîc Physicæ systema, tradenda esset idea anatomiæ cerebri, vel iisdem quibus usus est Cartesius in suo Tractatu de *Homine* hypothesibus uti operæ pretium foret; alioqui mentem suam hac in re nemo aperire potest. At verò si quis attentè legat tractatum illum de *Homine* Domini Cartesij, non dubito quin suam in hisce philomathiam abundè expleat, quippe hic Autor isthæc omnia explicat, vel saltem ea satis patefacit, ut quilibet ipsius principiis jam imbutus, per se rem possit intelligere, si modò meditetur.

CAPVT III.

Aërem quem spiramus aliquam etiam in spiritibus immutationem afferre.

SEcunda causa generalis mutationum quæ in spiritibus animalibus fiunt, est aër quem spiramus. Quamvis enim impressiones ejus, impressionibus chyli sint tardiores & leviores; paulatim tamen id efficit, quod succi ciborum brevi efficiunt. Aër ille è ramis tracheæ arteriæ in ramos arteriæ venosæ intrat. Hinc cum reliquo sanguine in corde miscetur & fermentatur, & pro ipsius & sanguinis diathesi peculiari, spiritus animales atque ideò facultatem imaginandi valdè immutat.

Non me latet, quosdam negare aërem cum sanguine in pulmonibus & in corde misceri, quia nempe, in tracheæ arteriæ, & arteriæ venosæ ramis meatûs sive poros per quos aër possit transire, oculis deprehendere nequeunt. Sed verò sensus non debent limites figere menti. Hæc res illis imperceptas potest percipere, atque acie suâ multa attingere, quæ ipsis sese surripiunt, aliquas sanguinis partes è ramis arteriæ venosæ in ramos arteriæ tracheæ perpetuò transmeare, nemo est qui inficietur, ut halitûs, odor, & humiditas satis superque id probant, hujus tamen communicationis meatus seu viæ oculos fugiunt. Quidni igitur partes subtiliores aëris è ramis tracheæ arteriæ in arteriam venosam transire possent, licèt meatus illi oculos non feriant? Denique longè plures humores per poros imperceptos arteriarum & cutis transpirant, quam per cæteros corporis meatus exeunt. Et pori metallorum solidiorum quantumvis angusti, quibusdam tamen corporibus exiguis quidem transitum permittunt, alioqui præcluderentur illi pori.

Partes equidem aëris crassæ & ramosæ per poros corporis ordinarios transire nequeunt, & aqua ipsa, licet crassissima, sese tamen insinuat in loco ubi aër subsistere coactus fuit. Verùm hic de partibus illis aëris crassis & ramosis non agitur, nihil, ut puto, ad fermenta-

tionem conferunt. De partibus tenuissimis, rigidis, acribus, in quibus nulli aut pauci saltem sunt rami quibus implicentur, duntaxat agitur, quippe quæ sanguinis fermentationi sint aptiores.

Autore mihi Sylvio, possem tamen asserere aërem etiam crassissimum è trachea arteria in cor transire; Ipse enim dicit se id Domini Swammerdam industriâ, expertum fuisse, plus oculato testi fido, quàm mille auritis. Partes igitur aëris quem respiramus cor subeunt; in illo cum sanguine & chylo ignem illum quo vivimus & movemur fovent; atque pro illarum aëris partium diversitate fermentatio sanguinis diversa est, spiritúsque mutantur.

Id quotidie ex variis hominum ingeniis pro regionum varietate constat. Vascones, exempli gratiâ, ingenio pollent vivaciori, quàm Normani. Rothomagenses, Dieppenses, & Picardi inter se differunt, & longè magis differunt ab incolis inferioris Normaniæ, quamquam sunt satis vicini. Verùm si homines in regionibus remotioribus degentes consideres, differentias longè maximas comperies, verbi gratiâ, inter Italum & Belgam, seu Batavum. Denique loca quædam semper fuere incolarum sapientiâ clara, ut Theman & Athenæ, alia verò stupiditate, ut Thebæ, Abdera, & alia quædam.

Nunquid non ultra est sapientia in Theman? Ierem. c. 49. v. 7.

Athenis tenue cælum, ex quo etiam acutiores putantur Attici, crassum Thebis. Cic. de fato.

Abderitanæ pectora plebis habent. Mart.

Bœotûm in crasso jurares aëre natum. Hor.

CAPVT IV.

I. De mutatione quam in spiritibus efficiunt nervi illi qui cor & pulmones attingunt. II. De mutatione quam efficiunt nervi qui jecur, lienem & viscera attingunt. III. Hæc omnia citra voluntatis nostræ consensum nec tamen sine providentia fieri.

Tertia causa mutationum quæ in spiritibus animalibus fiunt, omnium maximè ordinaria & efficacissima est. Ipsius enim ope omnes affectus seu passiones excitantur, foventur & invalescunt. Quæ causa ut clarè nobis innotescat, tenendum est quintum, sextum & octavum par nervorum mittere magnam ramorum suorum partem in pectus & in abdomen, ubi corporis conservationi magnoperè inserviunt, menti verò summoperè officiunt. Isti enim nervi non agunt ex voluntate hominum, ut nervi qui brachiis, cruribus, cæterísque partibus externis movendis inserviunt. Adde quòd nervi illi agant magis in mentem, quàm mens in ipsos.

I. *De mutatione spirituum*

Hîc igitur sciendum est multos ramos octavi paris nervorum sese immiscere in fibras primi ac præcipui inter omnes musculos, nempe in

in fibras cordis; ipsius orificia, auriculas, & arterias ab istis nervis circundari. Isti etiam nervi sese in ipsam pulmonis substantiam diffundunt atque ita variis motibus suis non leves afferunt immutationes in sanguine, cùm enim nervi inter fibras cordis dispersi illud nonnunquam vehementius & ocius æquo dilatent atque contrahunt, summâ vi magnam sanguinis copiam versus caput cæteráque partes corporis externas pellunt. Nonnunquam veró iidem omninò secùs agunt. At verò nervi illi qui orificia, auriculas, & arterias cordis circundant, idem propè agunt ac spiracula illa Gallis dicta *Registres*, quibus Chymici calorem clibanorum regunt, & temperant, aut idem ac fistulæ illæ sive tubuli emissarij quibus utimur in fontibus, ad laxandas vel reprimendas aquas. Isti enim nervi ad eum usum comparati sunt ut diversimodè constringant & dilatent cordis orificia, atque ita sanguinis introitum & exitum accelerent aut remorentur, ipsiusque proinde calorem adaugeant aut diminuant. Nervi denique per pulmonem respersi eundem sortiuntur usum. Cùm enim pulmo constet duntaxat ex ramis tracheæ arteriæ, venæ arteriosæ, & arteriæ venosæ inter se invicem intricatis, nervi certè per substantiam ejus respersi non possunt quin contractione suâ impediant, quo minus aër è ramis tracheæ arteriæ liberè transmeet, & quominus sanguis è ramis venæ arteriosæ in arteriam venosam possit transire, ut inde cor pertingat. Isti itaque nervi pro varia agitatione sua, augent etiam aut minuunt calorem & motum sanguinis. *quam efficiunt nervi qui cor & pulmonem attingunt.*

Variorum istorum caloris cordis nostri graduum experimenta nobis suppetunt perquam manifesta in passionibus seu affectibus nostris, per illarum passionum impetum calorem illum subitò minui aut intendi sentias; quia autem falsò judicare solemus sensationes nostras iis corporis nostri partibus inesse quarum occasione in mente excitantur, ut primo libro rem dedimus claram; ideò omnes penè Philosophi cor esse præcipuam passionum sedem imaginati sunt. Atque etiamnum hodie apud plerosque eadem viget opinio.

Quia autem facultas imaginandi immutationibus spirituum animalium non leviter quoque immutatur, spiritusque ipsi animales pro varia sanguinis fermentatione in corde, varij etiam sunt; nemo est qui hinc facilè non comperiat, cur viri aliquo animi motu abrepti res secus imaginentur; ac ij quibus sanguis est frigidus.

Altera causa quæ non parum confert ad minuendas & augendas insolitas illas sanguinis in corde fermentationes, consistit in actione multorum aliorum ramorum ex quibus constant nervi illi de quibus suprà. II. *De mutatione quam in spiritibus efficiunt nervi jecur, lienem cæteráque viscera pertingentes.*

Rami illi sese diffundunt in *jecinore*, quod continet subtiliorem sanguinis partem, aut illud quod vulgò dicitur bilis; in *pancreate*, quod continet succum acidum fermentationi aptissimum, in ventriculo, intestinis, cæterisque partibus quæ chylum capiunt; sese deniquè diffundunt per omnia loca, ad variandam fermentationem sanguinis in corde, idonea. Ipsæ etiam arteriæ & venæ his alligantur nervis, ut id

Willis de trunco inferiori magnæ arteriæ quæ ipsis vincitur juxta cor, de arteria *axillari* à dextera parte de vena *emulgente*, & de quibusdam aliis deprehendit.

Cùm igitur usus nervorum in eo versetur, quòd partes quibus alligantur variè exagitent; nemo est qui non videat facili negotio, quo modo, exempli gratiâ, nervus jecur circundans, ipsum comprimendo possit emittere ingentem bilis copiam in venas & in canalem bilis quæ cum sanguine in venis commixta, & cum chylo per canalem bilis, in cor ingreditur, ibique calorem solito vehementiorem efficit. Sic cùm quibusdam animi perturbati motibus agitamur, sanguis in arteriis & in venis fervet, caput inflammatur, totque spiritibus animalibus adeò vividis & concitatis impletur, ut impetu suo impediant quo minus imaginatio quicquam aliud, ab eo quod cerebro impresserunt diversum, possit sibi repræsentare, hoc est, quo minus de aliis objectis quàm ea circa quæ versatur affectus cogitare queat.

Res non secùs se habet de nervulis qui lienem pertingunt, aut alias partes continentes materiam crassiorem & ad calorem motúmque minus idoneam, imaginationem languidam ac stupidam efficiunt, emittendo in sanguinem materiam aliquam crassam & ad motum ineptam.

Nervi verò qui circundant arterias & venas in eum usum comparati sunt, ut sanguini transitum præcludant, illum in ea loca ubi conceditur aditus amandent constrictis scilicet nervis & arteriis. Parte igitur illâ magnæ arteriæ quæ sanguinem cæteris partibus infra cor subsidentibus suppeditat, nervis illis ligatâ & compressâ, sanguis majori copia caput necessariò subire debet, atque ita in spiritibus animalibus ac proinde in imaginatione immutationem efficere.

III. *Hasce mutationes citra voluntatis nostræ consensum, sic dirigente providentiâ fieri.*

Porrò observandum est hæc omnia nonnisi mechanicè fieri; hoc est, varios illos motus nervorum in omnibus passionibus, non ad nutum voluntatis, sed citra immò etiam contra ipsius imperium excitari adeò ut corpus animâ seu mente destitutum eodem modo dispositum quo corpus sanum, eosdem planè motus qui passionibus excitantur, suscipere posset. Itaque licet belluæ essent meræ machinæ iisdem etiam prorsùs motibus possent affici.

Quæ nos in sapientiæ immensæ illius admirationem rapere debent qui hanc organorum compagem tam concinnè adaptavit, ut unicum objectum movens hoc vel illo modo nervum opticum, possit excitare tot varios motus in corde, cæterísque partibus corporis internis, & etiam in facie.

Paucis enim abhinc diebus, nervum eundem, qui ramos quosdam in cor cæteráſque corporis partes internas dispergit, nonnullos etiam è ramis suis ad oculos, os, cæteráſque vultûs partes perducere, compertum est. Unde fit ut nullus affectus, seu mavis nulla passio, intùs moveatur, quæ protinùs non erumpat ad extra, quia nullus esse potest motus in ramis qui ad cor transeunt, quin statim aliquis etiam motus excitetur in ramis per faciem resperſis.

Mutua

Mutua analogia & sympathia, quæ inter nervos faciei, & quosdam alios aliis corporis partibus, quas nomine proprio appellare non licet, respondentes, deprehenditur, multo adhuc memorabilior est, atque magnæ istius harmoniæ causa inde oritur, quòd ut in cæteris passionibus, nervuli ad faciem perducti nil sint præter ramos nervi illius qui inferius demittitur.

Quum motu aliquo violento percitus es, si ad id quod in visceribus cæterisque corporis partibus in quas nervi sese insinuant, sentitur, ut etiam ad faciei immutationes quæ passionem illam sequantur, attendas; si prætereà varias illas nervorum nostrorum agitationes esse omninò involuntarias, ipsásque vel reluctante voluntate fieri, tecum repútes; simplex illa expositio mutuæ convenientiæ inter nervos fidem apud te nullo negotio nanciscetur.

Verùm enim verò si horum omnium causas & finem respicias, tantum ordinem tantámque sapientiam in iis deprehendes, ut adversus pervicacissimos Epicuri & Lucretij discipulos, providentiam orbis directricem, invictis possis asserere argumentis; si saltem hæc omnia non neglectim consideres. Quum horologium video, hinc certè meritò colligo dari aliquam intelligentiam, quippe quòd ista rotarum compactio & accurata combinatio fortuitò contingere nequiverit. Quo pacto igitur, fortuna cæca, fortuitúsque atomorum concursus, tot in cunctis hominibus, varia organa, proportione & ordine quem suprà exposui formare potuissent, qui fieri potest ut homines ac animalia cætera, sibi similia sine providentia generent? Insulsum igitur & ridiculum planè est cum Lucretio dicere, partes hominis fortuitò fuisse adornatas, oculos ad id non esse comparatos ut per eos cerneremus, sed homines ad videndum tum demùm inductos fuisse, cùm observaverunt se oculis pollere, & sic de cæteris corporis partibus. Audi ipsum loquentem:

Lumina ne facias oculorum clara creata
Prospicere ut possimus, & ut proferre viai
Proceros passus, ideò fastigia posse
Surarum ac feminum pedibus fundata plicari
Brachia tum porrò validis exapta lacertis
Esse, manúsque datas utrâque ex parte ministras
Ut facere ad vitam possimus, quæ foret usus.
Catera de genere hoc inter quæcunque pretantur
Omnia perversa, præpostera sunt ratione
Nil ideò natum est in nostro corpore ut uti
Possimus, sed quod natum est id procreat usum.

Profectò qui tam apertis támque invictis reluctantur argumentis, impij sunt Providentiæ osores, qui veritatem ne videant; sese ultrò excæcant. Sed quid mirum? Qui falsam quandam animi constantiam, vel

vel ut aptius loquar impietatem affectant, ut olim Epicurei, ij protinus densis circumfunduntur tenebris, falsisque perstringuntur splendoribus, id genus hominum evidentiora quæque præfractè negare solet, dum ea quæ nil veritatis nil perspicuitatis præ se ferunt, magnificè & confidenter audet asseverare.

Hujusce cæcitatis quam in hominibus qui animi constantiæ famam aucupantur, observavimus, exemplum nobis esto Poëta mox laudatus. De rebus enim difficilioribus & obscurioribus audacter verisimilitudinisque nil sollicitus non modò sententiam suam profert, sed etiam de iis absolutè decidit; dum tamen rerum evidentiorum ne vel ideas habere videtur. Si hujusce rei testimonia autoris proferre vellemus, sermonem ad nauseam usque producere opus esset. Mentem in veritatibus essentialibus contemplandis & revolvendis sistere equidem licet, sed animum à legitimo & præcipuo attentionis suæ objecto ad res levis momenti deflectere, quid est nisi otio malè abuti?

CAPVT V.

I. De memoria. II. De habitibus.

CAusas generales tum externas tum internas mutationum quæ in spiritibus animalibus ac per consequens in facultate imaginandi fiunt modò explicuimus. Externas ostendimus esse cibos quibus utimur, & aërem quem spiramus, internam verò consistere in involuntaria quadam certorum nervorum agitatione. Nullas alias hujuscemodi mutationum causas generales cognoscimus, & etiam alias dari planè negamus. Cùm itaque facultas imaginandi in corpore ab iis duobus duntaxat pendeat, scilicet, à spiritibus animalibus, & à dispositione cerebri in quod agunt; ut perfecta tradatur imaginationis cognitio, jam nil restat nisi ut varias mutationes quæ in substantia cerebri fieri possunt, exponamus.

Verùm priusquam eas examinemus, memoriæ & habituum, hoc est facultatis illius quâ jam cogitata denuò cogitamus, & anteacta iterum possumus agere, ideam quandam tradere operæ pretium est; ordine sic postulante.

I. *De memoria.* Ut memoriæ natura explicetur, id quod jam sæpiùs dictum est revocatum velim, scilicet, varias nostras perceptiones, mutationibus quæ fiunt in fibris præcipuæ cerebri partis in qua potissimum sedet mens, alligatas esse.

Hoc solùm posito, memoriæ natura explicatur. Quemadmodum enim rami arboris cujuslibet, si certo quodam modo complicati aliquandiu remanserint, eodem modo facilè possunt postmodum complicari, sic fibræ cerebri ubi semel quasdam impressiones, spirituum animalium concursu

concursu & objectorum actione acceperunt, ad easdem dispositiones recipiendas aptitudinem diù satis conservant. Jam autem memoria in hac sola facilitate consistit, quandoquidem de rebus iisdem cogitamus, cùm easdem impressiones recipit cerebrum.

Cùm spiritus animales modò vehementiùs modò leviùs agant in substantiam cerebri, cúmque objecta sensibilia fortius multò agant, quàm sola imaginatio; hinc facilè comperias, cur rerum omnium non sit æqualis recordatio. Cur exempli gratiâ, quod multoties percepisti, vividiùs sese menti tuæ objiciat, quàm quod semel aut bis tantùm. Cur eorum quæ vidisti recordatio sit distinctior, quàm eorum quæ duntaxat imaginatus es; cur ideò, distributio c. 9. venarum in jecinore certius & clarius tibi innotescat, postquam illam semel vidisti in dissectione istius partis, quàm postquam illam multoties legisti in tractatu quodam anatomico, & sic de cæteris.

Qui ad ea, quæ de imaginatione, & de memoria dicta sunt attendet, falsúmque illud, quo cerebrum nostrum satis magnum non judicamus ut possit vestigia & impressiones maximâ cum copia conservare, abdicabit præjudicium, is certè stupendorum memoriæ effectuum, de quibus Augustinus decimo Confessionum libro mirabundus loquitur, causam maxima cum voluptate deprehendet. Ab iis fusiùs explicandis ex professo supersedeo, id enim unumquemque sibimet ipsi aliquo ingenij conamine explicare satius existimo. Quæ enim per nos didicimus longè majorem creant voluptatem, quam quæ ab aliis accepimus.

Ut ad habituum explicationem deveniamus, quomodo mentem partes corporis cui conjuncta est movere concipiamus, hic aperire operæ pretium est. Res autem sic à nobis concipitur. Verosimillimum est, quibusdam cerebri locis, ubi ubi sint, semper inesse non parvam spirituum animalium copiam, qui spiritûs, cordis unde exiverunt calore concitatissimi, ad id semper sunt parati, ut quâ datâ porta ruant, omnes nervi in receptaculum illorum spirituum coeunt, mens autem pollet * facultate ipsorum motum determinandi, ipsósque (spiritus) per nervos illos in musculos corporis deducendi. Postquam spiritus illi musculos subiverunt, tum illos inflant, ac proinde contrahunt, atque hoc pacto movent partes quibus musculi adhærent.

II. *De habitibus.*

* Alibi explano qua in re consistat hæc facultas.

Mentem eo quem diximus modo, corpus movere quilibet facilè sibi persuadebit, si ad id attendat; nempe; cùm quis aliquandiu jejunus mansit, certè quoquo velit movere corpus modo, in cassum enitetur, immò vix pedibus stare pòterit. At verò si liquorem aliquem maximè spirituosum ut vinum aut aliquid simile possit cordi instillare, protinùs corpus promptiùs obedire sentiet, ac quolibet modo movebitur. Ex hoc enim experimento quis non videt, mentem corpori suo deficientibus spiritibus motum indere non potuisse, at verò spiritibus suppetentibus imperium in corpus denuò recuperasse?

Jam autem musculos inflari in agitationibus brachiorum, cæterarumque corporis partium adeò evidenter patet, tamque verisimile est

M

musculos illos non posse inflari, nisi quia corpus aliquod in illos se insinuat; quemadmodum follis non potest intumescere, nisi aër seu aliud quoddam corpus illum subeat; hæc, inquam, ita clara sunt ut extra omnem dubij aleam positum videatur, quod scilicet spiritus animales è cerebro per nervos in musculos usque pelluntur, ut nempe musculi iis spiritibus inflentur, & quovis moveri possint modo. Cùm enim musculus plenus est, necessariò brevior est quàm cùm vacuus erat, unde fit ut trahat moveatque partem illam cui adhæret; porrò id videbis fusiùs in libris quos de *Passionibus* seu *affectibus*, & de *homine* Cartesius in lucem edidit. Hanc tamen explicationem omnibus suis numeris demonstratam & perfectam non habemus, nec eam ut talem prodimus. Multa desiderantur quæ vix assequi possumus, sine quibus tamen explicatio illa non potest evadere perfecta. Sed hæc nihil ad rem nostram faciunt; ista enim quam tradidimus explicatio sit vera necne, perinde tamen inservit explanandæ habituum naturæ; si enim mens hoc modo non movet corpus, illud saltem necessariò movet motu quodam huic quem explicuimus satis simili, ut consequentias quas elicuimus possimus legitimè elicere.

Sed ut explicationi nostræ insistamus observandum est, spiritus animales, vias per quas ipsis transeundum est, satis liberas apertásque non semper invenire; unde fit ut exempli gratiâ, ægrè moveamus digitos eâ celeritate quæ ad pulsanda instrumenta requiritur, aut musculos pronunciationi inservientes, cùm voces linguæ peregrinæ pronuntiare volumus; sed paulatim spiritus animales fluxu continuo aperiunt & planas faciunt vias illas, adeò ut temporis successu nullam patiantur vim aut difficultatem. In hac autem promptitudine quâ spiritus animales per membra corporis transeunt, consistunt habitus.

Ex hac explicatione innumeræ quæstiones quæ circà habitus solent agitari perquam facillimè solvi possunt. Cur, exempli gratiâ, infantes novos habitus acquirant faciliùs quàm homines ætate provectiores? Cur veteres habitus spoliare sit difficillimum. Cur homines loquendo tantam loquendi facilitatem comparaverint, ut incredibili celeritate voces enuncient, immò sæpissimè lingua præcurrat mentem, ut sæpiùs contingit in iis qui recitant orationes quas à puero didicerunt, ut unum tamen enuncietur verbum, certo quodam tempore, certóque ordine, multi musculi eodem tempore movendi sunt, ut musculi linguæ, musculi labiorum, musculi gutturis & diaphragmatis. Sed circa hasce quæstiones multásque alias curiosas nec inutiles nemo est qui sibi non satisfaciat si tantillùm meditetur; his itaque supersedeo.

Ex suprà dictis videre est magnam esse analogiam inter memoriam & habitus, memoriámque aliquo sensu haberi posse pro habitu. Quemadmodum enim habitus corporei consistunt in promptitudine quâ spiritus animales per quædam corporis loca transire assueverunt; sic

ſic memoria conſiſtit in veſtigiis quæ iidem ſpiritus inſculpſerunt cerebro, quæ veſtigia efficiunt ut poſſimus rerum anteactarum recordari, adeò ut ſi nullæ perceptiones curſui ſpirituum animalium illiſque veſtigiis alligarentur; nullum foret diſcrimen inter memoriam & habitus. Nec difficiliùs concipi poteſt; quo pacto belluæ mente deſtitutæ ac proinde nullius perceptionis capaces, ſuo belluino modo, rerum quæ cerebro ipſarum impreſſæ fuerunt recordentur; quàm concipitur quo pacto varios habitus comparare poſſint; Et ſi quis ad ea quæ diximus attendat, non eſt quod magis ſtupeat, quòd membra corporis belluarum paulatim varios comparent habitus, quàm quòd machina recens fabricata æquè facilè non moveatur, quàm cùm jam eâ ſæpiùs uſus es.

CAPUT VI.

I. Fibras cerebri non mutari æquè celeriter ac ſpiritus. II. Tres mutationes in tribus hominis ætatibus.

Singulæ corporum viventium partes, ſolidæ æquè ac fluidæ, caro non ſecùs ac ſanguis perpetuò agitantur motu. Cum hoc tamen diſcrimine, quòd motus partium ſanguinis ſit viſibilis & ſenſibilis, motus verò fibrarum carnis ſit omninò imperceptus. Spiritus igitur à ſubſtantia cerebri in eo differunt, quod ſpiritus animales ſint agitatiſſimi & maximè fluidi, ſubſtantia verò cerebri aliquam habeat ſoliditatem ſtabilitatemque; adeò ut ſpiritus in particulas tenuiſſimas diviſi paucis horis diſſipentur, tranſpirando per poros vaſorum quibus continentur; iiſque ſæpiùs ſuccedant ſpiritus alij à prioribus penitùs diſſimiles: fibræ verò cerebri æquè facilè non diſſipantur, in ipſis rarò contingunt mutationes alicujus momenti; ipſorùmque ſubſtantia nonniſi multis elapſis annis poteſt immutari.

Differentiæ memorabiliores quæ in ejuſdem hominis cerebro per totam vitam deprehendantur, ſunt in infantia, in ætate virili, & in ſenectute.

Fibræ cerebri per infantiam ſunt molles, flexiles & delicatæ, ætate provectâ fiunt ſicciores, duriores, firmiores: ſed per ſenectutem ſunt penitùs inflexiles, craſſæ & nonnunquam humoribus ſuperfluis intermixtæ, quos debilis hujus ætatis calor non poteſt diſſipare ampliùs. Quemadmodum enim fibræ quibus conſtat caro, paulatim indureſcunt, & ſicut caro pulli perdicis tenerior eſt carne ipſius perdicis annoſæ; ita fibræ cerebri infantis aut adulti longè molliores & delicatiores eſſe debent fibris hominum ætate provectiorum.

Harum mutationum cauſa facilè tibi innoteſcet, ſi attendas fibras illas perpetuò agitari à ſpiritibus animalibus, qui circa illas multi-

fariam circumfluunt. Quemadmodum enim venti terram cui afflant, exsiccant, sic spiritus animales agitatione perpetuâ plerasque cerebri fibras paulatim exsiccant, comprimunt & consolidant, adeò ut fibræ hominum ætate provectiorum difficiliùs inflectantur fibris juniorum. Quod verò ad coætaneos spectat, vinolenti qui per multos annos vinum aut aliam potionem immoderatè potarunt, fibras habere debent solidiores & minus flexiles, quàm illi qui ejusmodi potibus per totam vitam abstinuerunt.

Variæ autem cerebri constitutiones in infantibus, in viris, & in senibus causæ sunt valdè efficaces hujusce differentiæ quæ deprehenditur in facultate imaginandi hominum qui in hisce tribus quas memoravimus ætatibus versantur.

CAPUT VII.

I. De communicatione quæ est inter cerebrum matris & cerebrum infantis ipsius. II. De communicatione quæ est inter cerebrum nostrum & cæteras corporis partes quâ ad imitationem misericordiamque movemur. III. Explicatio generationis monstrorum, & propagationis specierum. IV. Quædam inordinationes mentis & inclinationum voluntatis explicantur. V. De concupiscentia & peccato originali. VI. Objectiones cum responsionibus.

NOs cum omnibus creaturis aliquo vinculo cohærere, atque cum iis omnibus quibus circumcingimur aliquâ convenire analogiâ, clarum satis mihi videtur. Porrò ex illa ipsa analogia, non parum percipimus utilitatis ad vitæ nostræ conservationem commoditatémque. Cum Gallia longè arctiùs conjungimur quàm cum gente Sinarum, cum sole quàm cum stella aliqua remotiore cum ædibus nostris quàm cum alienis. Quæ propiora nobis sunt nos propiùs attingunt. Vinculis quibusdam imperceptis hominibus strictiùs quàm belluis, cognatis & amicis quàm peregrinis, iis à quibus vitæ nostræ conservatio pendet, quam iis à quibus nil metuimus speramusve, adhærescimus.

Porrò quod in illâ, quæ inter nos cæterósque homines deprehenditur, naturali unione, potissimùm observatu dignum est in eo consistit quòd hæc unio eò arctior sit quo iis hominibus indigemus magis, Cognati & amici mutuo conjunguntur vinculo, Ipsorum dolores, calamitates, voluptates, gaudia inter utrosque communia dicas. Quæcunque enim sentiunt patiunturve amici nostri nos pariter sentimus, patimurve, ipsorum habitu externo scilicet commoti. Quia tamen sine

ſine iis vivere poſſumus, unione illâ mutuâ & naturali quæ eſt inter nos & ipſos, aliqua arctior adhuc datur.

Infantes in utero materno, quorum corpus nondum omnino formatum eſt, tantâ ſunt debilitate tantâque egeſtate per ſe, ut unione omnium arctiſſimâ cum matribus conjungi debeant. Et licèt ipſorum mens à mente matris ſit ſeparata, cùm tamen ipſorum corpus ab ipſius matris corpore non ſejungatur, utrumque iiſdem prorsùs ſenſationibus iiſdémque paſſionibus affici exiſtimandum eſt; uno verbo eædem cogitationes quæ in mente matris occaſione motuum corporis excitantur, in ipſis excitari debent.

I. *De communicatione quæ eſt inter cerebrum matris & cerebrum infantis ipſius.*

Quicquid mater videt, audit, ſentit, patitur, illud pariter videt, audit, ſentit & patitur infans. Cùm enim oris ſpecies totuſque corporis habitus hominis motu aliquo violento perciti adſtantes pervadat penetrétque, & eos in ſimilem animi motum veluti transformet, quamvis homo ille cum adſtantibus non ſtrictè uniatur; Cùm hæc, inquam, ita ſint, quis meritò non credat matrem infanti eaſdem quibus afficitur ſenſationes imprimere poſſe; eoſdémque affectus in eo excitare. Corpus enim infantis unum eſt corpus cum corpore matris: ſanguis ſpiritûsque utrique ſunt communes. Jam autem ſenſationes & affectus à motibus ſanguinis & ſpirituum pendent ordine naturæ, iſtique motus è matre ad infantem neceſſariò tranſeunt. Ergo omnes affectus, omnes ſenſationes & in genere omnes perceptiones quæ corporis occaſione fiunt, matri & infanti communes ſunt.

Hæc quæ mihi quidem multis de cauſis videntur omni exceptione majora, tamen non propono niſi tanquam hypotheſin quandam, quæ meo quidem judicio infra demonſtrabitur. Omnis enim hypotheſis quæ difficultates quaſlibet ſolvere poteſt, ut principium quoddam infractum haberi debet.

II. *De communicatione quæ eſt inter cerebrum noſtrum & cæteras corporis noſtri partes quæ nos ad imitationem & compaſſionem fert.*

Vincula inviſibilia quibus Autor Naturæ ſua inter ſe connectit opera ipſius ſanè ſapientiâ hominumque admiratione digna ſunt. Hæc nobis ſimul documento & admirationi eſſe debent, ſed de iis ne per ſomnium quidem cogitamus cæcorum adinſtar ducem ſequimur, nec eum videmus, rationémque quâ nos ducat ignoramus. Natura æquè ac ipſius Autor nos latent motus qui in nobis excitantur equidem ſentimus, ſed ad cauſas motrices non attendimus. Nulla tamen eſt cognitio quæ nobis expediat magis. Ex hac enim eorum omnium quæ ad hominem pertinent, pendet explicatio.

In cerebro noſtro haud dubiè quædam eſt diſpoſitio atque compages, quæ nos ad imitationem naturali quodam fert motu; id enim ſocietati civili neceſſe eſt. Non modò libe ri parentibus, diſcipuli magiſtris, inferiores ſuperioribus credere & morem gerere debent; ſed prætereà omnes homines ad id naturâ ſuâ comparati eſſe debent ut iiſdem ſeſe accommodent agendi rationibus, iiſdémque etiam actionibus, quibus uti ſolent homines quibuſcum degunt. Ut enim homines uniri poſſint, ſimiles eſſe debent & quoad corpus & quoad inge-

mum: Atque istud principium est innumerarum rerum de quibus infrà: Cæterùm ad ea quæ hoc capite dicturi sumus, istud adhuc monitum velim, nempe in cerebro esse dispositiones quasdam naturales quæ nos ad misericordiam æquè ac ad imitationem ferunt.

Sciendum est igitur non modó spiritus animales in eas corporis partes sponte ferri, quibus eadem agamus, iisdémque moveamur motibus, quæ cæteri homines nobis adspicientibus agunt, quibúsque moventur: sed in eas etiam feruntur partes spiritûs quibus ad misericordiam miseriarúmque alienorum sensuum excitemur. Quum enim, ut id experientiâ constat, in hominem quempiam ictu violento percussum aut graviter saucium oculos attentos defigimus, tum spiritus in partes corporis nostri quæ partibus illius hominis læsi respondent, magno nisu contendunt, nisi cursus spirituum, aliâ aliquâ parte satis vehementer & de industriâ titillatâ, aliorsùm deflectitur, aut nisi fluxus naturalis ad cor & viscera, qui in motibus subitaneis contingere solet, secum trahat aut immutet fluxum illum de quo loquimur, aut nisi denique idem efficiat conjunctio aliqua insolita vestigiorum cerebri cum motibus spirituum.

Illam spirituum in partes corporis nostri, quæ respòndent partibus quas in aliis vulnerari cernimur, translationem, in hominibus delicatis, quorum imaginatio viva est, carnésque teneræ & molles, experiri facile est. Fremitum enim & motitationem quandam in cruribus sentiunt, si in hac alicujus hominis parte ulcus videant, aut eundem hominem ictu percuti in illa parte conspiciunt. Rem confirmabit, quod amicus quidam ad me nuper rescripsit. *Sene quodam*, inquit ille, *qui apud sororem meam degebat ægrotante, factum est ut ancilla candelam admoveret, dum ipsi (ægro) venæ pedis inciderentur. simul ac illa scalpellum vidit infixum, tantus pavor ipsius invasit artûs, ut per triduum aut quatriduum, in eodem pedis loco quem viderat incidi, senserit dolorem adeò acerbum, ut per illud tempus in lecto decumbere coacta fuerit.* Atque hujusce rei causa hæc est spiritus scilicet in illas corporis partes sese violenter diffundunt; quo pacto partes illæ intentiores factæ vehementiorem in mente excitant sensationem, ut sibi ab incommodis quæ aliis inferri videt, præcaveat.

Isti motus quibus partes corporis nostri afficiuntur, motuum qui in aliis excitantur occasione, quósque *compassionem* dicturi sumus, in mente commiserationem aut si vis *compassionem* efficiunt. Eâ *compassione* ad aliorum dolores leniendos adducimur, quia hoc etiam pacto nostros lenimus. Quid plura? nostram compescit malignitatem crudelitatémque horror quem sanguis creat, & mortis formido, uno verbo, impressio illa quam efficit compassio ab interficiendis belluis illos etiam plerunque deterret, apud quos bruta nil aliud esse præter machinas quasdam certissimè constat; plerique homines belluas illas non possunt trucidare, quin repercussu quodam compassione facto ipsi lædantur.

Porrò

Porrò hic sedulò observandum est, visum sensibilem vulneris quo quispiam affectus est, in adspectantibus vulnus aliud eò graviùs efficere, quo debiliores sunt & delicatiores, visus enim ille sensibilis spiritus animales in eas corporis partes quæ respondent partibus læsis in alio, magnâ velocitate concitans, spiritus illi in fibras corporis teneri majorem efficiunt impressionem quàm in fibras corporis robusti.

Homines itaque robusti atque vegeti cædis alicujus conspectu non læduntur: & ad commiserationem non ideò moventur, quòd visus ille corpus ipsorum infestet, sed quòd ipsorum rationem offendat. Reorum istos non miseret, exorari aut flecti nequeunt. Fœminæ verò & infantes vulnera aliis inflicta ægrè admodum & anxiè ferunt, magnâ miserorum commiseratione moventur motu quodam mechanico. Nec possunt audire belluam vociferantem sine sollicitudine.

Infantes verò qui adhuc sunt in utero matris cùm fibras habeant longè molliores quàm sunt fibræ fœminarum & infantium recens natorum, cursus spirituum in iis mutationes longè majores efficere debet ut infrà patebit.

Quicquid suprà dixi habeatur etiam ut suppositio quædam, per me licet. Sed istam hypothesim optimè intellectam velim, ut ea quæ hoc capite sum expositurus distinctè etiam possint intelligi. Hæ duæ hypotheses à me suprà positæ principia sunt multorum quæ vulgò difficillima & abstrusissima habentur, quæque reverâ hisce suppositionibus non admissis explanari nequaquam possent; en tibi exempla.

III. *Explicatio generationis monstrorum, & propagationis speciei.*

Septem aut octo abhinc annis, Parisiis in Nosocomio dicto *les Incurables*, juvenis erat ab ortu mente captus, omnibúsque fractus membris, quibus frangi solent rei. Per viginti penè annos in eo statu vixit. Non pauci illum viderunt, & ipsa defuncta Regina Regis nostri mater istud nosodochium invisens, illum juvenem videndi, ipsiúsque brachia & crura ubi erant confracta contrectandi curiositate ducta est.

Juxta principia jam posita hujusce infortunij hæc fuit causa, nempe cùm ipsius mater reum quempiam mox crurifragio plectendum accepisset istius supplicij testis oculata esse voluit. Singuli ictûs quibus exceptus est miser ille, imaginationem istius matris & repercussu quodam cerebrum tenerum delicatúmque ipsius infantis, vehementer * affecerunt. Fibræ cerebri istius fœminæ oppidò fuerunt commotæ, quin & forsan fractæ in quibusdam locis cursu violento spirituum ad rei adeò terribilis conspectum agitatorum, satis tamen in istis fibris soliditatis fuit ut ipsarum ordo & compages penitùs non destrueretur cùm vice versâ fibræ cerebri infantis non possent resistere rapido cursui spirituum, penitùs detritæ fuerunt, tantúmque fuit illud detrimentum ut eo ejus ingenium per totam vitam fuerit labefactatum, hanc ob causam natus est insipiens. Jam cur iisdem corporis partibus quibus reus, quem mater ultima patientem conspexerat, confractus esset, videndum est.

* *Juxta priorem hypothesin.*

Ad

Ad conspectum supplicij, fœminæ adeò horrendi, spiritus animales è cerebro in cæteras corporis partes partibus in quibus reus plectebatur respondentes rapidè confluxerunt,* nec res secùs contigit in infante. Quia verò ossa matris horum spirituum impetui resistere valebant, illæsa remanserunt; nullum fortè etiam dolorem, nullúmque horrorem sensit in brachiis & cruribus dum per illas partes rumperetur reus. At verò cursus ille rapidus spirituum partes ossium infantis molles & teneras disrumpere valuit. Ossa enim inter corporis partes ultima conformantur, & in infante dum est in utero matris, soliditatis stabilitatisque oppidò parum habent. Porrò illud observandum est, quòd nempe, si mater spirituum illorum cursum violentâ titillatione aliorsùm deflexisset, ipsius infans cum ossibus fractis non prodiisset; sed pars illa, parti versùs quam mater cursum spirituum deflexerat, correspondens, graviter læsa fuisset, ut jam suprà monui.

* Iuxta alteram suppositionem.

Istius sinistri casûs explicatio quam tradidimus; inservire etiam potest explicationi plurimorum hujusce generis; cur exempli gratiâ, cùm mulieres gravidæ homines in quorum facie aliquis apparet nævus adspicientes, eosdem nævos infantibus insculpant, & in iisdem corporis partibus. Nec proinde immeritò monentur, sese in aliqua corporis parte occultâ confricare, cùm aliquid insolentis percipiunt vel motu aliquo violento rapiuntur: hinc enim fieri potest ut nævi seu quodlibet aliud partibus illis occultis imprimantur facie illibatâ.

Exempla similia exemplo mox allato sæpissimè nobis suppeterent, si infantes tantis acceptis vulneribus diù superstites remanere possent, sed plerunque nil sunt præter abortivos partus. Plerique enim infantes in utero matris quamquam benè valentis morientes non aliam ob causam moriantur quàm ob terrorem aliquem, flagrantem cupiditatem, aut alium quemlibet motum violentum matris. Ecce aliud exemplum satis speciale.

Ante unum annum dum Divi Pij relatio inter Sanctos seu mavis *Canonisatio* festo solenni celebraretur, mulier quædam prægnans istius Sancti imagine attentè nimis considerata, infantem huic imagini prorsùs similem enixa est. Os senis, quantùm quidem in infante imberbi fieri potest, gerebat. Ipsius brachia super pectus decussabantur, lumina ad cœlum tollebat, erat fronte angustissimâ, quia nempe istius imaginis versus Ecclesiæ fornicem erectæ, cœlúmque adspicientis frons vix apparebat; mitram quandam habebat humeris inversam vestigiis sphæricis distinctam, locis in quibus mitræ gemmis solent obduci. Uno verbo infans ille imaginem, juxta quam mater imaginationis suæ vi ipsum formaverat, admodùm referebat. Nemo est cui Parisiis id videre non licuerit æquè ac mihi, cùm infans ille in spiritu vini diù satis fuerit conservatus.

Cæterùm istud speciale est in hoc exemplo, quòd non hominis vivi motûque aliquo commoti, sed imaginis duntaxat conspectus, id prodigij potuerit efficere; at sanè ille conspectus non fuit sine summa spirituum

rituum agitatione sensationibus vividissimis, sive ex matris ad id quod videbat applicatione, sive ex commotione quam in illâ festi tumultus excitabat, natis.

Matre igitur in illam imaginem totâ defixâ, spiritibúsque ipsius vehementer agitatis, infans, juxta priorem suppositionem, eandem imaginem cum applicatione & spirituum agitatione æquè ac mater videbat. Mater istâ imagine vividè percita, ad ipsius habitum saltem externum sese componebat, juxta posteriorem suppositionem; cùm enim ipsius corpus omninò formatum esset, fibræque carnis satis duræ ut spirituum cursui resistere possent, in omnibus imagini similem se præbere nequibat. Cùm verò fibræ carnis infantis essent admodùm molles, ac ideò ad quoslibet suscipiendos sitûs aptæ, fluxus spirituum rapidus, ea omnia in ipsius carne effecit, quæ ad id necessaria erant ut imagini omnino similis evaderet, atque imitationem cui infantes magis sunt idonei quantùm fieri poterat attigit. Sed figura quam ex illa imitatione corpus infantis contraxit ipsius mortis fuit causa.

Quid vis imaginationis matrum efficere possit multis aliis exemplis ex Autoribus petitis possemus demonstrare. Quos enim quandoque non edunt abortivos? Non modò infantes informes, sed etiam fructus quos gustare cupiverunt, poma, pyra, uvas, aliáque similia enituntur. Dum matres, exempli gratiâ, pyra imaginantur, ipsorúmque comedendorum desiderio flagrant, infantes ea pariter imaginantur, eorúmque pari flagrant desiderio, jam autem cursus spirituum fructus exoptati imagine excitatus, sese que diffundens per corpusculum ad figuram mutandam aptissimum, qua est mollitie efficit, miseri infantes in ea transformentur quæ cupiverunt avidiùs. Matres verò ex eo nil accipiunt detrimenti, ipsarum, scilicet, corpus non est satis molle, ut possit suscipere figuram eorum quæ imaginantur. Ea itaque imitari, ipsísque similes fieri nequeunt.

Nec putandum est mutuam illam convenientiam, liceat mihi dicere *correspondentiam* quam exposui quæque tot infortuniorum causa est, esse aut inutilem aut contra ordinem naturæ institutam, vice versâ propagationi corporis humani formationique fœtûs videtur perquam utilis, quin omninò necessaria est ad transmissionem quarundam cerebri dispositionum quæ pro temporibus & locis variæ esse debent, agnorum enim cerebrum in quibusdam regionibus ita comparatum esse debet ut fugiant lupos, quia, scilicet, in illis locis multi ipsísque valdè formidabiles extant.

Illa quidem communicatio cerebri matris cum cerebro infantis funestis casibus est interdùm comitata, cùm matres motu aliquo violento sese abripi sinunt. Attamen sine illa communicatione mulieres & animalia fœtûs ejusdem speciei edere non possent.

Quamquam enim ratio formationis *fœtus* in genere possit explicari, ut id non frustrà tentavit Cartesius, sine tamen illâ communicatione cerebri matris cum cerebro infantis, vix potest explicari cur, exempli

gratiâ, equa non gignat bovem, aut gallina ovum perdicis, aut alicujus aliûs avis. Qui super formatione sunt meditati à meâ, ni fallor, sententiâ non abludent.

Qui equidem rectiùs, & ex experientia circa hanc difficillimam de formatione fœtûs quæstionem ratiocinantur, dicunt infantes jam formatos esse ante actionem illam quâ concipiuntur, matrésque nil ipsis dare præter incrementum per tempus graviditatis. Illa tamen communicatio spirituum animalium & cerebri matris, cum spiritibus & cerebro infantis valdè conferre videtur ad determinandum illud incrementum, atque ad dirigendas partes illas quæ ipsius nutritioni inserviunt, ita ut inter se combinentur in ipsius corpore eodem propè modo ac in corpore matris, uno verbo ad efficiendum ut infans sit similis matri aut saltem ejusdem speciei: idque non obscurè liquet ex iis quæ contingunt, cùm matris imaginatio est inordinata, & cùm motus aliquis violentus naturalem ipsius cerebri dispositionem mutat; tum enim, ut mox explicuimus, hæc communicatio conformationem corporis infantis mutat, matrésque nonnunquam fœtus abortivos edunt eò similiores fructibus quos cupiverunt, quo spiritus faciliùs per fibras corporis infantis transeunt.

Non negamus tamen Deum, sine hac communicatione, quæcunque ad propagationem speciei necessaria sunt adeò accuratè & exactè in sæcula infinita disponere potuisse, ut matres nunquam abortivissent immò etiam liberos ejusdem magnitudinis ejusdémque coloris, ac per omnia similes semper suscepissent. Nostrum enim non est Divinam potentiam imbecilli imaginatione dimetiri, quibus motus rationibus opus suum ita costruxerit, ignoramus.

Plantæ & arbores, alias arbores aliásque plantas sibi similes accuratè satis producunt, sine istius communicationis ope, volucres & multa alia animalia illa (*communicatione*) non indigent, ut animalia diversa foveant & excludant, cùm ovis diversæ speciei incubant, cùm, exempli gratiâ, gallina incubat ovis perdicis. Quis tamen fortè non immeritò posset existimare semina & ova, plantas & aves ex se eductas jam continere, ipsáque avium corpuscula jam conformata fuisse communicatione suprà memoratâ, plantásque suam etiam accepisse conformationem aliâ communicatione æquipollenti; sed id forsan nil aliud est præter meram conjecturam; deinde licèt id certo aliquo niteretur fundamento, ex iis quæ Deus fecit, quænam sint quæ jam facere possit, judicare usquequaque tutum non est.

Qui tamen animadvertet, plantas quæ matris actione incrementum accipiunt, ipsius similitudinem longè melius referre, quàm plantæ quæ ex semine nascuntur; tulipas, exempli gratiâ, quæ ex bulbis producuntur ejusdem esse coloris cum matre, cùm è contrà quæ è semine oriuntur ab ea ferè semper differant; qui, inquam, ad hæc attendet, eò certè adducetur ut credat, communicationem matris si absolutè necessaria non sit ut fructus sit ejusdem speciei cum ea, ad id saltem prorsùs

prorsùs necessariam esse, ut fructus matri sit omninò similis.

Quamvis itaque Deus præsenserit hanc communicationem cerebri matris cum cerebro infantis quandoque causam fore extinctionis multorum fœtuum, & generationis monstrorum, propter inordinationem imaginationis maternæ; illa tamen communicatio adeo admirabilis est adeoque necessaria tum ob causas suprà jam memoratas, tum ob plurimas alias quæ his possent accedere, ut incommoda illa Deum à consilio suo deterrere non debuerint. Aliquo sensu Deus monstra formare non habuit in animo, certè si Deus unicum crearet animal illud informe non crearet. At verò opus admirabile rationibus simplicissimis perficere, omnésque res conditas mutuis connectere vinculis apud se decernens, quosdam affectus ex rerum illarum concatenatione & natura necessariò sequuturos prævidit; consilium tamen idcircò non mutavit. Quamvis enim monstrum si illud solum consideres, sit opus quoddam imperfectum, si tamen cum cæteris commisceatur creaturis, mundum certè imperfectum non reddet.

Quid matris imaginatio valeat in corpus infantis fusè satis explicuimus; jam quid in ipsius mentem agere possit videamus; atque hoc pacto primos errores intellectûs & voluntatis hominum in sua origine detegamus. Istud enim potissimùm ad institutum nostrum pertinet.

IV. *Quidam errores mentis, inclinationesque voluntatis explicantur.*

Vestigia cerebri sensationes & ideas in mente excitare, commotionésque spirituum animalium nunquam fieri in corpore, quin protinùs motus ipsis respondentes in mente excitentur, pro certo constat; uno verbo, omnes passiones sensúsque, ut ita dicam, corporei, nunquam nisi veris sensationibus realibúsque mentis passionibus excitantur. Jam autem, juxta primam suppositionem nostram, matres vestigia cerebri sui, ac deinde motus spirituum animalium in infantes transferunt. Ergo & in infantium mente easdem sensationes easdémque quibus afficiuntur passiones, excitant; ac proinde ipsorum cor & rationem multifariam corrumpunt.

Si tot infantes gerunt in facie nævos aut vestigia ideæ quæ matrem feriit, quamvis fibræ cutis spirituum cursui longè fortiùs reluctentur, quàm partes molles cerebri, & quamvis spiritus sint multò agitatiores in cerebro quàm in cute; si, inquam, hæc ita sint quis inficietur, spiritus animales matris, agitatione suâ immoderatâ in cerebro infantium multa imprimere vestigia? Jam autem cùm vestigia profunda cerebri & commotiones spirituum ipsis correspondentes, diù & non rarò per totam vitam permaneant; hinc liquidò patet per paucos infantes nasci qui aliquâ in re non sint ingenio obliquo, quique alicui affectui non sint mancipati; quia scilicet perpaucæ sunt fœminæ quæ vitiis quibusdam aut infirmitatibus non laborent, quæque per graviditatis tempus motu aliquo violento percitæ non fuerint.

Isthæc experientiâ quotidianâ plus satis comprobantur; nec rarò videas domos totas in quibus infirmitas quædam imaginationis næ-

reditaria est. Verùm exempla specialia hic afferre necesse non judicamus. Immò satiùs erit si ad nonnullorum solamen asseramus, istas infirmitates parentum non esse naturales, hoc est humanæ naturæ essentiales, ac proinde vestigia cerebri quæ istarum infirmitatum sunt causa, posse deleri temporis successu.

Haud abs re tamen erit hic proferre exemplum Jacobi Regis Britanniæ, de quo Eques Dygbi in Libro suo de Pulvere Sympathico, mentionem habet. Hæc sunt quæ in hoc Libro asserit. Nonnulli Scotiæ Magnates, Mariæ Stuard, dum Jacobum Regem in utero gestaret, cubiculum ingressi ipsius Secretarium gente Italum, ipsâ rem videlicet conspiciente, confoderunt, quamvis Secretario obviam sese tulisset, ut cædem illam præverteret. In hoc autem conflictu vulnera leviora accepit Regina, terror inde secutus in ipsius imaginatione tam alta impressit vestigia, ut infanti quem utero gestabat communicarentur, adeò ut Rex Jacobus per totam vitam gladium strictum conspicere non ausus fuerit. Ipse Dygbi asserit rem fuisse expertum, cùm institutus fuit Eques. Quippe Rex gladium quo ejus humerum attingere debuisset, in faciem rectà divertit, & nisi quis de industria ipsius Regis manum deduxisset, Equitem sauciavisset. Tot ejusce rei extant exempla, ut ad authores confugere videatur inutile. Nec quemquam esse credo qui eat inficias. Multi enim sunt qui muris, soricis, felis, ranæ, ac præcipuè reptilium ut serpentum & colubrium visum ferre nequeunt; unde autem odij tam insolentis causa petenda est, nisi ex metu ad illorum animalium conspectum matribus per graviditatem injecto?

V. *Concupiscentia, & peccatum originale explicantur.*

Verùm, quod præcipuè observatum velim admodum verisimile est homines adhuc hodie in cerebro conservare vestigia & impressiones primorum Parentum. Quemadmodum enim animalia producunt animalia sibi similia, cum similibus in cerebro vestigiis, unde fit ut animalia ejusdem speciei, iisdem inter se afficiantur sympathiis & antipathiis easdémque in iisdem circunstantiis edant actiones; Ita primi nostri Parentes post peccatum tot tamque alta ex objectis sensibilibus acceperunt vestigia, ut ea posteris communicare facilè potuerint, adeò ut summa illa versùs res sensibiles propensio, quam ab utero matris contrahimus, ingénsque illa quâ sic affecti à Deo distamus intercapedo, ex suprà dictis non incommodè possit explicari.

Cùm enim juxta ordinem à natura præstitutum, cogitationes mentis, vestigiis cerebri debeant respondere, jam tum peccati labe inquinati non immeritò dicimur quum in utero materno sumus conformati, ex eo enim tempore voluptatibus sensuum summoperè adhærescimus. Iisdem affecti vestigiis ac parentes, easdem etiam cogitationes easdémque ad objecta sensibilia inclinationes nos habere par est.

Itaque cum concupiscentia & peccato originali nasci debemus, si concupiscentia nihil aliud sit præter actionem naturalem vestigiorum cerebri in mentem, ut rebus sensibilibus adhæreat, certè cum concupiscentia

piſcentia nos naſci oportet. Si peccatum originale nihil eſt præter regnum concupiſcentiæ, iſtoſque conatus menti & cordi infantis tyrannicè dominantes; certè naſcimur in peccato originali. Jam autem veriſimillimum eſt, regnum concupiſcentiæ aut ipſius victoriam illud eſſe, quod in infantibus peccatum originale, in hominibus verò liberis peccatum actuale dicitur.

Divus Paulus Rom. cap. 6. 5. 12. 14. &c.

VI. *Objectiones cum reſponſis.*

Ex principiis modò ſtatutis, unum experientiæ contrarium colligi poſſe videtur, nempe matrem infanti habitûs & inclinationes ſuis ſimiles, eandémque cum ipſa ad imaginandum & res jam cognitas ediſcendum facilitatem communicare debere. Hæc enim omnia, ut jam dictum eſt, pendent duntaxat à veſtigiis cerebri. Jam autem veſtigia cerebri materni ad infantes tranſire pro certo conſtat. Exemplis de hominibus allatis res jam comprobata exemplo animalium, quorum catuli cerebrum habent iiſdem quibus parentes veſtigiis refertum, confirmatur. Unde fit ut animalia ejuſdem ſpeciei, vocem eodem modo flectant, membra ſimiliter moveant, iiſdem denique ad prædam captandam ac ſeſe ab inſidiatoribus tutandos utantur artibus. Cùm igitur veſtigia matrum cerebro infantum inſculpantur & imprimantur, infantes cum iiſdem habitibus iiſdémque dotibus quibus præditæ ſunt matres, naſci deberent: quin & eos habitus illaſque dotes per totam vitam conſervare deberent; cùm habitus à teneris annis contracti diutiùs permaneant. Quod tamen experientiæ repugnat.

Ut huic objectioni ſatisfiat; ſciendum eſt, in cerebro duo eſſe veſtigiorum genera. Alia ſunt naturalia, ſeu naturæ humanæ propria; alia verò acquiſita. Naturalia veſtigia ſunt profundiſſima, nec poſſunt planè deleri, acquiſita verò, utpote minùs alta, facilè deperduntur; quamvis autem naturalia & acquiſita non differant inter ſe niſi ſecundùm magis & minùs, ac priora ſæpè poſterioribus ſint debiliora, cùm quotidie animalia rebus quæ veſtigiis illis naturalibus prorsùs contrariæ ſunt aſſueſiant (canis, exempli gratiâ, conſuetudine & diſciplinâ eò adducitur ut à pane aut perdice quam videt ſentitque abſtineat) Inter illa tamen veſtigia iſtud intercipitur diſcrimen, quod naturalia vinculis quibuſdam imperceptis cum cæteris corporis partibus colligentur. Omnia enim noſtræ machinæ organa operam mutuam inter ſe conferunt ut in ſtatu naturali permaneant. Singulæ corporis noſtri partes ſibi mutuò ſuppeditant omnia ad conſervationem ſive inſtaurationem veſtigiorum naturalium neceſſaria. Itaque penitùs deleri nequeunt, cúmque illa deleta putas, tunc reviviſcere incipiunt.

At verò veſtigia acquiſita, quamvis majora, profundiora & fortiora naturalibus, paulatim tamen deperduntur, niſi eorum conſervationi, perpetuâ ad cauſas quibus producta ſunt applicatione, conſulas, cæteræ enim partes corporis ipſorum conſervationi nil conferunt, quin potius ad ea abolenda ac penitùs deſtruenda perpetuò connituntur. Hæc veſtigia cum vulneribus quæ accipere ſolet corpus,

possunt comparari. Uulnera sunt quæ cerebrum accepit sed quæ sponte sua, ut vulnera corporis, mira machinæ constructione sanantur.

Cùm igitur in corpore nihil sit quod vestigiis naturalibus non respondeat, in infantes integra transmittuntur. Psittaci itaque, psittacos eadem voce eadem garrulitate præditos edunt. Quia verò vestigia acquisita in solo remanent cerebro, nec toti corpori respondent nisi parumper, cùm videlicet motibus illis quæ in affectibus violentis excitari solent impressa fuerunt, vestigia illa in infantes transmitti non debent. Sic psittacus qui Domino suo salutem dicit, psittacos non edet ita institutos ut possint idem facere, nec viri Docti suscipient liberos sibi similes.

Quamvis igitur quicquid in cerebro matris agitur, in cerebro infantis etiam agatur eodem tempore; materque nihil videre, sentire, imaginari possit, quin protinùs idem videat, sentiat, imaginetur infans; ac denique quamvis omnia falsa matrum vestigia corrumpant imaginationem infantium: nihilominùs cùm vestigia illa non sint naturalia, eo quem explicuimus sensu, mirum videri non debet, si ut plurimùm deleantur, statim atque infantes prodierunt in lucem. Tum enim causa quæ vestigia illa formabat fovebatque desinit. Naturalis corporis constitutio ad ipsorum destructionem tendit, & objecta sensibilia alia imprimunt vestigia profunda & plurima, quæ illa omnia penitùs delent, quæ in infantibus, dum erant in utero matris formata fuerant. Si enim quotidie contingit ut dolor acerbus dolorum quos anteà sumus perpessi sensum extinguat, quantò magis sensationes vividæ, quales sunt sensationes infantium, quum primùm objecta agunt in organa sensuum delicatula, delebunt vestigia pleráque, quæ ex objectis veluti quodam repercussu tantùm acceperunt, cùm adversus illorum impetum uteri materni clypeo defenderentur.

Ubi tamen vestigia ex vehementi quodam affectu, & cum violentissima sanguinis & spirituum agitatione matris efformata fuère, in cerebrum ac etiam in totum corpus infantis tantâ vi agunt, ut vestigia in eo imprimant æquè profunda & firma ac vestigia naturalia, ut patet ex exemplo Equitis Dygbi, ut & infantis illius qui natus est mente captus & fractus membris cujus in cerebro omnibúsque membris tantùm attulerat detrimenti imaginatio matris; ac denique exemplo generalis humanæ naturæ corruptionis.

Nec est quòd quis miretur filios Regis Britanniæ eâdem infirmitate quâ pater non laborasse. Primò enim ejusmodi vestigia toti corpori non imprimuntur ut vestigia naturalia. Secundò, mater cui non eadem erat infirmitas, illam firmâ constitutione suâ ab infantibus suis arcuit. Quippe, quod tertium erit, mater multò magis agit in cerebrum infantis quàm pater, ut patet ex suprà dictis.

Verùm observandum est, hæc argumenta quibus ostendimus, liberos Jacobi Regis Angliæ infirmitatis paternæ participes esse non debuisse,

buisse, non impedire tamen quominus peccatum originale, sive summa illa qua in res sensibiles ferimur propensio, ac prope infinita quàm à parentibus hausimus à Deo aversio possit explicari, quippe vestigia cerebro primorum Parentum ab objectis sensibilibus insculpta, fuêre profundissima; affectibus violentis comitata, & adaucta perpetuo rerum sensibilium & ad vitæ conservationem necessariarum usu, non modò in Adamo & Eva, sed etiam, quod notatu dignum est, in Sanctorum sanctissimis, in cunctis hominibus & fœminis ex quibus oriundi sumus, corroborata, adeò ut nihil in natura adversus hanc corruptionem reniti potuerit, tantùm igitur abest ut vestigia illa primorum Parentum paulatim deleantur, quin potius de die in diem augescere debeant; certè nisi Jesu-Christi gratia hunc torrentem perpetuò coerceret, quod olim cecinit Poëta Ethnicus suam nancisceretur veritatem:

Ætas Parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Nam, quod sedulò observatum velim, vestigia quæ in piissimis matribus pietatis sensum excitant, nullam infantibus quos utero gestant communicant pietatem; vestigia verò quæ ideas rerum sensibilium excitant, & ex quibus violenti nascuntur affectus, in infantibus sensum & amorem rerum sensibilium haud dubiè excitant.

Supponamus, exempli gratiâ, matrem quandam ad Dei amorem ferri motu spirituum qui vestigium imagine senis venerandi impressum comitatur, quia nempe illa ideam Dei imagini senis alligavit; id enim ut in capite de communi idearum vinculo videbitur, fieri potest, quamvis nulla sit inter Deum & imaginem senis analogia: hoc supposito, certè mater in cerebro infantis nihil aliud præter imaginem senis, & propensionem quandam versus senes, quod ab amore Dei quo afficitur longè differt, efficere poterit. Nulla sunt enim vestigia in cerebro quæ alias ideas ab ideis rerum sensibilium possint excitare; corpus enim instituendæ menti destinatum non fuit. Quod si quandoque illam compellet, id in suimet ipsius gratiam tantùm facit.

Mater itaque cujus cerebrum vestigiis plenum est quæ naturâ suâ ad res sensibiles referuntur, quæque propter concupiscentiam sibi inhærentem corporisque imperium, delere non potest; illa (*vestigia*) necessariò communicat infanti, ipsumque licet justa sit, peccatorem gignit. Mater illa justa est, quia Deum amore optionis complectens aut saltem complexa, nullum ob concupiscentiam quamvis ipsius motibus per somnum optemperet, subit reatum. At verò infans Deum amore optionis nunquam dilexit, ipsius cor versus Deum nullâ propensione inflexum est; unde manifestò liquet in isto inordinationis ac perturbationis statu, nil esse quod iram Dei movere non debeat.

At

At verò postquam baptismate fuerunt regeniti, & justificati, sive per cordis dispositionem, similem dispositioni quæ in justis etiam per noctis phantasmata remanet, sive forsan per actum quendam liberum amoris erga Deum quo sancti sunt, dum per aliquot momenta ab imperio corporis, virtute sacramenti liberati fuerunt. (Cùm enim Deus eos ut ab ipsis amaretur condiderit, in justitia ac in ordine à Deo præscripto censendi non sunt, nisi Deum ament aut amaverint, aut saltem nisi ipsorum cor eodem modo sit dispositum ac si ipsum actu amavissent.) Tunc inquam licet concupiscentiæ per infantiam morem gerant, ipsorum concupiscentia non ampliùs est peccatum, ipsos reos iræque obnoxios haud ampliùs efficit, eadem ratione justi sunt accepti Deo, quâ gratiam non amittunt, qui per somnum motûs concupiscentiæ sequuntur. Infantes enim sunt cerebro adeò molli & ab objectis debilioribus tam vividè tàmque vehementer afficiuntur, ut penès eos non sit ipsorum impressionibus resistere: Verùm rebus quæ non sunt instituti mei explicandis æquo diutiùs insisto. Sufficiat si ex suprà dictis possim colligere, hæc omnia falsa vestigia quæ matres cerebro infantium imprimunt, ipsorum mentem adulterare, & imaginationem labefactare; unde fit ut plerique homines res secùs quàm sunt imaginari soleant, rerum quas percipiunt falsas ideas sibi efformando.

CAPUT VIII.

I. Mutationes quæ in infantis ex utero matris exeuntis imaginatione, mutuo cum nutrice, genitrice, aliisque commercio, contingunt. II. Præcepta ad eos bene educandos utilia traduntur.

Capite præcedenti cerebrum infantis quatenùs est in utero materno consideravimus, jam quid ipsi, ut primùm in lucem prodiit, contingat, examinandum venit. Quum primùm tenebris emergens lumine potitur, aëris circumjacentis frigus ipsius artus extemplò invadit, mollibus mulieris ipsum suscipientis amplexibus delicatula ipsius membra læduntur. Cuncta objecta externa ipsi imbelli ac inermi, utpote inusitata & incognita terrorem incutiunt. Lacrymæ & vagitûs quos edit ipsius dolorum formidinùmque argumenta sunt certissima. Quid enim aliud sunt quàm preces in ipsius gratiam à natura fusæ, ut circunstantes adversùs dolores quos patitur quosque extimescit ipsum tueantur.

Sed ut anxietas in qua ipsius animus tunc temporis versatur clarè possit intelligi, recordandum est fibras ipsius cerebri esse mollissimas & delicatissimas, ac proinde objecta externa in eas altissimè imprimi. Si enim etiam minima imaginationem debilem possunt lædere, quantò magis

magis tantus objectorum inusitatorum numerus lædet & turbabit imaginationem infantis?

Verùm ut agitationes & dolores infantium nativitatis instanti, & vulnera quæ ipsorum imaginatio accipere debet, vividiùs imaginemur: In quem quæso non adduceremur terrorem, si gigantes nobis quinquies aut sexies proceriores ad nos incautos ipsorúmque consilij nescios accederent? aut si novam quandam animalium ab iis quæ videre solemus prorsùs dissimilium speciem, vel duntaxat si equum alatum, seu aliam quampiam Poëtarum chimæram è nubibus in terram delabentem cerneremur? quàm alta cerebro imprimerent vestigia portenta ejusceemodi, quótque cerebra hisce semel tantùm visis perturbarentur?

Quotidie videas viros quibus est cerebrum firmum nec novis suscipiendis impressionibus aptum, multo rerum usu exercitos; non imbelles, nec sui ita impotes ut nullius sint consilij, eventu tamen insperato & terribili rationis usu privari. Infantes à singulis objectis sensus ferientibus sibique non familiaribus patiuntur. Singula animalia, ipsis animalia novæ speciei sunt, quippe nihil eorum quæ jam vident, anteà viderant: omni virtute & experientiâ sunt destituti; Ipsorum cerebri fibræ sunt maximè delicatæ atque flexiles. Quî igitur ipsorum imaginatio tot variis objectis illæsa maneret.

Matres equidem objectorum impressionibus infantes jam parumper assuefecerunt; ea scilicet objecta fibris cerebri infantium dum in ipsarum utero essent imprimendo: unde fit ut iis quæ oculis maternis ut ita dicam, viderunt multò minùs offendantur cùm eadem suis usurpant oculis: Nec etiam diffiteor falsa vestigia & vulnera quæ ad tot terribilium objectorum conspectum accepit imaginatio infantis, paulatim comprimi ac sanari, ipsis enim ut potè non naturalibus, tota corporis constitutio contraria est; illáque, ut capite superiori monuimus, delet. Quod si non contingeret, omnes infantes nascerentur insipientes. Nihilominùs tamen nonnulla semper imprimuntur vestigia adeò fortia & alta, ut deleri per totam vitam nequeant.

Si ad ea quæ in semetipsis aguntur, & ad suas cogitationes seriò attenderent homines, quæ jam dicta sunt apud se haud dubiè experirentur. Inclinationes quasdam, & aversiones seu odia quædam occulta in se sentirent, quorúmque nulla alia potest afferri causa præter vestigia illa ab infantiâ insculpta. Cùm enim illarum inclinationum & aversionum causæ nobis unicè competant, certè naturâ humana non nituntur. Deinde, cùm illæ causæ nos fugiant, ipsas eo tempore in nos egisse oportet, quo circunstantiarum quæ nobis monumenti loco esse potuissent, memores esse nondum valebamus. Quodnam autem illud tempus est, nisi tempus infantiæ?

Cartesius in unâ ex suis epistolis scripsit se luscos singulari quodam amore complecti. Cujus rei causam anxiè disquirens, comperit tandem puellam quam infans diligebat, hoc laborasse vitio, amor neque

quo illam prosequebatur ad omnes ipsius similitudinem aliquâ in re referentes pervaserat.

Verùm levibus illis inclinationum nostrarum inordinationibus, in errorem raró conjicimur: Quod sæpiùs erremus, id inde est nempe quòd mens aliquâ in re semper læva sit; & stultitiæ cuidam penè omnes incautè dediti simus. Qui familiarium ingenium attentè examinabit, id nullâ difficultate comperiet. Et quamvis nosmetipsi stultitiæ alicujus specialis exemplar simus & ab aliis habeamur; alios tamen stultitiæ etiam alicujus iis specialis arguimus, eósque non aliter quàm secundùm magis & minùs differre censemus.

Jam autem variæ hominum indoles ex variis quas ex utero matris exeuntes accipiunt impressionibus, ut jam de inclinationibus specialibus & extraordinariis demonstratum est, haud dubiè nascuntur. Cùm enim istud stultitiæ genus ut plurimùm sit firmum & permanens, à mobili spirituum animalium constitutione pendere nequit. Unde concluditur id aliunde manare non posse, quàm ex falsis vestigiis fibris cerebri impressis, cùm memoria id nondùm recordari valeret, hoc est ab infantia. Hæc igitur est origo satis fecunda errorum humanorum, nempe perturbatio cerebri orta ex impressione objectorum externorum nativitatis instanti. Verùm hæc causa non tam citò quàm crederes desinit.

Mutuum & necessarium cum nutricibus aut etiam cum matribus, quæ ut plurimùm liberali carent educatione, colloquium, infantium ingenium jam alteratum penitùs turbat & corrumpit. Mulierculæ illæ ipsis nihil præter nugas fabulásque ridiculas aut terrificas obtrudunt. Ipsorum menti nihil præter sensibilia objiciunt, & verba sua ita disponunt eóque oris habitu eloquuntur, ut falsis sensuum judiciis confirmandis sint valdè idonea. Quid plura? Infirmitates suas, absurdas formidines, ridiculas superstitiones & cætera id genus matres infantium menti veluti semen quoddam inserunt. Quo pacto in veritate inquirenda aut delibanda nusquam exerciti; ad extremum veritatis discernendæ, rationisque in rebus cognoscendis adhibendæ incapaces fiunt. Hinc tandiu inhærens timiditas & pusillanimitas quædam. Non pauci enim sunt, qui quindecim aut viginti annos nati, nutricis ingenium nondum exuerunt.

Infantes equidem ad veritatem meditandam scientiásque abstractas sublimes comparandas non videntur maximè idonei. Cùm enim fibræ ipsorum cerebri sint tenerrimæ objectis debilioribus & tenuioribus quàm facillimè commoventur; ipsorum verò mens sensationes accipiens fibrarum agitationi necessariò congruas, à Metaphysicis & puræ intellectionis meditationibus ad sensationes suas tota deflectitur. Infantes itaque toties támque facilè per ideas sensuum confusas distracti, puras veritatis ideas attentè satis perpendere nequeunt.

Verùm primò infans septennis errores à sensibus ortos longè faciliùs exuit, quàm sexagenarius, cujus mentem præjudicia infantiæ per totam

totam vitam præpedivêre. Secundò ideis veritatis claris & distinctis suscipiendis infantem idoneum non esse, concedatur, saltem moneri potest, ipsius sensûs semper & ubique fallaces esse; si illum veritatem non doceas, certè ipsum in erroribus fovere nec non confirmare iniquum est; Infantes etiam teneriores, quamvis sensationibus jucundis & injucundis oppressi sint id tamen brevi & facilè ediscere solent, quod provectiores non nisi post longum tempus possent ediscere; ut, exempli gratiâ, ordinem & analogiam quæ est inter singulas voces, & res quas audiunt, vidéntque. Quamvis isthæc à solâ penè pendeant memoriâ, ipsos tamen ratione suâ uti, vel ex methodo quam ineunt dum linguam sibi vernaculam ediscunt, satis supérque patet.

Verum si facilitas, illa quâ fibræ cerebri infantium impressiones objectorum sensibilium vividas recipiunt, sit causa cur scientiis abstractis inepti judicantur, in promptu remedium est. Hæc enim mihi concedantur oportet; nempe, metus, desideria, spes, dolor, voluptas ab infantibus omninò, quantùm fieri potest amoverentur; certè statim atque voces audire & reddere possent, possent pariter difficillima quæque & abstrusissima, Mathematicas saltem sensibiles, Mechanicen & alia ejusmodi vitæ necessaria, doceri. Sed qui, quæso, mens ipsorum scientiis abstractis posset incumbere, dum desideriis & pavoribus perpetuò agitatur: Quod notatu adeò dignum est, ut nihil magis. II.
Preceptum ad bene educandos liberos utile.

Quemadmodùm enim vir ambitiosus, factâ mox facultatum aut honoris jacturâ, vel ad insperatam evectus dignitatem, quæstiones Metaphysicas, seu *æquationes* Algebraïcas solvere non posset, sed ea solum factitare quæ instans suaderet animi motus. Ita infantes in quorum cerebrum, pomum, vel tragemata non levius agunt, quàm dignitates in quadragenarium ad veritates abstractas & auscultandas pessimè sunt dispositi. Ita ut ad infantium progressum in scientiis nihil magis efficiat, quam præmia & pœnæ quibus perpetuò alliciuntur aut terrentur.

Nec id modò, mens infantium pœnarum formidine præmiorúmque spe indesinenter districta, à pietate deterretur. Pietas sensuum captum longè magis exuperat quàm scientia; illam multò sapit minùs natura hominis corrupta quàm hanc. A studio scientiarum non omninò abhorret ingenium humanum, à pietate prorsùs. Si igitur variis & vehementibus agitationibus à studio licet jucundo dimovemur; quantò minùs infantes voluptatibus sensibilibus quibus remunerantur, pœnisque quibus terrentur omninò addicti, satis sibi conservabunt libertatis, ut res ad pietatem pertinentes possint sapere.

Angustæ mentis capacitati pauca sufficiunt, ut impleatur; Jam autem mentem plenam, novæ cogitationes subire nequeunt, nisi eas prius excutiat, quæ totam ipsius capacitatem occupabant. At verò mentem rebus sensibilibus evacuare, hoc opus, hic labor est. Quod ut intelligatur, attendendum est, nos naturæ propensione versus bonum perpetuò ferri. Cùm autem voluptas sit κριτήριον, quo bonum à malo distinguimus, hinc necessariò fit ut voluptas nos ante omnia afficiat

& occupet. Cùm igitur rerum sensibilium, utpotè corpori humano conducibilium usus, in se voluptatem includat, hæc bona, sensibilia scilicet, mentis nostræ capacitatem occupare aliquatenus necessum est. Donec Deus iis nescio quem affundat amarorem, qui nobis illorum tædium & fastidium ingeneret; gratiâ suâ nimirum, suavitatis cœlestis, omnibus terrenis suavitatibus longè superioris, sensum in nobis excitando: *Dando menti cœlestem delectationem quâ omnis terrena delectatio superetur.* D.August.

Quoniam verò à malo non minùs abhorremus quàm bonum prosequimur, dolor autem est character malo impressus à natura; quicquid de voluptate dictum est, de dolore, vice versâ, intellectum velim.

Cùm igitur ea quæ in nobis voluptatem & dolorem excitant, totam impleant mentis capacitatem, nec ea abjicere, aut eorum sensum ex arbitrio fugere, penes nos sit. Hinc manifestò liquet infantes non secùs ac cæteros homines ad pietatis amorem induci non posse, nisi secundùm Evangelij præcepta, à rerum omnium sensibilium quæ aut vehementia desideria excitant, aut ingentes incutiunt terrores, privatione, initium fiat. Omnes affectus inordinati, gratiam delectationémque illam internam, quam Divini auxilij ope in officio nostro præstando percipimus, suffocant & extinguunt.

Infantes tenelli non secùs ac adulti pollent ratione, quamvis careant experientiâ; easdem etiam habent propensiones innatas, quamvis ad alia ferantur objecta. Assuescant rationem sequi ducem, si ratione præditi sunt. Ad officij sui præstationem, ipsorum inclinationes ritè temperando & moderando, sunt excitandi. Qui ipsos rerum sensibilium impressione, ad officium adigunt, ipsorum sanè rationem extinguunt rectioré́sque corrumpunt inclinationes. In officio quidem tùm stare videntur, sed videntur modò, reapse non stant. Virtus in intima ipsorum mente, nec in imo sedet pectore, illam vix norunt, multò minùs diligunt. Mens ipsorum desideriis, pavoribus, odio, & amore rerum sensibilium intricata, in libertatem sese asserere, & ratione uti nequit. Infantes itaque sic ab incunabulis abjectè & serviliter educati, nescio quam erga res quæ virum probum Christianúmque decent indifferentiam paulatim contrahunt, quam per totum vitæ curriculum tenaciter retinent; unde fit ut dummodo authoritate, aut arte suâ supplicia declinare possint, in omnes concupiscentias laxatis prorumpant habenis; quippe qui reverâ alia non cognoscant bona, quàm bona sensibilia.


Interdùm equidem infantes sensuum ope sunt instituendi, sed ubi tantùm ratio non sufficit. Primò ipsis ratione demonstrandum est quid sit ipsorum officij; si rationes illas quibus officio fungi tenentur non possunt capere, ad tempus relinquendi sunt; nam certè si ipsos vi externâ cogas ad ea facienda quæ non credunt sibi esse facienda, eos minimè instituens, menti competit institutio, non corpori. Quod si id

recusent

recusent facere, quod ipsis ratio evincit esse faciendum, illud est quod tolerari non debet, quin severitas tunc ritè potest adhiberi. Tunc qui filio suo parcit, illum magis odit quàm diligit, inquit sapiens. *Qui parcit virga, odit filium suum.* Prov. 13 24.

Si castigationes mentem non erudiunt, nec virtutis amorem imprimunt, corpus saltem aliquâ ratione instituunt ac informant, impediúntque quominus vitium degustetur, mentique proindè tyrannicè dominetur. Ceterùm observandum est, pœnas mentis capacitatem non implere, ut eam voluptates implere solent, statim atque dolor timórque ex iis ortus desiit, mens etiam ab ipsis cogitationem aliorsùm deflectit. Tunc enim imaginationem non sollicitant; affectus non movent, concupiscentiam non irritant; integram denique menti faciunt copiam quodlibet cogitandi. Iis itaque erga infantes uti possumus, ad eos in officio externè saltem continendos.

Verùm si quandoque pœnis sensibilibus infantes terrere aut etiam multare conducat; hinc non est concludendum ipsos prœmiis sensibilibus esse adducendos. Quæ sensus vehementer feriunt, tum demùm duntaxat sunt adhibenda, cùm id ineluctabilis postulat necessitas. At verò nulla incumbit necessitas eos afficiendi prœmiis sensibilibus, ipsisque ea præmia inducendi, quasi ipsorum operum essent finis. Hoc pacto enim meliores ipsorum actiones sinistrè detorquerentur, & ad sensualitatem, ut ita dicam, potiùs quàm ad virtutem ferrentur voluptatum semel delibatarum vestigia imaginationi alte inhærent; bonorum sensibilium ideas perpetuò excitant, importuna movent desideria quæ mentis tranquillitatem turbant; concupiscentiam denique ubique irritant, veluti fermentum quod cuncta corrumpit: Verùm hæc accuratè explicandi non est hîc locus.




PARS SECVNDA.

DE IMAGINATIONE.

CAPUT PRIMUM.

I. De imaginatione mulierum. II. De imaginatione virorum. III. De imaginatione senum.



IN Parte superiori causas Physicas inordinationum imaginationis generali quadam idea explicuimus. In hac parte has causas erroribus generalioribus imaginationis adaptare conabimur, & de illis etiam errorum causis quæ Morales dici possunt loquemur.

Ex iis quæ capite præcedenti dicta sunt clarè satis patuit, tenuitatem fibrarum cerebri annumerari inter præcipuas causas quæ nos ab attentione in veritatibus subobscuris requisita, avertunt.

I. *De imaginatione mulierum.* Hæc autem fibrarum mollities in mulieribus ut plurimùm occurrit; unde fit ut rerum sensibilium sint adeò peritæ. De ritu circa vestitum aut linguam recepto decidere, elegantes agendi rationes discernere mulierum est. Circa hæc viros scientiâ, solertiâ & sagacitate superant. Quicquid gustu discernitur, ad ipsas etiam pertinet, sed ut plurimùm veritatibus paulò difficilioribus detegendis ineptæ sunt. Quicquid abstractum est ipsas fugit. Ad solvendas quæstiones complexas & intricatas imaginationem frustrà adhiberent solam rerum superficiem intuentur, ipsarum verò penetralia debili & limitatâ imaginatione suâ non possunt introspicere, aut singulas partes inter se invicem non interruptè conferre. Res nihili ipsas agit diversas leviori strepitu terrentur, minimo motu detinentur, uno verbo rerum modus non verò realitas totam ipsarum mentis capacitatem implere potest. Cùm enim tenuiora objecta ingentes in delicatis cerebri fibris excitent motus; in mente protinùs etiam excitant sensationes ita vividas, ut iis tota occupetur. At

At verò si certò constet mollitiem fibrarum cerebri esse præcipuam causam horumce effectuum; illam in omnibus mulieribus reperiri non æquè certum est. Aut si reperiatur mollities illa spiritûs animales tantam interdùm habent cum fibris cerebri ipsarum proportionem; ut mulieres quædam ingenij solidioris quam homines reperiantur. Ingenij vis ac soliditas consistit in certo quodam temperamento crassitudinis,& agitationis spirituum animalium cum fibris cerebri: sunt autem fœminæ quæ justo illo potiantur temperamento. Mulieres sunt, fortes & constantes, homines verò, debiles & inconstantes. Sunt mulieres doctæ, strenuæ, audaces. Sunt vice versâ homines molles & effœminati, nullius consilii, inertes. Uno verbo cùm vitia quædam cuidam sexui, ætati aut conditioni tribuimus, rem ut plurimùm duntaxat sic se habere intelligimus, nullam esse regulam generalem quæ careat exceptione, haud ignari.

Singulos enim homines, singulásque fœminas ejusdem ætatis, ejusdem regionis, aut ejusdem familiæ, cerebrum eodem modo constitutum habere existimandum non est, certè credibilius est rem itidem se habere de imaginatione ac de facie, quemadmodùm enim duæ facies non reperientur per omnia similes, ita non possunt inveniri imaginationes prorsùs inter se similes. Nam sicut temerè supponenda non est *identitas* essentialis in rebus inter quas nullum deprehenditur discrimen; ubi pariter perfecta non percipitur *identitas*, non sunt constituendæ differentiæ essentiales. Atque hæc duo vitia hominibus sunt perquam familiaria.

Fibræ igitur cerebri, ut quicquid de iis dici potest, dicamus, in infantibus ut plurimùm sunt mollissimæ & delicatissimæ; ineunte ætate durescunt & corroborantur; Pleræque tamen mulieres, & nonnulli viri fibras habent per totam vitam tenerrimas. Quicquam præterea determinare tutum non est. Sed quid mulieribus & infantibus diutiùs immoramur? Veritatem investigare aut docere non satagunt. Ipsorum errores magni non sunt momenti, ipsorum enim dictis fides ægrè adhibetur. De viris quorum mens firma est atque vigens, quippe veritati inveniendæ ac docendæ videntur idonei, loquamur.

II. *De imaginatione hominum ad virilem ætatem perductorum.*

Mens ut plurimum ab anno trigesimo ad quinquagesimum usque perfectionem suam attingit. Tunc temporis fibræ non parvam contraxere soliditatem, voluptates & dolores sensibiles in ea vix agunt, adeò ut nihil hac ætate timendum & præcavendum videatur, præter affectus violentos, qui raro movebuntur, si occasio sedulò vitetur. Mens itaque rebus sensibilibus non ampliùs interrupta, veritatem facili negotio potest contemplari.

Vir sic constitutus, præjudiciorum infantiæ immunis, meditationi à puero assuetus, claris & distinctis intellectûs notionibus duntaxat incumbens, confusis sensuum ideis sedulò rejectis, ac perpetuæ; quantum ipsi per tempus liceret, meditationi intentus, vix certè ac ne vix erraret. Verùm de ejusmodi homine in casum loquor: sermo est de hominibus ordinariis, ille verò est extraordinarius.

Illud est igitur quod dico: à soliditate & firmitate quæ ætate adultâ, in fibris cerebri hominum reperitur, pendet errorum ut ita dicam, soliditas ac momentum. Hoc sigillo ipsorum præjudicia & errores obsignantur, ac vis rationis eluditur. Atque, ut rem paucis conficiam, quantùm hæc constitutio fibrarum cerebri utilis est hominibus probè educatis, tantùm noxia est plerisque, hac enim constitutione unusquisque in suis confirmatur cogitatis.

Verùm non modò homines in erroribus suis præfractè adhærent, ubi quadragesimum aut quinquagesimum ætatis annum attigerunt. In novos insuper errores multò sunt procliviores. Cùm enim tunc jus de rebus omnibus judicandi sibi arrogent, ut ipsis quidem competere deberet, ex suis præjudiciis de omnibus temerariè decidunt; homines enim non aliter de rebus omnibus judicant, quam ex ideis sibi familiaribus. Chymicus de corpore quopiam naturali disserturus, de tribus suis protinùs cogitat principiis. Peripateticus ad quatuor elementa, qualitatesque sensibiles illicò confugit; alius verò Philosophus aliis utitur principiis. Nihil itaque mentem humanam subire potest, quod extemplò erroribus jam contractis non inficiatur, vel quod etiam errorum non augeat numerum.

Hæc soliditas fibrarum cerebri aliud præter id pessimum nanciscitur effectum, potissimùm in hominibus provectioribus, ipsos enim reddit meditationi ineptos. Vix ullam plerisque rebus possunt præbere attentionem, unde fit ut veritates subobscuras attingere nequeant. Hypotheses verò propiores, si principiis sibi inusitatis nitantur, ipsis non arrident, licèt circa res sibi sæpiùs expertas sint perspicacissimi. Verùm hæc ad eos qui per juventam ingenium inertiæ permiserunt, duntaxat pertinent.

Ut hæc illustrentur, sciendum est nos non posse quicquam ediscere, nisi in id attentionem nostram defigamus, jam autem ad res attendere non possumus, nisi eas imaginemur, & cerebro vividè pingamus. Ut autem objecta possimus imaginari, necesse est ut quædam cerebri partes inflectantur, seu aliquo alio afficiantur motu, quo vestigia quibus ideæ objectorum illorum alligantur, possimus in eo formare. Si igitur fibræ cerebri tantillùm obduruerint, nullam inclinationem nullósque motus poterunt admittere, præter eos quibus jam assueverunt. Mens itaque quodlibet imaginari nec attendere poterit, sed ea solùm quæ sibi sunt usitata.

Hinc colligere est, frequenti circa res quaslibet meditatione sese exercitare, rem esse perquàm utilem; hoc pacto enim quodvis facilè cogitandi contrahitur consuetudo. Quemadmodum enim instrumenta frequenter pulsando miram & omnimodam digitorum mobilitatem comparamus; ita partes cerebri, quæ necessariò moveri debent ut quodlibet possimus imaginari usu frequenti facilem acquirunt flexibilitatem, quâ facilè etiam, promptè, nec non distinctè res possumus imaginari.

Potior

Potior autem ratio hujusce habitûs comparandi, quo virum ingeniosum ab alio distinguimus, hæc est; si nempe veritati etiam circa res difficillimas indagandæ à teneris assuescamus unguiculis, tunc enim fibræ cerebri quaslibet patiuntur inflexiones.

Non est tamen quòd genus illud hominum qui studiosi audiunt, quique perpetuis lectionibus incumbentes, inter legendum non meditantur, nec solutionem difficultatum priùs quàm ad Authores confugiant, apud se quærunt, hanc facilitatem sibi comparare sperent. Hinc enim quid ad eos redundat, præter facilem eorum quæ priùs legerunt recordationem. Certè quotidie videas homines vastâ Authorum lectione onustos, rebus novis ac sibi inusitatis non posse attendere: falsa tamen prætumidi eruditione, de iis, nondùm intellectis judicium ferre audent; hinc est quod errores admittant, quos præter ipsos nemo hominum admisisset.

Sed præter eam quam attulimus ipsorum errorum causam, alia est ipsis quidem singularis. Cùm nempe innumeras reperiant in memoria sua species confusas, certam quandam statim eligunt, quam pro re de qua agitur, usurpant. Quia autem ea quæ dicuntur, isti speciei quam elegerunt non competunt, tum alios erroris immeritò accusant. Quod si insistas ipsos erroris & quidem ignorationis elenchi convincendo protinùs irascuntur, nec sibi dicta capientes, speciei priùs à memoria oblatæ constanter adhærent. Quòd si demùm ipsorum opinionis falsitas evidentiùs pateat, alteram speciem substituunt, deinde tertiam quam reluctante veritate nec non conscientia defendunt; quia scilicet veritatem non diligunt, ipsósque suam ignorantiam profiteri pudet.

Quod de quadragenariis & quinquagenariis dictum est, de senibus potiori jure intelligi debet; quippe fibræ ipsorum cerebri sunt multò minùs flexiles, deficientibúsque spiritibus animalibus quibus nova formentur vestigia, imaginatio languescit. Quia verò fibræ ipsorum cerebri multis ut plurimùm intermiscentur humoribus superfluis, rerum anteactarum memoriam paulatim deperdunt, & hoc pacto repuerascunt. Unde fit ut in ætate decrepita iis omnibus laborent vitiis quibus infantes & adulti obnoxij esse solent, quatenùs, scilicet, hæc vitia ex constitutione cerebri pendent, licèt utrisque sapientiores dici possint, quia nempe iisdem motibus qui spirituum animalium agitatione excitari solent, non ampliùs moventur.

Hæc ampliorem non exigunt explicationem, nemo enim est qui de hac senili ætate ex aliis ætatibus de quibus mentio habita est, non possit facilè judicare. Hinc enim patet senes multos difficiliùs res capere quàm cæteri homines, ipsósque suis præjudiciis inveteratísque opinionibus, ac per consequens erroribus & pravis habitibus pertinaciùs adhærescere. Illud solum monemus ætatem decrepitam non semper incidere in annum sexagesimum aut septuagesimum, omnes senes non delirare, sexagenarios non semper juveniles abdicare affectûs,

nec denique ex principiis suprà positis eliciendas esse consequentias generales.

CAPVT II.

Spiritus plerunque tendere in vestigia idearum nobis maximè familiarium, unde fit ut rectum de rebus judicium ferre non possimus.

VArias mutationes quæ in spiritibus animalibus & in fibrarum cerebri constitutione fiunt juxta diversas ætates suprà explicui. Si quis itaque super hisce suprà dictis tantillùm meditetur, imaginationis naturam & causas Physicas magis ordinarias differentiarum quibus ingenia ab invicem differre observantur, distinctè satis cognoscet. Omnes enim mutationes quæ in imaginatione & in mente deprehenduntur, necessariò pendent ab iis quæ in spiritibus animalibus, & in fibris cerebri fiunt.

Porro multæ sunt causæ speciales, quæ etiam Morales dici possent, mutationum quæ contingunt in imaginatione hominum. Variæ ipsorum sortes, varia munera, & negotia, uno verbo, diversa vivendi instituta. Atque his expendendis immorari operæ pretium est. Quippe ejusmodi mutationes causæ sunt innumerabilis prope errorum numeri, cùm scilicet unusquisque de rebus, juxta sortem suam, judicet. Nec opus est, credo, ut quarundam causarum minùs frequentium, quales sunt morbi violenti, casus insperati, quæ in cerebrum ita violenter agunt ut illud interdum perturbent, effectibus explicandis insistamus, tum quia hæc rarò contingunt; tum etiam quia errores hominum sic affectorum sunt ita crassi & manifesti, ut contagio suo neminem possint inficere.

Ut omnes mutationes, quas edunt variæ hominum conditiones in eorum imaginatione accuratè percipiamus, recordari omninò necesse est, nos objecta aliter imaginari non posse, quàm eorum imagines efformando in cerebro, istas verò imagines nihil aliud esse præter vestigia à spiritibus animalibus cerebro impressa; unde fit ut quò altiùs insculpta vestigia illa, & quò sæpiùs vehementiùsque spiritus animales eandem ineunt viam, eò vividiùs res imaginemur; spiritus nempe eam locum longè faciliùs subeunt, per quem jam multoties transierunt, quàm loca isti propinqua per quæ vel nunquam vel rarò admodùm transierunt. Atque hæc est causa frequentior falsitatis & confusionis idearum nostrarum. Nam spiritus animales objectorum externorum actione, vel etiam mentis imperio ad id directi, ut in cerebro certa imprimant vestigia, alia sæpè edunt istis quidem aliquatenùs similia, sed quæ tamen istorum objectorum non sunt vestigia

quæ

quæ mens sibi pingere intendebat; quia nempe spiritus animales aliquam in locis cerebri quâ transeundum erant passi, ut ita dicam, resistentiam, à via facilè deflectunt, ut simul irrumpant in vestigia alta idearum nobis familiarium. Adsunt exempla istorum manifestissima, & maximè sensibilia.

Qui visu non omninò debili pollent, dum lunam adspiciunt, binos oculos, nasum, os, uno verbo faciem integram sese videre arbitrantur. Nil tamen eorum est in Luna. Multi aliud prorsùs in ea conspiciunt. Et qui lunam reverâ talem esse qualem illam vident, existimant, errorem suum facilè agnoscent, cùm illam perspicillis quantumvis parvis adspicient; vel si descriptiones quas de illa ediderunt Hevelius, Riccioli & alij, consulant. Causa autem cur faciem in luna non verò maculas irregulares quæ in ipsa re vera insunt, plerumque videamus, hæc est; vestigia nempe faciei, quæ in cerebro nostro frequenti & attentissimo vultuum conspectu formata fuêre, altissimè inhærent, adeò ut spiritus animales in aliis cerebri locis vim patientes à via quàm luna, dum eam adspicimus lumine suo dirigit, facilè delirant, ut vestigia illa quibus ideæ faciei alligatæ sunt, subeant. His adde quòd cùm lunæ magnitudo ea saltem quæ nobis apparet, non valdè differat à magnitudine capitis humani in certa distantia positi, hinc fit ut impressione suâ vestigia formet, quæ magnam conformitatem, cum vestigiis quæ nobis nasum, os, & oculos repræsentant; atque eo pacto spiritus ad id determinantur ut cursum suum in vestigia faciei inflectant. Sunt qui in luna videant hominem equo insidentem, alij verò alia; quia nempe imaginatione ipsorum vividè, quorundam objectorum actione affectâ, vestigia istorum objectorum, cujuslibet rei ope quæ cum illis conformitatem habet denuò excitantur.

Nec aliam ob causam, currûs, homines, leones, & alia quælibet animalia in nubibus cernere nobis videmur, cùm figuræ nubium istorum animalium similitudinem aliquatenùs referunt; & omnes penè homines ij præsertim qui picturæ periti sunt interdum capita humana in muris videre imaginantur, cùm tamen in iis nil sit præter maculas quasdam irregulares.

Eadem etiam de causâ spiritûs vini, non imperante voluntate, in vestigia maximè familiaria intromissi arcana maximi momenti aperiunt. Hinc fit quoque, ut per somnum ea plerumque imaginemur quæ interdiu vidimus, quæque altiora fecerunt in cerebro vestigia; mens enim ea sibi semper repræsentat, quæ amplissima & altissima formarunt vestigia. Sed ecce exempla magis composita.

Morbus quidam noviter oritur: tantas efficit calamitates, ut omnes obstupescant. Res adeò insolens tam alta cerebro imprimit vestigia, ut morbus ille menti perpetuò objiciatur. Si morbus ille dicatur, exempli gratiâ, Scorbutus, tum omnes morbi erunt scorbutus, scorbutus est novum quoddam morbi genus, ergo omnes morbi novi

erunt scorbutus. Scorbutus duodecim comitatur symptomatis; quorum multa aliis morbis sunt communia, sed quid tum? si æger quidam, aliquo ex his symptomatis laboret, protinùs scorbuto laborare censebitur Nequidem aliorum morborum in quos eadem cadunt symptomata, mentio habebitur. In illo ægro eadem prorsùs expectabuntur, quæ in iis qui scorbuto laborant, contingere solent. Eadem ei porrigentur medicamina, nec sine stupore successus, in aliis ægris observatus, desiderabitur.

Author quispiam certo studij generi incumbat, materia quam tractat tam alta ipsius cerebro insculpet vestigia, atque ita vividè ipsi affulgebit, ut vestigia rerum toto genere diversarum confundantur, nec non quandoque penitùs deleantur. Author quidam, exempli gratiâ, multa conflavit volumina de Cruce; hinc fit ut cruces ubique videat. Nec immeritò R. Pater Morinus ipsum irridet quòd existimaret numisma quoddam crucem exhibere, quod tamen rem planè diversam repræsentaret. Non absimili imaginationis illusione, Gilbertus cum multis aliis, postquàm circa magnetem ipsiusque proprietates diù versatus est, innumeros effectûs naturales ad qualitates magneticas, à quibus tamen toto cœlo discrepabant, referre voluit.

Ex his exemplis patet magnam illam facilitatem, qua imaginatio objecta usitata sibi pingere solet, difficultatémque quâ inusitata sibi repræsentat, efficere ut homines ideas penè semper efforment, quæ dici possunt mixtæ & impuræ, & ut mens de rebus non judicet, nisi habito respectu ad seipsam, & ad primas suas cogitationes. Cùm igitur varij hominum affectus, inclinationes, conditiones, officia, dotes, studia, omnes denique vivendi rationes tantas in ipsorum ideis constituant differentias, hinc fit ut innumeris quos infra sumus exposituri, obnoxij sint erroribus. Quæ omnia apud se reputans Cancellarius Baco hanc sapientissimè protulit sententiam: *Omnes perceptiones tam sensus quàm mentis sunt ex analogia hominis, non ex analogia universi; estque intellectus humanus instar speculi inæqualis ad radios rerum, qui suam naturam naturæ rerum immiscet, eámque distorquet & inficit.*

CAPVT III.

De vinculo mutuo inter ideas mentis & vestigia cerebri, & de vinculo mutuo vestigiorum cum vestigiis, & idearum cum ideis.

INter materialia nullum est quod hominum attentione dignius videatur, quàm ipsorum corporis compages, & mutua inter singulas partes ipsius analogia; quemadmodum inter spiritualia nullum est cujus cognitio ipsis sit utilior, cognitione ipsorum mentis, omniúmque relationum quas habet necessariò ad Deum, naturaliter verò ad corpus: Non

Non sufficit confusè sentire & cognoscere vestigia cerebri mutuis vinculis inter se colligari, ipsáque semper cum motu spirituum animalium conjungi, vestigia in cerebro excitata ideas in mente excitare, motúsque in spiritibus animalibus excitatos, affectus in voluntate movere. Hæc, inquam, omnia confusè cognoscere non sufficit. Sed præterea quantumquidem id fieri potest, cognoscenda est causa harum omnium analogiarum, horúmque variorum vinculorum, ac præsertim cognoscendi sunt effectus quos edere queunt.

Horum, inquam, vinculorum cognoscenda est causa, quia scilicet necesse est cognoscere ducem & rectorem nostrum, qui solus in nobis agere nósque beare aut infelices reddere potest. Istorum præterea vinculorum cognoscendi sunt effectus, quia quantum in nobis est, nosmetipsos cæterósque homines quibuscum degimus cognoscere expedit. Hoc pacto ad fœliciorem perfectiorémque statum quem juxta ordinem naturæ, legésque Evangelij sperare possimus, nosmetipsos perducere, atque in eo nos conservare valebimus. Et cum cæteris hominibus commodè poterimus degere, ipsorum ope utendi, ipsísque pariter opem ferendi, rationes, seu media exactè cognoscentes.

Isthæc explicare hoc capite, ne, vel hoc toto libro, apud me non constituo. Multa sunt quæ non assequutus sum, quæque me unquam assequuturum esse sperare non ausim: sunt etiam quæ satis quidem teneo, non possum tamen explicare. Nullum enim est ingenium, quantumvis parvum, quod, inter meditandum, plures non comperiat veritates, quàm homo omnium eloquentissimus posset explanare.

Haud arbitrandum est, ut plerique Philosophi arbitrati sunt, mentem fieri corpoream statim atque corpori unitur, corpúsque fieri spirituale statim atque spiritui unitur. Mens non diffunditur per singulas corporis partes ut ei vitam motúmque impertiatur; ut id nobis inducit imaginatio: corpúsque per unionem suam cum mente, non fit sensus capax, ut id nobis evincere videntur sensûs nostri fallaces, utraque substantia remanet id quod erat ante unionem, & quemadmodùm mens non est capax extensionis & motûs, corpus quoque non est capax sensus aut affectûs. Unio mentis cum corpore, quantùm quidem illam cognoscere possumus, consistit in mutua & naturali analogia & ut ita dicam, correspondentia cogitationum mentis cum vestigiis cerebri, & affectuum mentis cum motibus spirituum. *I. De unione mentis cum corpore.*

Statim atque mens novas excipit ideas, nova cerebro imprimuntur vestigia, & statim atque objecta efficiunt nova vestigia, mens novas excipit ideas. Non existimandum tamen est mentem illis vestigiis attendere, cùm ipsa nequidem cognoscat; nec putandum est has ideas in iis vestigiis includi, cùm nulla sit inter vestigia & ideas illas analogia; nec denique mentem à vestigiis hasce ideas excipere, quippe, ut infra sumus explicaturi, impossibile est mentem quicquam à corpore excipere, aut ipsam fieri perspicaciorem quàm erat anteà, se ad-

corpus convertendo, ut id pertendunt Philosophi, mentem res, *per conversionem ad phantasmata*, apprehendere existimantes.

Sic statim atque mens brachium moveri vult, brachium movetur, quamvis mens ne cognoscat quidem quid agendum sit ut brachium moveatur, & statim atque spiritus animales agitantur, mens statim commovetur, quamvis ne sciat quidem an sint spiritus animales in corpore.

Quum agam de affectibus, seu passionibus agam etiam de vinculo mutuo quod intercedit, inter vestigia cerebri & motùs spirituum, ut & de vinculo quod est inter ideas, & affectûs, sive commotiones mentis, hinc enim pendent omnes passiones. Hic autem tantùm agitur de mutua inter ideas & vestigia analogia, & de mutuo vinculo vestigiorum inter se invicem.

Tres causæ mutuæ inter ideas & vestigia, analogia.

Sunt tres causæ consideratione maximè dignæ, analogiæ idearum cum vestigiis. Prima & generalior est *identitas* temporis, sæpè enim satis est nos certas quasdam habuisse cogitationes eodem tempore quo in cerebro nostro nova erant vestigia, ut vestigia non ampliùs possint imprimi, quin deintegrò novas illas habeamus cogitationes. Si idea Dei sese objecit menti meæ eodem tempore quo cerebrum meum hisce tribus characteribus *iah* affectum fuit; sufficiet si vestigia quæ hi characteres aut ipsorum sonus in cerebro insculpserint denuò excitentur, ut de Deo cogitem; nec de Deo cogitare potero quin statim in cerebro vestigia quædam confusa producantur horum characterum aut sonorum, quorum occasione anteà de Deo cogitaveram, cùm enim cerebrum nunquam sit sine vestigiis, ea semper habet quæ aliquo modo referuntur ad res quas cogitamus; quamvis hæc vestigia utplurimùm sint admodùm imperfecta atque confusa.

Secunda causa mutuæ inter ideas & vestigia analogiæ, quæque primam semper supponit, est voluntas hominum. Et certè hæc voluntas necessaria est ut analogia illa idearum cum vestigiis suum habeat modum & usui accommodetur. Si enim homines naturâ suâ ad id non propenderent ut ex mutuo inter ipsos pacto ideas suas signis sensibilibus alligent: non modò ista analogia idearum societati esset prorsùs inutilis, verùm etiam perquàm inordinata & imperfecta.

Primò quia ideæ cum vestigiis arctè non ligantur, nisi cùm spiritûs agitatissimi hæc vestigia profunda efficiunt & firma. Cùm itaque spiritûs non agitentur nisi per affectus aut passiones, si homines nullo affectu sive inclinatione ad suas ipsorum communicandas aliorúmque participandas cogitationes, moverentur, manifestò patet analogiam accuratam idearum cum quibusdam vestigiis fore admodùm debilem, cùm hisce analogiis seu vinculis regularibus, & accuratis, non obligentur, nisi ut ab aliis intelligi possint.

Secundò, cùm reiteratus concursus earundem idearum cum iisdem vestigiis necessarius sit ad formandam analogiam seu vinculum quod diù possit conservari, quia scilicet primus concursus nisi violento spiri-

tuum

tuum animalium motu ſit comitatus, vincula fortia non poteſt efficere; hinc manifeſtò patet, niſi homines inter ſe mutuo conſentirent, vix ac ne vix unquam futurum, ut eædem ideæ eadémque veſtigia inter ſe concurrerent. Voluntas itaque hominum neceſſaria eſt ut mutua inter eaſdem ideas eadémque veſtigia analogia, certum poſſit habere modum licèt iſta voluntas inter ſe conſentiendi non tam ex ipſorum optione & ratione fluat, quàm ex impreſſione Authoris Naturæ, qui nos omnes condidit ut nobis invicem mutuam conferamus opem, nóſque inclinatione vehementiſſima ad id impulit, ut mutuo inter nos conjungamur vinculo per mentem, quemadmodum conjungimur per corpus.

Tertia cauſa analogiæ idearum cum veſtigiis eſt Natura aut voluntas conſtans & immutabilis Creatoris. Eſt, exempli gratiâ, analogia quædam naturalis; quæque à voluntate noſtra nequaquam pendet; inter veſtigia quæ arbor aut mons cerebro noſtro imprimit, & ideas arboris aut montis; inter veſtigia quæ vox humana, aut animalis cujuſpiam queritantis clamor, habitus externus quem præſe fert homo nobis minitans, aut nos reformidans, cerebro imprimunt; & ideas doloris, roboris, debilitatis, atque etiam inter motûs commiſerationis, metûs, & fortitudinis qui in nobis excitantur. Vincula illa naturalia, ſunt omnium arctiſſima; in omnibus hominibus ſimilia, & vitæ conſervationi prorsùs neceſſaria. Idcircò à voluntate noſtrâ non dependent. Namque, analogia idearum cum ſonis & cum characteribus quibuſdam ideò tantùm debilis eſt, & pro variis regionibus diverſa; quia à debili & inconſtanti hominum voluntate pendet. Cur autem ab ea dependet? quia ſcilicet hæc analogia vitæ non eſt omnino neceſſaria; ſed ad id tantùm conducit ut homines quatenus rationales, inter ſe ſocietatem rationalem inire poſſint.

Ceterùm ſedulò hic animadvertendum eſt, mutuam analogiam idearum quæ ſpiritualia à nobis diſtincta menti noſtræ repræſentant, cum veſtigiis cerebri, non eſſe, nec poſſe eſſe naturalem; atque illam proinde analogiam in omnibus hominibus diverſam eſſe aut ſaltem eſſe poſſe. Cùm non aliam habeat cauſam præter ipſorum voluntatem, & identitatem temporis de qua ſuprà loquutus ſum. At contrà analogia ſeu vinculum quod eſt inter ideas omnium rerum materialium, & veſtigia quædam ſpecialia eſt naturale; unde fit ut certa quædam veſtigia, eandem in omnibus hominibus excitent ideam. Omnes, exempli gratiâ, homines ideam quadrati proculdubio habent, dum quadratum vident, quia hæc analogia eſt naturalis. Sed meritò dubitari poteſt utrum omnes homines habeant ideam quadrati, quum hanc vocem, *quadratum*, proferri audiunt, quia nempe hæc analogia omninò pendet à voluntate. De omnibus veſtigiis ideis rerum ſpiritualium alligatis idem eſto judicium.

Quia

Quia verò vestigia quæ naturâ suâ ideis alligantur, mentem afficiunt, applicant & attentam præbent, plerique homines veritates sensibiles, hoc est mutuas relationes quæ sunt inter corpora percipiunt faciliùs & conservant. Vice verò versa, quia vestigia quæ nullo alio vinculo cum ideis conjunguntur, quàm voluntario, mentem vividè non afficiunt, ideò homines res abstractas, hoc est relationes mutuas, inter ea quæ sub imaginationem non cadunt, difficilè percipiunt, multò difficiliùs retinent. Quòd si relationes illæ sint parumper complexæ tùm omninò imperceptæ videntur, iis præsertim qui ejusmodi rebus non assueverunt; quia scilicet, analogiam inter ideas illas abstractas, & vestigia cerebri sui, meditatione assiduâ non confirmârunt. Et quamvis alii illas relationes perfectè perceperint, citò tamen ab iis oblivioni traduntur, quia nempe hæc unio nunquam æque firma est & stricta, ac naturales uniones esse solent.

Difficultatem quam spiritualia & abstracta percipiendo & retinendo experimur, ex eo manare constat, quòd analogiam seu vinculum mutuum quod est inter istorum ideas & vestigia cerebri vix possimus confirmare ac corroborare; ut vel ex eo patet, quòd si per relationes rerum materialium possis explicare relationes rerum spiritualium, eas certè (relationes) clarissimas dabis eásque ita menti imprimes, ut non modò fidem certissimam obtineant, verùm etiam facillimè retineantur. Idea generalis quam de mente tradidimus in primo hujusce operis capite, hujus rei argumentum forsan est non adspernandum.

Contrà si relationes quæ sunt inter materialia quis ita exprimat ut nulla sit inter ideas istorum, & vestigia quæ suis terminis impressit, necessaria analogia: eas (relationes) vix poteris apprehendere, & facillimè è memoria elabentur;

Qui, exempli gratia in algebra, & analysi, tyrocinii rudimenta nondùm deposuerunt, vix possunt capere demonstrationes algebraicas, ac eas semel perceptas facilè oblivioni tradunt. Quia nempe cùm quadrata, exempli gratiâ, parallelogrammata, cubi, solida, &c. per hasce notas *aa*, *ab*, *a3*, *abc*, *&c.* designentur quorum vestigia nullam habent naturalem analogiam cum ideis quadrati, parallelogrammatis &c. mens quo sibi fixas fingat ideas, aut istarum relationes examinet, non invenit.

Qui verò Geometriam vulgarem addiscere incipiunt, facillimè & clarissimè percipiunt demonstratiunculas quæ ipsis explicantur, dummodò terminos quibus utuntur magistri distinctè intelligant; quia scilicet, ideæ quadrati, circuli &c. vestigiis figurarum quas ob oculos habent naturâ suâ alligantur. Nec rarò etiam contingit, ut sola figuræ, quæ demonstrationi inservit, expositio, faciliorem ipsis det intelligentiam istius demonstrationis, quàm omnia ratiocinia quibus illa explicari solet. Quia voces, cùm instituto dumtaxat voluntario ideis

ideis alligentur, ideas illas satis promptè & distinctè non excitant ut omnes relationes facilè dignosci possint, hinc enim præcipua manet difficultas, quam in scientiis discendis experimur.

Ex his obiter colligere est, scriptores illos qui novos terminos novásque figuras fingunt ut animi sensa aperiant, operâ ut plurimùm sua abuti. Dum clari esse student, fiunt obscuri & ἀκατάληπτοι. Omnes, inquiunt, terminos nostros, & characteres definimus, de iis apud cæteros convenire par est. Verùm quidem est. Cæteri conveniunt, sed voluntate tantùm; dum iis ipsorum natura repugnat. Ipsorum ideæ novis hisce terminis alligatæ non sunt id enim sine longo & frequenti usu fieri nequit. Authores illum fortè usum sibi comparaverunt, Lectores verò non item. Qui mentem instituere satagit ipsam debet prius cognoscere. Naturæ sese conformare oportet, non verò illam irritare & lædere.

Non est tamen Mathematicis vitio vertendus labor, quem suos terminos accuratè definiendo suscipiunt, id enim proculdubiò necesse est ut tollantur æquivocationes. Sed quantùm fieri potest adhibendi sunt termini usu recepti, aut quorum significatio non valdè differat ab ea quam admittere volumus. Quod non semper observatur in mathematicis.

Nec etiam algebram, qualem præcipuè illam instauravit Cartesius, damnare his volumus, licèt enim quorundam hujus scientiæ terminorum novitas menti negotium prima fronte facessat, in his tamen terminis vix ulla est varietas & confusio, utilitas prætereà quæ ex illa scientia percipitur laborem in ea exantlatum tantis exuperat momentis, ut methodus ratiocinandi & raciocinia aliis communicandi, naturæ concinnior, & veritatibus occultis detegendis aptior nulla inveniri possit. Hujus scientiæ termini mentis capacitatem diversam non agunt, memoriam non onerant, ideas nostras & ratiocinia mirè contrahunt, ipsáque usû sensibilia aliquatenùs reddunt. Istorum denique (terminorum) utilitas longè superat utilitatem terminorum, quibus figuræ triangulorum, quadratorum, &c. exprimuntur, licèt naturales sint quæ veritatum subobscurarum investigationi, & expositioni inservire nequeunt. Sed de analogia idearum cum vestigiis cerebri hæc dicta sufficiant. Jam ad mutuum vestigiorum inter se invicem vinculum transeundum est, ac per consequens ad vinculum mutuum quod est inter ideas hisce vestigiis respondentes.

II. *De mutuo vestigiorum inter sese vinculo.*

Istud vinculum in eo consistit, quòd vestigia cerebri inter se invicem ita colligentur, ut ampliùs excitari non possint, quin ea omnia quæ eodem tempore impressa fuerunt etiam excitentur. Quis exempli gratiâ, festo cuidam publico interfuerit, si omnes circumstantias, præcipuósque observet adstantes, tempus, locum, diem, cæteráque peculiaria; sufficiet si loci duntaxat meminerit, aut etiam aliûs cujuspiam circumstantiæ minùs memorabilis, ut cæteras sibi repræsentet. Hanc ob causam quando rem aliquam nomine suo designare

non possumus, sufficiet si utamur nomine, quod aliquam hujus rei circunstantiam denotet. Si, exempli gratiâ, nominis proprii Ecclesiæ cujusdam obliti fuerimus, illam alio nomine quod ad eam aliquomodo referatur, indigitabimus; illa est Ecclesia, verbi gratiâ, in qua tanta erat turba, in qua D. concionem habuit, in quam die dominicâ convenimus. Si verò nominis proprii alicujus hominis non possimus recordari, aut illum alio nomine designare commodiùs ducamus, illum, exempli gratiâ, poterimus indicare per faciem suam variolarum cicatricibus distinctam, per hominem illum grandi & eleganti corpore, per parvum illum gibbosum, pro variis quibus erga illum movebimur affectibus, licet de quoquam per contemtum loqui sit iniquum.

Jam autem mutuum vestigiorum vinculum, atque adeò idearum inter se, non est tantùm fundamentum omnium figurarum Rhetorices; sed eo etiam vinculo nituntur innumera alia maximi momenti in Ethica, Politica, atque in genere, in omnibus scientiis, quæ aliquam cum homine habent analogiam, ac de quibus per consequens infra sumus dicturi.

Istius mutui vestigiorum vinculi causa est identitas temporis quo cerebro insculpta fuerunt. Sat enim est multa vestigia simul formata fuisse, ut non nisi simul, etiam denuò excitentur; Cùm enim spiritus animales viam vestigiorum eodem tempore editorum inveniant hiulcam, per eam pergunt, quia, nempe, facilior datur transitus, quàm per alia cerebri loca. Hinc memoria, & habitùs corporei cum belluis nobis communes, oriuntur.

Hæc mutua vestigiorum vincula cum spirituum commotionibus non semper conjunguntur, quia scilicet, ea omnia quæ videmus, nobis bona, vel mala, semper non videntur, hæc etiam vincula possunt disrumpi, quia cùm non sint semper necessaria vitæ conservationi, eadem quoque semper non debent esse.

Sed quędam sunt in cerebro nostro vestigia inter se invicem naturali vinculo colligata, & prætereà cum quibusdam spirituum motibus conjuncta, quia scilicet id conservationi vitæ necessarium est, ipsorúmque vinculum facilè saltem disjungi nequit, quia idem illud semper esse expedit vestigium, exempli gratia, ingentis altitudinis quam quis infra se videt, & è qua delabi periclitatur, aut vestigium ingentis alicuius molis in eum imminentis, naturâ conjungitur cum vestigio quod mortem ipsi repræsentat, & cum agitatione spirituum quæ ipsum ad fugam aut fugæ desiderium incitat. Vinculum illud nunquam interrumpitur, quia nempe idem semper esse debet; consistitque in certa fibrarum cerebri dispositione, quam ab actû contraximus.

Vincula omnia non naturalia rumpi possunt & debent, quia variæ temporum & locorum circunstantiæ ipsa debent mutare; ut vitæ conservationi conducant. Utile est perdici, exempli gratiâ, fugere

homines sclopetis armatos, in iis locis, & temporibus queis istis animalibus insidiari solent venatores, aliis verò temporibus ipsas fugere non est necessarium. Itaque, ad omnium animalium conservationem, necesse est dari vincula quædam vestigiorum, quæ possint facilè formari & destrui; alia verò quæ non nisi difficulter possint disrumpi, alia denique quæ nunquam.

Quid ejusmodi varia vincula valeant efficere, perquam utile est disquirere. Horum enim effectûs quamplurimi sunt, & ingentis momenti ad hominis omniúmque quæ ad illum spectant, cognitionem. Hinc præcipuam errorum nostrorum causam, oriri, deinceps ostendemus. Verùm, ut è diverticulo in viam, nunc varias mutationes quæ fiunt in imaginatione hominum, pro vario vivendi more, explicemus.

CAPUT IV.

I. Eos qui litteris & scientiis operam dant errori magis obnoxios esse II. Cur malimus authoritate niti, quàm ratione uti.

VAriæ hominum vivendi rationes sunt propè innumeræ. Variæ sunt conditiones, varia officia, varia munia, Variæ societates ex illa varietate fit, ut omnes penè homines agant propter diversos fines, diversisque nitantur principiis. In eadem etiam societate, in qua eodem agi spiritu, eadémque inire consilia deberent, raro tamen multos reperies qui idem intendant. Varia negotia, variáque commercia varietatem etiam inducunt in forma & modo quo proposita executioni mandant, licèt de re inter ipsos conveniat. Ex his patet impossibile esse causas morales errorum sigillatim explicare; nec id hoc loco perquam utile foret. Sufficiat si de iis vivendi rationibus agamus, quæ in plures & graviores errores injiciunt. Iis ritè expositis, nemo est qui non possit ultrà pergere, & uno intuitu facilique negotio causas multorum errorum specialium occultissimas, quisque poterit deprehendere, quæ explicari non possent sine longo tempore & labore, Ubi veritas semel illuxit menti, illam strenuè amplectitur, miráque prosequitur alacritate.

Verùm inter varia hominum negotia, nullum est de quo verba facere magis expediat, quàm de illorum negotio qui studio litterarum operam dantes memoriâ magis utuntur quàm ratione. Nullum certè est quod memorabiliores efficiat in imaginatione mutationes, quódque in errorem magis impellat. Experientiâ enim constat eos qui librorum lectioni & veritatis inquisitioni avidiùs & pertinaciùs incubuerunt, in graviores etiam errores ductu suo, cæteros homines injecisse.

I. *Illos qui studio scientiarum operam dant, errori esse magis obnoxios.*

Res non secùs se habet de iis qui student ac de iis qui peregrinantur. Si fortè fortuna viator à recto deflexit itinere, quò ulterius progreditur, eò etiam longiùs aberrat à scopo, & eò magis aberrat, quò diligentiùs procedit. Sic ingens illa veritatis inveniendæ cupido, quâ nonnulli tenentur, efficit ut libros in quibus eam sese nacturos sperant perlegant aut ineptum eorum quæ scire cupiunt systema sibi forment, cui præfractè adhærent, cæterisque amplectendum irrito conamine propinant, ut iis deinceps idem habeatur honos qui systematum inventoribus haberi solet. Hæc duo vitia explicemus.

Mirum est, homines ingenio præditos, malle tamen ingenio alieno uti in veritate investiganda, quàm suo. Res suis usurpare ocellis longè magis juvat, quàm eas videre alienis. Nec putem virum benè oculatum, oculos unquam sibi clausurum aut effossurum, ea adductus spe, se, scilicet, ducem habiturum quem sequatur. Res tamen itidem planè se habet de usu mentis ac de usu oculorum, quemadmodùm ingenium multò præstat oculis; ita usus rationis voluptates & utilitates longè solidiores parit menti, quàm lux & colores parere solent oculis. Homines tamen oculis suis semper utuntur ad videndum, at ingenio suo ad veritatem assequendam ferè nunquam.

II. *Cur homines malint authoritatem sequi, quam proprio uti ingenio.*

Sed huic mentis perturbationi multa conferunt. 1. ingenita hominibus socordia, qui operam suam in meditando conferre non dignantur.

2. Meditandi imperitia, quam deficiente à primis annis exercitio, contraxerunt homines, ut dictum est Capite IX.

3. Veritatum abstractarum, quibus omnes quas hic in terris adipisci possumus cognitiones, nituntur, aspernatio.

4. Nostra in rebus verisimilibus placida, ut ita dicam, conquiescentia, quia nempe illa sunt jucunda, atque, ut pote notionibus sensibilibus freta, maximè afficiunt.

5. Stulta ambitio quâ Doctorum famam affectamus. Docti enim audiunt qui lectioni magis incubuerunt: variarum opinionum cognitio in mutuis colloquiis longè utilior est, aptiórque ad fucum faciendum mediocribus ingeniis, quàm vera Philosophia quæ meditatione comparatur.

6. Quia Priscos nobis fuisse perspicaciores, nósque frustrà id quærere quod ipsos latuit, falsò existimamus.

7. Quia illegitima veneratio cum inepta curiositate conjuncta, rebus à nobis dissitis, antiquissimis, ab oris remotissimis advectis, atque etiam libris obscurissimis majorem conciliat admirationem. Idcircò olim Heraclitum ob obscuritatem magnifaciebant. Anxiè disquiruntur numismata antiqua licèt rubigine corrosa. Alicujus veteris laterna, aut crepida sedulò conservantur quamvis vermibus exesa. Pretium ab antiquitate petunt. Non pauci Rabbinorum lectioni operam dant, quia nempe linguâ exoticâ, maximè corruptâ, & obscurâ scripserunt illi

Claruit ob obscuram linguam. Lucret. l. 1.

illi Doctores. Pluris æstimantur vetustissimæ opiniones, quia à nobis sunt remotiores. Ac sanè, si Nembrot historiam regni sui scriptis exarasset, in ea, si Deo placet, accuratiores politicæ leges, & cæteræ etiam continerentur scientiæ quemadmodùm nonnulli censent Homerum & Virgilium naturæ arcana omnino calluisse. Veneratione digna est antiquitas, inquiunt; Quid? Aristoteles, Plato, Epicurus insignes illi viri errassent? Nec attendunt, qui ita loquuntur, Aristotelem, Platonem, Epicurum homines fuisse non secùs ac nos, ejusdémque omnino speciei. Nos prættereà nunc istos Philosophos bis mille annorum ætate superare, atque ideò plura debere cognoscere, ut potè plura expertos. Certè mundi vetustas, & experientia veritatem retegit.

Veritas filia temporis, non authoritatis.

8. Quia, quum opinio, & author recens in pretio est, ipsius fama nostram delere videtur, quoniam, videlicet, ad nos proximè accedit. At verò de antiquis res perindè non est.

9. Quia veritas, & novitas in rebus fidei non possunt simul concurrere. Quippe homines veritates à ratione pendentes, ab iis quæ pendent à traditione non satis distinguentes, non attendunt istas veritates ratione prorsùs diversa esse addiscendas. Novitatem cum errore, & antiquitatem cum veritate confundunt. Lutherus, Calvinus & alii innovarunt & errârunt; Ergò & Galilæus, Hervæus, Cartesius. Impanatio Lutheri nova est & falsa, ergò & circulatio sanguinis Hervæi falsa est, quia est nova. Hinc fit ut passim indigno novatorum nomine recentes Philosophos indigitent, non secùs ac hæreticos. Ideæ, & voces *veritatis* & *antiquitatis falsitatis*, & *novitatis*. Simul colligatæ fuerunt; id semel actum sufficit. Vulgus illas ampliùs separare nequit, & cordati etiam viri eas ægrè sejungunt.

10. Quia in iis versamur temporibus queis veterum opinionum scientia adhuc viget; & ij solùm qui ratione suâ uti norunt, pravæ consuetudinis contagio possunt, istius rationis vi, sese surripere. Difficile est iis non cedere; quos

Defendit numerus, junctaque umbone phalanges.

Ultimò denique utilitatis suæ gratiâ duntaxat agunt homines; unde fit, ut qui agnitâ ejusmodi studiorum vanitate, erroris convicti fuerunt, iis tamen incumbere non desinant; quia nempe honores, & dignitates, tum sæculi, tam etiam Ecclesiæ ab iis dependent, & quia illorum citiùs compotes fiunt, qui in ejusmodi studiis excellunt, quàm qui eorum sunt ignari.

Ex his, ni fallor, liquidò satis patet, cur veteres opiniones ut veras amplectantur homines, novas verò ut falsas incauti respuant, cur denique proprio ingenio nunquam, aut perquam raro utantur. Multæ aliæ sunt causæ speciales istius mali; at verò si quis jam allatas æqua-

judicii lance perpendat, haud ampliùs mirabitur pertinacem quorumdam hominum erga veteres venerationem.

CAPVT V.

Duo pravi effectûs lectionis in imaginationem.

FAlsa illa, & indigna veneratio qua nonnulli ergà veteres ducuntur, innumeros edit effectûs pessimos, quos hic recensere non abs re videtur.

Vide articulum primum capitis praecedentis.

Ac primus quidem in eo consistit quòd hac veneratione ab usu ingenii sui desuescentes, veram paulatim contrahunt impotentiam illo utendi, Arbitrandum enim non est, eos qui in libris Aristotelis & Platonis legendis consenescunt, magnum ingenii sui usum facere. Horum Authorum lectioni tandiù plerùmque incumbunt, eo duntaxat consilio, ut in ipsorum sententias descendant. Nec aliud sibi proponunt quàm ipsorum placita memoriæ mandare accuratè, an sint rationi consentanea parum solliciti, ut capite sequenti videbitur. Scientia itaque & Philosophia quam ediscunt est potiùs scientia memoriæ, quàm scientia mentis. Nihil tenent præter historias, & facta, non verò veritates evidentes. Et historici potius censendi sunt quàm veri Philosophi.

Secundus effectus lectionis veterum in imaginationem, hic est. Nimirum incredibilem inhevit confusionem ideis eorum qui istis incumbunt lectionibus. Duæ sunt diversæ rationes authores legendi, quarum altera optima, & utilissima, altera vero inutilis, atque etiam noxia. Legere perutile est, si mediteris super eis quæ legis. Si coneris propriâ ingenii vi solvere quæstiones quas in titulis capitum vides propositas, priusquam caput ipsum legas, si rerum ideas inter se digeras & conferas, quid plura? si ratione utaris. At contrà inutile est legere, nisi ea quæ legis intelligas. Immò damnosum est legere, lectaque intellexisse, nisi intellecta satis expendas ut de iis judicium ferrre possis; præsertim si tibi sit memoria tenax, vel si iis quæ legisti & intellexisti incautus assensum præbueris. Prior legendi ratio mentem illuminat, confirmat, adauget: posterior, minuit, debilitat, obscurat ac perturbat.

Jam autem qui aliorum opiniones scire gloriantur, posteriori tantùm modo student, Quò plùs legerunt, eò majore infirmitate & confusione laborat ipsorum ingenium. Quia, scilicet, vestigia ipsorum cerebri, utpote innumera, eáque indigesta, inter se confunduntur. Quæ confusio obstat quominus mens res distinctè imaginari ac sibi repræsentare possit. Mens quædam vestigia apertura, in alia magis usitata incidens, novam non quærit viam. Cùm enim cerebri capacitas non sit infinita, vix fieri potest quin ingens ille vestigiorum incompositorum

torum numerus interturbetur, confusionémque suam in ideas transferat. Nec aliam ob causam homines fœlici præditi memoriâ ad res accuratè judicandas inepti sunt, si casus magnam postulet attentionem.

Sed præcipuè animadvertendum est cognitiones quas ij sibi comparant qui sine meditatione legunt, & in eum duntaxat finem ut aliorum addiscant opiniones, uno verbo scientias illas quæ pendent à memoria animos inflare, quia videlicet magnum fulgorem præ se ferunt, ingentem cultoribus suis ingignunt superbiam. Unde fit ut qui isto scientiæ genere cæteris antecellunt, superbiâ prætumidi, judicium de cunctis ferendi jus immeritò sibi arrogent. Quæ temeritas ipsos in errorum numerum propè innumerabilem injicit.

Verùm falsa hæc eruditio pejori adhuc incommodo obnoxia est. Quippe homines hujusce commatis non sibi solis errant; sed omnia prætereà vulgi ingenia, & innumeros juvenes qui in ipsorum verba tanquam in articulos fidei jurant in eosdem secum errores convehunt. Istorum nempe juvenum ingeniis immani eruditionis pondere oppressis, atque opinionibus insolentibus & authorum antiquorum nominibus stupefactis ita invaluere falsi isti Doctores, ut ipsorum effata, oraculorum adinstar mirabundi exosculentur, & in omnes eorum opiniones cæco impetu pedibus eant. Nec id modò. Viri etiam cordati qui de illis hominibus nil unquam accepissent, vix possent à veneratione & assensu quodam temperare, si ipsos tam audacter, tam magnificè, tam graviter decidentes audirent. Cui enim species externa fucum non facit? Quemadmodum enim sæpe contingit ut thrasones malè habeant viros se fortiores, sed quibus est major prudentia atque moderatio; Ita qui res defendunt quæ nec veritatem nec verisimilitudinem habent, os sæpe obturant renitentibus, quia nempe ipsos imperioso, audaci, superbo aut gravi suo loquendi modo prævertunt.

Isti autem homines se ipsos adeò magnifaciunt, & cæteros adeò contemnunt, ut dudum contraxerint habitum, nescio quem, externum, fastuosum, gravitate quadam, fictáque modestiâ mixtum quo auditores præoccupant, & in suam trahunt sententiam.

Habitus enim ille externus quem singuli homines, pro variis sortibus, præ se ferunt, non aliunde oritur quàm à φιλαυτία quæ eos eò adducit ut de se non judicent per se ipsos, sed per relationem ad cæteros homines, ut cuilibet attento patebit. Habitus ergò superbus, & ferox est habitus hominis semetipsum magnifacientis, cæterorum existimationem susque deque habentis. Habitus modestus est habitus semet ipsum parvi ducentis, cæteros magni. Habitus gravis est habitus hominis sese maximi putantis, aliorúmque existimationem ambientis. Habitus verò simplex est habitus hominis suimet ipsius & aliorum parùm solliciti. Varii itaque corporis habi- [illegible]

met prosequimur, & cæteros homines quibuscum versamur; quippe secundùm hos gradûs diversum induimus oris & corporis habitum. Capite IV. analogiam illam mutuam quæ est inter nervos quibus passiones intùs excitantur, & nervos qui illas externo habitu, quem imprimunt, extrinsecùs contestantur, ostendimus.

CAPVT VI.

Homines studio deditos alicui ut plurimùm authori sese mancipare, adeò ut in il unum colliment, ut nempe quid ille author tenuerit, non verò quid tenendum sit, accuratè discant.

ALiud præterea est vitium quo plerique homines studio incumbentes laborant, quòd, videlicet, aliquo authore sese præverti sinant. Si quid veri & boni in libro quodam compererint, protinùs extrà legitimæ approbationis modum transeunt; in illo libro, si ipsis credas, nihil non est veri, nil non boni, nil non admirabilis. Ea etiam mirantur quæ non intelligunt, cæterósque in eandem secum admirationem adducere conantur. Ex laudibus quibus authores illos ornant, gloriam & famam aucupantur, quia nempe cæteris persuadent se illos (authores) omninò assequi; nec id exilem existimant jactantiæ materiam. Sese cæteris hominibus anteponunt, quia cujusdam antiqui Authoris, aut hominis, qui sua forte ipse scripta non intelligebat, ineptias, sese intelligere autumant. Quot eruditi viri in elucidandis Veterum Philosophorum, Poëtarúmque locis obscuris desudarunt? Quot etiam non parvi ingenij homines circa unius dictionis criticam aut authoris cujusdam sententiam summa cum voluptate versantur. Sed hæc exemplis comprobare par est.

Quæstio de immortalitate animæ est sanè maximi momenti; nec id Philosophis vitio vertendum est, quòd omnem, illius quæstionis solvendæ causa, moveant lapidem. Et quamvis ampla volumina, veritati invalidis rationibus probandæ destinent, quæ paucis posset demonstrari, excusatione tamen digni sunt. Sed quis risum teneat dum anxiè disputant quid circa id senserit Aristoteles. Quid, quæso, nobis hac ætate viventibus prodest, si sciamus an quondam extiterit homo quidam Aristoteles dictus, an ille libros scripserit suo nomine inscriptos; quid hoc vel illo loco scriptorum suorum intellexerit? Certè ejuscemodi rerum cognitio quemquam nec beatum nec infelicem reddere potest; at scire num illius authoris sententia vera sit, vel secùs, illud verò est maximi momenti.

Scire igitur quid Aristoteles de immortalitate animæ senserit inutile est, ut quod maximè, licèt utilissimum sit scire animam esse immortalem.

mortalem. Intereà tamen asseverare non dubitem plurimos Doctos de Aristotelis sententia super hac re, quàm de rei ipsius veritate magis sollicitos fuisse. Ut vel ex eo patet quòd libros conscripserint ex professo ad explicandum quid circa istud existimârit Aristoteles; non verò quid de hoc credendum esset.

Sed quamvis non pauci in disquirendo quænam fuerit Aristotelis sententia desudarint, oleum tamen & operam perdiderunt, cùm de hac nugatoria quæstione nondum aqud authores conveniat. Infelices certè Aristotelis sectatores qui magistrum habeant adeò obscurum, quique ipse etiam obscuritatem quandoque affectat, uti id testatur in epistola ad Alexandrum scripta.

Opinio Aristotelis circa animæ immortalitatem fuit igitur aliquandiù gravis & memorabilis quæstio inter Doctos. Sed ne id gratis me in medium proferre quis credat, non possum quin hic transcribam locum Lacerdæ, longum quidem & tædiosum, in quo hic Author varias congessit authoritates super hac re tanquam super quæstione momentosa. Hæc sunt ipsius verba in secundum caput *de resurrectione carnis Tertulliani.*

Quæstio hæc in scholis utrinque validis suspicionibus agitatur, num animam immortalem, mortalemve fecerit Aristoteles. Et quidem Philosophi haud ignobiles asseverarunt Aristotelem posuisse nostros animos ab interitu alienos. Hi sunt è Græcis & Latinis interpretibus Ammonius uterque, Olympiodorus, Philoponus, Simplicius. Avicenna, uti memorat Mirandula l. 4. De examine vanitatis, Capit. 9. Theodorus, Metochytes, Themistius, S. Thomas 2. Contrà gentes Cap. 79. & Phyl. lect. 12. & præterea 12. Metap. lect. 3. & quod lib. 10. qu.5. Art. 1. Albertus tract. 2. De anima Cap. 20. & tract. 3. Cap. 13. Ægidius lib. 3. De anima ad Cap. 4. Durandus in 2. dist. 18. qu. 3. Ferrarius loco citato contra gentes & late Eugubinus l. 9. De perenni Philosophia Cap. 18. & quod pluris est, discipulus Aristotelis Theophrastus, magis in mentem & ore & calamo novisse penitus qui poterat.

In contrariam factionem abiere nonnulli Patres, nec infirmi Philosophi; Iustinus in sua parænesi, Origenes in φιλοσοφουμένοις & ut fertur Nazianzenus in disp. contrà Eunom. & Nyssenus l. 2. de anima cap. 4. Theodoretus de curandis Græcorum affectibus l. 3. Galenus in historia Philosophica, Pomponatius l. de immortalitate animæ, Simon Portius l. de mente humana. Caietanus 3. de anima cap. 2. In eum sensum ut caducum animum nostrum putaret Aristoteles sunt partim adducti ab Alexandro Aprio de auditore, qui sic solitus erat interpretari Aristotelicam mentem, quamvis Eugubinus cap. 21. & 22. eum excuset. Et quidem unde collegisse videtur Alexander mortalitatem nempe ex 12. Metaph. inde S. Thomas, Theodorus melochytes immortalitatem collegerunt.

Porrò Tertullianum neutram hanc opinionem amplexum credo: sed putasse in hac parte ambiguum Aristotelem. Itaque ita citat illum pro utraque. Nam cum hic scribat Aristoteli mortalitatem animæ tamen l. de anima c. 6. pro contraria opinione immortalitatis citat. Eadem mente fuit Plutarchus pro utraque opinione advocant eundem Philosophum in l. 5. de placitis Philosophi. Nam cap. 1. mortalitatem

tribuit & cap.25. immortalitatem. Ex ſcholaſticis etiam, qui in neutram partem Ariſtotelem conſtantem indicant, ſed dubium & ancipitem, ſunt Scotus in 4. diſt. 43. qu. 2. art. 2. Harveus quod lib. 1. qu. 11. & 1. ſenten. diſt. 1. qu. 1. Niphus in opuſculo de immortalitate animę cap.1. & recentes alij interpretes, quam mediam exiſtimationem credo veriorem, ſed ſcholis lex vetat, ut authoritatum pondere librato iſtud ſuadeam.

Porrò omnium illarum citationum fides eſt penes Commentatorem; præterquam quod enim ipſarum veritatis adſtruendæ non eſt animus; non nobis ſuppetunt egregii illi libri ex quibus depromptæ fuerunt, aliæ etiam à nobis non afferentur, ipſi enim non invidemus gloriam eas ſincerè & accuratè collegiſſe; his adde quòd, qui eum in finem evolvere ſuſciperet vel ſolos indices commentatorum Ariſtotelis, otio ſuo miſerè abuteretur.

Ex hoc igitur Lacerdæ loco patet viros inter Doctos non infimæ notæ, multùm laboraſſe ut ſcirent quid Ariſtoteles de immortalitate animæ ſenſerit; nonnullóſque hac de re libros ſcribere non dubitaſſe, inter quos fuit Pomponacius. Id enim potiſſimùm ſibi proponit author ille, ut nempe demonſtret Ariſtotelem in ea fuiſſe ſententia ut exiſtimaret animam eſſe mortalem. Nec id modò. Nonnulli forte reperientur, qui non tantùm de Ariſtotelis ſententia circa hanc quæſtionem ſint anxij; Verùm etiam utiliſſimum putent ſcire an, Exempli gratiâ, Tertullianus, Plutarchus aut alij exiſtimarint, Ariſtotelem mortalitatem animæ crediſiſſe an verò ſecùs. Nec ab ejuſmodi ſententia valdè abhorrere videtur ipſe Lacerda ut cuilibet ad ultimam partem loci mox laudati attendenti patebit. Sic orditur ille locus *Porrò Tertullianus* &c.

Quòd ſi inutile ſit ſcire quid de immortalitate animæ crediderit Ariſtoteles, aut quid Tertullianus & Plutarchus de ipſo Ariſtotele circa id cenſuerint; Res tamen ipſa, ſcilicet immortalitas animæ, eſt veritas ſcitû planè neceſſaria. Sed innumera ſunt quorum cognitio eſt planè inutilis; quantò magis inutile erit varias circa illa Philoſophorum tenere ſententias? Illud tamen eſt quod ſagaciter quærunt non pauci. Libros videas circa res ejuſmodi examinandas à principio ad finem occupatos; ſuper his nugis quot inter doctos conflagraverunt bella? Vanæ illæ & ineptæ quæſtiones, ridiculæ inutilium opinionùm genealogiæ, præbent Doctis amplam critices materiam. Ejuſmodi ineptiarum contemptores ipſi iure merito contemnere debere credunt. Atque eos ut indoctos habent, quos hæc ignorare juvat. Genealogicam formarum ſubſtantialium hiſtoriam ſeſe ad unguem tenere arbitrantur, & niſi pro tantis meritis grates ipſis perſolvantur, tum hujus ſæculi homines ingrati arguunt animi. Heu quam iſtæc ingenii humani debilitatem & vanitatem clarè demonſtrant! Certè niſi ratio ſtudia dirigat, non modò ſtudia rationem non perficiunt, ſed illam potiùs obſcurant, corrumpunt, ac planè pervertunt.

Verùm, obſervandum hîc eſt, in quæſtionibus quæ circa fidem moventur,

moventur, eos non ineptire qui disquirunt, quid de iis, exempli gratiâ, senserit D.Augustinus, aut alius Ecclesiæ Pater. Nec etiam immeritò quæritur an Augustinus in eadem fuerit sententia ac Patres priorum sæculorum; quia scilicet, res fidei non possumus assequi nisi per traditionem, ratione in iis cæcutiente. Cùm antiquissima sententia sit etiam verissima, quid senserint antiqui operæ pretium est scire; id autem fieri nequit, nisi sententia multorum qui sese invicem exceperunt examini subjiciatur. At verò de rebus à ratione pendentibus res planè secus se habet, ut quid de iis credere consentaneum sit sciamus, veterum opinio nil nostrâ interest. Nescio tamen quâ mentis perturbatione nonnulli efferantur, si aliter quàm Aristoteles philosophari audeas, dum parùm curant, an in rebus Theologicis ab Evangelio, Patribus & Conciliis non discedas. Ij ut plurimùm qui adversus quasdam Philosophiæ veritates recèns compertas pertinaciùs obstrepunt quibusdam innovationibus, in Theologia detestandis, pertinaciùs adhærere & indulgere videntur. Ipsorum loquendi formulas non culpamus, quippe quæ usu comprobentur, licèt veteribus inusitatæ fuerint. Sed errores quos vocibus suis æquivocis & confusis obtegunt & offundunt, damnamus.

In rebus Theologicis antiquitas sectanda est, quia in ea veritas est recondita, jam autem veritate semel compertâ, abdicanda est omnis curiositas. At contrà in rebus Philosophicis non est fugienda novitas, etiá propter veritatis amorem. Hic enim curiositas non patitur metam, ut in rebus Theologicis. Si quis Aristotelem & Platonem infallibiles fuisse crederet, tum iis solis duntaxat intelligendis meritò fortè incumberet, sed quis id credat, cui saltem mens sana fuerit? quin rationes monet ipsos novis Philosophis inferiores esse, quippe bis mille annorum, quo temporis spatio illos Philosophos superamus, experientia, nos efficere debuit peritiores, ut jam dictum est. Certè recentes Philosophi omnes veritates à veteribus inventas possidere, iisque novas adstruere possunt. Ratio tamen vetat nos recentibus potiùs quàm antiquis fidem adhibere. Recentiorum cogitata ad examen revocare jubet assensúmque cohibere, donec veritas ita evidenter nobis affulserit, ut de ea ampliùs dubitare non possimus sine manifesta & ridicula præoccupatione.

CAPVT VII.

De praeconceptis Commentatorum opinionibus.

POrrò nulli sunt hominum, in quibus præjudicia conspicua magis se præbeant, quàm in Commentariorum scriptoribus. Quia scilicet hæc opera Viro cordato parum digna videtur, ideò authorum quos commentariis suis illustrare cœperunt admirationem apud omnes conciliare conantur. Semetipsos cum authoribus suis ita confundunt, ut unum eumdemque dicas hominem; tum verò φιλαυτία mirè suas agit partes. Authores igitur suos præconiis suis efferunt, ipsis lumen affundunt, ipsos gloriâ cumulant, hanc scilicet gloriam ad se redundaturam non ignari. Magnificæ illæ ideæ non modò Aristoteli Platoni nomen apud nonnullos conciliant, sed iis etiam qui illos authores commentati sunt parant venerationem. Ac inter Commentatores aliquis fortè reperietur qui commentariis scribendis animum non appulisset, nisi ad eandem cum Authore suo apotheosim adspirasset.

Non est tamen quòd quis putet me omnes Commentatores istius insimulare vitij; multi sanè suos laudant authores sine ulla ἀντιλαμψίας spe, quin potiùs istam vanitatem cum horrore refugiunt si ad rem tantillum attendant; illos igitur sincerè laudant, sine ulla affectatione. Id faciunt incogitantes; at verò si sint incogitantes; est φιλαυτία quædam imperceptа omnibus hominibus innata, quæ ipsis incautis laudes illas suggerit. Calorem cordi insitum non sentiunt homines, licèt cæteris corporis partibus vitam & motum communicet; sese tractent palpéntque necesse est ut illum queant sentire, quippe qui sit ipsis congenitus. Res eodem planè modo se habet de vanitate. Homini adeò naturalis est ut eam ipse non sentiat, & quamquam plerisque cogitationibus ipsius vitam, ut ita loquar, motúmque suppeditet, id tamen plerúmque agit impercepto prorsus modo. Ut vanitatis tuæ convincaris, tracta, palpa, scrutare teipsum. Nemo est qui satis exploratum habeat, vanitatem esse primum mobile quod cęteras actiones secum abripit; ipsa quidem φιλαυτία id non ignorat, sed eo fine ut illud hominis cognitioni subripiat.

Cùm igitur Commentator quandam relationem & affinitatem habeat cum authore quem suis exornat commentariis, certè non mirum est si φιλαυτία amplam ipsi subministret laudum segetem, ut eam posteà in suos usus convertat. Idque tam dexterè, tam subtiliter, tam callidè peragitur ut imperceptum prorsùs sit. Sed hìc omnes φιλαυτίας astutias detegendi non est animus.

Commentatores non laudant authores suos duntaxat quia in ipsorum

rum gratiam anteoccupati sunt, & quia hoc pacto sibimetipsis consulunt, sed etiam quia id ita solenne est, ut necessitas quædam sic agendi incumbat. Quidam reperiuntur, qui licèt non ingenti erga scientias quasdam & quosdam Authores ducantur amore, illos tamen (Authores) commentari non dubitant, quia scilicet officio quo inter homines funguntur, fortunâ, inconstanti quodam voluntatis impetu, aut aliâ quavis causâ, ad id laboris adducti sunt. Jam autem se ad id teneri arbitrantur, ut Authores suos ad astra hyperbolicè evehant; licèt Authores sint inepti, scientiæ abjectæ, & futiles.

Ac reverâ is ludibrium deberet qui Authorem commentari aggrederetur, quem ineptum judicaret, aut qui de materia, suo judicio, inutili scriberet. Hos igitur Authores hásque scientias quantumvis aspernabiles, ut suæ saltem famæ velificetur laudare debet. Et sic errâtum altero errâto rependitur. Hinc fit ut Viri non indocti, diversis Authoribus commentandis operam dantes, contradictoria sæpe proferant.

Hinc fit etiam ut penè omnes Præfationes, veritati ac sanæ rationi non consonent. Si Aristoteles commentariis explicetur, protinùs *genij naturæ* nomine condecorabitur. Si quis super Platone lucubret, tum erit *Divinus Plato.* In commentandis hominum operibus, pauci sunt qui simplici illorum hominum nomine contenti sint. Homines illi, si Commentatoribus credas, sunt homines planè Divini, sui sæculi prodigia, ac denique dona, ipsis peculiaria, cœlitùs acceperunt. De materia quæ tractatur res non secus se habet; illa nempe est omnium pulcherrima, nobilissima, & maximè necessaria.

Sed ne quis hìc sibi verba dari credat. Ad hunc modum Commentator maximi inter Doctos nominis, de Authore suo loquitur. Averroes de Aristotele. In Præfatione quam istius Philosophi Physicæ præmittit, dicit, Logicam, Ethicam & Metaphysicam ab Aristotele fuisse inventas & perfectas. *Complevit*, inquit, *quia nullus eorum, qui secuti sunt eum usque ad hoc tempus, quod est mille & quingentorum annorum, quidquam addidit, nec invenies in ejus verbis errorem alicujus quantitatis, & talem esse virtutem in individuo uno miraculosum & extraneum existit, & hæc dispositio cum in uno homine reperitur, dignus est esse divinus magis quàm humanus.* In aliis locis ipsum laudibus ornat longè magnificentioribus. ut 1. *de generatione animalium. Laudemus Deum qui separavit hunc virum ab aliis in perfectione, appropriavitque ei ultimam dignitatem humanam, quam non omnis homo potest in quacunque ætate attingere.* Idem Commentator dicit l.1. *destruc.* disp.3. *Aristotelis doctrina est* Summa Veritas *quoniam ejus intellectus fuit finis humani intellectûs; quare benè dicitur de illo, quod ipse fuit creatus & datus nobis Divina providentia, ut non ignoremus possibilia sciri.*

Quid illud est, quæso, nisi insanire? quis mentis compos hæc loquatur? sanè Commentatoris præoccupatio ad vesaniam & amentiam usque devenisse necesse est. Repetat, quæso, lector verba mox allata; & quæ addit in alio loco, *Aristoteles fuit Princeps per quem perficiuntur*

omnes sapientes, qui fuerunt post eum: licèt differant inter se in intelligendo verba ejus, & in eo quod sequitur ex eis. Intereà tamen istius Commentatoris opera per totam Europam & ulteriùs etiam dispersa fuêre. Ex Arabico in Hebraïcum idioma, ex Hebraïco in Latinum, & fortè in alia idiomata versa fuerunt; quòd satis evincit quanto apud Doctos fuerit pretio Commentator ille; adeò ut non putem afferri potuisse argumentum manifestiùs præoccupationis Doctorum. Hinc enim patet ipsos Authoris alicujus opinione non modò præverti, sed etiam sua præconcepta judicia aliis impertiri, pro existimatione quam sibi peperit Author ille: adeo ut falsis istis laudibus vulgus doctorum seductum cùm se ad illorum Authorum lectionem accingit, temerarias hauriat opiniones, atque hoc pacto errores erret non paucos. En aliud exemplum.

Vir inter Doctos insignis, qui Geometriæ & Astronomiæ Scholas instituit in Academia Oxoniensi, libro quem super octo prioribus Euclidis propositionibus composuit, in hæc verba orditur. *Consilium meum, Auditores, si vires & valetudo suffecerint, explicare definitiones, petitiones, communes sententias, & octo priores propositiones primi libri elementorum; cætera post me venientibus relinquere;* & eundem librum his verbis absolvit. *Exolvi per Dei gratiam, Domini Auditores, promissum, liberavi fidem meam, explicavi pro modulo meo definitiones, petitiones, communes sententias & octo priores propositiones elementorum Euclidis. Hic annis fessus cyclos artémque repono. Succedent in hoc munus alij fortasse magis vegeto corpore, vivido ingenio, &c.* Certè ingenio mediocri una hora sufficiet, ut per se, vel opitulante inter Geometras minimo, definitiones, petitiones, axiomata & primas Euclidis propositiones addiscat. Vix ullâ egent explicatione. Hic tamen Author de isto opere tanquam de dura & ardua provincia loquitur. Veretur ut vires sibi deficiant, *Si vires,* inquit, *& valetudo suffecerint.* Opus imperfectum posteritati perficiendum relinquit. *Cætera post me venientibus relinquere.* Deo gratias agit, quod indulgentiâ speciali, ipsi concesserit promissum exolvere. *Exolvi per Dei gratiam promissum liberavi fidem meam, explicavi pro modulo meo, quid?* quadraturam circuli? duplicationem cubi? minimè verò. Præclarus ille vir explicavit *pro modulo suo* definitiones, petitiones, axiomata, & octo priores propositiones primi libri Euclidis. Fortè inter successores aliquis reperietur cui firmior suppetat valetudo majorésque vires quô tantùm opus possit perducere. *Succedent in hoc munus, alij* Fortasse *magis vegeto corpore & vivido ingenio.* Ipsum jam quiescere par est. *Hic annis fessus cyclos artémque reponit.*

Profectò cùm Euclides sua composuit elementa, non tanta existimavit se obscuritate laborasse, aut res adeò extraordinarias in medium protulisse, ut commentario trecentis aut circiter paginis constanti indigeret, ad suas explicandas definitiones, petitiones, & octo primas propositiones primi sui Libri. At Doctus ille Anglus Euclidis scientiam

In quarto.

tiam

tiam ita potuit exaggerare, ut si per tempus & vires licuisset, duodecim aut quindecim ampla volumina circa Geometriæ elementa haberemus quæ hujus scientiæ tyronibus, plurimùm, si Deo placet, utilia essent, & ad Euclidis gloriam summoperè cederent.

Hæc sunt ἀπροσδιόνυσα, falsæ eruditionis consilia. Author ille Græcam callebat linguam, ipsius enim lucubrationibus opera Chrysostomi Græcè edita debemus. Veteres fortè Geometras perlegerat, ipsorum propositiones ut & genealogiam historicè tenebat. Antiquitatem eadem colebat veneratione quâ veritatem par est colere. Sed quid ex ista ingenij dispositione resultat? Commentarius scilicet definitionum nominis, petitionum, axiomatûm & octo primarum propositionum Euclidis, quem (commentarium) intelligere ac memoriæ mandare longè difficilius est, quàm ipsas propositiones quas explanare aggreditur; quid dico propositiones? totus ipse Euclides faciliùs intelligetur quàm hi Commentarij.

Multi equidem ex vanitatis principio, linguam Græcam aut etiam aliam quam non intelligunt, usurpant. Quippe Dictionaria, indices, & loci communes, ingentem plurimis Authoribus conferunt opem. Sed quis ad id adducatur, ut linguam Græcam adhibeat, ubi Græcè loqui adeò absurdum est? Hinc infero Authorem illum non alio ad Euclidem commentandum principio impulsum fuisse, quàm ingenti quâ in illius gratiam tenebatur, præoccupatione & opinione.

Certè si rationem adhibuisset non verò memoriam in illa re quæ solâ indiget ratione, aut si eodem erga veritatem motus fuisset amore & veneratione, ac erga Authorem cui commentarios adscripsit; non potuisset, quin longo tempore in id tam exile opus consumpto, tandem fassus fuisset; definitiones quas Euclides tradit de angulo plano, & de lineis parallelis esse vitiosas, nec eorum naturam satis explicare; secundam propositionem esse ineptam, quippe quæ non possit probari nisi per tertiam petitionem, quæ non potest concedi nisi concessâ secundâ propositione. Nam concedendo tertiam petitionem, posse, nempe, describi ab unoquoque puncto circulum cujuslibet intervalli; id inquam, concedendo, non modò conceditur ex puncto lineam duci alteri lineæ æqualem, quod in hac secunda propositione Euclides magnis demonstrat circuitibus & ambagibus; sed etiam conceditur duci ex unoquoque puncto numerum linearum infinitum cujuslibet longitudinis.

Sed plerique Commentatores non sibi proponunt elucidare suos Authores, aut veritatem inquirere, suam tantùm eruditionem ambitiosè ostentare, & Authorum suorum vitia propugnare habent in consiliis. Non tam loquuntur, ut sui & Authorum suorum intelligentiam lectoribus dent; sed ut admirationem & sibi & illis concilient. Nisi Commentator ille, de quo sermo est, citationibus Græcis, multisque Authorum ignobilium nominibus, & aliis Scholiis ad intelligendas notiones communes, definitiones nominis, & petitiones Geometriæ

prorsùs

prorsùs inutilibus suum implessent librum, quis quæso illum legisset? quis admiratus esset? quis titulo Docti & ingeniosi viri nomine ipsum condecorasset?

Nemo est, opinor, qui, his auditis, non fateatur lectionem Authorum, incautum ingenium sæpissimè antevertere. At verò statim atque homo præjudiciis sese implicari sivit, mentem sanam, seu * sensum, quem vocant, communem, ampliùs non habet. De omnibus quæ ad sua præjudicia aliqua conformitate referuntur, sinistrè judicat; iis omnes suas inficit cogitationes. Si res à præjudiciis suis sint prorsùs alienæ, iis animum appellere nequit. Ita Sectatori Aristotelis Aristoteles solus sapit. De cunctis judicat relatè ad Aristotelem, quicquid isti Philosopho adversatur id falsum existimat. Ei aliquis Aristotelis locus semper præsto erit, illum semper & ubique laudabit, obscura & omnibus ignota, non secus ac evidentia & vel pueris nota ex Aristotele probabit; quia, nempe, Aristoteles est ipsi, quod aliis ratio & evidentia esse solent.

* Le sens commun.

Pariter si quis Euclidi & Geometriæ studio sese mancipârit, omnia ad lineas referet & ad propositiones Authoris sui. Nec unum proferet verbum nisi relatè ad scientiam cui incumbit. Totum erit majus suâ parte, quia, nempe, id dixit Euclides, nec ipsum pudebit Euclidem laudare ut id probet, ut aliquando observavi, sed id in aliis Authoribus à Geometra alienis multò magis solenne est, videas enim libros prolixis sententiis Græcis, Hebraïcis, Arabicis refertos, ad probanda quæ evidentissima sunt.

Jam autem hujusce vitij hæc est causa; objecta scilicet quibus præventi fuerunt, vestigia adeò alta fibris ipsorum cerebri impresserunt, ut semper hiulca maneant; spiritibus animalibus, ob perpetuum fluxum, ea claudi non sinentibus. Quum itaque mens cogitationes istis vestigiis alligatas necessariò habeat; ipsarum veluti mancipium evadit: Illæ cogitationes eam perpetuò sollicitant & interrumpunt; etiam cùm erroribus agnitis occurrere contendit. In perpetuum igitur erroris discrimen adducitur, nisi semper sibi præcaveat, & canonem initio libri traditum constanter observet, hoc est, nunquam assentiatur nisi rebus evidentissimis.

Hîc non loquor de plerorumque hominum communi errore, qui in eligendo studij sui genere sunt incauti & infelices. Hæc pertinent ad Ethicam, licèt ad ea quæ de præoccupatione præmisimus etiam referri possent. Is enim certè falso motus præjudicio agit, qui se totum Rabbinorum, & linguarum quarumlibet incognitarum ac proinde inutilium studio ita addicit, ut in iis totam vitam miserè consumat; Falsâ illâ adductus spe fore ut in virum doctum aliquandò evadat licèt hoc studij genere non possit unquam ullam sibi parare veram scientiam; sed quia hæc occupatio non tam erroris quàm jacturæ temporis & stultæ vanitatis causa est, eos prætermittemus qui in ejusmodi scientiis abjectis aut inutilibus magnos progressus facere nituntur.

CAPUT

CAPVT VIII.

I. De novorum systematum inventoribus. II. Ultimus error eorum qui studio scientiarum operam dant.

QUomodo se habeat eorum imaginatio qui studio scientiarum operam navantes, nihil admittunt quod Authorum quorundam non innitatur authoritate, supra patefecimus. Alij sunt istis valdè oppositi. Apud hos, Authores, etiam spectatissimi, nullius sunt pretij. Authores quidem olim æstimabant, sed mutato consilio, semetipsos inter Authores accensuerunt; auram popularem capturi, novæ alicujus hypotheseos inventores audire gestiunt, ea scilicet adducti spe, sibi inaudita afferentibus non defuturos admiratores.

Istud genus hominum imaginatione forti ut plurimum pollent; fibræ eorum cerebri ita sunt dispositæ, ut vestigia sibi impressa diù conservent. Ubi igitur novum systema aliquam verisimilitudinem præ se ferens apud se imaginati sunt, ipsos ab errore depellere frustra labores. Quicquid ipsorum sententiam tantillùm stabilit, id exosculantur & tenaciter conservant, dum contrà objectiones sibi factas ne animadvertunt quidem, aut futili aliquâ distinctione eludunt. Ob istud ingenij figmentum intùs sibi congratulantur, magnam ex eo sperantes existimationem in sola veritatis specie, quam referunt verisimiles ipsorum opiniones, contemplanda attenti sunt, ab imagine illa oculos non deflectunt; at verò cæteras opinionum suarum facies quæ ipsas falsitatis possent arguere, veluti per transennam tantùm adspiciunt.

Ut verum aliquod formetur systema magnæ requiruntur ingenij dotes; Multùm enim acuminis, & penetrationis habere non sufficit; sed prætereà quædam mentis sublimitas & magnitudo necessariæ sunt, quibus multa uno intuitu possint conspici. Mediocribus ingeniis, licet vivacissimis & subtilissimis, non ea tamen est capacitas, quâ omnia ad legitimum instituendum systema necessaria, possint intueri & complecti. Levioribus terrentur difficultatibus aut debilioribus perstringuntur splendoribus, nec visum suum ita possunt producere, ut integrum amplæ alicujus materiæ corpus eodem tempore contueri possint.

Sed frustrà mens ingenti pollet capacitate & perspicacitate, nisi prætereà affectibus & præjudiciis vacet; nil ab ea sperandum est: præjudicia alteram mentis partem occupant, alteram inficiunt, affectus inordinati ideas mille modis confundunt; & illud plerunque in objectis nobis repræsentant, quod in iis reperire exoptamus. Cùm etiam vehementiori veritatis amore flagramus, is ipse amor nos sæpe fallit,

Verùm cupido illa quâ Doctorum nomen & famam ambimus, nos præcipuè arcet à vera comparanda ſcientia.

Perpauci igitur extant qui nova ſyſtemata condere poſſint; permulti tamen reperiuntur ſyſtematum inventores. Inter eos qui ſtudio multam conferunt operam pauci ſunt, qui ex notionibus communibus ratiocinentur. Aliquid ſemper ſingulare eſt & anomalum in ipſorum ideis; nec hinc obſcurè liquet ipſos aliquo ſyſtemate ſibi peculiari niti, omnes ipſorum libri id quidem haud manifeſtant; nam cùm ſcriptum aliquod publici juris facimus ad ea quæ ſcribuntur propiùs attendimus: & ſæpè ſola attentio ſufficit ut erroris convincamur. Libri tamen quidam ſubinde prodeunt in lucem, ex quibus id facilè concludas: ſunt enim Authores quos ab initio patefacere juvat, ſe aliquod novum inveniſſe ſyſtema.

Præjudicia quæ in Authorum quorundam gratiam concipiuntur, valdè augent numerum eorum qui nova formant ſyſtemata; hi, nempe, cùm in Authoribus quos amplexati fuerant nil veri & ſolidi reperiant quoſlibet libros primò faſtidiunt, novam deinde opinionem aliquâ veriſimilitudine veſtitam, ambabus amplectuntur ulnis, & in ea eo quo diximus modo ſeſe magis ac magis confirmant.

Ut verò ingens ille erga novam opinionem ſuam, amoris æſtus deferbuit, aut ad ipſius examen accuratiùs adacti ſunt, ipſam publicam facturi, tum ipſius falſitatem agnoſcunt; eâ tamen lege atque conditione ut alias opiniones nunquam ſint amplexuri, eóſque omnes damnent, qui ſe veritatem aliquam comperiſſe profitebuntur.

II. *Error inſignis eorum qui ſtudio incumbunt.*

Ultimus itaque & maximè periculoſus errorum, multorum qui ſtudio incumbunt in eo conſiſtit, quòd nihil poſſe certò ſciri arbitrentur, plurimos libros antiquos & recentes perlegerunt, nulla in iis veritate compertâ, multa egregiè cogitaverunt, quæ ad ſerium examen revocata falſa ipſis viſa ſunt. Hinc inferunt omnes ſibi ſimiles eſſe; nec dubitant quin ij qui ſe aliquam reperiſſe veritatem exiſtimant ſententiam illicò mutarent, ſi ut ipſi fecerunt, cogitationes ſuas ad judicij trutinam perpenderent. Illos itaque damnant nullo ampliori admiſſo examine. Quid enim? ſi non damnarent, ipſis ingenij palmam cedere viderentur; quod quidem veriſimilè non putant.

Eos igitur pertinaces ducunt qui ſe aliquid certò tenere aſſeverant; nec ferunt ſcientias haberi, ut veritates evidentiſſimas, extrà omnem legitimæ dubitationis aleam, poſitas, ſed tantùm ut opiniones quas ignorare non expedit. Illos tamen homines attendere velim, ſe omnes libros nondum legiſſe quamquam innumeros propè legerint; aut ſi omnes legerunt, cum ea quæ ſanè neceſſaria eſt attentione non legiſſe; ſeque omnes cogitationes poſſibiles non habuiſſe, licèt multas habuerint egregias quas falſas deprehenderunt; alióſque ideò reperiri poſſe qui ſcopum propiùs attigerint. Nec omninò neceſſe eſt alios illos homines eſſe ingenio ipſis perſpicaciori, ſi demùm id eos malè habet, ſufficit ſi feliciores fuerint. Certè qui aſſerit ſe res evidenter

denter apprehendiſſe quæ ipſi ignorant, nullam iis infert injuriam; quippe multa ſæcula non ſecùs ac ipſi eas ignorarunt veritates; non quod præclara defuerint ingenia, ſed quòd ipſis res primâ fronte non bene ceſſerit.

Ne igitur ægrè ferant ſi quis oculatus de iis quæ clarè videt, loquatur, ad ea quæ ipſis proponuntur animum advertant (ſi id demùm poſt tot errores à ſe poſſint impetrare) deinde judicent, nil obſtat. At ſi quicquam examinare recuſent, ſileant ſaltem: attendant, quæſo, an id reſponſi quod iis dare ſolent à quibus interrogantur ſit legitimum, *illud eſt quod ignoratur; nemo id hactenùs aſſequutus eſt*; certè ut hæc reſponſio ab iis fiat legitimè, neceſſe eſt ut exiſtiment ſe omnia ſcire quæ omnes alij ſciunt, aut ab omnibus aliis poſſunt ſciri; ſi id enim de ſe non crederent ipſorum reſponſum eſſet etiam abſurdius. Cur ignorantiam ſuam fateri ipſis durum videtur in hypotheſi, cùm in theſi ſe nihil ſcire profiteantur? Et cur ex ſua ignorantia omnium hominum ignorantiam inferre volunt?

Tria ſunt igitur hominum ſtudio deditorum genera. Alij Authori cuidam, aut ſcientiæ inutili, ſeu falſæ, ſerviliter & immeritò ſe dedunt, Alij propriis ſe lactant chymæris. Poſtremi denique, ex duobus primis plerumque coaleſcentes, omnia ſcibilia ſe ſcire credunt; quia autem ſe nihil certò & evidenter tenere, exploratum habent, hinc concludunt generaliter nil poſſe evidenter cognoſci, & quicquid ipſis proponitur ut meras opiniones habent.

Triplicis iſtius hominum generis vitia ex proprietatibus imaginationis capite X. & XI. expoſitis, & præcipuè ex prima manare clarum eſt. Id oritur ex præjudiciis quæ ipſorum mentem occæcant, eámque ab aliis objectis avertunt; Præjudicia ſunt eorum menti, id quod Principum Miniſtri, ſunt ipſis Principibus, quemadmodum enim Miniſtri eos omnes à Dominorum ſuorum conſpectu arcent, qui pro ipſis non ſtant vel qui eos deturbare poſſent; ſic præjudicia illorum hominum non permittunt menti introſpicere ideas objectorum puras & intemeratas; ſed eas fuco obducunt; ſuo veluti ſymbolo & teſſerâ eas induunt; eas deinde ſic larvatas menti objiciunt; adeò ut vix poſſit errores agnoſcere, & exuere.

CAPUT IX.

I. De ingeniis effæminatis. II. De ingeniis ſuperficiariis. III. De viris authoritate præditis. IV. De iis qui experimenta faciunt.

QUæ jam diximus ſufficere mihi videntur ut generalia imaginationis eorum qui ſtudent vitia, & errores ipſis frequentiſſimos agnoſcamus. Quia autem pauci, ſi illos excipias, ad veritatis inveſti-

gationem ſeſe accingunt, cæteri verò ipſorum authoritate & teſtimonio nituntur. Huic ſecundæ parti poſſemus hîc finem imponere. Haud abs re tamen exiſtimamus aliquid de erroribus cæterorum hominum perſtringere; eos enim cognoſcere non eſt planè inutile.

I. *De ingeniis effeminatis.* Quicquid ſenſus delectat nos vehementer afficit, jam autem quò vehementiùs rebus afficimur, eò magis etiam iis attendimus. Quòcirca qui voluptatibus quibuſlibet maximè ſenſibilibus & jucundiſſimis indulgent, veritates paulò difficiles non poſſunt penetrare; quia ipſorum mens, utpote non infinita ipſis voluptatibus tota occupatur, aut ſaltem diſtringitur.

Plerique Magnates, aulici, divites, juvenes, ac ij qui * *elegantium, ingeniorum* nomen ſibi arrogant, in perpetuis voluptatibus verſantes, idque ſibi ſolum negotij in ſe ſuſcipientes ut placeant, concupiſcentiámque & ſenſûs excitent; tantam in hiſce rebus peritiam, ſeu potiùs tantam mollitiem acquirunt, ut eos potiori jure dicas eſſe ingenia effeminata, quàm ingenia ſubtilia & expolita, ut id falsò exiſtimant. Multùm enim differt vera ingenij ſubtilitas & elegantia, à mollitie, licèt hæc duo vulgò confundantur.

* Beaux eſprits.

Ingenia ſubtilia & perſpicacia illa ſunt, quæ ratione duce, vel minimas rerum differentias dignoſcunt, effectûs à cauſis occultis inuſitatis, & imperceptis pendentes proſpiciunt; ea ſunt denique quæ objecta ſibi propoſita penitiùs introſpiciunt. Ingenia verò mollia nihil habent præter falſam ſubtilitatem. Nec vivida ſunt, nec perſpicacia; ne effectûs quidem à cauſis ſenſibilibus & manifeſtiſſimis procedentes vident, nil denique capiunt & penetrant; at verò circa ſenſibiles agendi & loquendi modos ſunt delicatiſſimi. Vox barbara, aut obſoleta, accentus Provinciæ alicui familiaris, invenuſta oris compoſitio, ipſos longè vehementiùs offendunt quàm invalidæ rationes. Argumenti vitium non percipiunt, dum vel minima in periodo ſeu geſtu irregularitas ipſos fugere nequit. Quid plura? Rerum ſenſibilium ſunt peritiſſimi, utpotè qui perpetuo ſenſuum uſu ſint exercitati. At verò quia ratione ſuâ nunquàm ritè uſi ſunt, res à ratione pendentes non intelligunt.

Illi tamen ſunt homines quorum fama viget, præclara facilè habentur ingenia. Si quis enim liberè & expeditè loquatur, ſi vocibus utatur terſis & exquiſitis, ſi figuris utatur quæ ſenſus demulceant, affectúſque imperceptо quodam modo excitent; is certè ex vulgi ſententia, erit ingenium elegans, ſubtile, delicatum; licèt nil veri nil boni, nil non inepti blateret. Nemo eſt qui videat iſtum hominem adeò decantatum; molli, atque effœminato pollere genio, & falſis tantùm circumfulgere ſplendoribus, qui mentem nunquam illuminant; ac eum oculos noſtros duntaxat, non verò rationem alloqui, & perſuadere.

Porrò omnes homines hoc vitió ſupra notato aliquatenus teneri, non inficiamur. Nemo eſt inter illos qui ſenſuum impreſſionibus ita ſe

ſe ſubducat ut externis agendi & loquendi modis paulùm non adhæreſcat. In eo omnes homines non aliter differunt quàm ſecundùm magis & minùs. Sed ideò quibuſdam id vitium ſpeciatim tribuimus, quia nonnulli ſunt qui agnitum illud, ſedulò corrigere ſatagunt; at ij; de quibus ſumus loquuti, id tanquam præſtantem ingenij dotem exiſtimant & fovent. Non modò non agnoſcunt falſam iſtam ingenij ſubtilitatem non aliunde oriri quam à muliebri mollitie, & compluriun errorum originem eſſe; ſed illam arbitrantur eſſe invictum ingenij ſui ſublimitatis argumentum.

Hiſce poſſunt accedere innumera ingenia levia ac ut ita dicam ſuperficiaria, quæ res nunquam penitùs inſpicientes,nil præter ipſarum veluti corticem ac ſuperficiem attingunt; & differentias non niſi, confusè diſcernunt. Non ipſorum culpâ quidem, ut in aliis: ipſorum ingenium voluptatibus ſenſibilibus non fuit coarctatum, ſed quia ingenio ſunt natura exili. Nec putandum eſt iſtam ingenii exilitatem ex mentis naturâ pendere: Illa ingenij tenuitas nonnunquam ex inopia aut tarditate ſpirituum animalium, interdùm ex inflexibilitate fibrarum cerebri, aliquandò etiam ex immoderatâ ſpirituum & ſanguinis copia, aut ex alia quavis cauſa, quam tenere neceſſum non eſt, oritur. II. *De ingeniis ſuperficiariis*

Duplex igitur eſt ingeniorum genus. Alia differentias rerum facilè perſpiciunt, atque illa ſunt recta ingenia. Alia mutuam inter eas imaginantur & ſupponunt ſimilitudinem, & iſta ſunt ingenia, quæ ſuperficiaria diximus. Priora habent cerebrum veſtigiis objectorum claris & diſtinctis excipiendis idoneum, & quia ad ideas iſtorum veſtigiorum ſedulò attendunt; in iſtis objectis nihil eſt quod ipſos fugiat. At verò ingenia ſuperficiaria excipiunt duntaxat debilia & confuſa objectorum veſtigia. Ipſa tantùm veluti per nebulam vident & ideò ſimilia eis videntur, ut facies illorum quos eminùs adſpicimus, ſimiles nobis apparent: quia mens ſupponit ſemper ſimilitudinem & paritatem, ubi nullam neceſſariam agnoſcit differentiam & imparitatem, ut id libro tertio ſum probaturus.

Qui orationes habent ad populum, qui loquaces dicuntur, & multi etiam inter eos qui facilè mentem ſuam aperiunt, quamvis rarò loquantur, iſtius ſunt ordinis. Qui enim ſeriò & accuratè meditantur, meditata clarè eloqui rariſſimè queunt. Hæſitant ſæpè, quia terminis qui falſas in Auditoribus excitent ideas uti verentur. Cùm ipſos loqui pudeat eo tantùm fine ut loquantur, multorum adinſtar, qui de omnibus audaciter garriunt, ideò cogitationes non vulgares verbis, ut par eſt,exprimere multùm laborant.

Quamvis ingenti colamus veneratione viros pios, Theologos, ſenes, & eos omnes in genere qui magna apud homines valent authoritate; de iis tamen id dicere nobis liceat; ſæpiſſimè, videlicet, contingere ut ſe credant erroris immunes, quia à cæteris hominibus magnâ cum reverentiâ auſcultantur; quia ratione ſua rarò utun-

tur ad assequendas veritates speculativas ; & quia quodlibet, nullo examine admisso, liberiùs damnant. Haud equidem id iis vitio damus, quòd plurimis scientiis minimè necessariis animum non appellant; quin ipsas prætermittant aut etiam adspernentur, per nos licet, sed de iis saltem ne temerè & ea arbitrio judicent. Attendant potiùs gravitatem istam quam præ se ferunt inter loquendum, authoritatem quam sibi in alios acquisiverunt, consuetudinem illam qua dicta sua aliquo scripturæ sacræ loco confirmare assueverunt, hæc omnia, inquam, in errores ineluctabiles injectura esse auditores suos, qui cùm non possint res penitùs examinare, modis externis & specie sensibili sese præverti sinunt.

Error veritatis specie indutus majorem sæpè sortitur venerationem, quàm ipsa veritas. Jam illegitima illa veneratio multa secum trahit incommoda. *Pessima res est errorum apotheosis, & pro peste intellectûs habenda est, si vanis accedat veneratio.* Cùm itaque nonnulli, Cacozelo aut suarum cogitationum amore ducti; Scripturâ innixi fuerunt ut falsa stabilirent Physicæ aut alius scientiæ principia ; Sectatores habuerunt qui ipsorum effata oraculorum instar hauserunt, propter scripturæ authoritatem, qua freti authores illi sensa sua propinaverant ; Sed hinc etiã factum ut homines quidam, quibus mens erat læva, inde arripuerint occasionem spernendi Religionem, adeò ut, stupenda inversione, scriptura sacra nonnullis fuerit errandi causa, alios verò veritas ad impietatem impulerit. Cavendum igitur est ne mortua quæramus inter viva uti observat Author mox laudatus; nec est quod quis proprio spiritu suo ea invenire speret in scriptura, quæ Spiritus Sanctus in ea non declaravit. *Ex Divinorum & humanorum malesana admixtione*, pergit ille, *non solùm educitur Philosophia phantastica, sed etiam Religio hæretica, Itaque salutare admodum est si mente sobriâ fidei tantum dentur, quæ fidei sunt.* Qui itaque aliquâ in alios authoritate pollent, eò cautiores esse debent in decisionibus suis, quò plures habent sectatores. Et Theologi præcipuè videant ne falso zelo moti, aut etiam famæ & opinionibus suis consulentes Religionem in contemtum adducant. Quia verò ipsos sui officij monere meum non est, audiant Divum Thomam ipsorum Doctorem, qui interrogatus à Generali suo quid de articulis quibusdam sentiret, ex B. Augustino ad hunc modum respondit.

Multùm autem nocet alia quæ ad pietatis doctrinam non spectant, vel asserere vel negare, quasi pertinentia ad Sacram doctrinam. Dicit enim Augustinus in 5. Confess. cùm audio Christianum aliquem fratrem ista, quæ Philosophi de cælo aut stellis & de Solis motibus & Luna dixerunt, nescientem, & aliud pro alio sentientem, patienter intueor opinantem hominem; nec illi obesse video cùm de te, Domine Creator omnium nostrorum, non credat indigna, si fortè sitûs & habitûs creaturæ corporalis ignoret. Obest autem si hæc ad ipsam doctrinam pietatis pertinere arbitretur, & pertinacius, affirmare audeat quod ignorat. Quod autem obsit manifestat Augustinus in 1. super Genes. ad literam turpe est, inquit, nimis,

nimis, & perniciosum ac maximè cavendum, ut Christianum de his rebus quasi secundùm Christianas literas loquentem, ita delirare quilibet infidelis audiat, ut quemadmodùm dicitur toto cœlo errare conspiciens; risum tenere vix possit. Et non tamen molestum est, quod errans homo videatur: sed quod Authores nostri ab eis qui foris sunt, talia sensisse creduntur, & cum magno eorum exitio, de quorum salute satagimus, tanquam indocti reprehenduntur atque respuuntur. Unde mihi videtur tutius esse, ut hæc quæ Philosophi communes senserunt, & nostræ fidei non repugnant, neque esse sic asserenda, ut dogmata fidei, licet aliquandò sub nomine Philosophorum introducantur, neque sic esse neganda tanquam fidei contraria, ne sapientibus hujus mundi contemnendi doctrinam fidei occasio præbeatur.

Tanta est plerisque hominibus negligentia & imprudentia, ut verbum Dei ab hominum verbo non distinguant, ubi simul juncta sunt, adeò ut utrique assentiendo in errorem, utrumque contemnendo in impietatem incidant, nullo etiam negotio horumce errorum causa potest afferri, manant scilicet ex illâ quam Capite XI. exposuimus idearum analogia. Nec iis explicandis diutiùs insistere opus est.

De Chymicis, & in genere de iis omnibus qui faciendis experimentis animum adjungunt, operæ pretium est aliquid hic subnectere. Ii veritatem scrutantur: Ipsorum placita sine ullo examine à plerisque accipiuntur. Itaque errores ipsorum eò magis sunt noxij, quo faciliùs aliis hominibus communicantur. IV. *De iis qui experimenta faciunt.*

Naturam equidem investigare quàm libros evolvere præstat; experimenta sensibilia res certiùs sanè demonstrant quàm ratiocinia hominum. Nec eos qui ad Physicæ studium adiguntur, possumus culpare, quòd in eâ perpetuis experimentis progressus edere conentur; dummodò scientiis utilioribus majorem etiam conferant operam. Philosophiam igitur experimentalem aut ipsius studiosos non damnamus, sed tantùm illorum vitia.

Primum illorum in eo situm est, quòd ut plurimum non ratione, sed fortuna duce sua faciant experimenta; adeò ut ingenti in iis consumpto tempore & argento nec doctiores nec peritiores evadant.

Secundum in eo est quòd curiosis & extraordinariis experimentis potiùs incumbant quàm usitatissimis. Cùm tamen experimenta magis familiaria sint etiam simpliciora, manifestò patet his animum esse priùs applicandum, quàm illis quæ sunt complexiora, & à majori causarum numero dependent.

Tertium est, quòd experimenta lucrativa avidè & accuratè quærant, dum ea negligunt quæ menti illuminandæ duntaxat inserviunt.

Quartum in eo consistit quòd omnes circunstantias peculiares, temporis, loci, qualitatis simplicium quibus utuntur, accuratè satis non observent; quamvis nulla sit ex illis circunstantiis quæ si sedulò non advertatur, non possit effectum experimenti morari. Observandum enim est omnes terminos quibus utuntur Physici esse æquivocos; vox illa, vinum, exempli gratiâ, tot varia significat, quot varia sunt soli ingenia:

ingenia, variæ tempestates, variæ vini conficiendi & conservandi rationes; adeò ut in genere possimus negare, duo dari dolia vini planè similia. Quum itaque Physicus ait; ad hoc faciendum experimentum sume vinum, quid sibi velit non intelligis nisi confusè admodùm. Magna igitur cautione utendum est in experimentis: nec ad composita veniendum, quin priùs simpliciora & magis ordinaria accuratè fuerint intellecta.


Quintum ex eo fluit, quòd ex uno experimento plures æquo eliciant consequentias. Cùm contrà multis opus sit experimentis, ut rem unam possis legitimè inferre, quamvis unicum experimentum multis deducendis conclusionibus conferre possit.

Denique Physici, & Chymici nil ut plurimum animadvertunt præter effectus naturæ speciales, ad primas rerum notiones ex quibus constant corpora nunquam ascendunt. Certò tamen constat neminem posse specialia Physicæ phænomena clarè & distinctè cognoscere, nisi generaliora teneat principia, & etiam ad Metaphysica transcendat. Vires tandem & animus ipsis ut plurimùm deficiunt, labor & impensa ipsos terrent & lassant. Multa sunt alia vitia in iis de quibus sermo fuit. Sed cuncta dicendi non est animus.

Hujuscemodi vitiorum causæ sunt minor applicatio, imaginationis proprietates cap. X. & XI. explicatæ, & quia etiam de differentiis & mutationibus corporum non aliter judicamus quàm ex sensationibus nostris, ut primo libro dictum est.



PARS




PARS TERTIA.

De Communicatione contagiosa imaginationum fortium.

CAPUT PRIMUM.

I. De illa dispositione quâ ad alios in omnibus imitandos propendemus, unde manat communicatio errorum qui ab imaginationis facultate dependent. II. Duæ causæ principales quæ illam augent dispositionem. III. Quid sit imaginatio fortis. IV. Eam esse multiplicem. De insanis, ac de iis qui imaginationem fortem secundum sensum hic explicatum habent. V. Duo vitia memorabilia eorum qui habent imaginationem fortem. VI. Quàm sint idonei ad persuadendum & fucum faciendum.



POSTQUAM explanavimus naturam imaginationis, variáque ipsius vitia, & quomodo ab ipsâ in errorem conjicimur, restat ut in hoc secundo Libro de Communicatione contagiosa imaginationum fortium loquamur, hoc est, de vi illa quâ nonnulli homines, in suos errores alios possunt facilè pellicere.

Imaginationes fortes sunt admodum contagiosæ: in debiles dominantur; ea paulatim ad sui normam inflectunt, eosdem ipsis insculpunt characteres. Cùm igitur homines quibus sunt ideæ peculiares & imaginatio fortis ac vivida rationis modum plerunque excedant; paucæ sunt errorum humanorum causæ generaliores, hac perniciosâ imaginationis communicatione.

Ut istius contagionis natura, & quomodo transmittatur possit percipi, sciendum est omnes homines mutuò indigere auxilio; & ad id fuisse creatos ut multa inter se componant corpora, quorum partes mutuam habeant analogiam. Hujusce unionis fovendæ gratiâ, Deus mutuò charitatis vinculo eos obstrinxit. Sed quia φιλαυτία charitatem

paulatim extinguere, atque hoc pacto vinculum societatis disjungere poterat; illius conservandæ gratiâ homines vinculis naturalibus uniri curavit Deus, quæ deficiente charitate subsisterent, aut etiam ipsam adversus Philautiæ conatûs tuerentur.

Vincula illa naturalia, quæ nobis cum belluis sunt communia consistunt in quadam cerebri dispositione quam habent omnes homines ad eos imitandos quibuscum versantur, ad eadem cum iis formanda judicia, eosdémque experiendos animi motûs quibus ij agitantur: Atque illa dispositio homines inter se multò arctiùs conjungit, quàm charitas ratione innixa, quæ charitas rarissima est.

Nisi homo eâ præditus sit dispositione qua nostra sensa affectúsque possit suscipere, nobiscum uniri, unicúmque corpus constituere nequit. Similis illis lapidibus formæ irregularis qui suum in ædificio locum non possunt sortiri, quia cum aliis non possunt conjungi.

Oderunt hilarem tristes, tristémque jocosi,
Sedatum celeres, agilem gnavúmque remissi.

Cum iis qui affectibus nostris nullo indulgent modo, sed nobis potiùs in omnibus adversantur, divortium non facere, illud est arduum virtutis opus, nec immeritò, quippe cum mœsto non mœrere, cum læto non lætari, est utrique insultare, homo tristis cōpellandus non est cum ore hilari & jocoso, ac specie ita renidenti, ut lætitiam imaginationi ipsius imprimat, ne è statu sibi maximè congruo, & jucundo dejiciatur. Nullus enim est animi affectus qui miserum magis juvet quàm tristitia.

II. *Duæ causæ principales quæ augendæ dispositionem quam habemus ad alios imitandos.*

Omnes igitur homines habent cerebrum ad id dispositum ut, naturâ duce, sese eodem modo quo nonnulli cum quibus versantur affecti sunt, possint componere. Illa autem dispositio duabus potissimùm causis potest foveri & augeri. Altera est in mente, altera verò in corpore. Prior præcipuè consistit in naturali hominum propensione versus dignitatem & exaltationem. Illa enim propensio ad id nos impercepto excitat modo, ut viros nobiles in loquendi ratione, in incessu, in vestitu, & in habitu externo imitemur. Hinc * novi ritus seu *modi*, linguarum vivarum instabilitas, & quædam generales corruptiones quæ in moribus irrepunt. Hinc denique omnes ineptæ & ridiculæ, nullâ ratione sed arbitrio humano tantùm innixæ novitates oriuntur.

* nouvelles modes.

Altera causa quæ dispositionem illam auget, quâ alios possumus imitari, & de qua hîc præcipuè agitur, consistit in impressione quadam quam imaginationes fortes faciunt in ingenia debilia & cerebra teneriuscula ac delicatulâ.

III. *Quid sit imaginatio fortis.*

Per imaginationem fortem ac vegetam, intelligo constitutionem cerebri quæ illud, vestigiorum altissimorum capax efficit, quæ vestigia mentis capacitatem ita implent, ut aliis rebus quàm iis quas imagines illæ ipsi repræsentant, non possit amplius attendere.

Duplex

Duplex est hominum genus qui imaginationem fortem habent hoc sensu. Priores alta hæc vestigia suscipiunt ex impressione involuntaria, ac inordinata spirituum animalium; Posteriores verò de quibus hic præcipuè sermo est, ea suscipiunt ex quadam dispositione quæ in substantia cerebri deprehenditur.

IV. *Imaginatio fortis duplex est.*

Priores omninò insanire manifestum est, cùm unione naturali quæ est inter ipsorum ideas & hæc vestigia, ipsis motu spirituum inordinato & involuntario impressa, cogantur de rebus cogitare prorsùs diversis ab iis de quibus cæteri homines loquuntur; undè fit ut nihil ad rem possint dicere aut respondere.

Innumeri sunt istiusce generis homines, qui inter se non differunt nisi secundùm magis & minùs; ac inter eos possumus accensere illos omnes qui motu aliquo animi violento cientur, nam tempore commotionis illius spiritus animales tantâ vi imprimunt vestigia & imagines objectorum quæ affectus moverunt, ut quamlibet aliam cogitationem non possint suscipere.

Sed observandum est illos homines ullius imaginationem, quantumvis tenui sit ingenio, cerebróque molli & delicato non posse corrumpere, duabus potissimùm de causis. Quia primò cùm non possint apposité respondere ad ideas aliorum, illos utique non possunt persuadere. 2. Cùm ipsorum mentis perturbatio sit manifestissima, quicquid dicant aspernabile videtur.

Nos equidem afficiunt homines motu aliquo violento jam affecti, & in imaginationem nostram impressiones faciunt suis similes. Quia verò ipsorum impetus & perturbatio manifestò patent, illis impressionibus resistimus, ac illas non multò post excutimus, dummodò ab eadem causa quæ ipsos edidit non foveantur per se delentur: hoc est cum efferati illi è conspectu nostro discesserunt, ita ut characteribus ipsorum faciei per violentum illum motum impressis, fibræ cerebri nostri non ampliùs immutentur, spiritúsque animales non agitentur.

Istam imaginationis fortis & vegetæ speciem, quæ consistit in dispositione cerebri altis recipiendis ideis, ab objectis etiam debilissimis & minimè efficacibus idonea, istam, inquam, imaginationis fortis speciem, hîc duntaxat examino.

Cerebrum habere aptum ad res fortiter imaginandas, & recipiendas imagines maximè distinctas & vividas minimorum objectorum, vitiosum non est; dummodò mens in imaginationem imperium semper obtineat, ita ut istæ imagines ad ejus nutum imprimantur & deleantur, quin hinc oritur sagacitas & vis ingenij. At ubi imaginatio menti dominatur, ac inconsultâ voluntate vestigia formantur dispositione cerebri & actione objectorum & spirituum; illud verò est vitium pessimum, & quædam insaniæ species. Eos qui imaginationem habent fortem hoc modo, adumbrare conabimur.

Quocirca recordandum est 1. ingenij capacitatem angustissimis li-

mitibus esse circumscriptam, 2. nullo objecto faciliùs impleri, quàm sensationibus mentis, ac in genere omnibus perceptionibus ex rebus externis quæ nos vehementer afficiunt oriundis; tertiò denique alta cerebri vestigia nunquam imprimi sine sensationibus, aut aliis illis perceptionibus quæ nos vividè afficiunt. Hinc enim elucescunt genuini characteres ingenij eorum qui habent imaginationem fortem.

V. *Duo vitia memorabilia eorum qui habent imaginationem fortem.*

Primus in eo consistit quòd isti homines de rebus paulùm difficilibus & complexis non possint rectè judicare. Cùm enim ipsorum mentis capacitas iis tantùm impleatur ideis quæ naturâ suâ altis hisce vestigiis alligantur, de multis eodem tempore cogitare ipsis non datur. Jam autem in quæstionibus complexis, mens motû celeri multas simul ideas debet perlustrare, omnésque uno intuitu relationes & analogias hisce solvendis quæstionibus idoneas agnoscere.

Nemo est qui non sit expertus mentem veritati cuipiam non posse attendere dum dolore aliquo violento afficitur, quià tunc sunt in cerebro vestigia ita alta ut totam ipsius impleant capacitatem. Cùm itaque illi homines de quibus agitur, ex iisdem objectis vestigia excipiant altiora quàm cæteri, ut id supponimus, non possunt etiam mentis visum æquè longè porrigere, nec totidem res simul complecti. Prius igitur illorum vitium in eo est quod sint angusto ingenio, eóque angustiori, quo ipsorum cerebrum altiora ex minimis objectis patitur vestigia.

Alterum eorum vitium in eo positum est, quòd sint * φανταστικοὶ, non ita, tamen, ut id vitij ab omnibus dignosci possit. Vulgus enim ipsos non existimat tales. Ij soli quorum ingenium rectum est & perspicax, ipsorum φαντάσματα, & imaginationis perturbationem agnoscunt.

* Visionnaires.

Ut hujus vitij origo deprehendatur, ea quæ in principio secundi libri diximus revocanda sunt in memoriam; sensûs nimirum & imaginationem non differre nisi secundùm magis & minùs, saltem quoad ea quæ in cerebro aguntur; magnitudinem & altitudinem vestigiorum esse causam cur mens sentiat objecta; cur ea judicet præsentia, ac satis propinqua ut ex iis dolorem aut voluptatem percipere possit. Cùm enim vestigia objecti cujuspiam sunt parva, mens illud objectum imaginatur duntaxat; præsens adesse non judicat, nec etiam tanquam valde magnum aut consideratione dignum illud sibi pingit. Sed quò magis vestigia crescunt & quò altiùs imprimuntur, eò grandius, propinquius, ac denique ad nos commovendos & lædendos aptius objectum sibi repræsentat imaginatio.

Φανταστικοὶ illi de quibus hîc sermo est ad id vesaniæ nondum devenerunt, ut objecta absentia, tanquam præsentia videre putent: vestigia ipsorum cerebri nondùm satis alta sunt; non penitùs insaniunt sed tantùm aliquatenùs, si enim penitus insanirent; frustrà de iis hîc loqueremur. Quem enim ipsorum insania fugeret? Quis se ab ea deludi pateretur? Non sunt φανταστικοὶ quoad sensûs, sed tantum

tùm quoad imaginationem: at insani φανταστικοὶ sunt quoad sensus, cùm non videant res ut sunt, & quædam sæpè videant quæ minimè existunt. At verò illi de quibus mentio est φανταστικοὶ sunt quoad imaginationem, cùm res secùs imaginentur ac se habent, & multa etiam imaginentur quæ non extant. Manifestum tamen est, φανταστικοὺς quoad sensus à φανταστικοῖς quoad imaginationem non differre nisi secundùm magis & minùs; nec ab uno statu ad alterum transitus est difficilis. Unde fit ut mentis ille morbus posteriorum debeat repræsentari collatione factâ cum morbo priorum, qui manifestior est, mentémque fortiùs afficit: quippe in iis quæ non aliter differunt quàm secundùm magis & minùs, ea quæ leviùs afficiunt & sentiuntur, semper explicanda sunt per ea quæ vehementiùs.

Alterum igitur vitium eorum qui sunt imaginatione forti & vividâ, in eo positum quòd sint φανταστικοὶ quoad imaginationem, aut simpliciter φανταστικοί, ij enim, insanorum, aut stultorum nomine vocantur qui sunt φανταστικοὶ quoad sensus. Hæc sunt igitur vitia ingeniorum phantasticorum.

Ij homines in omnibus modum excedunt; abjecta extollunt, parva augent, remota appropinquant, nil ipsis se præbet ut in se est. Omnia demirantur, ad omnia immeritò exclamant. Si constitutione naturali ad metum sint proni; hoc est, si ipsorum spiritus animales sint pauci, debiles, & tardi, minimâ de causâ terrentur, trepidant arundine motâ. At verò si ingens ipsis sit spirituum & sanguinis copia, quod frequentiùs accidit, vanas concipiunt spes quibus semetipsos lactant, ac sese imaginationis suæ ubertati totos permittentes * inanibus, quotidie agitandis, apud se, consiliis mirificè delectantur. In affectibus vehementes, in opinionibus tenaces, in suimet ipsorum contemplatione semper læti & alacres sunt. Quum inter egregia ingenia accenseri ambiunt, ac Authores se gerunt (sunt enim Authores omnis generis, phantastici & alii,) quot deliramenta, quot impetus, quot μετεωρισμοὺς! Naturam nunquam imitantur, omnia contorquent & exaggerant, in auras sese extollunt, nil ab ipsis profertur quod cothurnum non sapiat; subsultim incedunt; ipsorum oratio numerosa est, & phalerata, nil denique ab ipsis audias præter figuras & hyperbolas. Si pietatem amplectuntur, illámque ex arbitrio metiri satagunt, spiritum Judaïcum & Pharisaïcum penitùs induunt; rerum corticulæ, cæremoniis externis, ac praxibus nullius momenti toti adhærescunt; fiunt δεισιδαίμονες, meticulosi, superstitiosi. Cuncta, si ipsis credas, ad fidem pertinent; Cuncta sunt essentialia, si ea excipias quæ revera ad fidem pertinent, & essentialia sunt, sæpè enim levioribus addicti officiis utilissima negligunt Evangelij præcepta, justitiam, misericordiam, & fidem. Quid morâ? Qui istorum vitiorum ut complurium aliorum certior fieri cupit, attendat modò ad ea quæ quotidie in colloquiis agitari solent.

* ils bâtissent des châteaux en Espagne.

Qui imaginationem habent fortem & vividam, aliis præditi sunt

qualitatibus quas hîc explicare operæ pretium eſt. De ipſorum vitiis hactenùs actum eſt ; nunc de ipſorum virtutibus ac prærogativis agendum. Unam habent inter cæteras quæ ad inſtitutum noſtrum præcipuè pertinet ; Illâ enim prærogativâ in vulgi ingenia imperium obtinent ; ſuas ipſis ideas obtrudunt, falſaſque impertiuntur impreſſiones.

VI. *Eos qui ſunt imaginatione forti facilè perſuadere.*

Iſta prærogativa in eo conſiſtit quòd facilè, vehementer & vividè, quamvis non genuinè, ſeu naturaliter mentem ſuam aperiant. Qui res vividè imaginantur, eas etiam vividè exprimunt, eóſque omnes perſuadent qui ſpecie externâ & impreſſione ſenſibili potiuſquàm rationum vi devincuntur. Cùm enim cerebrum illorum qui pollent imaginatione forti, veſtigia, ut anteà dictum eſt, excipiant altiſſima eorum quæ ſunt imaginati, hæc veſtigia ut plurimùm non ſine magna ſpirituum commotione imprimuntur, iſta autem ſpirituum commotio ad id totum corpus diſponit ut mentis cogitationes poſſit vividè ac vehementer exprimere, cùm itaque oris habitus, vocis inflexio, orationiſque concinnitas vim verbis addat, auditorum & ſpectatorum animos ſibi conciliant, & ad id præparant ut ejuſdem quâ afficiuntur imaginis impreſſionem mechanicè, ut ita dicam, excipiant. Quæ enim altè menti noſtræ infuſa ſunt, altè etiam à nobis aliorum mentibus infunduntur ; Qui vehementi movetur affectu, eodem alios ut plurimùm movet, & ipſius Rhetorica licèt irregularis eſt tamen flexanima. Habitus enim & modus externus ut potè ſenſibilis, in imaginationem hominum vividiùs agit, quàm ſolidiſſima argumenta, ſi mente ſedatâ proferantur ; hæc enim ratiocinia nec ſenſus, nec imaginationem afficiunt.

Qui igitur imaginatione pollent, hoc cæteris præſtant, quod arrideant, moveant, perſuadeant, quia nempe cogitationum ſuarum imagines ſibi formant perquam vividas & ſenſibiles. Sed aliæ præter eas ſunt rationes quibus animos ſibi devinciant. De rebus ut plurimùm facilibus, & obviis duntaxat loquuntur. Iis utuntur terminis, qui nil excitant præter notiones ſenſuum confuſas, quæ nos ſemper vehementiſſimè movent. De rebus ſublimibus & arduis nullam agunt mentionem niſi vagam, ac veluti per locos communes ; Res enim ſigillatim, penitùs, & à principiis ſuis introſpicere non audent, ſive quia hæc illos fugiunt ; ſive quia timent ne verborum penuriâ, ſeſe intricent, ac ingeniis attentioni non aſſuetis negotium faceſſant.

Ex ſuprà dictis non obſcurè liquet imaginationis inordinatæ vitia eſſe admodùm contagioſa, ac in plerorúmque ingenia facillimè irrepere. Cùm autem iſti homines forti imaginatione prædìti ſint plerumque rectæ rationis Antagoniſtæ, propter ingenij exilitatem, ac cerebri phantaſmata ; hinc colligere pronum eſt ; iſtam vitiorum & perturbationum imaginationis contagionem, inter errorum noſtrorum cauſas, eſſe maximè generalem. Sed hæc exemplis & experimentis familiaribus ſunt confirmanda.

CAPUT

CAPUT II.

Exempla generalia quibus imaginationis vis demonstratur.

FRequentissima suppetunt istius communicationis imaginationis exempla, in liberis respectu parentum, ac potissimùm in puellis respectu matrum; in famulis respectu herorum, ac in ancillis respectu dominarum, in discipulis respectu præceptorum, in aulicis respectu Regum, & in genere in omnibus inferioribus respectu superiorum: dummodò parentes, magistri, aliíque Superiores aliquâ polleant imaginationis vi; sin minùs imaginatio debilis parentum, aut magistrorum, nullam fortè impressionem in liberis & servis efficeret.

Ista communicatio inter pares etiam deprehenditur; sed rariùs, quia inter eos non est veneratio illa quâ ingenia ad id disponuntur, ut nullo examine admisso impressiones imaginationum fortium imbibant, hæc etiam communicatio in superioribus respectu inferiorum observatur; Hi, scilicet, imaginatione adeò vivida & imperiosa sunt præditi, ut superiorum suorum animos pro lubitu inflectant.

Parentes in liberorum imaginationem vehementissimè agere nemo est qui non percipiat, si attendere velit istas dispositiones naturales, quibus ad id comparamur, ut eos quibuscum degimus imitemur iisdémque quibus ipsi moveamur affectibus, longè firmiores esse in infantibus respectu parentum, quàm in cæteris hominibus. Cujus multæ possunt afferri causæ. Ac prima quidem ex eo deducitur quòd eodem sanguine sint formati. Quemadmodùm enim parentes sæpissimè transmittunt in liberos dispositiones ad quosdam morbos veluti hæreditarios, quales sunt morbus articularis, calculus, insania, ac in genere omnes illi morbi qui per accidens non irrepserunt, aut qui non ex sola extraordinaria humorum fermentatione orti sunt, quales sunt febris, &c. illos enim morbos non posse communicari liquet; ita dispositiones cerebri sui infantium cerebro imprimunt, imaginationem ipsorum ita inflectunt, ut easdem ac ipsi concipiant opiniones.

Secunda ratio hæc est. Infantes scilicet raro utuntur familiari cæterorum hominum commercio: ex quo alia vestigia ipsorum cerebro possent insculpi, ac perpetuus ut ita dicam impressionis paternæ nisus infringi. Nam sicut qui patriæ cancellos nunquam est prætergressus mores ritúsque peregrinorum à ratione prorsùs alienos ducit, quia eos à more patrio quem sequitur recedere videt; ita juvenis è domo paterna nunquam egressus, parentum sententias vivendíque modos instar rationis universalis habet; seu potiùs haud credit alia esse rationis & virtutis principia quàm ea quæ apud parentes hausit. Parentibus igitur in omnibus credit, atque iis se conformat.

Porrò

Porrò ista impressio paterna adeò vehemens est ut non in imaginationem liberorum modò, verùm etiam in cæteras ipsorum corporis partes agat. Filius genitoris incessum, vocem & gestum imitatur. Filia eandem ac genitrix observat in ornatu compositionem, ejus incessum, vocémque etiam æmulatur. Si balbutit mater, balbutiet etiam filia, si cervicem inconcinnè contorquet, filia itidem contorquebit. Denique liberi in omnibus imitantur parentes, in defectibus & motibus incompositis, ut & in erroribus & vitiis.

Multa prætereà istius impressionis effectum confirmant & augent, sed præcipuè authoritas parentum, summissio liberorum, & amor mutuus inter utrosque. Sed hæ causæ Aulicis, Ministris, ac omnibus, in genere, inferioribus non secùs ac liberis communes sunt. Aulicorum exemplo rem sumus explanaturi.

Sunt qui de iis quæ non vident, per ea quæ sibi sunt conspicua judicent. De sublimitate, exempli gratiâ, de vi, ac de capacitate ingenij sibi ignotis, per nobilitatem, dignitates, divitias sibi notas. Aliud ex alio metiuntur; infimus ille status quo infrà Magnates dejicimur, ipsísque subjicimur, cupido quâ ipsorum gloriæ participandæ tenemur, ingénsque splendor qui ipsis affulget, nos eò plerunque adducit, ut mortales divinis, ut ita loquar, afficiamus honoribus. Quippe si Deus authoritate Principes donet, homines ipsis infallibilitatem arrogant; infallibilitatem, inquam, ita universalem, ut nullis in ulla re aut occasione, aut ceremonia circunscribatur cancellis. Magnates cuncta per se norunt. Quamquam de quæstionibus sibi prorsùs inusitatis decidant, recta tamen ratio ab ipsis semper stat; qui ipsorum dicta expendere audet, is est rudis rerúmque imperitus. Is à veneratione ipsis debita desistit qui audet dubitare. Ac denique qui ipsos damnat rebellionis reus est, ineptit, delirat, cunctísque debet ludibrium.

At verò si Magnates nos favore suo dignentur, tùm si ipsorum dictis calculum non adjicimus, non pervicaces & rebelles modò, sed & ingrati, & perfidi habemur. Piaculum est quo ab ipsorum gratia æternùm arcemur. Unde fit ut aulici, atque adeò omnes subditi in verba, & opiniones Regis nullo adhibito examine jurent; ac in rebus etiam Religionis sese ipsorum arbitrio sæpissimè permittant.

Britannia, & Germania istius obedientiæ impiis Principum imperiis præstitæ luculenta nobis suppeditant exempla. Nil aliud sonant Historiæ posteriorum sæculorum. Nec defuere homines ætate provecti, qui quater, aut quinquies Religionem mutaverint, mutantibus Principibus.

Art. 37 Relig. Eccl. Anglic.

Reges & ipsæ etiam Reginæ in Britannia in omnia sive civilia sive Ecclesiastica regimen sibi arrogant. Ipsi Liturgias, Festorum officia, Sacramentorum administrationem & participationem dirigunt & approbant. Prohibent, exempli gratiâ, adorationem Jesu-Christi in Eucharistia, quamvis ipsum genibus flexis pro more antiquo recipi jubeant.

jubeant. Uno verbo omnia immutant in liturgiis, ut eas novis fidei suæ articulis accommodent, atque de istis articulis judicandi cum Parlamento, seu summa Curia, jus sibi tribuunt, non secus ac Papa cum Concilio, uti videre est in statutis Angliæ, & Hiberniæ initio Regni Reginæ Elisabethæ factis. Denique Reges Angliæ majorem in subditos exercent potestatem circa spirituale quàm circa temporale; miseri nempe homines rebúsque terrenis dediti, bonorum suorum quam fidei conservationem pluris facientes, Principum voluntati facilè obtemperant, dummodò rei suæ temporali non obstet.

Variæ vicissitudines Religionis in Suecia, & Dania imperium illud quo nonnulli in alios pollent satis supérque nobis probare possent; sed harum vicissitudinum aliæ sunt etiam causæ non leves. Possunt quidem mutationes illæ stupendæ contagiosam imaginationis communicationem probare; sed ista argumenta generalia nimis & vasta mẽtem potiùs perstringunt & stupefaciunt quam illuminant. Quia nempe ejusmodi eventûs insperati pendent à nimio causarum concursu.

Si aulici cæterique homines veritates certas, essentiales, ac sine salutis dispendio non deserendas, deserant tamen; quantò minus veritates abstractas parùm certas & utiles audebunt defendere. Si Religio Principis sit Religio subditorum, quantò magis ratio religione inferior, erit etiam subditorum ratio. Principis itaque opiniones, voluptates, affectûs, lusûs, verba, vestitûs, omnes denique actiones usu apud omnes invalescent: quid moror? Princeps ipse est norma usûs essentialis. Nec fieri potest nisi raró admodùm ut contra usum ritúmque receptum peccet. Cùm autem omnes usûs mutationes nil aliud sint quàm varia ornamenta, variæque venustates; nemo est qui mirari debeat Principes tam fortiter agere in imaginationem cæterorum hominum.

Si Alexander inclinet caput, omnes ipsius aulici caput inclinant. Si Dyonisius Tyrannus Platone Syracusam adveniente, Geometriæ operam navet, illicò Geometria floret, istiúsque Regis palatium (inquit Plutarchus) videas conspersum pulvere quem excitant figurarum delineatores. At verò simul ac Plato isti Principi indignatur & Princeps voluptatibus denuò indulgens studium Geometriæ fastidit, aulici extemplò eandem insistunt viam. Ipsos dicas, pergit idem, fascinatos & veneficæ cujusdam Circes incantamentis in alios homines transmutatos. E Philosophia ad intemperantiam transgrediuntur. Philosophiam respuunt ut voluptates illicitas quas mox horrebant, sectentur. Sic Principes vitia in virtutes, virtutésque in vitia transformare; omnésque illorum ideas mutare uno verbo possunt. Ad minimum ipsorum nutum, gestum, labrorum aut oculorum motum res eò deveniet, ut vera scientia, & eruditio * ludimagistro digna occupatio videatur; temeritas, ferocitas, sævitia pro magnanimitate habeatur, ac denique impietas & licentia pro virtute & libertate animi.

In operibus moralibus.

Quomodo distingui possit adulator ab amico.

* Pedanterie.

Sed in hoc, ut in cæteris, præsuppositum velim Principes pollere imaginatione forti & vivida; alioqui orationes ea non possent instruere energia, & forma, quæ ingenia debilia sibi devincit atque subjugat.

Quòd si imaginatio sola, rationisque auxilio destituta tantos edere valeat effectus; certè nihil adeò inauditum, adeòque insolens est quod non possit persuadere, si rationibus saltem verisimilibus innitatur. Rem probo exemplis.

Diodor. Sicul. Bibl. hist. l. 3.

Antiquus quidam Author refert Aulicos apud Æthiopas istius olim fuisse dementiæ ut se claudos, & deformes redderent, aut sibi membra quædam truncarent, quin & mortem consciscerent Principis imitandi causâ: Rege claudicante, vel altero ex oculis capto indecorum erat stipatoribus ipsius, binos habere oculos, aut rectos incedere: quemadmodum nemo est qui in aula nunc audeat sese ostentare cum Cæsitio rugato & striato galericulo, aut cum ocreis albis calcaribúsque auratis, vel aliis ejusmodi ornamentis quæ nunc obsoleverunt. Æthiopum ille mos absurdus quidem & molestus, sed usu receptus erat. Illi omnes sese alacriter accommodabant, spreto dolore in ejusmodi ritu perferendo, in id tantùm collimabant ut generositatem, studium, constantiámque Regi suo testatam facerent. Denique istius ritûs absurditas illegitimâ amoris causâ innixa, pro lege habita est, ac diutissimè obtinuit.

Qui in Orientem iter fecerunt hunc morem in multis regionibus nondum obsolevisse, aliósque non minùs ridiculos invaluisse tradunt. Sed quid tam remotas gentes quærimus? certè in nostra etiam Gallia religiosè observantur leges & ritus absurdi & molesti, ubicunque sunt homines affectibus suis indulgentes, & ubicunque imaginatio rationi dominatur ibi stupenda in moribus absurditas & inconstantia. Quid dicas de mulieribus nostratibus quæ dum dirissima sævit hyems nudato pectore incedunt, & vigente æstatis calore, vestibus ita arctis amiciuntur, ut vix respirare posse dicas. Certè si ex illo ritu non tanto dolore ac Æthiopes afficiuntur majori saltem pudore suffundi deberent. Si Æthiops oculos sibi effodiat generositatem potest saltem causari, quid verò causabitur matrona Christiana ea ostentans quæ natura & Religio ipsam occultare jubent? Se morem receptum sequi dicet, & nihil ampliùs? Verùm iste mos est absonus, infestus, indecorus ac omnimodè Christianis indignus. Originem suam non aliunde ducit quàm à manifesta rationis depravatione, & secreta cordis corruptione; sine scandalo non potest observari: qui illi adhæret à rationis partibus ad imaginationis partes, à puritate ad impuritatem, à spiritu Dei ad spiritum mundi manifestò deficit, uno verbo, omnes rationis & Evangelii leges violat? quid facias? usus sic voluit, jam autem usus, si hominibus sæculi credas, sanctiùs debet observari, quàm lex ipsa quam Deus digito suo inscripserat tabulis Mosis, quamque à spiritu suo pectoribus Christianorum insculpit. Certè haud scio an Galli Æthiopes meritò possint deridere. Qui Regem coelitem & claudum, coelitibus etiam

etiam, & claudis stipatum videret risum equidem primâ fronte vix posset tenere; sed tempore succedente ridendi tandem fieret finis, istáque magnanimitas & veluti devotio admirationem fortè potiùs pareret quàm risum. At verò de moribus, aut modis qui apud Gallos obtinent res secùs se habet. Ipsorum absurditas nulla nititur ratione verisimili si minorem afferunt molestiam, tantò magis ridiculi sunt. Quid plura? ritus à ratione adeò abhorrentes tantam esse sæculi corruptionem ostendunt, ut nulla ampliùs sit resipiscentiæ spes.

Quæ de Aulicis dicta sunt, de plerisque famulis ergo heros de ancillis erga heras, atque ut fiat temporis compendium de omnibus inferioribus erga superiores intellecta velim, sed præcipuè de liberis erga parentes: liberi a parentibus ita pendent, ut nemo magis; parentes illos complectuntur amore, omnium maximè intimo, ac denique ad submissiones & obsequia ratione ducuntur, quæ ipsius rationis modum quandóque excedunt.

Cæterùm imaginatio aliquando sufficit nonnullis ut agant in imaginationem; nec semper necessaria sunt authoritas,& imperium. Nonnulli interdùm reperiuntur, nobis incogniti, nulliúsque apud nos præconceptæ existimationis, quibus tanta imaginationis vis est, tantaque in verbis energia & vivacitas, ut nos etiam incautos & incogitantes persuadeant; dum ne vel quid persuadeant possumus assequi. Id quidem videtur incredibile, crebrò tamen accidit.

Ista autem imaginaria persuasio aliunde oriri nequit quam ex vi ingenij hominis cujuspiam phantastici, qui multa quæ ipse non intelligit vividè deblaterat, quique auditorum ingenia ita contorquet ut cæcam adhibeant fidem. Plerique enim impressione sensibili ita permoventur, stupesiunt, perstringuntur, ut ex affectu suo de iis judicium ferant quæ ipsi non intelligunt nisi confusè admodùm. Ad id, quæso, sedulò attendant lectores, quid in semetipsis inter mutua hominum colloquia agatur seriò reputent, hanc veritatem crebrò experientur. Nec dubito quin hinc utilitatem non parvam percipiant.

Sed animadvertendum est duo valdè ad id conferre ut aliorum imaginatio in nos invaleat. Primò pietatis & gravitatis species quam præ se ferunt nonnulli. Secundò liberrimus, & audacissimus quorundam aliorum loquendi modus. Quippe juxta propensionem nostram ad pietatem aut licentiam, viri pietatem & gravitatem, aut præfractam audaciam impiámque libertatem affectantes in nos variè prorsùs agunt.

Ex illis quidem alij sunt perniciosiores aliis: Cave tamen ne cujusquam specie externâ deludaris; nec cedas nisi rationibus solidis. Ineptiæ possunt gravi & modesto proferri modo; impietates verò & blasphemiæ pietatis pallio obtegi. Examinandum igitur est, juxta Johannis præceptum num spiritus sint Dei, nec cuilibet spiritui fidendum. Dæmones in Angelos lucis sese nonnunquam transformant. Nec desunt qui speciem externam ad pietatem naturâ conformatam

habentes, apud homines verâ pietate prædìti habeantur; atque hoc freti nomine homines ab officiis quibus necessariò & essentialiter tenentur atque etiam ab amore Dei & proximi audent liberos & immunes pronuntiare, ut eos praxi cuidam aut cæremoniæ Pharisaïcæ subjiciant.

Sed imaginationes quarum vim & contagium fugere, nostrâ potissimùm interest, sunt imaginationes nonnullorum hominum per orbem dispersorum qui pro * ingeniis fortibus seu non vulgaribus haberi volunt, quam certè famam nullo comparant negotio. Qui enim peccatum originale, immortalitatem animæ negare; aut quoddam Ecclesiæ placitum impudenter exsibilare sustinet, is eximiam ingenij fortis famam apud vulgus sibi conciliabit.

* esprits forts.

Tenuia illa ingenia igniculis quibusdam micant, ac nescio quâ specie libertatis & audentiæ aliorum ingeniis imperiosè dominantur, imaginationésque debiles ita disponunt ut verbis vividis & speciosis cedant, quæ quilibet attentus non posset audire nisi aspernabundus: in vocibus felices, in rationibus infelicissimi sunt. At verò quia homines, licèt ratione prædìti, sensibilem tamen habitus externi voluptatem ipsi rationi cujus examen arduum est præferunt, hinc fit ut ejusmodi ingenia aliis debeant palmam præripere, suos errores & malignitatem transmittere, imperio quod in aliorum imaginationem usurparunt.

CAPVT III.

I. De vi imaginationis quorundam Authorum. II. De Tertulliano.

NUllo argumento evidentiori vis quarundam imaginationum in alios potest demonstrari, quàm potestate illâ quâ nonnulli Authores persuadere valent nullis adhibitis rationibus. Exempli gratiâ, Tertullianus, Seneca, & inter recentiores, è Gallis, Montagne, & quidam alij, sermones suos nescio quo componunt modo quo plerosque demulcent, atque perstringunt, quamvis in istis scriptis illorum Authorum imaginatio imperfectè tantùm pingatur & adumbretur. Ipsorum voces licèt mortuæ rationem multorum efficacitate suâ superant, ita pervadunt, penetrant, subjugant mentem, ut eam ad cæcam ac veluti insciam obedientiam tyrannicè adigant. Mens quidem assensum præbere non recusat, sed cui assentiretur; cùm rem propiùs explorare intendit, nil deprehendit præter spectra quæ cum sua pompa & fulgore in auras abeunt.

Vide illustrationes. Etsi Authorum supra laudatorum scripta ad vim imaginationis demonstrandam sint aptissima, nolim tamen illa in omnibus damnare. Quædam sunt in iis adeò scita ut ea non possim non laudare; nec in universalem

universalem multorum sæculorum approbationem invehi animus est. Tertullianum in multis, ut in apologia sua adversus gentes, & in libro de Præscriptionibus adversus hæreticos, Senecamque in nonnullis demiror & exosculor; licèt totum Montagne parvi faciam.

Tertullianus erat quidem eruditissimus, sed memoriâ potiùs pollebat quàm judicio; memoria ipsius erat sagax & vasta, non verò ingenium: nec est quod quis ipsum φανταστικὸν, eo quem explicui sensu, fuisse, ac iis ferè omnibus quæ ingeniis inordinatis imputavi vitiis laborasse inficietur. Assensus & obsequium quod Montani ipsiusque Prophetissarum visionibus præstitit, illius judicij debilitatem satis superque demonstrant. Æstus ille, motus immoderati, enthusiasmi circa res minimas ipsius imaginationis perturbationem manifesto ostendunt. Quot commotiones immodicæ in ipsius hyperbolis & figuris? quot splendidæ & magnificæ rationes quæ perstringendo, & stupefaciendo tantùm persuadent, & probant?

Quorsùm, exempli gratiâ, causam dicturus cur pallium Philosophicum indueret non togam quam tum induere solebant, dicit illud pallium Carthagini olim in usu fuisse? an quia olim Majores nostri cæsitio, & galericulo utebantur, eodem uti ornamento nobis licebit? an mulieres ut olim capitio ornabuntur nisi in * Bacchanalibus?

* au Carnaval.

Quid de magnificis & ambitiosis istis descriptionibus vicissitudinum mundi, poterit inferre? an hæc ipsum absolvunt? Luna in phasibus suis varia est, annus in tempestatibus; ager per hyemem aliam induit faciem quàm per æstatem. Regiones integræ aquarum eruptionibus fuerunt inundatæ, aut terræ motibus absorptæ. Novæ urbes, novæque coloniæ fuerunt conditæ, tota denique natura variis obnoxia est vicibus. Ergo Tertullianus meritò togam exuit ut pallium indueret. Quid, quæso, variæ istæ mutationes & innumeræ aliæ, quas anxiè disquirit, & obscurè contortè, ac ingenti describit molimine, cum suo instituto? Pavo pedem non movet quin colorem mutet, serpens foramen aliquod subeundo exutâ senectâ novam induit pellem: ergo legitime vestem mutavit? Quis sanguine frigente, & sedato animo tam ridiculas eliciat conclusiones, quis Authorem illum eas elicientem sibilo non exciperet, nisi strepitu suo lectorem præverteret & obtunderet?

Cap. 2. & 3. de pallio.

Totus penè ille libellus de pallio rationibus ab instituto æquè alienis scatet; quæ certè nil probarent, si mens sese obstupefieri non pateretur, sed his immorari inutile foret, id unum monuisse sufficiat, videlicet si animi rectitudo æque ac perspicuitas & evidentia in verbis, debeant elucere in scriptis, quia non alium ob finem scribimus quàm ut intelligamur; si id, inquam, ita sit Author ille excusatione caret; quippe qui, referente Salmasio inter Criticos hujus sæculi facile Principe, omnem contulerit operam ut obscurus esset, usque adeò ut Commentator ille dejerare non dubitet, ipsum à nemine unquam omninò intellectum fuisse. Quicquid sit, licet mos illius Gentis, usus

Multos etiam vidi postquàm benè æstuassent ut eum assequerentur, nihil præter sudorem & inanem animi fatigationem.

isti sæculo solennis, aut denique satyræ & ironiæ natura seu genius possint illud obscuritatis & ἀκαταληψίας studium excusare, non possunt tamen ferri ineptæ rationes & Authoris insipientia, qui id blaterare non veretur quicquid in buccam venit; dummodò insolenti aliquâ cogitatione, aut terminis inusitatis & magnificis imaginationis vim aut potiùs perturbationem se ostentaturum speret.

lucratos, ab eius lectione discessisse, sic qui Scotinus haberi vide- rique dignus, qui hoc cognomentum habere voluit, adeò quod voluit à semetipso impetravit, & efficere id quod optabat valuit, ut liquidò iurare ausim neminem ad hoc tempus extitisse, qui possit iurare hunc libellum à capite ad calcem usque totum à se non minus bene intellectum quàm lectum. Salm in ep. ded comm. in Tert.

CAPVT IV.

De imaginatione Senecæ.

SEnecæ imaginatio ad rationem interdùm non magis accedit quàm imaginatio Tertulliani. Motûs ipsius impetuosi, in loca ei ignota ipsum nonnunquam abripiunt, quæ tamen eadem perlustrat confidentia, ac si ipsa sæpissimè trivisset, dummodò magnis itineribus incedat, concinnas, & numerosas adornet periodos, multùm se promovisse autumat: sed certè iis similis est qui choreas agentes semper redeunt unde primò venerunt.

Vis & elegantia verborum, à vi & evidentia rationum apprimè semper sunt distinguendæ. Multùm sanè in verbis Senecæ apparet energiæ & elegantiæ, at in rationibus valoris & evidentiæ parùm, verba sua imaginationis vi, istâ instruit formâ, quâ possint movere, agitare, ac persuadere impressione suâ, iis verò perspicuitatem, & lumen illud purum non affundit, quâ mens illuminatur & persuadetur evidentiâ, non verò impressione physicâ. Convincit quia commovet, & allubescit, at vix credam illius lectione eos persuaderi quibus sanguis in venis est sedatus, quíque adversus præjudicia cauti, non cedunt nisi perspicuitate & evidentiâ rationum devicti. Uno verbo dummodò placeat & venustè loquatur, quid dicat parùm sollicitus est, quasi quis id ritè persuadere possit cujus conscius apud se non est. Persuadet itaque persuasione cæcâ, quam qui admiserunt, non satis attingunt quo pacto illam admiserint: quasi mens pati deberet sese persuaderi, nisi rem priùs examinatam distinctè cognoscat.

Quid pompam magis sonat, quàm idea sapientis ab ipso tradita; sed quid etiam vanitatem, illusionémque magis redolet. Quam nobis tradit Catonis idea, illustrior est quàm ut genuina haberi possit: præstigiæ sunt quæ iis duntaxat fucum faciunt qui naturam hominis non norunt. Cato iisdem calamitatibus ac cæteri homines erat obnoxius: ipsum invulneratum dicere mera est hallucinatio. Qui illum ictibus petebant, haud dubiè etiam sauciabant; ipsi non erat adamantis durities ferro inexpugnabilis, nec rupis robur quod infringere nequeunt undæ, ut id pertendit Seneca. Uno verbo, haud erat sensu expers; nec id diffitetur ipse Seneca, cùm imaginatione defervescente, ad ea

quæ

quæ profert attendit. Lege verba ipsius Senecæ. *Itaque non refert, quam multa in illum tela conjiciantur, cùm sit nulli penetrabilis, quomodo quorundam lapidum inexpugnabilis ferro duritia est; nec secari adamas, aut cadi vel teri potest, sed incurrentia ultrò retundit: quemadmodùm projecti in altum scopuli mare frangunt, nec ipsi ulla sævitiæ vestigia tot verberati seculis ostentant. Ita sapientis animus solidus est, & id roboris collegit, ut tam tutus sit ab injuria, quàm illa quæ extuli; Sen. cap.5. Tract. Quod in sapientem non cadit injuria.*

Quid igitur? nunquid fatebitur sapientem suum ad miseriam posse redigi, cùm doloris sensum possit percipere? minimè verò, dolor sapientem suum non afficit; doloris formidine non tenetur supra fortunæ vices, hominumque malignitatem sese extulit. Hæc illum anxium habere nequeunt.

Adsum hoc vobis probaturus, inquit; *sub isto tot civitatum eversore munimenta incursû arietis labefieri, & turrium altitudinem cuniculis ac latentibus fossis repentè residere, & æquaturum editissimas arces aggerem crescere. At nulla machinamenta posse reperiri, quæ benè fundatum animum agitent.* Et infrà, *non Babylonis muros illi contuleris, quos Alexander intravit, non Carthaginis aut Numantiæ mœnia una manu capta, non capitolium arcemve, habent ista hostile vestigium*, cap. 6.

Quid tu putas cùm stolidus ille Rex multitudine telorum diem obscurasset ullam sagittam in solem incidisse. Ut cœlestia humanas manus effugiunt, & ab his qui templa diruunt, aut simulachra conflant, nihil divinitati nocetur, ita quicquid fit in sapientem, protervè, petulanter, superbè frustrà tentatur. cap. 4. *Inter fragorem templorum super Deos suos caventium uni homini pax fuit.* cap. 5.

Non est quod dicas ut soles, inquit ille, *hunc sapientem nostrum nusquam inveniri. Non fingimus istud humani ingenij vanum decus nec ingentem imaginem rei falsæ concipimus sed qualem confirmamus, exhibemus & exhibebimus. Caterùm hic ipse M. Cato vereor ne suprà nostrum exemplar sit.* cap. 7.

Videor mihi, pergit, *intueri animum tuum incensum & effervescentem: paras acclamare. Hæc sunt, quæ auctoritatem præceptis vestris detrahant. Magna promittis, & quæ ne optari quidem nedùm credi possunt.* Et infrà. *Ita sublato altè supercilio in eadem, quæ cæteri descenditis mutatis rerum nominibus; tale itaque aliquid, & in hoc esse suspicor, quod prima specie pulchrum atque magnificum est, nec injuriam, nec contumeliam accepturum esse sapientem*; & infrà. *Ego verò sapientem non imaginario honore verborum exornare constitui, sed eo loco ponere, quo nulla perveniat injuria.*

Hinc patet quò fortis Senecæ imaginatio debilem ipsius abripiat rationem. Quî fieri potest ut homines ærumnarum & infirmitatum suarum quotidie sibi ipsis conscij tam altos & superbos induere possint animos? Quis mente sanus sibi persuadeat se dolore quo afficitur non lædi? Sed quid nobis Catonem obtrudit Seneca? Certè quantumvis ipsi tribuatur fortitudinis & sapientiæ, eò tamen nunquam devenit ut non dicam atroces populi ipsum invadentis, verberantis & spoliantis injurias, sed vel muscæ aculeum, immotus posset perferre. Si cum invictis quæ ex experientiâ nostrâ petimus argumentis

conferas.

conferas iſtam Senecæ ratiunculam, quam tamen palmariam eſſe ducit, quid ea debilius? Audi egregiam iſtam rationem.

Validius eſſe debet quod lædit eo quod læditur, non eſt autem fortior nequitia virtute, non poteſt ergo lædi ſapiens. Injuria in bonos non tentatur niſi à malis, bonis inter ſe pax eſt. Quod ſi lædi niſi infirmior non poteſt, malus autem bono infirmior eſt, nec injuria bonus niſi à diſpari verenda eſt, injuria in ſapientem virum non cadit. cap.7. Quid ſi hiſce reſpondeas omnes homines eſſe peccatores ac proinde calamitate dignos; ut id nos docet Religio aut licèt nequitia non ſit fortior virtute, probos tamen à nequioribus poſſe viribus ſuperari, ut id teſtatur experientia?

Epicurus ait injurias tolerabiles eſſe ſapienti, nos injurias non eſſe. cap.15.

Epicurus meritò quidem dicebat *injurias tolerabiles eſſe ſapienti*, at Seneca immeritò àſſeruit *ſapientes injuriis non poſſe lædi*. Virtus Stoïcorum ipſis malorum ſenſum non poterat adimere; cùm vera virtus non impediat quominùs, miſeriæ obnoxij commiſerationem etiam mereamur. Divus Paulus & primi Chriſtiani Catoni & omnibus Stoïcis antecellebant virtute; non negaverunt tamen dolores quibus vexabantur ipſos ad miſeriam adduxiſſe, quamvis ad mercedis æternæ ſpem erigerentur. *Si tantùm in hac vita ſperantes ſimus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*, inquit Paulus.

Deus ſolus gratiâ ſuâ veram ſolidámque virtutem nobis impertiri, ac ſolus proinde ad veram ſolidámque beatitudinem nos perducere poteſt; verùm illam in hac vita nec nobis pollicetur, nec largitur, illam in futuro ſæculo ex ipſius juſtitia ſperare par eſt, ut mercedem afflictionum quas propter ipſius nomen ſumus perpeſſi, pace illâ & requie nunquam interruptâ nondum potimur. Ipſa Jeſu-Chriſti gratia vires nobis non ſuppeditat invictas; nos adhuc miſeriæ noſtræ ſenſui permittit; ut noſtræ fragilitatis convicti cognoſcamus nihil in terra eſſe quo non poſſimus lædi; utque injurias nobis illatas eâ perferamus patientiâ quæ ex humilitate & modeſtiâ Chriſtianâ oriatur, non verò ex ſuperbia & ferocitate, quæ in Catonis conſtantia ſeſe præbebat conſpiciendam.

Seneca cap. 14. ejuſdem libri.

Cato colaphum ſibi impactum non ægrè tulit; non ultus eſt; nullam etiam conceſſit veniam; ſed ſibi ullam fieri injuriam arroganter negavit. Ipſius patientia nihil aliud ſapiebat quàm ſuperbiam & ferocitatem; erat inimicis injurioſa; ipſos enim hac Stoïca patientiâ in belluarum adverſus quas iraſci indignum eſt viro ſapienti, numerum accenſebat. Hunc erga inimicos deſpectum non aliunde quàm ex maxima ſui exiſtimatione oriundum, magnanimitatem vocat Seneca. *Majori animo*, inquit, de injuria Catoni illata loquens, *non agnovit quam ignoviſſet.* Quâ dementiâ confundit ille magnanimitatem cum ſuperbia, patientiámque ab humilitate ſejungit ut eam cum intoleranda prorſùs conjungat ferocitate, ſed quàm blandè ejuſmodi dementia vanitati hominis, qui cedere ac ſeſe dejicere ſemper recuſat, palpat; & quàm pernicioſum eſt Chriſtianis magiſtri adeò præcipitis, qualis eſt Seneca, doctrinam imbibere; ipſius enim imaginatio adeò fortis,

adeò vivida est ut ingenio debiles, & ad sensibiles voluptates propensos frangat, perstringat, ac torrentis instar secum abripiat.

Discant potiùs Christiani à suo Magistro, se ab impiis posse injuriis affici, probósque nonnunquam, sic dirigente Providentia, malorum impietati permitti. Jesus-Christus sapientissimus inter sapientes, immò infinitâ præditus sapientiâ, à Summi Pontificis Ministro colapho exceptus, non diffitetur se ab isto Ministro fuisse læsum, non irascitur; non ut Cato, ulciscitur; sed utpotè veram passus injuriam ignoscit, suos quidem inimicos ulcisci immò perimere poterat; sed cum patientia humili, modesta, nemini, ne vel aggressori injuriosa, mala sibi inflicta tolerat. Cato è contra cùm injuriæ sibi factæ ultionem reipsa nec posset nec auderet exigere imaginariam saltem apud se fingit, quæ suæ palpet vanitati & superbiæ; sese suprà nubes mente sublimem fert; hinc homines ut pusillas muscas quæ ipsum nec lædere, nec ad iram provocare valeant, despicit. Figmentum sanè sapienti Catone dignissimum. Ex hoc enim figmento nascitur illa magnanimitas & constantia quâ evehitur ad Deos. Hoc pacto humanæ malignitati & violentiæ subductus, illæsus factus est.

Heu demens Cato, qui te virtute tuâ cæteris mortalibus superiorem evasisse putas! quicquid de te sentiant homines, coram Deo sapientia tua est mera insipientia, tuámque magnitudinem ipse abominatur.

Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum. Quod hominibus altum abominatio est ante Deum. Luc. 16.

Porrò multifariam insaniunt homines. Alij se in gallos gallinaceos, & in gallinas transformatos fuisse; alij se ad Regni aut Imperij clavum sedere, imaginantur. Alij denique Deorum exemplo ἀνυπευθυνίαν, seu independentiam sibi arrogant. Ij quidem insani apud homines audiunt qui sese in gallos aut Reges transmutatos fuisse autumant; at verò in eundem insanorum numerum ij non semper referuntur, qui se virtute suâ Diis similes factos & ab omni authoritate & imperio solutos esse credunt. Cur autem de his apud homines idem non sit judicium ac de illis hæc est causa, ut nempe quis insanus habeatur, non sufficit ipsum habere cogitationes per se insanas; necesse est præterea ut ab hominibus insanæ & ridiculæ censeantur. Insani enim alienam non agnoscunt insaniam, sed viri tantùm sapientes; non secùs ac sapientes ab insanis tales non existimantur. Ij igitur qui se gallos aut Reges factos fuisse putant insanire existimantur apud homines, quia nemo credere potest galli formam, aut Regiam dignitatem comparatû esse ita facilem. At verò ab omni ævo Mortales ad Deorum conditionem se extolli posse arbitrati sunt. Hanc cogitationem tanquam verisimilem iis semper induxit ipsorum vanitas. Illam à primo parente hauserunt. Quippe ex historia tentationis patet πρωτοπλάστους id sperasse, cùm Dæmoni ipsis pollicenti fore ut Deo similes evaderent, *(Eritis sicut Dij)* obsecundarunt. Ipsæ intelligentiæ purissimæ maximis ornatæ dotibus superbiâ & φιλαυτίᾳ ita occæcatæ fuerunt, ut Divinæ authoritatis jugo excusso, Dei thronum occupare conatæ

fuerint. Quis miretur si homines Angelis quoad puritatem & lumina inferiores, iisdem vanitatis motibus ducti cæcutiant & decipiantur.

Si magnitudinis & independentiæ tentatione vehementiùs moveamur quàm omnibus aliis tentationibus id aliunde non est quàm quia illa tentatio rationi & inclinationi nostræ magis indulget, quemadmodùm olim magis indulsit rationi & propensioni primorum parentum, quoniam nostræ imbecillitatis & inopiæ quâ rebus omnibus submittimur non semper conscij sumus. Si serpens Parentes nostros compellasset hac præmissâ interminatione, nisi de fructu à Deo vobis interdicto comedatis, tu in gallum, tu verò in gallinam transformaberis; ausim certè asserere ipsos adeò crassam tentationem exsibilasse; ut nos illam exsibilaremus si nobis obtruderetur. At verò Cacodæmon de aliis per semet judicans, ambitionem & αὐτονομίας amorem ansam esse cognovit, quâ prehendi & retineri poterant.

Secunda causa quæ afferri potest cur ij qui se gallos aut Reges factos fuisse putant, insanire credantur; ij verò qui se à quoquam lædi posse negant, quia dolore superiores sunt, in eundem non referantur numerum, in eo consistit quòd Melancholiâ Hypochondriacâ affecti errores suos omnibus dent manifestos; nemo est qui ipsorum perturbationis testis oculatus esse non possit. Sed, dum Cato asseverat se ictûs inimicorum immotâ mente accepisse, ac omnes injurias quæ sibi possent inferri susque dèque habere; id tantâ gravitate, tantâ audaciâ afferit, vel saltem potest asserere, ut vix queas dignoscere an idem pectore gerat quod habitu externo testatur. Et immotus ille quem præ se fert corporis status, constantiæ animi nos certiores facere videtur. Habitus enim externus corporis, internæ mentis dispositionis ut plurimùm index est. Ita qui mendacia sua audacter & intrepidè oggerit, is incredibilia quæque nonnunquam persuadet. Illa enim audacia est argumentum sensibile; ac ideò plerisque validissimum & efficacissimum. Pauci sunt igitur qui Stoicos habeant insanos, aut saltem impudentes mendaces, quia id quod tenent mente repostum externis non apparet signis; quibus perquàm facilè decipiuntur non pauci; præter quam quòd ingenita nobis vanitas eò nos facilè adducat, ut homini istam magnanimitatem & independentiam affingamus.

Hinc liquidò patet errores quibus scatent Senecæ libri esse omnium maximè exitiales & contagiosos, quippe qui sese molliter insinuent, vanitati humanæ palpum faciant, & ad illum errorem cui primos Parentes nostros mancipavit Diabolus quàm proximè accedant. Illi errores apud illum Authorem magnificis & præfulgidis circumcinguntur ornamentis, quibus pleraque ingenia facilè pelliciuntur; mentem subeunt, totam occupant, obtundunt, & occæcant, non cæcitate quidem quæ miseros illos mortales ad humilitatem & ignorantiæ agnitionem ac illius coram aliis professionem ferat: sed cæcitate ex qua oritur superbia; cæcitate quæ falsam quandam præ se fert lucem, qua perstringuntur. Qui hisce superbiæ tenebris semel fuerunt perfusi, sese

ſeſe protinùs inter egregia & intrepida annumerant ingenia: quin à cæteris etiam hominibus in eum ordinem collocantur, admirationémque conſequuntur. Quid igitur hac cæcitate quam ex iſtis erroribus contrahimus exitialius poteſt excogitari? Homines enim non modò ita ſunt vani, ſenſibus & affectibus mancipati, ut cæcitatem iſtam diſquirant & affectent, ſed eam etiam aliis, communicare conentur. Ex nullo igitur Authore aptiùs quàm ex Senecâ poſſet demonſtrari, quantùm ſit contagioſa nonnullorum, qui ingenioſi, & fortes habentur imaginatio; quantúmque imaginationes illæ fortes & vividæ agant in mentes debiles & parùm eruditas; non equidem rationum evidentiâ & validitate, ſed vivâ quadam & eleganti orationis formâ, quæ ex imaginationis vi pendet.

Non me equidem latet Authorem illum magnam ſibi exiſtimationem inter homines conciliaſſe, temeritatis proculdubiò apud multos inſimulabor; quòd de illo tanquam de homine cui nimia ſit imaginatio, ingenij verò non ſatis, loqui auſus fuerim. Verùm illa ipſa, in qua eſt exiſtimatio; me in hæc impulit verba; non quidem quòd ipſi moroſè invideam; ſed quia ingens illa fama multos excitabit ut errores ejus confutatos expendant. Cùm aliquid grave & momentoſum profertur in medium, id quantùm fieri poteſt illuſtrioribus confirmari debet exemplis; Qui Authorem carpit, ipſius gloriæ non rarò conſulit. Sed ut ut ſit, ſi quid eſt in Senecæ ſcriptis quod reprehendam ſolus in ea non ſum ſententia; námque ut non paucos hujus ſæculi viros eruditione claros prætermittam, ante mille & ſexcentos annos, aut circiter, Author quidam ſagacis judicij obſervavit Senecam 1. in Philoſophia parùm diligentem fuiſſe. 2. parum judicij & ἀκριβείας in ipſius elocutione. 3. ipſius famam potiùs puerorum amore & imprudenti æſtu, quàm eruditorum & ſapientum conſenſu invaluiſſe.

Errores craſſos ſcriptis publicis profligare inutile eſt, quippe qui contagioſi non ſint. Fruſtrà homines moneas hypochondriacos inſanire, nemo eſt qui id ignoret. At verò ſi quos magni faciunt, errant, tum ipſos monere neceſſe eſt, ut ab errore ſibi præcaveant. Jam autem ſpiritum Senecæ eſſe ſpiritum vanitatis & ſuperbiæ manifeſtum eſt: Cùm itaque juxta S. Scripturam ſuperbia ſit peccati origo, *initium peccati ſuperbia*, ſpiritus Senecæ non poteſt eſſe ſpiritus Evangelij, nec ipſius Ethica cum Ethica Chriſtiana quæ ſola ſolida eſt & vera, conciliari.

Omnes equidem Senecæ cogitationes non ſunt falſæ & periculoſæ. Qui rectò præditi ingenio Ethicæ Chriſtianæ doctrinam ſunt aſſequuti, ipſum cum fructu legere poſſunt, eo utiliter uſi ſunt Viri clari, nec mihi propoſitum eſt eos vituperare, qui ſeſe eorum captui qui Senecam æquo pluris pendebant accommodaturi, ex iſtius Authoris operibus argumenta deprompſerunt ad confirmandam Ethicam Chriſtianam, & inimicos Evangelij propriis ipſorum armis expugnandos.

In Alcorano quædam ſunt non mala, & in Centuriis Noſtradami

---

1. In Philoſophia parùm diligẽt. 2. Velles eum ſuo ingenio dixiſſe judicio alieno. 3. Si aliqua contemſiſſet, & conſenſu potius eruditorum quàm puerorum amore comprobaretur. Quintil. l. 10 cap. 1.

quædam veræ Prophetiæ deprehenduntur. Alcorano utimur ad convellendam Turcarum Religionem, & quis pariter posset uti Prophetiis Nostradami ad convincendos quosdam Phantasticos, verùm quod in Alcorano est boni non potest efficere ut totus ille liber bonus dicatur; quemadmodùm veræ quædam Centuriarum Nostradami explicationes nunquam efficient ut Nostradamus Propheta habeatur, & qui istis eo fine utuntur libris, ipsos reverâ probare & existimare meritò dici non possunt.

Frustrà etiam quis laboraret, si ea quæ dixi de Seneca impugnaturus, multas hujusce Authoris sententias afferret, quæ cum solidis Evangelij veritatibus consonarent. In illo quasdam esse ejuscemodi sententias non diffiteor, ut & in Alcorano, & aliis impiis libris. Nec est etiam quod quis mihi innumeros obtrudat Authores qui Seneca usi sunt; sunt enim qui libro nonnunquam utantur, licèt ipsius futilitatem agnoscant, quia nempe ij quibuscum res ipsis est idem non ferunt judicium de illo Authore.

Ut tota Stoïcorum ruat sapientia unicum duntaxat experientiâ nec non supra dictis satis confirmatum teneri velim. Nos scilicet corpori nostro, Parentibus, amicis, Principi ac Patriæ nexu ita indissoluto adhærescere, ut etiam illum dissolvere nos puderet. Mens nostra corpori, & per corpus omnibus sensibilibus manu adeò potenti unitur, ut unio illa à nobismetipsis interrumpi nequeat. Corpus nostrum pungi nequit, quin totum individuum pungatur etiam & lædatur; quoniam in eo versamur statû ut hæc mutua harmonia inter nos totos & corpus nostrum sit omninò necessaria sic injuriis, & contumeliis excepti non possumus quin id ægrè feramus: Deus enim qui nos ad id comparavit ut societatem cum cæteris hominibus ineamus, in id omne etiam nos propendere voluit, quod cum iis nos adjungere potest; atque illa propensio est prorsùs invicta. Qui se dolore, & contumeliosis verbis superiores esse gloriatur, ita ut iis nec lædatur nec irritetur, is certè vana & chymærica jactat. Nemo Mortalium naturâ superior est, nisi accedente gratiâ. Nec ullus unquam extitit Stoicus qui proprio animi robore & constantiâ, gloriam & existimationem hominum adspernaretur.

Affectus suos affectibus contrariis vincere quidem possunt homines, timorem aut dolorem vanitate possunt superare, hoc est, à fuga & querela possunt temperare, cùm ob multorum oculos positos sese conspiciunt, tum gloriæ cupiditate ipsos suffulciente, motus corporeos quibus in fugam verterentur sistunt. Hæc est ipsorum victoria; si id demùm victoria dici possit. Hæc est ipsorum libertas, si quis se hoc pacto in libertatem vindicasse putet. Certè potiori jure dicas ipsos ad aliûs tyranni partes defecisse, vel servitutem ampliasse. Ij scilicet homines sapientiæ, felicitatis, & libertatis speciem præ se ferunt quidem, sed duram reapse patiuntur servitutem. Unioni naturali quæ nobis est cum corpore nostro possumus resistere ope unionis qua cum

cæteris hominibus conjungimur, quia nempe naturæ possumus resistere ipsius naturæ viribus. Deo possumus resistere viribus à Deo nobis concessis. Sed suapte ingenio nemo potest resistere Deo; natura sine gratia non potest penitùs vinci, quia nempe Deus, absit blasphemia dicto, vinci nequit, sine speciali Dei auxilio.

Magnifica itaque illa divisio rerum omnium in eas quæ à nobis non pendent, & à quibus pendere non debemus, videtur quidem rationi consentanea, sed corruptioni ex peccato contractæ nequaquàm congruit. Cum creaturis, ex Dei instituto unimur, sed ab iis omninò pendemus per peccati labem. Cùm itaque fœlicitas cum dolore & anxietate subsistere nequeat, non est quòd in hac vita illam speremus beatitudinem; ea, nempe, adducti illusione nos ab iis non pendere, quibus tamen naturâ nostrâ sumus mancipati. Omnis nostra felicitas in hisce terris ex fide viva & firma spe oriri debet, quæ nobis futuram beatitudinem per anticipationem repræsentent; nec possumus ex præceptis virtutis vitam nostram instituere, naturámque domare, nisi gratiâ quam nobis acquisivit JESUS-CHRISTUS, sustentemur.

CAPUT V.

De Libro Domini Montagne (Nobilis Galli.)

LIber ille Gallicè scriptus cui titulus est * specimina Domini Montagne nobis argumento esse potest virtutis quarundam imaginationum in alias. Tantâ enim libertate & παῤῥησία, tantâ ingenuitate & vivacitate scribit author ille ut ab ipsius laqueis vix possis te expedire. Negligentia quam de industria consectatur, ita venusta est, ut ab omnibus ametur; à nemine ideò contemnatur. Imperiosum ipsius ingenium cordatum sapit virum, unde fit ut venerationem potiùs quàm odium moveat. Qui liberalem illum, audacem, & viris nobilibus propriũ agendi seu loquendi modum cum aliqua eruditione cõjungere didicit in ingenia tantâ agit efficacitate, ut de quacunque re judicet, in admirationem pariter & assensum adeò præcipitem rapiat, ut examini sæpissimè non detur locus, immò ne intellectui quidem dicta assequendi tempus. Dominus Montagne rationibus non persuadet, quippe qui nullas unquam rationes, nisi invalidas, & debiles afferat. Et revera nullis inter ratiocinandum nititur principiis; Ex principiis conclusiones nullo deducit ordine quippe sententia ex historiâ aliquâ deducta nil demonstrat: Fabella nil probat: duo Horatij versus aut apophtegma Cleomenis & Cæsaris viros sanos non debent persuadere; ipsius tamen specimina nil aliud sunt præter rapsodiam Historiarum, fabularum, sententiarum, distichorum, & apophtegmatum.

* Essais de Montagne.

Eo quidem consilio legendus non est D. Montagne, ut in eo ratio-

cinia invenias; non ratiocinatur, indulget tantùm genio suo; id sibi solum dat negotij, ut placeat, non ut doceat; si animi gratiâ ab omnibus legeretur, non esset ita damnosus. Sed ubi semel quid juvat ab ipsius amore temperare, & alimentis palato suavibus non uti difficile est. Qui Authoris cujusdam lectione delectatur, in ipsius ut plurimùm sententias descendit, aut ex iis aliquid saltem sugit quod ideis suis confusionem & obscuritatem obducit.

Sed præter periculum erroris ex libro D. Montagne contrahendi; voluptas quæ ipsius lectione percipitur, plus quàm vulgò putatur flagitiosa est. Ista enim ex concupiscentia orta, illicitos affectus gignit & fovet. Nam stylus istius Authoris nos ideò tantùm juvat quòd sensûs afficiat, & modo quodam impercepto affectûs excitet.

Hæc circa D. Montagne, sicut & circa aliorum Authorum stylum qui nobis tantùm arrident propter secretam cordis corruptionem, sigillatim demonstrare non foret inutile, sed præterquàm quòd id non est instituti nostri, sermo longiùs producendus esset. Intereà tamen si quis ad mutuam idearum & affectuum de quibus mentio habita est analogiam attendere velit, ut & ad id cujus intra se ipsum conscius est, dum librum aliquem ornatè & eleganter scriptum legit, is nullo agnoscet negotio, se eo Authore magis delectari qui affectibus suis & ingenio magis accommodatus est. Si genere sublimi, Nobili, & libero stylo delectetur, id ex eo est quod vanitate laborans ad exaltationem & imperium aspiret. Si ex libris molli, & effœminata pennâ conscriptis voluptatem percipiat; id etiam non aliundè est quàm ex eo quod ad mollitiem & voluptatem sit pronus. Verbo; Ex rerum sensibilium amore & sensu duntaxat, non verò ex veritatis perceptione nascitur admiratio & impotens amor quo erga nonnullos Authores etiam inviti ducimur. Sed ad D. Montagne redeamus.

Ipsius admiratores causam admirandi ni fallor afferunt, quòd judicio polleat, & maximè abhorreat ab isto * ingenio quod puerilem & scholasticam sapit servitutem, quódque naturam & infirmitates humani ingenij scrutatus, mirum in modum detexerit. Si igitur ostendero Dominum Montagne cum sua parrhesia ab illo ingenio servili & magisterium affectanti immunem non fuisse, ingeniúmque humanum parùm cognovisse, certè ostendero ipsius admiratores non rationibus evidentibus, sed imaginationis istius Authoris vi, in admirationem fuisse raptos.

*Pédantisme

Ingenium illud puerile & scholasticum de quo suprà, si missis omnibus æquivocationibus, rationem & usum consulas, in iis reperitur * qui falsam & insulsam eruditionem ostentaturi innumeros Authores undique corradunt quos indiscriminatim citant; qui auram popularem capturi loquuntur eo tantum fine ut loquantur; quíque apophtegmata & historiarum scopas dissolutas confusè congerunt, ut probent, aut fingant sese probaturos ea quæ solis rationibus probari possunt.

* Pédans.

Istius

Istius characteris homines, ratione suâ utentibus opponuntur, ac cordatis viris ideò potissimùm sunt odiosi, quòd rationi adversentur. Quippe viri ingeniosi ratiociniis gaudent, nec eorum qui rationis usum non admittunt colloquium possunt ferre. Jam verò homines illi quos descripsimus nec possunt ratiocinari quia sunt ingenio exili & falsâ eruditione repleto, nec volunt, quia senserunt se à nonnullis pluris æstimari, dum Authorem incognitum aut veteris alicujus sententiam afferunt, quàm cùm ad ratiocinia sese accingunt. Ipsorum igitur vanitas sibi gratulans ob venerationem illam quæ ipsis defertur, efficit ut ad omnium scientiarum inusitatarum, quæ admirationem vulgi pariunt studium, animum appellant.

Istius igitur farinæ homines, vani sunt & arrogantes, felici memoriâ, parvo judicio prædit; in laudandis Authoribus, proferendisque sententiis prompti & fœcundi; rationibus validis destituti, imaginatione vividâ & exspatiante, sed inconstanti, inordinata & modum observare nescia pollentes.

His positis D. Montagne istius fuisse commatis non obscurè patebit. Hic enim de * Doctoribus togatis seu ludimagistris non agitur; istud insulsum ingenium quod falsam & puerilem ostentat eruditionem togæ non alligatur. Dominus Montagne poterat quidem togâ quamadeò aversabatur non indui, sed suis sese expedire vitiis tam facili negotio non poterat: in id quidem incubuit ut quandam in verbis & actionibus libertatem & ingenuitatem acquireret; sed judicio suo rectè dirigendo non studuit, aut nequicquam studuit, ingenium igitur suum ea adornavit eruditione, quæ scholam quidem non saperet, sed inani, vanâ & futili, dum rationem excolere, judicium firmare, ac viri cordati virtutes sibi comparare neglexit. * Pédans à longue robe.

D^ni. Montagne liber tot continet vanitatis, & fastus Authoris sui argumenta ut iis notandis immorari forsan videatur inutile. Quis nisi insana prætumidus sui æstimatione sperare audeat quosdam fore qui librum non parvum legere dignentur, ut aliquam habeant ingenij & indolis authoris cognitionem. Certe verisimile est D. Montagne dum id sibi proposuit se virum non vulgarem, & penitùs extraordinarium credidisse.

Omnes creaturæ ad id necessariò tenentur ut eorum mentes quos ad sui adorationem pronos deprehendunt, ad summum numen quod solum adorandum est, erigant; Immò ex Religionis præscripto permittere non debemus, ut mens & cor humanum soli Deo comparatum, circa nos occupetur, & in nostri admiratione aut amore defigatur. B. Johannem ad pedes Angeli Domini provolutum Angelus ipse assurgere jussit. *Conservus tuus sum ut tu, & fratres tui. Deum adora.* Soli Dæmones aut ipsorum nequitiæ participes ambiunt adorationem. Jam autem exigere ut homines circa varias ingenij affectiones, cogitationésque nostras meditandas occupentur; quid aliud est nisi adorationem non externam modò, sed internam & veram aucupari? eámque adorationem Apoc. 19 10.

adorationem flagitare, quam Deus meritò sibi tribuendam Adoratoribus præscribit in spiritu scilicet & veritate.

Dominus Montagne librum eo duntaxat conflavit fine ut sese variásque ingenij affectiones & inconstantias depingeret, id in Præfatione ad lectorem in omnibus editionibus præmissâ ipse non diffitetur. *Memetipsum pingo, ipse sum libri mei materies.* Nec certè id obscurè patebit lectori hujusce libri. Nullum enim in toto libro extat caput in quo ab argumento suo non digrediatur de se loquuturus; immò ipse Capitum integrorum argumentum unicum est. Jam autem si librum suum fecit ut in eo se pingeret, certè ipsum publicavit ut ab aliis legeretur; aliorum igitur oculos & attentiones in se voluit convertere; licèt ipse dicat, *non æquum esse otio in re tam frivolâ & vanâ abuti.* His verbis seseipsum jugulat, si enim *æquum* non judicasset tempus malè consumere in legendo libro suo, certè ipse ab absurdo se purgare non potuisset, dum illum excudi curavit. Unde infertur illum aut aliud dixisse, aliud verò cogitasse, aut malè se gessisse dum librum suum typis commisit.

Facetâ sanè suam vanitatem prætexit ratione, dicendo se in *cognatorum & amicorum* gratiam tantummodò scripsisse. Si res enim eo se habuisset modo, cur librum illum ter edi curasset? certè una editio suis cognatis & amicis sufficiebat. Cur prætereà librum suum in ultimis editionibus multis auxit, nihílque unquam ab illo detraxit, nisi quia fortuna suis adspirabat votis. *Addo*, inquit, *non emendo, qui enim librum suum publici fecit juris, nullo amplius in ipsum jure, meâ quidem sententiâ, potiri debet in alio libro meliora dicat si potis est, sed opus à se venditum non contaminet. Ex istis hominibus comparandum nihil esset ante obitum, rem seriò apud se reputent, priusquàm prodeant in medium, quid est cur ita festinent? Liber meus semper est unus & idem, &c.* Suum igitur cæteris hominibus oppigneravit & destinavit librum æquè ac cognatis & amicis. Verùm licèt cognatos duntaxat & amicos scriptis suis sibi devincire & in sui imaginem à se factam ipsorum mentem & cor per totum temporis spatium quod in illo libro perlegendo insumi debet convertere fuisset conatus, certè vanitas ipsius excusationem faciliùs non admitteret.

De seipso sæpiùs loqui non est viri sapientis, at verò sese ut solet D. Montagne perpetuis decantare laudibus, impudentiæ seu potiùs insaniæ species est. Ita enim non modò adversùs humilitatem Christianam, sed etiam adversùs rectam rationem peccatur.

Homines ad id constituti sunt ut unà vivant societatésque civiles ineant; sed notandum est privatos ex quibus constat societas, sese ut ultima corporis quod constituunt membra haberi ægrè ferre. Non mirum itaque si illi homines qui sese laudant, supra alios se efferunt, cæterósque ut ultimas societatis partes habent, dum se potissimas & honorificentissimas esse existimant; odium omnium, pro amore & existimatione in se moveant.

Vanitate igitur imprudenti & ridicula perpetuis sese laudibus effert D. Montagne,

D.Montagne, sed vanitate adhuc intolerabiliori sua describit vitia. Si enim ad rem attendas facilè comperies ipsum ea tantùm pandere vitia ex quibus propter sæculi corruptelam gloriam & decus aucupantur homines; ea sibi imputare non dubitat vitia quæ ipsi generosi & liberalis ingenij famam possunt conciliare; idque eo consilio ut per illam vitiorum confessionem quæ speciem ingenuitatis præ se fert fidem faciliùs consequatur, dum laudes suas prædicabit. Non immeritò certè dixit propriam laudem & proprium contemptum ab eadem arrogantia sæpe nasci. Id hominem sui plenum designat, & D. Montagne dum sua patefacit vitia, longè majori meâ quidem sententiâ arguitur superbiâ, quàm cùm virtutes suas prædicat, quis enim illam ferat superbiam qua quis ex vitiis suis gloriæ non verò humilitatis argumentum sibi facit. Minùs impatienter feram hominem quem sua profiteri crimina pudeat, quàm illum qui ea palam prædicare audet. Ac sanè nemo est, opinor, qui petulanti & Christiano parùm dignâ, quâ vitia sua describit D.Montagne, audaciâ non indignetur. Verùm alias ipsius ingenij qualitates expendamus.

l. 3. c. [illegible]

Si ei fides sit adhibenda, nullo negotio persuadebimur, *ipsius memoriam nullius rei fuisse capacem, labilem, ac infidelem, ipsius verò judicium fuisse eximium & firmum.* Si tamen ipsius ingenij sciagraphiam quam nobis delineavit, hoc est totum librum consulas, aliud planè senties. *Nullum,* inquit, *mandatum susciperem nisi essent mihi pugillares, si oratio paulùm longa sit mihi habenda, eò necessitatis adducor ut dicenda verbo ad verbum memoriæ mandem, & ad unguem ediscam; sin minus omni destitutus decore & confidentiâ perpetuò titubarem, aliquid vitij ex memoria mea semper reformidans.* Qui potest longam orationem verbo ad verbum & ad unguem ediscere, ut habitum externum eleganter queat componere, an memoriâ potiùs quàm judicio carere videtur? Quis etiam ei credat hæc de se dicenti? *Famulos meos suis ministeriis aut patriâ designare cogor, quia nomina propria vix possum retinere, & si diù adhuc in vivis maneam, nominis etiam mei forsan non meminero.* Viculi dominus qui orationes integras ad unguem potest addiscere, tantámne habet domi ministrorum turbam ut ipsorum nomina retinere nequeat? *Qui rure inter agrestes natus & educatus fuit, qui curis implicatur domesticis*; quique ipse profitetur, *se in ea non esse sententia ut illa adspernetur & negligat quæ sub pedibus jacent, quæ præ manibus habemus quæ ad usum vitæ potissimùm pertinent.* An is potest oblivisci nomina Gallica famulorum suorum; num, ut id de se ait, *plerasque quibus utimur monetas, differentias seminum in terra aut in granario, nisi sint manifestissimæ, ac principia etiam facillima agriculturæ quæ vel pueri norunt, quid exempli gratiâ fermentum pani conficiendo inserviat, quid sit, vinum in cupa finere ut confervescat, potest ignorare?* cùm tamen memoriam habeat Antiquorum Philosophorum nominibus & principiis refertam, *ideis*, exempli gratiâ, *Platonicis, atomis Epicureis, pleno & vacuo Leucippi & Democriti, aquâ Thaletis, infinitate naturæ Anaximandri aëre Diogenis, numeris & symmetriâ Pythagoræ, infinito Parmenidis, uno (seu unico) Musæi, aquâ & igne Apollodori, partibus*

l.2.cap.10. l.1 cap. 24. l.2. cap.17. l.12.cap.17. l.2.cap.12.

similaribus Anaxagoræ, discordiâ & amicitiâ Empedoclis, igne Heracliti, &c. An is judicium suum supra memoriam meritò potest jactare, qui in tribus aut quatuor libri sui paginis plusquam quinquaginta diversorum Authorum nomina & opiniones recenset, qui librum suum variis respersit historiarum fragmentis atque indigestis Apophtegmatibus, qui de se ait, *Historiam & Poësin argumenta esse genio suo peridonea*, qui perpetuis implicatur contradictionibus & in eodem capite; dum de rebus quarum certissimam sibi arrogat notitiam; hoc est de ingenij sui dotibus & affectionibus loquitur?

Fateamur ergo D. Montagne oblivione præstitisse, quandoquidem id ipse nobis asserit, nósque id de ipso sentire exoptat, ac præcipuè quandoquidem id veritati omninò non repugnet. Nolimus laudibus quas ipse sibi tribuit decepti credere, ipsum magno judicio & eximia polluisse ingenij sagacitate. Isto enim præjudicio in errorem lapsi opinionibus falsis & damnosis quas imperiosa obtrudit procacitate, quibúsque debiles obtundit, assensum æquo faciliùs præberemus.

Laus quæ secundò tribuitur D. Montagne, ex eo desumitur quod ingenium humanum optimè cognosceret, intimos ipsius recessûs, naturam, proprietates penitùs scrutaretur, ipsius denique vim & imbecillitatem, vitia & virtutes ac quicquid de eo cognosci potest perspiceret. Videamus an ista elogia tam largâ manu ipsi jure tribuantur.

Qui scripta D. Montagne perlegerunt, non ignorant ipsum Pyrrhonismum affectasse, atque ex generali circa omnia dubitatione gloriam quæsiisse. *Persuasio certa rei cujuspiam notitiæ*, inquit, *certum est testimonium maximæ stultitiæ & maximæ incertitudinis, nec ullos ad stultitiam magis accedere & à Philosophia magis recedere existimo quàm Platonis Philodoxos.* Tot è contrà laudibus effert Pyrrhonios in eodem capite, ut ipsum istius fuisse sectæ extra omnem dubitationis aleam positum sit. In iis versabatur temporibus, quibus qui cordati & elegantis hominis laudem ambiebat, de cunctis dubitare necessum habebat. Ingenij præterea fortitudo quam affectabat, ipsum ad illas adducebat opiniones: Itaque illum Academicum fuisse supponendo, nullo negotio summæ convincetur inscitiæ, non modò circa ingenij naturam, sed etiam circa quodlibet aliud. Cùm enim scire & dubitare inter se toto cœlo differant, certè si Academici veraces sint, cùm asseverant se nihil scire omnium maximè ignari meritò haberi possunt. At verò illi non modò omnium sunt maximè ignari, opinionum etiam ineptissimarum vindices sunt acerrimi. Si quid enim certissimum & apud omnes universè acceptum sit id non modò respuunt, sed eodem imaginationis impetu de rebus incertissimis, & à probabilitate maximè alienis decidere audent. Hoc vitio manifestò laborat *D. Montagne*; itaque necessariò dicendum est ipsum non modò naturam ingenij humani ignorasse, sed etiam circa illud erroribus crassissimis impeditum fuisse, si saltem ut debuit, id scriptis exaraverit, quod in mente habebat reconditum.

Quid enim de illo sentias qui spiritum cum materiâ confundit; sententias;

L. 2. c. 12.

tentias Philosophorum circa mentis naturam ineptissimas ita refert ut eas non modò non contemnat, immò dicas potiùs ipsum absurdissimis calculum adjicere; immortalitatis animæ non sentit necessitatem; ipsamque non credit à ratione humana posse capi; & argumenta quæ pro illa mentis immortalitate efferuntur habet pro somniis quæ desiderium illius immortalitatis excitat in nobis: *Somnia non docentis sed optantis*; qui hominibus succenset quod *sese à cæteris rebus conditis segregent, & à brutis distinguant*: quæ *sociorum seu fratrum adinstar nobis adjungit*: quæque autumat sese mutuò intelligere, inter se colloqui, ac nos irridere, ut ipsa ridemus: qui plus discriminis interesse credit, inter hominem, & hominem, quàm inter hominem & brutum: qui etiam araneis tribuit, *deliberationem, cogitationem & conclusionem*: ac denique qui postquam defendit dispositionem corporis humani nulla in re præcellere dispositioni belluarum, hanc tamen lubens amplectitur sententiam, *nec ratione, nec ratiocinio, nec mente nos cæteris animalibus præstare, sed oris formâ, colore renidenti, egregiáque membrorum dispositione; quibus prærogativis longè postponendæ sunt, intelligentia, prudentia, & aliæ virtutes, &c.* An is qui opinionibus omnium maximè insulsis fretus concludit, *non recto ratiocinio, sed superbiâ & pervicacitate hominem sese supra cætera animalia extollere.* An is, inquam, accuratam ingenij humani notitiam habuisse censendus est. l. 2. c. 12.

Verùm unumquemque pro meritis habeamus, ac genuinum ingenij D. Montagne tradamus characterem, debili equidem erat memoriâ, judicio adhuc debiliori: sed ambæ illæ dotes non constituunt apud homines elegantiam ingenij, imaginatio egregia, vivax, vasta elegantis bellique ingenij famam conciliat. Vulgus id æstimat quod nitet, non verò quod solidum est, quia nempe id exoptat magis quod afficit sensus quam quod rationem edocet. Si igitur imaginationis præstantia pro ipsius ingenij præstantiâ sumatur, D. Montagne præstanti immò præstantissimo præditus ingenio dici potest. Ipsius ideæ falsæ sunt, sed egregiæ; ipsius formulæ loquendi normam excedunt, sed audaces sunt & amœnæ; ipsius sermones ad rationis amussim non expenduntur, sed ex felici oriuntur imaginatione. In toto ipsius Libro aliquid singulare micat, quod maximè allubescit, dum aliena pro suis usurpat, ipsius apographa dicas esse autographa & archetypa, tanta ipsi est imaginationis vis & industria! Ea denique omnia habet in promptu quæ ad placendum & pelliciendum idonea sunt; nec obscurè, opinor, demonstravi ipsum apud tot homines admirationem sibi conciliare, non ipsorum rationem argumentis evidentibus convincendo, sed ipsorum ingenium vi imaginationis imperiosa & victrici ad intentum suum inflectendo.

CAPVT VLTIMVM.

* Sorciers par imagination.

*I. De Sagis * & veneficiis imaginariis, seu de iis qui imaginationis vi sese fascinatos & fascinantes credunt, & de Lycanthropis. II. Concluduntur duo primi Libri.*

NIhil est in quo vis imaginationis magis stupendam se præbeat quàm in ingenti illo lemurum, dæmonophaniarum, fascinorum, characterum Magicorum, incantamentorum, lycanthroporum, ac omnium in genere quæ à Cacodæmonis potestate pendere creduntur timore quo nonnulli tenentur.

Nihil est formidabilius ac terribilius menti, quódque in cerebro altiora imprimat vestigia, quàm idea potestatis alicujus invisibilis, in id perpetuò intentæ ut nos, ipsius viribus impares, lædat. Quicquid hanc ideam excitat nunquam sine terrore & anxia curiositate exauditur. Homines rerum novarum & insolentium avidi terrificas illas potentiæ & malignitatis * præstigiatorum seu veneficorum historias narrant cum voluptate; ipsos aliis hominibus ac etiam sibimetipsis hujuscemodi fabulis terrorem incutere juvat. Non mirum itaque est si ejusmodi fascinatores sint adeò frequentes in regionibus nonnullis in quibus hæc opinio conventuum Magorum, qui Sabbatha dicuntur, nimis invaluit, apud hosce populos fabulæ omnium ineptissimæ circa fascina & incantamenta habentur historiæ authenticæ; immò in illis regionibus insanos & Phantasticos quorum imaginatio tam hisce fabulis quàm propriâ cordis corruptione perturbata fuit; pro veris veneficis aut magis comburere non dubitant.

* Sorciers

Non me latet complures fore qui ægrè ferant, quòd pleraque veneficia imaginationis vi audeam tribuere; homines gaudent rebus terrificis; iis succensent qui ipsos ab errore depellere conantur; ægris imaginariis similes, qui præscripta à Medicis ipsis aliquid funesti ostendentibus remedia sedulò & religiosè observant. Superstitiones haud facilè profligantur, nec impunè impugnantur. Illa denique propensio quâ ad fidem Dæmonographorum deliriis adhibendam impellimur ab eadem causâ oritur & fovetur quæ efficit ut superstitiosi sint pertinaces, uti facile est probatu. Nihilominùs tamen haud abs re forsan erit hîc brevi describere, quo modo ejusmodi opiniones, meo quidem judicio invalescant.

Pastor seu opilio in ovili narrat post cœnam coram uxore & liberis quæ gesta fuerunt in * conventu Magorum, seu *in Sabbatho.* Cùm autem ipsius imaginatio vaporibus vini satis jam æstuet; & se multoties huic imaginario conventui interfuisse autumat, de eo energicè & vividè loquitur. Ingenita Pastori eloquentia, cum apta totius familiæ

* au Sabbat.

miliæ diſpoſitione ad rem adeò novam & terribilem accipiendam conjuncta, ingentia ſine dubio edere debet veſtigia in imaginationibus debilibus, nec fieri poteſt quin mulier, & tenelli liberi his auditis obſtupeſcant, toti occupentur, ac convincantur. Maritus eſt & parens qui ea narrat quæ ipſe vidit & fecit; à ſuis amatur & colitur; cur ipſi fidem non adhiberent? Idem per multos dies repetit Paſtor. Veſtigia imaginationis matris & liberorum magis & magis creſcunt. Iis aſſuefacti, metúque excuſſo, convictio remanet; ac ipſos denique Sabbathum adeundi rémque ſuis oculis uſurpandi inceſſit cupido: ſeſe ungunt; dein compoſitis in lecto membris, iſtâ cordis diſpoſitione ipſorum imaginatio effervescit; veſtigia ipſorum cerebro à Paſtore impreſſa, ſatis adaperiuntur ut, per ſomnum, omnes ceremoniæ Magicæ ſibi deſcriptæ motûs, tanquam præſentes & extrinſecùs excitatos judicent. Poſtquam expergefacti ſurrexerunt ſeſe mutuò interrogant, ac ſibi mutuò quid viderint narrant. Hoc modo veſtigia viſionis confirmant, ac qui inter eos imaginatione pollet fortiori, intra paucas noctes imaginariam Sabbathi hiſtoriam conflat. Hoc pacto Paſtor peritos fecit * veneficos, qui longè plures aliquando inſtituent, ſi imaginatione forti & vividâ præditi, ab ejuſmodi fabulis narrandis præ timore non terreantur.

* Sorciers.

Multi ſæpè extiterunt venefici ſinceri, hoc eſt, qui ſe reverâ tales exiſtimabant, qui omnibus ingenuè nuntiabant, ſe Sabbathum frequentare; idque tam altè imbiberant, ut quamvis multi poſtquàm propè illos pernoctaſſent affirmarent ipſos è lecto non egreſſos fuiſſe, ab illa tamen opinione dimoveri non poterant.

Nemo eſt qui neſciat fabulas lemurum & ſpectrorum ita terrere infantes ut ſoli & in tenebris manere non poſſint. Tunc enim cùm cerebrum nullis afficiatur veſtigiis à parte objectorum præſentium, veſtigium ipſorum cerebro fabulæ ope impreſſum, deintegrò aperitur nec rarò adeò vehementer ut ſpectrum deſcriptum ſibi adeſſe judicent. Ejuſmodi tamen hiſtoriæ ipſis non obducuntur niſi tanquam fabulæ; Qui illas narrant eum non præ ſe ferunt externum habitum qui in veris hiſtoriis narrandis geri ſolet, immò narratio ſæpè languida & frigida eſt. Non mirùm igitur eſt quòd qui ſe Sabbatho interfuiſſe credit, quique ideò rem confidenter ac vividè narrat, nonnullos ſibi maximè addictos adeò facilè perſuadeat circa omnes quas deſcribit circunſtantias, & veſtigia ſuis ſimilia in ipſos tranſmittat.

Dum homines nos alloquuntur, cerebro noſtro veſtigia iis quæ habent ſimilia inſculpunt. Si alta habent eo loquuntur modo quo alta etiam nobis indere poſſint veſtigia; nos enim alloqui nequeunt, quin etiam nos ſibi ſimiles aliquatenùs efficiant. Infantes in utero materno nil aliud vident quàm quod videt mater; atque etiam ex utero egreſſi pauca imaginantur quæ à parentibus non producuntur; homines enim vel ſapientiſſimi imaginationem alienam, hoc eſt, opinionem, & conſuetudinem, ducem potiùs ſequuntur quàm rationem. Itaque in locis,

ubi comburuntur venefici, ibi multos veneficos reperiri necesse est, quia, nempe, in iis locis veri creduntur esse venefici, & ista opinio variis qui circa illos habentur sermonibus magis magisque confirmatur: ipsos plectere desinant; instar insanorum habeant; tandem fiet ut nulli ampliùs reperiantur venefici. Qui enim tales sunt per imaginationem suam inordinatam tantùm, quorum procul dubio maximus est numerus, errores suos abdicabunt.

Veros veneficos morte plectendos esse extra dubium est; nec ij etiam qui imaginationis vi tales sunt penitus insontes haberi debent, quoniam ut plurimum se veneficos esse sibi persuadent quia ea sunt cordis dispositione ut Sabbathum frequentare cupiant, ac sese ea de causa aliquo illiverint unguento. Sed dum in omnes illos nefarios indiscriminatim animadvertitur, vulgaris persuasio invalescit, veneficorum imaginariorum numerus adaugetur, atque hoc pacto innumeri miserè pereunt & damnationi æternæ addicuntur. Sapientissimè igitur multa Parlamenta pœnas non sumunt de veneficis; in terris ipsorum jurisdictionis ejusmodi homines longè pauciores reperiuntur; & sceleratorum invidia, odium, ac malignitas id criminis prætendere non possunt ut innocentes opprimant.

* Loups garoux.

* Lycanthroporum, seu hominum in lupos transformatorum metus, non est chimæra minùs ridicula. Aliquis imaginationis perturbatæ impetu eò vesaniæ adducitur, ut singulis noctibus se in lupum transmutari credat. Hoc imaginationis errore ad ea facienda disponitur quæ lupi facere solent, aut quæ ab ipsis fieri audivit: domo igitur media nocte exit, per vicos grassatur, in obvium infantem irrumpit, ipsum mordet & malè mulctat. Plebs verò stupida & superstitiosa arbitratur fanaticum illum reverâ in lupum evasisse. Quia nempe infelix ille id ipsemet credit, idque nonnullis clam in aurem insusurravit qui rem silentio premere non potuerunt.

Si ea cerebro vestigia, quæ homines persuadent se lupos factos fuisse facilè possent imprimi; si per vicos noctu errare atque in eundem modum quo malè feriati illi lycanthropi debacchari, cerebro penitùs non perturbato, æque facile esset, ac facile est sabbatho interesse per noctem, somno non interrupto, egregiæ illæ metamorphoseon hominum in lupos historiæ eosdem prorsùs nanciscerentur effectus ac historiæ de Sabbatho, nec pauciores haberemus lycanthropos quàm veneficos. Verùm persuasio illa quâ quis se in lupum fuisse transmutatum credit, perturbationem cerebri supponit quæ longe difficiliùs producitur, quàm perturbatio hominis qui se in Sabbathum convenire duntaxat imaginatur; hoc est, qui per noctem ea se videre arbitratur quæ actu non existunt, quique expergefactus somnia sua à cogitationibus quas interdiù habuit distinguere non potest.

Non raró contingit ut per quietem nonnulli somnia habeant adeò vivida, ut expergefacti illorum exactè recordentur, quamquam somnium illud non versetur circa terribilia, non difficili igitur negotio nonnulli

nonnulli possunt sibi persuadere se Sabbatho interfuisse; ad id enim satis est, si cerebrum vestigia per somnum facta conservet.

Præcipua causa cur somnia nostra pro rebus actu existentibus non habeamus, inde est quòd non possimus somnia illa colligare cum rebus inter vigilandum agitatis; hinc enim mera esse somnia comperimus. Jam autem venefici imaginarij hoc κειτηείῳ non possunt judicare an ipsorum Sabbathum nil sit præter merum somnium. Sabbathum enim seu Veneficorum conventus nunquam habetur nisi noctu, & quæ in Sabbatho agitantur nullo possunt colligari vinculo cum cæteris diei actionibus. Inter isthæc nihil est commune. Moraliter igitur impossibile est ut hoc pacto ab errore expediantur. Nec etiam necesse est ut quæ venefici imaginarij per Sabbathum vidisse putant, inter se connectantur ordine quodam naturali; eò enim majorem realitatem habere creduntur, quò magis habent absurditatis & confusionis. Sufficit igitur ad eos decipiendos, ut ideæ rerum in Sabbatho gestarum sint vividæ & terrificæ; quod necessariò continget, quia ibi nova, insolentia, & inusitata prorsùs agitari creduntur.

At verò ut quis se in gallum, capram, lupum, bovem transmutatum fuisse credat, tanta opus est imaginationis perturbatione, ut id non nisi raró admodùm contingere queat. Ejusmodi perturbationes aliquandò tamen accidunt, sive sit pœna divinitus inflicta, ut id refert Scriptura de Nabuchodonozor, sive exundante in cerebro melancholiâ ut id observant Medicorum filij.

Quamvis persuasum habeam veros veneficos esse perquàm rarissimos, Sabbathum merum esse somnium, & Parlamenta seu Curias quæ delationes * veneficij respuunt ad æquitatem magis accedere, nolim tamen negare posse dari veneficos seu fascinantes, incantamenta, fascina, &c. Diabolumque interdum suam exerere potentiam in homines speciali Dei permissione. Sed Scriptura sacra nos docet regnum Satanæ fuisse eversum; Angelum cœli Dæmonem catenis vinctum in abyssum detrusisse, unde non emerget nisi in fine mundi; Jesum-Christum hunc fortem armatum armis spoliasse, tempusque advenisse, quo Princeps mundi è mundo eliminatur.

* Sorcellerie.

Usque ad Servatoris adventum regnaverat quidem, atque etiamnum hodie forsan regnat in iis locis ubi Servatoris cognitio nulla habetur; at nullo jure nulláque potestate in regenitos in Christo ampliùs potitur. Ipsos nequidem potest tentare, nisi Deus permittat, nec permittit, nisi fideles tentationem possint vincere. Ij igitur Diabolum nimio dignantur honore, qui historias narrant tanquam ipsius potestatis argumenta, ut faciunt novi quidam Dæmonographi, quippe ejusmodi historiæ Dæmonis timorem incutiunt infirmis. Ad spernandi Dæmones sunt ut spernuntur carnifices. Coram Deo duntaxat tremendum est. Ipsius sola potentia timenda. Ipsius judicia debent formidari, nec ad iram legum & Evangelij ipsius contemptu provocandus est. Is sanè attentione nostrâ dum loquitur, aut cum quis de ipso verba facit, dignus est. At verò cùm homines de Dæmonum potestate mentionem apud

nos habent, trepidare & obstupefieri ridiculum est. Metus noster Adversario gloriosus est. Venerari & metui gaudet, sibi congratulatur, cùm mentem nostram coram ipso deprimimus.


II. *Duo primi Libri concluduntur.* Porrò huic secundo libro finem imponendi jam tempus est. Ex iis igitur quæ hoc & præcedenti dicta sunt observatum velim. Primò omnes cogitationes quas mens habet per corpus & ut ita dicam *dependenter* à corpore, esse tantùm in usum ipsius corporis. Secundò, eas omnes esse falsas & obscuras. Tertiò, eas in eum usum duntaxat esse institutas ut nos bonis sensibilibus ac iis omnibus quæ ea nobis conferre possunt, uniant, istámque unionem nos in errores innumeros ærumnásque lugendas injicere; licèt non semper hasce miserias sentiamus, quemadmodùm non cognoscimus errores è quibus oriundæ sunt. Ecce hujusce rei exemplum omnium maximè insigne.

Unio qua cum matribus conjuncti fuimus in ipsarum utero, quæ strictissima est omnium quas cum hominibus habere possumus, maxima etiam nobis attulit mala; nempe peccatum, & concupiscentiam omnium ærumnarum nostrarum originem. Unionem tamen illam non minùs arctam fuisse, ut corpus nostrum ut par est conformaretur, oportuit.

Huic unioni quæ nativitate nostrâ interrupta fuit alia successit, quâ liberi cum parentibus & nutricibus conjunguntur; hæc secunda unio minùs stricta fuit quàm prima ideò minùs nobis attulit mali, ad id solùm nos induxit ut parentes & nutrices in omnibus imitaremur iisque crederemus. Hanc secundam unionem, non quidem ut primam ad corporis conformationem, sed tantùm ad ipsius conservationem, ut omnia cognosceremus quæ isti conservationi conducere possunt, & corpus ad motus hisce rebus comparandis necessarios disponeremus, nobis necessariam fuisse manifestò patet.

Unio denique, quâ cum cæteris hominibus nunc conjungimur, nobis etiam valdè noxia est, quamvis æquè stricta non sit, quippe quæ corporis conservationi sit minùs necessaria. Ex hac enim unione fit, ut opinione vivamus, quæ apud cæteros homines æstimantur & amantur, æstimemus etiam & amemus; etiam conscientiâ nostrâ & ideis quas de rebus percepimus repugnantibus. Hîc non loquor de unione qua cum mente aliorum hominum conjungimur, ista enim unio eruditioni nostræ potest inservire. Sermo tantùm est de unione sensibili quæ exstat inter imaginationem nostram & habitum externum eorum quibuscum res nobis est. Hinc igitur liquet omnes cogitationes quas per corpus & à corpore habemus esse falsas, & eo perniciosiores menti, quo corpori utiliores sunt.

Quæ cùm ita sint, in id nos incumbere par est, ut ab illusionibus sensuum, imaginationis phantasmatis, & impressioni imaginationis alienæ in nostram, nosmet liberemus. Omnes confusas ideas, quas hausimus ex servitute in qua corpus nostrum nos detinet, respuamus, solásque ideas claras & evidentes quas mens excipit unione quâ cum verbo, aut sapientia, & veritate æternâ conjungitur; ut id Libro sequenti de intellectu seu mente purâ, sumus exposituri, admittamus. DE




DE INQVIRENDA VERITATE.

LIBER TERTIVS.

DE INTELLECTV SEV MENTE PVRA.

CAPVT PRIMVM.

I. Sola cogitatio essentialis est menti. Sentire & imaginari nihil aliud sunt præter ipsius modificationes. II. Omnes non cognoscimus modificationes quas mens potest suscipere. III. Istæ modificationes diversæ sunt à cognitione nostra & amore nostro, immò ipsas non semper sequuntur.



HUJUSCE tertij Libri materia paulò siccior, & sterilis videbitur. In eo examinatur mens in se ipsa considerata, ac sine ullo respectu ad corpus, ut vitia ipsi propria, & errores quos à se ipsâ tantùm habet agnoscantur. Sensus & imaginatio errorum & illusionum sunt fontes fœcundi & inexhausti, at verò mens per seipsam agens errori minùs obnoxia est. Duobus primis Libris vix potuit imponi finis: tertius hic ægrè inchoatus est. Multa equidem dici possent de natura aut proprietatibus mentis; verùm hîc non tam proprietates mentis quàm ipsius infirmitates & vitia disquiruntur. Ne quis igitur miretur si liber hic non sit ejusdem amplitudinis ac superiores, etsi pauciorem detegat errorum

numerum. Non est etiam quòd quis ægrè ferat nos in illo de rebus siccis, abstractis, & arduis agere sensus & imaginatio non possunt semper moveri inter loquendum, nec etiam debent. Quum quid abstractum est, si illud sensibile velis efficere, obscuritatem ipsi ut plurimùm effundis, sufficiat si illud intelligibile reddas. Quid eorum querelis injustius qui cuncta equidem scire vellent, sed animum rei cuiquam applicare recusant? si ab ipsis attentionem exigas, indignantur. Nisi ipsos tangas, sensibus & affectibus blandiaris, ipsis nunquam feceris satis. Quid facias? Ipsis satisfacere penes nos non est, id quidem fatemur. Qui * fabulas amatorias & Comedias componunt ad id quidem tenentur ut placeant & attentionem captent, nobis verò satis erit si eos possimus erudire qui totam attentionis vim intendunt.

* des Romans.

Errores sensuum & imaginationis ex natura & constitutione corporis oriuntur, & ex imperio ipsius in mentem deteguntur; sed errores intellectûs non possunt patefieri, nisi consideratione ipsius mentis & idearum quæ ipsi ad cognoscenda objecta necessariæ sunt. Ut itaque possimus penetrare errores intellectûs puri, in hoc libro naturæ mentis & idearum intellectualium examini insistendi necessitas incumbit.

Primò de mente, ut est in seipsâ, & sine ullo respectu ad corpus cui unitur loquemur: unde fit ut quæ de illa dicturi sumus, dici possent de puris intelligentiis, & potiori jure de eo quod hic appellabimus intellectum purum. Per *intellectum* enim *purum* nihil aliud designamus quàm facultatem quâ pollet mens cognoscendi objecta externa, nullis eorum formatis imaginibus in cerebro, quibus ea sibi repræsentet. Deinde de ideis intellectualibus agemus, quarum ope intellectus purus objecta externa percipit.

I. *Sola cogitatio essentialis est menti, sentire & imaginari sunt tantùm ipsius modificationes*

Nemo est, opinor, qui super ea re seriò meditatus non agnoscat * essentiam mentis consistere in sola cogitatione, quemadmodùm essentia materiæ consistit in sola extensione; & pro variis modificationibus cogitationis, mentem mox velle, & mox imaginari, aut denique multas alias formas speciales suscipere; quemadmodum juxta varias modificationes extensionis, materia mox est aqua, mox lignum, mox ignis, aut alias innumeras habet formas speciales.

* *Per rei essentiam intelligo quod primum in ea re concipitur à quo pendent omnes modificationes quæ in ea deprehenduntur.*

Hic duntaxat lectorem velim monitum, per hanc vocem (*cogitatio*) me non intelligere modificationes peculiares mentis, hoc est hanc vel illam cogitationem; sed cogitationem omnibus omnis generis modificationibus aut cogitationibus suscipiendis idoneam, quemadmodùm per extensionem non intelligimus talem aut talem extensionem ut quadratam aut rotundam, sed extensionem omnibus modificationibus aut figuris recipiendis aptam. Atque ista comparatio non potest negotium facessere, nisi quia ideam cogitationis claram non habemus ut extensionis; cogitatio non cognoscitur nisi sensu quodam interno seu *conscientiâ*, ut id inferiùs explicabo.

Secund. part. de mente purâ, cap. 7.

Haud etiam putem quemquam posse concipere mentem quæ non cogitet, licèt facili negotio possit concipi mens quæ nec sentiat, nec imaginetur,

imaginetur, nec etiam velit; quemadmodùm non poteſt concipi materia quæ non ſit extenſa, quamvis facilè concipi poſſit materia quæ nec ſit terra, nec metallum, nec quadrata, nec rotunda, quæ etiam non ſit in motu. Hinc concludere eſt, quemadmodùm fieri poteſt ut extet materia, quæ nec terra ſit, nec metallum, nec quadrata, nec rotunda, nec etiam in motu; fieri pariter poſſe ut mens nec calorem nec frigus, nec triſtitiam nec gaudium ſentiat, nihil imaginetur, nihil etiam velit; adeò ut omnes illæ modificationes ipſi non ſint eſſentiales. Sola igitur cogitatio eſt eſſentia mentis, non ſecùs ac extenſio ſola eſt eſſentia materiæ.

Sed quemadmodùm ſi materia aut extenſio eſſet ſine motu, planè foret inutilis ad varias illas formas quibus deſtinata eſt, nec poteſt concipi ens intelligens illam talem, hoc eſt ſine motu & ad formam ineptam condere voluiſſe; ita ſi mens aut cogitatio eſſet ſine voluntate; manifeſtò patet ipſam fore prorsùs inutilem, quandoquidem hæc mens versùs objecta perceptionum ſuarum nunquam ferretur; adeò ut concipi nequeat ens intelligens illam in hoc ſtatu voluiſſe condere. Nihilominus tamen ſicut motus non eſt eſſentialis materiæ, cùm ſupponat extenſionem, ita τὸ velle non eſt eſſentiale menti, quandoquidem τὸ velle ſupponat perceptionem.

Cogitatio igitur ſola propriè conſtituit eſſentiam mentis, & varij cogitandi modi, ut ſentire, & imaginari nihil aliud ſunt, quàm modificationes quibus eſt idonea, quibùsque non ſemper modificatur. Sed τὸ velle eſt proprietas quæ illam ſemper comitatur, ſive corpori uniatur, ſive ab eo ſejungatur; quæ tamen ipſi non eſt eſſentialis, quandoquidem ſupponit cogitationem, & mens concipi poteſt ſine voluntate, quemadmodùm corpus ſine motu.

Facultas tamen volendi à mente ſeparari nequit, quamvis ipſi non ſit eſſentialis. Sicut mobilitas inſeparabilis eſt à materia quamvis ipſi non ſit eſſentialis. Quemadmodùm enim concipi nequit materia quæ non poſſit moveri; fieri etiam nequit ut concipiatur mens quæ non poſſit velle, aut ad omnem inclinationem naturalem ſit inepta. Pariter quemadmodùm facilè concipio materiam exiſtere poſſe ſine ullo motu, ſic concipio mentem poſſe exiſtere ſine ulla impreſſione Authoris Naturæ versùs bonum, ac per conſequens ſine voluntate: Voluntas enim nihil aliud eſt quàm impreſſio Authoris Naturæ, quæ nos fert versùs bonum in genere, uti fuſiùs id expoſuimus primo Capite Tractatûs de Senſibus.

Quæ in illo Tractatu de Senſibus, & mox de natura mentis diximus, non ſupponunt nos omnes cognoſcere modificationes quas mens poteſt ſuſcipere, talia non ſupponimus, quin potiùs cenſemus in mente eſſe capacitatem recipiendi viciſſim innumerabilem modificationum varietatem, quas ipſa non cognoſcit. *II. Nos cognoſcimus omnes modificationes quas mens noſtra poteſt ſuſcipere.*

Minima portio materiæ poteſt recipere figuram trium, ſex, decem, aut decem mille laterum, & figuram circularem, & ellipticam quæ

haberi possunt figuræ numeri angulorum & laterum innumerabilis. Infinitus est numerus variarum specierum uniuscujusque ex his figuris; numerus infinitus triangulorum diversæ speciei, & plures sunt adhuc figuræ quatuor, sex, decem, decies mille laterum, & polygoni infiniti. Circulus enim, ellipsis, & in genere omnis figura regularis, aut irregularis curvilinea potest considerari ut polygonus infinitus. Ellipsis, exempli gratiâ, ut polygonus infinitus, sed cujus anguli sunt inæquales, aut latera inæqualia, cùm majora sint versùs parvum diametrum quàm versus magnum, & ita de polygonis infinitis magis compositis & irregularibus.

Minima igitur ceræ portio potest suscipere numerum infinitum variarum modificationum, quas mens nulla potest capere. Cur igitur mentem corpore longè nobiliorem negaremus posse suscipere alias modificationes præter eas quas jam suscepit.

Si nullum unquam voluptatis aut doloris sensum habuissemus, nullum unquam colorem, nullámque lucem unquam vidissemus, si denique respectu omnium rerum id essemus, quod sunt cæci & surdi respectu colorum & sonorum, an ideò rectè possemus concludere nos nequaquàm esse capaces omnium sensationum quas nunc habemus. Sensationes enim illæ nihil aliud sunt quàm modificationes mentis nostræ, ut id probavimus in Tractatu de Sensibus.

Constet igitur in mente capacitatem recipiendi varias modificationes esse majorem capacitate concipiendi; hoc est, quemadmodùm mens non potest exhaurire aut capere omnes figuras quas materia potest suscipere, non potest etiam capere varias omnes modificationes quas potens Dei manus potest in mente producere, tametsi æquè distinctè conciperet capacitatem mentis ac capacitatem materiæ, quod verum non est, ob rationes Capite VII. secundæ Partis hujusce Libri afferendas.

Mens nostra hîc in terris paucas recipit modificationes, quia corpori unitur à quo dependet. Omnes ipsius sensationes ad corpus referuntur; & cùm Deo non potiatur, nullas habet modificationes ab ista fruitione productas. Materia ex qua corpus nostrum compactum est paucas admodùm per hujus vitæ tempus potest recipere modificationes. Hæc materia non potest resolvi in terram & vaporem nisi post mortem. Nunc non potest fieri, aër, ignis, adamas, metallum; non potest fieri quadrata, rotunda, triangularis: Ipsam esse carnem oportet, humanámque habere figuram, ut mentis unionem admittere possit. Res eodem modo se habet de mente. Ipsam sensationes caloris, frigoris, coloris, lucis, sonorum, odorum, saporum, multarúmque aliarum modificationum recipere necesse est, ut unita cum corpore maneat. Omnes istæ sensationes ipsam ad machinæ suæ conservationem applicant. Istæ sensationes ipsam agitant & terrent statim atque minimum organum solvitur aut frangitur, iis itaque (sensationibus) mens subjecta sit oportet, quandiu ipsius corpus corruptioni obnoxium erit.

erit. At verò cùm immortalitate inducitur, ipsiúsque partium solutionem non ampliùs timebimus verisimile est, mentem hisce sensationibus infestis quas vel inviti habemus non ampliùs obnoxiam futuram, sed innumeris aliis toto genere diversis, Divinâ Majestate & bonitate dignis, quarum nullam habemus ideam, quæque omnem sensum longiùs exuperant.

Frustrà igitur quis se naturam mentis ita penetrasse crederet, ut ipsam cognitionis & amoris capacem duntaxat esse, jure posset asseverare. Hoc equidem ab iis qui sensationes suas objectis externis, aut etiam proprio corpori tribuunt, quique affectus in corde esse existimant, defendi posset. Ac reverâ si menti detrahas omnes passiones, seu affectûs & sensationes, quicquid residui in ea agnosci potest, nihil ampliùs est quàm sequela quædam cognitionis & amoris. At verò non possum capere, quo pacto qui hisce sensuum illusionibus valedixerunt, possint tamen sibi persuadere, omnes nostras sensationes & passiones nihil aliud esse præter cognitionem & amorem, hoc est species quasdam judiciorum confusorum, quæ mens fert de objectis relatè ad corpus quod animat. Non possum capere quomodò lux, colores, odores, &c. possint dici judicia mentis, quin distinctè percipio lucem, colores, odores, aliásque sensationes esse modificationes prorsùs diversas à judiciis.

Sed eligamus sensationes vividiores, quæ mentis attentionem magis defigant. Videamus quid isti homines dicant de dolore aut voluptate. Post * Authores celeberrimos censent, hasce sensationes nihil aliud esse quàm sequelas quasdam facultatis cognoscendi & volendi quâ pollemus: dolorem, exempli gratiâ, nihil aliud esse præter sollicitudinem quandam, repugnantiam, & aversionem voluntatis erga res quas corpori sibi charo noxias esse cognoscit. At sic dolor cum tristitia evidenter confunditur: tantùm abest ut dolor sit sequela cognitionis mentis & actionis voluntatis, quin utramque potiùs præcedit.

* *D. August. lib. 6. de musica.*
Cartesius in lib. de homine.

Si, exempli gratiâ, ardens pruna hominis dormientis, aut manûs in tergum actas calefacientis manui admoveretur; nemo est, opinor, qui aliquâ cum verisimilitudine posset asserere, hunc hominem statim cognoscere in manu motûs quosdam fieri sanæ ipsius corporis constitutioni contrarios; voluntatem deinde his motibus obviam ituram; dolorémque fore sequelam istius cognitionis mentis, istiúsque oppositionis voluntatis. Contrà verò constare mihi videtur, hominem illum dolorem primò & ante omnia esse percepturum, cùm pruna manum ipsius attingeret, hancque mentis cognitionem & voluntatis oppositionem nihil aliud esse quàm sequelas doloris, quamvis reverâ sint causæ tristitiæ dolorem sequentis.

Verùm dolor ille à tristitia quam parit longè differt. Primum quod mens sentit, dolor est: hanc sensationem nulla antecedit cognitio: ac per se nunquam jucunda esse potest: contrà verò tristitia, postremum est quod mens sentit, ipsam semper præcedit cognitio; ac ferè

ſemper jucundiſſima eſt per ſe. Id non obſcurè patet ex voluptate quam percipimus in triſtitia quæ naſcitur ex funeſtis theatri repræſentationibus ; hæc enim voluptas cum triſtitia creſcit ; voluptas verò cum dolore nunquam augetur. Comœdi qui in id ſolum incumbunt ut placeant, norunt theatrum cædibus non eſſe cruentandum ; quia cædis imago quamvis ficta, terribilior eſt quàm ut poſſit eſſe jucunda. At verò nimiâ triſtitiâ ſpectatores afficere non verentur, quoniam reipsâ triſtitia ſemper jucunda eſt, cùm datur legitima triſtitiæ materia. Triſtitia igitur & dolor eſſentialiter inter ſe differunt, nec dolor dici poteſt duntaxat cognitio mentis cum oppoſitione voluntatis conjuncta.

Cæteras verò ſenſationes, ut odores, ſapores, ſonos, colores, quod ſpectat, eas plerique homines nõ exiſtimant eſſe modificationes mentis. Ipſas contrà in objectis reſperſas eſſe judicant, nec aliter in mente eſſe, quàm idea quadrati & rotundi in ea eſſe ſolet ; hoc eſt ipſas menti quidem uniri, non verò ipſius eſſe modificationes, illúdque de iſtis ſenſationibus ferunt judicium, quia ab iis non valdè afficiuntur, ut id inter explicandos ſenſuum errores clarum dedi.

Certum igitur, ni fallor, manere debet nos omnes quas mens excipere poteſt modificationes non cognoſcere, ipſámque præter eas quas habet per organa ſenſuum, innumeras habere poſſe quas non experta eſt nec experietur niſi poſtquàm à corporis captivitate libera evadet.

Interim fatendum eſt mentem hiſce variis modificationibus idoneam eſſe per ſolam cogitationem, quemadmodùm materia innumeris variis configurationibus tantùm idonea eſt propter extenſionem ; mentem enim ad modificationes voluptatis, doloris, aut etiam ad omnes indifferentes modificationes fore ineptam, niſi perceptionis aut cogitationis capax eſſet, ita clarum eſt ut clarius nihil videatur.

Sufficiat igitur nobis tenere, principium harumce omnium modificationum, cogitationem eſſe. Si quis etiam aliquid in mente velit admittere quod cogitationem antecedat, me non habebit repugnantem. Sed quia exploratum habeo neminem eſſe qui mentem ſuam aliter cognoſcat quàm cogitatione, aut ſenſu interno ſeu conſcientiâ eorum omnium quæ in mente ſuâ aguntur ; certò pariter apud me conſtat, quòd, ſi quis de natura mentis velit ratiocinari, hunc ſolum ſenſum internum, qui ipſum ſibimetipſi qualis in ſe eſt ſemper repræſentabit, debet conſulere, non verò reluctante propriâ conſcientiâ imaginari mentem eſſe ignem inviſibilem, aërem ſubtilem, harmoniam quandam, aut aliud quid ſimile.

CAPUT

CAPUT II.

I. Cùm mens sit finita non potest capere quod pertinet ad infinitum. II. Ipsius mentis limitatio seu angustia multorum errorum origo est. III. Et præcipuè hæreseum. IV. Mens est submittenda fidei.

QUod primò in mente hominis deprehenditur illud est, illam scilicet angustissimis limitibus esse circumscriptam: unde duas maximi momenti consequentias possumus elicere. Prima est, mentem non posse cognoscere entia infinita. Secunda ipsam non posse multa distinctè cognoscere simul & eodem tempore. Quemadmodùm enim quædam ceræ portio non potest eodem tempore recipere infinitum variarum figurarum numerum; ita mens eodem tempore non potest habere cognitionem infiniti rerum numeri. Et quemadmodùm illa ceræ portio non potest esse quadrata & rotunda eodem tempore, sed tantùm alterâ parte quadrata, altera verò rotunda; & quo plures habebit figuras varias, eò minùs erunt perfectæ & distinctæ; ita mens non potest multas res simul percipere, & quò plures numero erunt cogitationes eò magis erunt confusæ. I. *Mens finita non potest capere infinitum.*

Denique, quemadmodùm ceræ portio cui essent mille latera, & in unoquoque latere figura diversa, nec esset quadrata, nec rotunda, nec ovata, adeò ut ipsius figura non posset determinari: ita quandoque contingit ut mens nostra tot variis simul agitetur cogitationibus, ut nos de nulla re cogitare arbitremur. Id in iis qui animo linquuntur accidit. Spiritus animales inordinatè circumacti tantum vestigiorum numerum in cerebro excitant; ut nullum satis aperiant, ad excitandam sensationem aliquam peculiarem, aut ideam distinctam: adeò ut illi tot res simul sentiunt, ut nihil distinctè sentiant, unde fit ut se nihil omninò sensisse arbitrentur.

Sunt equidem qui nonnunquam animo linquantur deficientibus spiritibus animalibus: sed cùm mens tunc nihil habeat præter cogitationes puræ intellectionis, quæ nulla in cerebro relinquunt vestigia, eorum non recordantur postquàm in pristinum statum reduces facti sunt unde fit ut credant se nihil cogitare. Id obiter eo dixi consilio ut ostenderem multos immeritò existimare mentem non semper cogitare, quia nos quandoque eam nihil cogitare arbitramur.

Qui super cogitationibus suis tantillùm meditantur, pro comperto habent mentem rebus multis simul & eodem tempore intentam esse non posse, ac ipsam potiori ratione, non posse infinitum penetrare. Attamen nescio quo animi impetû ducti nonnulli hujusce veritatis non inscij meditandis objectis infinitis & quæstionibus quæ infinitam mentis II. *Limitatio mentis est origo multorum errorum.*

mentis capacitatem exigunt agitandis, magis incumbunt quàm iis quæ ad ipsorum ingenij captum propiùs accedunt: nescio etiam cur tot reperiantur, qui dum cuncta tenere satagunt, tot scientiis eodem tempore operam dant, ut mentem confundant & ad veras scientias prorsùs ineptam reddant.

Quot homines materiæ divisibilitatem in infinitum concipere conantur, & quo modo fieri possit ut unum arenæ granum tot partes contineat quot tota terra, at minores, proportione servatâ? Quot tum super hac re, tum super multis aliis, quæ aliquam cum infinito relationem habent quæstiones nunquam solvendæ moventur, quarum tamen solutionem in mente sua multi conantur nancisci? Mens circa hoc omnes intendit cogitationes, æstuat, sed quid inde tandem emergit? absurditas, scilicet, & error.

Certè non possum quin mirer nonnullos esse, qui materiæ divisibilitatem ad infinitum negent, quia duntaxat eam non possunt capere, quamvis demonstrationes quibus probatur illa divisibilitas optimè intelligant, idque eo ipso tempore quo ore saltem fatentur mentem humanam non posse capere infinitum. Argumenta enim quibus evincitur divisibilitas materiæ in infinitum sunt demonstrativa ut quæ maximè; nec id diffitentur cùm illa argumenta seriò ponderant. Attamen si ipsis proponantur objectiones quas non possint solvere, mens desertâ quam mox viderat evidentiâ in dubium labitur; objectio quam non possunt solvere ipsos habet anxios; distinctionem aliquam futilem adversùs materiæ divisibilitatem excogitant; ac denique concludunt se anteà fuisse hallucinatos, omnésque circa hoc pariter hallucinari. Deinde opinionem contrariam amplectuntur. Illam chimæricis atomis aliisque absurditatibus ejuscemodi quas suppeditat imaginatio, defendunt. In istos autem errores non incidunt nisi quia satis persuasum non habent mentem humanam esse finitam, nec necessarium esse ipsam capere divisibilitatem materiæ ut eam credat, quia omnes objectiones quæ non possunt solvi nisi illam concipiendo, sunt solutû impossibiles.

Porrò si hominum curiositas quæstionibus hujus generis terminaretur, res non tanti esset momenti. Si enim contingat ut nonnulli erroribus quibusdam sese præpediri sinant, errores saltem sunt leves. Alij verò temporis jacturam non omninò fecerunt, dum meditati sunt circa res quas capere nequiverunt, hoc pacto enim debilitatis mentis suæ convicti fuerunt. Utile est, inquit Author maximi judicij, mentem in ejusmodi subtilitatibus desudare, ut ipsius arrogantia hoc pacto dometur, & ab illa desistat temeritate quâ debilia lumina sua veritatibus ab Ecclesia propositis audet opponere, hanc præ se ferens causam se illas intelligere non posse. Cùm enim tota mentis acies minimâ atomo obtundatur, & fateri cogatur se equidem clarè videre istam materiæ portiunculam esse divisibilem in infinitum, quamvis non possit capere quomodo id fieri possit; nonne is manifestò peccat

L'Art de penser Ars cogitandi.

adversùs

adverſus rationem qui mirabiles Omnipotentiæ Divinæ, quæ ipſa incomprehenſibilis eſt, effectûs credere recuſat, eâ adductus causâ mentem ſcilicet noſtram non poſſe illos capere.

Effectus igitur pernicioſior ignorantiæ, ſeu potiùs incogitantiæ in qua verſantur homines circa mentis humanæ limitationem & infirmitatem, atque ideò circa ipſius incapacitatem eorum omnium quæ ad infinitum aliqua in re accedunt, eſt hæreſis. Hiſce præſertim temporibus non pauci reperiuntur, qui Theologiam ſpecialem, ſolo ipſorum ingenio, ac naturali rationis debilitate fretam ſibi inſtituunt; quia in iis etiam rebus quæ à ratione non pendent, illud ſolum credere volunt quod poſſunt concipere. III. *Et præcipuè hæreſ. on.*

Sociniani non poſſunt capere Myſteria Trinitatis & Incarnationis: Id ipſis ſufficit ut ea non credant; nec id modò, eos etiam qui iſta credunt myſteria, ad ſervitutem natos audacter & ſuperbè pronuntiant. Calviniſta non poteſt capere qui fieri poſſit ut corpus Jeſu-Chriſti ſit realiter præſens in Sacramento Euchariſtiæ, eodem tempore quo eſt in cœlo; atque hinc meritò ſe inferre credit id fieri non poſſe, quaſi omninò cognoſceret, quo uſque extendatur potentia Divina.

Homo quipiam, etiam libertatis ſuæ apud ſe conſcius, ſi magno contendat niſu, ut ſcientiam Dei ipſiúsque decreta cum libertate conciliet, poſt irritos conatûs in eorum fortè labetur errorem qui non credunt homines eſſe liberos. Cùm enim ex altera parte, non capiat Providentiam Divinam poſſe ſubſiſtere cum libertate hominis, ex alterâ verò, ea ſit erga Religionem veneratione, ut non poſſit negare Providentiam; eò ſe adactum credet ut libertatem hominibus detrahat, vel ad mentis humanæ infirmitatem non ſatis attendens, ſe rationes quibus Deus decreta ſua cum libertate noſtrâ conciliat penetrare poſſe imaginabitur.

Porrò non ſoli hæretici minùs attendunt ad tenuitatem mentis ſuæ, ipſique nimiam permittunt libertatem judicandi de rebus quæ non ſunt ipſius juris. Omnes penè homines hoc vitio laborant, ac præſertim nonnulli Theologi poſteriorum ſæculorum. Quidam enim inter illos adeò frequenter utuntur ratiociniis humanis, ad probanda aut explicanda myſteria quæ rationis captum ſuperant, ut, quamvis id bona intentione, & ad propugnandam veritatem adverſus hæreticos faciant, iiſdem tamen hæreticis pervicaciter perſiſtendi in ſuis erroribus, & myſteria fidei inter opiniones humanas collocandi, non rarò præbeant occaſionem.

Mentis agitatio & ſcholæ ſubtilitates ad id non ſunt idoneæ ut hominibus infirmitatem ſuam patefaciant, nec eum ſemper ſubmiſſionis inſpirant animum, ſine quo non poſſumus cedere humiliter deciſionibus Eccleſiæ. Quin hæc omnia ratiocinia humana & ſubtilia inſerviunt potiùs excitandæ in ipſis ſecretæ ſuperbiæ, iis ad id potiùs impelli poſſunt ut ratione ſuâ intempeſtivè utantur, ac Religionem ipſius capacitati accōmodatam inſtituant. Ac reverâ non videas Hære-

ticos argumentis Philosophicis cedere, nec ad id lectione Authorum merè Scholasticorum adducuntur ut errores suos agnoscant & respuant. Immò videas quotidiè ipsos ex debilitate rationum quorundam Scholasticorum ansam arripere, subsannandi mysteria Religionis sanctissima, quæ reapse non stabiliuntur hisce ratiociniis & explicationibus humanis, sed solâ authoritate verbi Dei, sive scripti, sive non scripti, hoc est ad nos usque per traditionem transmissi nituntur.

Ac sanè ratio humana nos nequaquàm edocet unum esse Deum in tribus personis, Corpus Jesû-Christi realiter præsens esse in Eucharistia; & quomodò fieri possit ut homo sit liber, quamvis Deus ab omni æternitate præsciverit quid homo sit facturus. Rationes quæ ad hæc probanda & explicanda afferuntur, eos ut plurimùm duntaxat persuadent, qui illas nullo examine facto admittunt; sed iis sæpe absurdæ videntur qui eas impugnare volunt, mysteria iis freta negantes. Contrà verò objectiones quæ adversus præcipuos fidei nostræ articulos ac præsertim adversus mysterium Trinitatis formantur, ita sunt validæ, ut clarè, evidenter, & accommodatè ad debilem rationem nostram solvi nequeant, quia reipsâ mysteria illa captum humanum exuperant.

Potior igitur ratio convertendi Hæreticos in eo non consistit ut ipsos ad usum rationis suæ incitemus & assuefaciamus, iis incerta Philosophiæ argumenta proponendo; quia veritates quas ipsos doceri par est à ratione non dependent. Nec etiam semper conducit ejusmodi rationibus uti in veritatibus, quæ rationis, æquè ac traditionis ope possunt probari, quales sunt immortalitas animæ, peccatum originale, necessitas gratiæ, depravatio naturæ, & quædam aliæ; ne mens ipsorum agnitâ semel rationum evidentiâ in his quæstionibus; iis posteà nolit acquiescere quæ solâ traditione possunt probari. Quin potiùs ad id impellendi sunt ut cognitâ rationis suæ infirmitate, & limitatione, quantúmque mysteriis nostris sit impar, rationem illam, cùm de rebus fidei agitur, abdicent. Deinde subjugatâ animi superbiâ, facile erit ipsos ad Ecclesiæ dogmatum Fidem inducere, ipsius authoritatem ostendendo, aut eis explicando traditionem omnium sæculorum, si eam explicationem capere possunt.

Verùm, si homines oculos suos à mentis suæ debilitate, & angustiâ perpetuò avertant, temeraria vanitas ipsorum animos inflabit; lux fallax ipsos perstringet, gloriæ cupido eos occæcabit. Atque hoc pacto, Hæretici perpetuò Hæretici manebunt, Philosophi pervicaces, nullúsque erit disputandi finis, quandiù erit disputandi animus.

CAPUT.

CAPUT III.

I. Philosophos ingenium suum opprimere ac veluti dissipare, dum nullo in studiis suis ordine servato, rebus incumbunt quæ nimias in se includunt relationes, & à pluribus pendent. II. Exemplum ex Aristotele desumptum. III. Geometras contra se benè gerere in veritatis investigatione, ac eos potissimùm qui Algebra & Analysi utuntur. IV. Ipsorum Methodum vim ingenij augere, Logicam verò Aristotelis ipsam minuere. V. Aliud vitium eorum qui studio operam dant.

HOmines in varios incurrunt errores, non modò quia animum appellunt quæstionibus quæ infinitum spectant, cùm tamen ipsorum mens finita sit. Sed etiam quia iis se dedunt quæ latissimè patent, cùm mens ipsorum sit angustissima. I. *Philosophis ordinem deesse in studiis.*

Quemadmodùm, uti jam monuimus, cera eodem tempore non potest recipere multas figuras perfectas & distinctas; ita mens non potest multas res excipere distinctè & eodem tempore. Hinc colligere est, non esse incumbendum, primâ fronte, indagationi veritatum occultarum, quarum cognitio à majori rerum numero pendet; quarúmque nonnullæ nobis sunt ignotæ, aut saltem minùs familiares; studendum enim est cum ordine, & iis utendum quæ distinctè tenemus ad ea addiscenda quæ ignoramus, aut quæ saltem confusè cognoscimus. Maxima tamen pars eorum qui student ad id non attendunt; suas ipsi non explorant vires; quousque ingenij captus extendatur non satis perspectum habent; vanitate quadam imperceptâ, & immoderatâ scientiæ cupidine, non verò ratione ipsorum studiâ diriguntur. Illâ inconsultâ, veritates abstrusissimas, & maximè imperscrutabiles penetrare aggrediuntur, quæstionésque solvere à tanto relationum numero pendentes, ut mens vivacissima & perspicacissima ipsarum veritatem certò cognoscere non posset, nisi post multa sæcula innumeráque experimenta.

In Medicinâ & in Ethicâ innumeræ sunt quæstiones ejuscemodi. Omnes scientiæ quæ versantur circa corpora & ipsorum qualitates, ut circa animalia, plantas, metalla, qualitatésque ipsis proprias, nunquam possunt esse satis evidentes & certæ; nisi præcipuè aliâ ratione excolantur quàm anteà, & nisi à scientiis simplicioribus, & minùs compositis unde dependent initium fiat. At verò qui studio operam dant illum in se nolunt suscipere laborem ut ordine philosophentur, de certitudine principiorum Physices inter ipsos non convenit, corporum naturam in genere ipsorúmque qualitates, ut id fatentur, non

agnoſcunt. Attamen ſe rationem reddere poſſe credunt, cur, exempli gratiâ, capilli ſenum caneſcant, ipſorum dentes nigreſcant, quæ quæſtiones tot habent cauſas à quibus dependent, ut certa ipſarum ratio nunquam reddi poſſit. Ut id enim certò innoteſcat, ſciendum eſt præcisè in quo conſiſtat canities capillorum ſpeciatim; quibus humoribus nutriantur, quibus corporis filtris, ſeu cribris humores hi trajiciantur, quænam conformatio radicis capillorum, aut cutis per quam humores illi tranſeunt; quomodò hæc omnia in juvene & in ſene differant, quod non niſi difficillimè cognoſci poteſt.

II. *Exemplum quo oſtenditur Ariſtoteli ordinem defuiſſe.*

Ariſtoteles, exempli gratiâ, iſtius ſenum canitiei cauſam ſe penetraſſe putavit; multas iſtius canitiei rationes attulit in variis locis; ſed an Genius Naturæ ibi ſubſtitiſſet? minimè verò, longiùs progreditur. Deprehendit prætereà eandem cauſam quæ capillos ſenum canos efficit, efficere etiam ut nonnulli homines & quidam equi habeant alterum oculum cœruleum, alterum verò aliûs coloris. Hæc ſunt ipſius verba: Ἑτερόγλαυκοι δὲ μάλιστα γίνονται καὶ οἱ ἄνθρωποι καὶ οἱ ἵπποι διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν δι' ἥνπερ ὁ μὲν ἄνθρωπος πολιοῦται μόνον. Næ id mirum eſt, ſed quid tantùm virum lateret. Certè tantùm in ſuis Phyſicis operibus rerum numerum explicat, quæ hujus ſæculi oculatiſſimis inexplicabiles videntur, ut non immeritò dicatur nobis à Deo conceſſus, ut nihil eorum quæ poſſunt cognoſci nos fugeret. *Ariſtotelis doctrina eſt* SUMMA VERITAS, *quoniam ejus intellectus fuit finis humani intellectûs. Quare bene dicitur de illo, quòd ipſe fuit creatus & datus nobis Divinâ Providentiâ, ut non ignoremus poſſibilia ſciri.* Averroës debebat etiam adjicere Ariſtotelem nobis datum fuiſſe Divinâ Providentiâ ut ea etiam diſcamus quæ ſunt impoſſibilia ſciri. Quippe Philoſophus ea non tantùm nos docet quæ poſſunt ſciri, ſed cùm in ipſius verba ſit jurandum, quippe cujus doctrina ſit SUMMA VERITAS, ea etiam nos docet quæ ſunt impoſſibilia ſciri.

Lib. 5. de genere anim. cap. 1.

Certè multâ fide opus eſt ut Ariſtoteli, nihil aliud nobis oggerenti quàm rationes Logicas, effectúſque naturæ non aliter quàm per notiones ſenſuum confúſas explicanti credamus: cùm potiſſimùm de quæſtionibus homini inſolubilibus audacter decidit. Hanc dubio procul ob cauſam Ariſtoteles enixè monet ſibi ſine examine credendum eſſe. Certum eſt iſti Authori axioma, Diſcipulum credere debere, δεῖ πιστεύειν τὸν μανθάνοντα.

Diſcipuli equidem Magiſtris ſuis nonnunquam credere tenentur; ſed ipſorum fides non extendi debet ultrà experientias & facta. Si enim veri Philoſophi evadere cupiunt, magiſtrorum rationes ad examen debent revocare, illáſque, niſi cognitâ proprio lumine ipſarum evidentiâ non debent admittere. Verùm ut quis ſit Philoſophus Peripateticus, credere & memoriâ mandare tantùm neceſſe eſt: Eadem mente Philoſophia iſta diſcenda eſt, quâ leguntur hiſtoriæ; ſi enim eò licentiæ devenias ut ratione & mente tuâ utaris, non eſt quod ſperes.

speres te evasurum esse in magnum Philosophum; δεῖ γὰρ πιστεύειν τὸν μανθάνοντα.

Verùm causa cur Aristoteles, & innumeri alij Philosophi crediderint se scire quod sciri nequit, ex eo est quòd satis non intellexerint quomodò inter se differant scire & scire; certam & evidentem alicujus rei cognitionem ab ea quæ est tantùm verisimilis distinguere. Cur autem id non satis distinxerint, inde est quòd cùm res quibus animum adjunxerunt ipsorum mente latiùs patuerint, illarum rerum partem aliquam duntaxat perceperunt, ipsas totas amplecti non valentes: Illa autem cognitio sufficit quidem ad multas percipiendas verisimilitudines, non verò ad veritatem evidenter detegendam. Cum præterea scientias non alio quàm vanitatis principio ducti investigaverint, verisimilitudines autem sint aptiores ad captandam hominum existimationem, quàm veritas ipsa, quia vulgi ingenio sunt magis accommodatæ, rationes ad augendam ingenij capacitatem necessarias neglexerunt, adeò ut veritates subobscuras introspicere non potuerint.

III. *Geometras sese benè gerere in investiganda veritate.*

Geometræ soli mentis suæ angustiam satis agnoverunt; aut saltem eo sese gesserunt modo in studiis qui ostendit ipsos istius angustiæ fuisse omninò conscios; Ij præsertim qui usi sunt Algebra & Analysi, quam Vietus & Cartesius instaurarunt & perfecerũt hoc sæculo. Id inde patet quòd isti viri non aggressi sint solvere difficultates maximè compositas, nisi cognitis anteà clarissimè simplicissimis à quibus illæ dependent: Ad lineas curvas, quales sunt sectiones conicæ, considerandas, animum non priùs appulerunt, quàm perfectam Geometriæ vulgaris peritiam adepti fuissent. Verùm quod Analysis speciale est, in eo consistit: cùm nempe cognoverint ipsorum ingenium non posse eodem tempore pluribus figuris intentum esse, ne vel posse imaginari solida quibus dimensiones sint plures tribus, quamvis sæpe solida cum majori dimensionum numero concipiendi necessitas ipsis incumbat; literis ordinariis nobis maximè familiaribus, ad exprimendas & abbreviandas suas ideas usi sunt. Mens itaque multarum figurarum repræsentatione quæ aliàs ipsi necessaria fuisset, ingentique linearum numero nequaquam impedita aut occupata, uno intuitu potest percipere quod aliter percipere nunquam potuisset: Mens enim, si ipsius capacitati ritè consulas, res multò penitiùs introspicere & ad plura sese extendere potest.

IV. *Ipsorum methodus auget capacitatem ingenii, methodus verò Aristotelis ipsam minuit.*

Tota igitur industria quæ ad mentis perspicacitatem & capacitatem augendam conferre potest, in eo consistit; ut vires ipsius exploratas ita temperemus, ut ipsa ad res quæ nihil ad veritatem sibi detegendam faciunt non abutamur, idque notatu dignissimum est. Quippe ex eo solo satis patet Logicas vulgares ingenij capacitatem potiùs minuere quàm augere; si enim in alicujus veritatis investigatione regulis quas tradunt uti volueris; tum ingenij capacitas maximam partem iis occupabitur, adeò ut ad attentionem, quâ ut totam

Lib. 6. prim. part. meth.

subjecti sui extensionem complectatur necessaria est, impar futura sit.

Ex suprà dictis satis igitur liquet plerosque ad mentis naturam parùm attendisse, dum se veritatis inquisitioni accinxerunt; Illi sanè quam angusta sit mentis humanæ capacitas quantúmque necesse sit ipsam prudenter temperare atque etiam augere, exploratum satis nunquam habuerunt; atque ex hac potissimùm causa factum ut in errorem lapsi sint, studiáque ipsis tam infeliciter cesserint.

Non tamen putamus fuisse unquam homines qui ingenij limitationis & imbecillitatis conscij non fuerint: quin omnes id compertum habent quidem, id omnes fatentur; sed plerique confusè tantùm istam cognoscunt limitationem, & ore duntaxat confitentur; isti confessioni contradicit ipsorum in studiis processus; agunt enim quasi persuasum haberent mentem suam nullis esse circunscriptam limitibus, résque volunt penetrare quæ ab innumeris pendent causis quarum ne unam quidem norunt.

V. *Aliud vitiū eorum qui studiis scientiarum operam dant.* In aliud etiam vitium incurrere solent qui studio scientiarum operam dant. Majori scilicet scientiarum numero uno eodémque tempore ingenium applicant, si per sex horas student, sex fortè rebus diversis incumbunt. Id vitij ab eadem quam suprà memoravimus causa manare manifestum est. Qui enim studia sua sic instituunt, si istam studendi rationem mentis suæ capacitati non esse congruam, ipsámque confusionem potiùs & errorem quàm veram scientiam parituram, certò cognoscerent, verisimile est ipsos motibus inordinatis quos ciet vanitas, fræna esse adhibituros; eo enim pacto vanitati nunquam satisfacient, quin potiùs in perpetuæ inscitiæ periculo versabuntur.

CAPVT IV.

I. Mens non potest diù incumbere objectis quæ nullam secum habent relationem aut quæ cum infinito nihil habent commune. II. Voluntatis inconstantia causa est istius mentis inapplicationis, & per consequens erroris. III. Sensationes nostræ nos magis occupant quàm ideæ puræ intellectûs, IV. Ex quo manat morum corruptio. V. Vt & ignorantia vulgi.

MEns humana errori non est obnoxia, duntaxat quia infinita non est, aut quia objectis quæ contemplatur est impar, ut id duobus capitibus præcedentibus exposuimus; sed etiam quia inconstans est, sibi in actionibus suis non constat, visúmque in eadem objecta defixum diù satis sistere nequit, ut illud possit examinare.

Ut istius inconstantiæ & levitatis ingenij humani causam percipiamus,

piamus, ſciendum eſt voluntatem actionem mentis dirigere, & objectis à ſe amatis mentem applicare, ipſámque voluntatem in perpetua inconſtantia & anxietate verſari, cujus inconſtantiæ & anxietatis hæc eſt cauſa.

Deum omnium Authorem eſſe, omnia propter ſe feciſſe, & cor hominis ad ſe impreſſione naturali & invictâ quâ ipſum indeſinenter afficit flectere nemo eſt qui meritò poſſit dubitare. Fieri nequit ut Deus velit voluntatem aliquam exiſtere quæ ipſum non amet, aut quæ ipſum alicui alij bono, ſi demùm aliud bonum ab ipſo diverſum exiſtere poſſit, poſtponat. Ferre enim nequit Deus ut voluntas quæpiam non amet id quod ſummo amore dignum eſt, utque iſta voluntas id exoptet magis quod amore dignum minùs eſt. Amor itaque naturalis ad Deum nos ferat oportet, quippe qui ab ipſo Deo procedat; & quia nihil eſt quod iſtos motus poſſit ſiſtere, præter ipſum Deum qui illorum Author eſt. Nulla igitur eſt voluntas quæ motûs hujus amoris non ſequatur neceſſariò. Juſti, impij, beati, & ij etiam qui inferni cruciatibus ſunt addicti Deum amant iſto amore; atque is ipſe amor eſt qui aliquo ſenſu poſtremorum miſeriam conſtituit. Cùm enim amor iſte naturalis quo erga Deum movemur, idem ſit cum inclinatione naturali quâ versùs bonum in genere, versùs bonum infinitum, ſummum bonum ferimur, manifeſtum eſt omnes ſpiritus Deum amare hoc amoris genere, cùm ipſe ſolus ſit bonum univerſale, bonum infinitum, ſummum bonum. Nam certè omnes ſpiritus, ipſi etiam Dæmones beatitudinem ſummíque boni poſſeſſionem totis exoptant votis; ídque exoptant indiſcriminatim, ſine ulla deliberatione, ſine libertate, & ex naturæ neceſſitate. Cùm igitur propter Deum, propter bonum infinitum, propter bonum omnia in ſe complectens bona facti ſimus, motus naturalis cordis noſtri nunquam deſinet niſi poſſeſſione iſtius boni.

II. *Inconſtantia voluntatis eſt cauſa inapplicationis, atque ideò errorum.*

Voluntas igitur noſtra perpetuâ & ardenti laborans ſiti, deſideriis, anxietatibus, ſollicitudinibus in gratiam boni quod non poſſidet, agitata mentem veritatibus abſtractis quæ ipſam non afficiunt, quáſque ad ipſius beatitudinem nihil conferre judicat, aliquandiù inhærere non niſi ægrè ferre poteſt: intellectum itaque ad alia quærenda objecta indeſinenter incitat: jam autem cùm intellectus agitatione ſibi à voluntate communicatâ in objectum aliquod incidit quod boni ſpeciem præ ſe ferat, hoc eſt, quod mentem præſentiâ ſuâ, aliquâ ſuavitate, & voluptate quadam internâ pelliciat; tum ſitis illa cordis denuò ardeſcit; deſideria, anxia vota, æſtûs deintegrò accenduntur; ménſque ad ipſorum obſequium adacta, objecto quod excitavit unicè adhæret, ut illud, quo ſemel deguſtato blandè aliquandiù paſcitur, propiùs admoveat. At verò cùm inanitas creaturarum non poſſit implere infinitam cordis humani capacitatem, exiles illæ voluptates ſitim ejus potiùs irritant quàm extingunt; mentémque lactant ſtultâ & vanâ ſpe quâ in voluptatum terrenarum multiplicitate ſibi ſatisfactum iri putat:

Quod

Quod etiam in intellectu cujus ope mens illa deregit bona ingentem generat levitatem & inconstantiam.

Verum equidem est intellectum, si fortè incidat in objectum quoddam quod aliquam cum infinito habeat convenientiam, ab inconstantia & agitatione per aliquod tempus desistere. Cùm enim agnoscat, objectum illud indui tesserâ ac charactere objecti quod mens desiderat, tum in illo diù satis defigitur, eique adhæreseit. Verùm illa applicatio, seu potiùs illa tenacitas intellectûs in examinandis objectis infinitis, aut nimiùm vastis, ipsi æquè inutilis est, ac levitas illa quâ objecta ipsius capacitati adtemperata considerare solet. Debilior est quàm ut possit tantum objectum assequi; ipsius conatûs irriti semper manebunt. Objecti infiniti, ut ita loquar, comprehensio, mentem non potest efficere beatam, ipsius enim capax non est, sed amor & fruitio boni infiniti, cujus voluntas capax est per motum amoris quem ipsi Deus indesinenter imprimit.

Quis posteà mirabitur ignorantiam & cœcitatem hominum, quandoquidem ipsorum mens inconstantiæ & levitati cordis subjecta, atque ideò ad quicquam seriò & attentè expendendum inepta, nil possit penetrare quod memorabilem includat difficultatem. Attentio enim intellectûs objectorum intellectualium respectû, idem est quod oculorum nostrorum acies intenta respectû objectorum visibilium. Et quemadmodùm qui in objecta circumjacentia oculos circumferre & defigere nequit; minimas ipsorum partes minimásque relationes quibus istæ particulæ inter se mutuò conveniunt satis discernere non potest. Ita qui non potest aciem mentis in ea quæ scire cupit defigere, ea etiam cognoscere nequit ut singulas partes, omnésque relationes quæ inter se invicem aut inter alia objecta sunt discernere valeat.

Omnes tamen cognitiones non in alio quoquam, haud dubiè sitæ sunt, quàm in claro conspectu relationum quas res inter se habent. Cùm igitur, ut id sæpe in quæstionibus difficilibus accidit, mens uno intuitu ingentem relationum numerum quas duæ aut plures res habent inter se invicem, contueri debet, certè nisi istæc attentissimè consideraverit, vel si confusè tantùm ea cognoscat, mutuas relationes percipere, atque ideò solidum de iis ferre judicium nunquam poterit.

III. *Sensationes nostræ nos occupant magis quàm ideæ puræ intellectûs.*

Inter varias causas ob quas rebus abstractis non satis attendimus, præcipua in eo consistit quòd eas res abstractas veluti eminùs videamus, occurrántque indesinenter intellectui nostro res ipsi multò propinquiores. Intenta mentis applicatio admovet, ut ita loquar, ideas objectorum quibus sese applicat. Sed sæpe contingit, ut dum mens speculationibus Metaphysicis attenta est, inde dimoveatur, interventû sensationis cujusdam ab ipsâ propinquioris quàm ideæ illæ Metaphysicæ; ad hoc enim efficiendum minimus dolor vel levior voluptas sufficit: Atque hujusce rei causa hæc est, dolor scilicet & voluptas & in genere omnes sensationes sunt in ipsa mente, illæ ipsam longè propius

propiùs attingunt & modificant, quàm ideæ simplices objectorum puræ intellectionis, quæ licet menti præsentes illam tamen nec afficiunt nec modificant. Cùm itaque mens sit limitatissima, nec à sensu doloris aliarúmque sensationum possit abstinere, ipsius capacitas ejusmodi sensationibus impletur, nec eodem tempore aliquid sentire, & de aliis objectis quæ sentiri nequeunt liberè cogitare potest. Bombus muscæ, aut alius quilibet lenis susurrus dummodò usque ad præcipuam cerebri partem, ita ut mens illum percipere queat, communicetur, nos, etiam enixè reluctantes, potest arcere à consideratione veritatum abstractarum & sublimium; omnes enim ideæ abstractæ non modificant mentem, at idem de sensationibus dici nequit.

Vide cap. 7. secund. part. hujus Libri.

IV.
Inde manat morum corruptio.

Hinc nascuntur stupiditas & sopor ingenij respectu sublimium veritatum Ethicæ Christianæ; hinc est quòd homines illas non cognoscant nisi cognitione speculativâ & sterili, ni ipsis adsit gratia Jesu-Christi. Omnes Deum esse, ipsum esse adorandum & colendum norunt equidem; at verò quis eum colit & adorat sine gratia, quæ sola dulcedinem & voluptatem ex his officiis degustandas, nobis præbet. Pauci sunt qui non agnoscant vanitatem & instabilitatem bonorum terrenorum; immò pauci extant qui non convincantur, convictione equidem abstractâ, sed certissimâ tamen & evidentissimâ, istæc bona indigna esse quæ à nobis amentur & inquirantur. At verò ubinam eos reperies, qui hæc bona in praxi aspernentur, quíque ad ea comparanda operam suam conferre recusent; Ij certè soli impressiones sensuum impetúsque concupiscentiæ possunt vincere, quibus agnita ex istorum bonorum possessione nata amaritudo fastidium creavit, aut quos gratia, delectione quadam internâ, affecit sensu & amore rerum spiritualium. Sola igitur mentis contemplatio eò nos nunquam adducit, ut quâ par est, vi, concupiscentiæ conatibus obluctemus. Huic contemplationi accedere debet motus quidam cordis internus. Lumen illud mentis solùm est, ut loqui amant, gratia sufficiens, quæ ad nostram condemnationem duntaxat conferre valet, quæ nobis infirmitatem nostram manifestat, quantúmque ad illum à quo omnis pendet vis nostra precibus confugere opus habeamus. Sed motus ille cordis aut sensus internus, est gratia vivida quæ operatur. Illa nos movet, nos sustentat, & cor nostrum ita persuadet, ut sine ea nemo sit qui ex corde cogitet: *Nemo est qui recogitet corde.* Omnes veritates in Ethica constantissimæ in secretis ingenij recessibus & adytis delitescunt, & quandiu ibi remanent, steriles & inefficaces sunt, quoniam eas anima non gustat. Sed voluptates sensuum sunt propinquiores menti, jam autem cùm fieri nequeat ut quis non sentiat, utque etiam non amet * voluptatem suam, fieri etiam nequit ut quis terræ * valedicat, & præstigias & illusiones sensuum suis propriis viribus duntaxat abdicet.

* *Scilicet amore naturali, voluptatem enim odisse potest quis odio electivo, seu ex electione nato.*

Haud tamen inficiari velim, justos quorum cor delectatione antevertente seu præveniente versus Deum vividè inflexum fuit,* posse

* *Quia amor electivus dia*

non potest subsistere, quia amori naturali conformetur sine hac speciali gratia quasdam patrare actiones meritorias & concupiscentiæ motibus obsistere. Nonnulli generosi & constantes legis Divinæ observatores sunt, fidei sui virtute, assiduâ rerum sensibilium privatione, ac omnium quæ in tentationem possent inducere contemptu & fastidio. Sunt qui ferè semper agant licet nullam prælibaverint voluptatem indeliberatam aut prævenientem. Gaudium, quo inter agendum ex Dei voluntate, perfunduntur, sola est voluptas quam percipiunt. Atque ea voluptas sufficit ad eos in bona illa cordis dispositione sistendos & confirmandos; sed qui resipiscere incipiunt, voluptate indeliberatâ & præveniente ut plurimùm opus habent, quâ à bonis sensibilibus dimoveantur, quibus, aliis voluptatibus indeliberatis & prævenientibus jam adhærescunt. Tristitia & conscientiæ morsus ad id non sufficiunt, & nullo adhuc gaudio fruuntur. At verò justi vivere possunt ex fide, in ipsa etiam indigentia, immò in hoc statu plus merentur; cùm enim homines sint ratione prædìti, Deus ab ipsis amari vult amore electionis potiùs quàm amore instinctûs & amore indeliberato, qualis est amor quo erga sensibilia movemur; ipsorum bonitatis non aliter certiores facti quàm voluptate ab ipsis ortâ. Cùm tamen plerique sint ὀλιγόπιστοι, ac eo indesinenter adducti ut voluptates degustent, amorem erga Deum electivum diù non possunt tueri adversus amorem naturalem erga sensibilia, nisi gratiâ Dei eos adversus voluptatis impetus statuminet & tuetur. Delectatio enim gratiæ charitatem creat, conservat & auget, non secùs ac voluptates sensibiles cupiditatem pariunt.

V. *Vt & hominum ignorantia.* Ex suprà dictis hoc non obscurè liquet, scilicet, cùm homines affectû quodam, aut sensationibus jucundis vel molestis nunquam vacent, ipsorum mentis capacitatem iis multùm occupari debere, adeò ut, dum quod istius capacitatis superest ad alicujus veritatis examen intendere volunt, ab eo consilio sæpe deterreantur novis quibusdam sensationibus, fastidio ex isto examine nato, ac inconstantia voluntatis quæ mentem per singula objecta motu nunquam intermisso circumagit. Adeò ut nisi à juventâ omnia hæc obstacula superare assueverint, ut id in secunda parte expositum fuit, eò tandem deveniant inertiæ, ut veritatem paulò difficiliorem, cuique attendere oporteat, assequi nequeant.

Hinc concludere est omnes scientias, ac eas præcipuè quæ quæstiones solutû difficillimas includunt innumeris erroribus scatere; ac ingentia illa volumina quæ de Medicinâ, Physicâ, Ethicâ, & potissimùm de specialibus circa has scientias quæstionibus, quæ generalibus multò magis sunt complexæ, in dies componuntur, meritò pro suspectis haberi. Immò quo magis ejusmodi libri apud vulgus, hoc est apud eos, qui attentionem præbere, ingenióque suo ritè uti non nôrunt, obtinent, eò majore contemptu dignos esse. Nam vulgi assensus & approbatio circa materiam difficilem, est argumentum certum falsitatis istius opinionis cui assentitur. Hinc enim istam opinionem notionibus

notionibus sensuum fallacibus aut falsis imaginationis splendoribus inniti patet.

Impossibile tamen non est ut homo quipiam possit solus multas retegere veritates quæ præteritis sæculis occultæ fuerant; modò homo ille polleat ingenio, ac in solitario degens loco, ab omnibus semotus quæ ipsum possent agere diversum, veritati inquirendæ seriò incumbat. Quocirca ij à ratione mihi videntur abludere qui Philosophiam D. Cartesij quam non intelligunt adspernantur, eâ tantùm adducti causâ quod impossibile existiment, hominem quempiam potuisse solum veritatem prodere circa res adeò occultas, quales sunt res Naturæ. At verò si exploratum haberent quomodò vitam suam instituerit Philosophus ille, quas in studiis vias institerit ut impediret quò minùs mentis ipsius capacitas aliis detineretur objectis ab iis quorum veritatem detegere volebat, quàm claris & distinctis ideis suam stabiliverit Philosophiam; ac in genere quot prærogativis prævaluerit antiquis Philosophis ope veritatum recens compertarum; si, inquam, hæc omnia probè scirent; ex iis certè præjudicium haurirent in gratiam Cartesij longè magis legitimum, quàm præjudicium antiquitatis, quod tantam Aristoteli, Platoni, multisque aliis authoritatem conciliat.

Ipsis tamen author esse nolim ut hoc freti præjudicio Cartesium credant esse virum insignem ipsiúsque Philosophiam esse bonam, ad id tantùm adducti elogiis quæ ipsi possunt tribui. D. Cartesius erat homo, errori & illusioni obnoxius erat sicut cæteri: Inter ipsius lucubrationes nulla est, ne vel ipsius Geometria, quæ non sapiat humanam infirmitatem. Ne igitur fidem incautam ipsius verbis adhibeamus; ipsius opera ut ipse monet, cautè sunt legenda. Examinandum est an in errorem non fuerit lapsus; nec usquam illi credendum, nisi cùm ad assensum evidentiâ & internis rationis admonitionibus adigemur. Nam, ut res verbo conficiatur, mens quicquam verè non scit, nisi quod evidenter videt.

Capitibus præcedentibus demonstravimus intellectum nostrum non esse infinitum, ipsius contrà capacitatem esse perquàm mediocrem, illamque ipsam capacitatem sensationibus mentis ut plurimùm impleri, ac denique intellectum à voluntate directum, non posse diù alicui objecto adhærere, quin protinùs ab illo abducatur voluntatis inconstantiâ & levitate. Atque istæc sunt errorum nostrorum causæ haud dubiè generaliores; possemus equidem hisce demonstrandis diutiùs immorari. Sed hactenùs dicta sufficient viris attentioni assuetis & idoneis, ut ingenij humani imbecillitatis convincantur. In quarto & quinto Libro fusiùs agetur de erroribus, qui ab inclinationibus nostris & affectibus naturalibus originem ducunt, de quibus hoc Capite aliquid jam prælibavimus.

PARS SECVNDA.

DE INTELLECTV PVRO.

DE NATVRA IDEARVM.

CAPVT PRIMVM.

I. Quid per ideas intelligatur: ipsas reapse existere, ipsásque esse necessarias ad percipienda objecta omnia materialia. II. Divisio omnium modorum quibus objecta externa percipi possunt.



NEMO est, opinor, qui non fateatur nos objecta quæ sunt extra nos posita, non percipere, per illa ipsa objecta. Solem, Stellas, innumeráque alia objecta externa videmus; nec verisimile est mentem nostram è corpore exire, Cœlósque ascendere ac per eos veluti obambulare, ut ibi omnia illa objecta contempletur. Illa igitur objecta immediatè per se ipsa non videt, cúmque mens nostra videt Solem, exempli gratiâ, certè Sol non est objectum immediatum mentis, sed aliquid quod menti nostræ intimè unitur; atque illud est quod ideam appello. Itaque per istud vocabulum, (*idea*) nihil aliud hic intelligo quàm id quod est objectum immediatum mentis, aut quod ipsi proximum est, dum aliquid percipit.

Accuratè animadvertendum est, omninò necessarium esse ideam objecti actu præsentem esse intellectui, ut illud objectum percipere possit, id in dubium vocari nequit. At verò non necesse est ut extrinsecùs existat aliquid simile huic ideæ; sæpissimè enim contingit ut res percipiamus quæ non existunt, nec unquam extiterunt. Cùm quis, exempli gratiâ, imaginatur montem aureum, prorsùs necesse est ut idea istius montis actu præsens sit ipsius intellectui; cùm vesanus, aut quipiam febri ardenti laborans, vel etiam inter dormiendum, animal quoddam terribile videt ob oculos pro certo constat ideam illius animalis reverâ existere; sed mons ille aureus aut istud animal nunquam extiterunt,

Cùm

Cùm tamen homines ad id naturâ suâ propensi videantur, ut credant sola objecta corporea existere, hinc fit ut de rerum realitate & existentiâ secùs omninò judicent, quàm par est: nam statim atque aliquod objectum sentiunt, protinùs existimant illud objectum certissimè existere, quamvis nihil prorsùs extrinsecùs existat; existimant prætereà illud objectum tale omninò esse quale illud vident, quod tamen nunquam contingit. Ideam verò quæ necessariò existit, quæque aliter se habere nequit quàm videtur incogitanter ut plurimum judicant nihil esse; quasi ideæ innumeras non haberent proprietates; quasi idea quadrati, exempli gratiâ, longè non differret ab idea alicujus numeri, résque planè diversas non repræsentaret; quod de nihilo dici unquam nequit, cùm nihilum nullam habeat proprietatem. Ideæ igitur, dubio procul, realiter existunt. Sed ipsarum naturam & essentiam examinemus; videamúsque quid in mente sit quod ipsi omnia repræsentare valeat.

Quæcunque mens percipit sunt duplicis generis; aut enim sunt in mente aut extra mentem. Quæ in mente existunt, sunt ipsius propriæ cogitationes; hoc est, omnes ipsius variæ modificationes; nam per istas voces, (*cogitatio, modus cogitandi*, aut *modificatio mentis*) ea in genere omnia intelligo quæ in mente esse nequeunt quin mens illa percipiat, ut sunt ipsius sensationes, imaginationes, puræ intellectiones, aut simpliciter ipsius conceptiones, ipsius etiam affectûs, & inclinationes naturáles. Menti autem nostræ nullis opus est ideis, ut hæc omnia possit percipere; quia sunt intùs in ipsa mente, aut potiùs quia nihil aliud sunt præter mentem ipsam hoc vel illo modo modificatam; quemadmodum rotunditas realis alicujus corporis, & ipsius motus nihil aliud sunt præter illud corpus hoc vel illo modo figuratum & translatum.

Ea verò quæ sunt extra animam non possumus percipere nisi mediantibus ideis; si saltem istæc ipsi intimè uniri nequeant. Quæ autem extra mentem existunt, sunt duplicis generis, spiritualia scilicet & materialia. Ad spiritualia quod attinet illa mentem sine ideis & per illamet ipsa, posse percipere verisimile videtur. Quamvis enim experientiâ constet, nos non posse immediatè, & per nos ipsos cogitationes nostras nobis invicem communicare, sed tantùm verborum, aut aliorum signorum visibilium quibus ideas nostras alligavimus, ope; dicere tamen possumus Deum id ad hujusce vitæ tempus duntaxat instituisse, ut obviam iret malis quæ nunc obtinerent, si homines pro lubitû sese mutuò intelligere possent: At verò ubi justitia ac ordo vigebunt, & à corporis nostri captivitate liberi erimus, tum unione intimâ quæ erit inter nos invicem mentem nostram mutuò poterimus aperire, quo modo Angelos in Cœlis agere verisimile est; Adeò ut ideas ad spiritualia menti repræsentanda admittere non videatur omninò necessarium; quoniam fieri potest ut ea videamus per illamet ipsa, quanquam modo valdè imperfecto.

Totus iste locus [illegible] italicis fuit impressus quia potest praetermitti, cùm difficile sit quemquam illum intelligere nisi sciat quid de mente & de natura idearum cogitem.

Hic non examino quo pacto duo spiritus possint inter se uniri, & an hoc pacto sic sibi invicem queant aperire cogitationes. Existimo tamen nullam esse substantiam verè intelligibilem præter substantiam Dei; nihil posse evidenter cognosci nisi in ejus lumine, unionémque spirituum efficere non posse ut visibiles sint sive ut videri queant. Quamvis cum nobismet ipsis arctissimè uniamur, nobismet tamen ipsis inintelligibiles, ut ita dicam, erimus, donec nosmet ipsos videamus in Deo, & nobis ipsis offerat ideam omninò claram entis nostri quam ipse habet in suo esse inclusam. Itaque quamvis hic concedere videar, Angelos posse sibi invicem manifestare, & id quod sunt & quod cogitant, id tamen me concessisse moneo duntaxat, quia de hoc disputare nolo, dummodo id mihi concedatur quod negari nequit, nempe materialia non posse percipi per se ipsa & sine ideis.

Capite septimo explanabo sententiam meam de ratione quâ cognoscimus spiritûs, ostendámque nos non posse nunc ipsos omninò cognoscere per illosmet ipsos, licèt forsan possint nobis uniri. Sed hic præsertim sermo est de rebus materialibus quæ certè menti nostræ non possunt uniri eâ ratione quæ ad eas percipiendas necessaria est, quum enim extensæ sint, mens verò non sit extensa nulla datur inter eas proportio. His adde quòd mentes nostræ non exeunt è corpore ut dimetiantur cœlorum magnitudinem, ac ideò non possint videre corpora externa, nisi per ideas quæ illa repræsentant. Hæc apud omnes in confesso esse debent.

II. *Divisio omnium rationum quibus videre possumus objecta externa.*

Asserimus igitur prorsùs necessarium esse ut ideæ quas habemus de corporibus, ac de cæteris objectis quæ per se ipsa non percipimus, ab illis corporibus aut ab illis objectis veniant: vel ut mens nostrâ polleat virtute istas producendi ideas: vel ut Deus eas cum mente ipsam creando producat: vel eas producat quotiescunque de objecto aliquo cogitamus: vel ut mens in se ipsâ possideat omnes perfectiones quas in istis corporibus videt: vel denique ut uniatur enti summè perfecto, quódque in se omnes in genere includat entium conditorum perfectiones.

Objecta non possumus percipere nisi per unam ex istis rationibus. Nunc sepositis omnibus præjudiciis, istiúsque quæstionis difficultate haudquaquam territi, excutiamus quænam inter illas sit verisimilior. Illam quæstionem forsan clarè satis solvemus, licèt hîc demonstrationes quæ certæ,& invictæ quibuslibet videantur hominibus tradere non satagamus; sed argumenta tantùm validissima apud eos saltem qui illa attentè & seriò meditari non dedignabuntur, Si aliter enim loqueremur temeritatis forsan accusaremur.

CAPUT

CAPUT II.

Objecta materialia nullas mittere species sibi similes.

PEripateticorum sententia qui objecta externa species sibi similes mittere, istasque species per sensus externos ad sensum communem usque ferri, arbitrantur, omnium est vulgatissima. Species illas appellant *impressas*, quia objecta illas imprimunt sensibus externis. Species istæ impressæ cùm sint materiales & sensibiles fiunt intelligibiles ope *intellectûs agentis* seu *activi*, & ad id aptæ sunt ut recipiantur in *intellectu passivo*. Species illæ ad spiritûs naturam sic conversæ appellantur species *expressæ*, quia ab impressis exprimuntur, atque per eas *intellectus patiens* seu *passivus* omnia materialia cognoscit.

In egregiis istis cogitatis fusius explicandis, variisque rationibus quibus varij Philosophi illa concipiunt afferendis diutiùs non immoramur. Quamvis enim inter ipsos non conveniat de numero facultatum quas sensui interno & intellectui tribuunt, & non pauci sint etiam qui dubitent, an indigeant *intellectû agente* ad cognoscenda objecta sensibilia; Omnes tamen penè consentiunt objecta externa emittere species aut imagines sibi similes; atque hoc solo freti fundamento multiplicant facultates suas suúmque *intellectum agentem* propugnant. Adeò ut, cùm istud fundamentum omni careat soliditate, ut mox patebit; iis omnibus quæ huic fundamento adstruuntur evertendis diutiùs insistere necessarium non sit.

Asserimus igitur à verisimili prorsùs alienum esse, objecta emittere imagines aut species sibi similes; cujus assertionis adsunt aliquot rationes. Prima à corporum impenetrabilitate ducitur. Omnia objecta, ut Sol, Stellæ, ac quæcunque oculis nostris obversantur, non possunt mittere species naturæ à suâ ipsorum diversæ; unde fit ut Philosophi vulgò dicant istas species esse crassas & materiales, in quo differunt à speciebus expressis quæ spirituales factæ sunt. Species illæ objectorum impressæ sunt igitur corpuscula: Non possunt igitur sese penetrare, neque omnia spatia quæ à terra usque ad cœlum extant, quæ iis speciebus plena esse debent. Unde legitimè concludere est istas species debere sese mutuò conterere & confringere, dum aliæ dextrorsùm aliæ sinistrorsùm moventur, ac ideò eas non posse objecta visibilia reddere.

Insuper ex eodem loco seu ex eodem puncto ingens potest objectorum quæ in cœlo & in terra exstant conspici numerus; ergò oporteret ut species omnium istorum corporum possent in unum punctum coire; Atqui impenetrabiles sunt cùm sint extensæ: ergo, &c.

Sed non solum ex eodem puncto maximus numerus maximorum & vastissimorum objectorum videri potest; quin nullum est punctum in

in omnibus his magnis mundi ſpatiis, ex quo numerus penè infinitus objectorum, objectorum, inquam, Solem, Lunam, & Cœlos ipſos magnitudine æquantium, percipi non poſſit. Nullum eſt igitur in toto mundo punctum, in quo omnium harum rerum ſpecies ſibi mutuò occurrere non debeant: quod à veritate alienum prorsùs videtur.

Si ſcire cupias quo pacto omnes objectorum viſibilium impreſſiones, quantumvis invicem oppoſitæ de viribus ſuis, dum communicantur, nihil amittant, Dioptricam D. Carteſij legere potes.

Secunda ratio petitur ex mutatione quæ in ſpeciebus contingit. Certò enim conſtat, objectum, quò propinquius eſt, eò majorem habere ſpeciem, cùm objectum majus videamus. Jam autem non video quid efficere poſſit ut ſpecies illa diminuatur, & quò poſſint evadere partes ex quibus conſtabat dum major appareret. Sed quod conceptû adhuc difficilius eſt juxta ipſorum opinionem, in eo conſiſtit quòd ſi objectum illud per teleſcopium aut microſcopium intuearis, ſpecies repentè fiat ſexcenties major quàm anteà; multò enim difficiliùs concipitur quibus partibus unico temporis inſtanti ita augeri potuerit.

Tertia ratio hæc eſt. Si conſideretur cubus perfectus, omnes ſpecies ipſius laterum ſunt inæquales, cùm nihilo ſeciùs tamen omnia ipſius latera æqualiter quadrata conſpiciantur. Sic cùm in tabulâ pictâ conſiderantur figuræ ovatæ & parallelogrammata, quæ non poſſunt mittere niſi ſpecies ſimilis figuræ, in iis tamen nil deprehenditur præter circulos & quadrata. Hinc enim manifeſtò liquet neceſſe non eſſe, objectum quod adſpicitur, ut poſſit videri, mittere ſpecies ſibi ſimiles.

Denique concipi nequit, quomodò fieri poſſit ut corpus quod ſenſibili modo non minuitur perpetuò ſpecies undique emittat; iis indeſinenter impleat ingentia ſpatia; idque celeritate incredibili, ubi enim objectum aliquod delituit quo inſtanti conſpiciendum ſe præbet, undiquè videri poteſt, è multis leucarum millibus. Quódque in ea ſententia mirabilius eſt; corpora valdè agitata, ut aër & quædam alia, non ea pollent vi quâ poſſint extra ſe pellere iſtas imagines ſibi ſimiles, quod tamen faciunt corpora craſſiſſima, minimè agitata, ut terra lapides, & cætera penè corpora dura.

Verùm omnibus afferendis rationibus huic opinioni adverſantibus hîc inhærere nolumus, nullus enim eſſet dicendi finis, quippe minimum ingenij conamen inexhauſtam hoc ſuper argumento rationum ſuppeditat ſcaturiginem. Quæ ſuprà attulimus ſufficient; imò neceſſaria non erant poſt ea quæ, dum errores ſenſuum explicuimus, hac de re primo Libro à nobis dicta ſunt. At verò tantus eſt Philoſophorum huic opinioni addictorum numerus, ut non abs re nos facturos judicaverimus ſi aliquid de ea perſtringeremus, eos ſaltem ad id adducturi ut ſuper cogitationibus ſuis ſeriò meditentur.

CAPUT

CAPUT III.

Mentem præditam non esse virtute producendi ideas. Causa erroris in quem hac de re labuntur homines.

SEcunda opinio eorum est qui arbitrantur mentes nostras pollere virtute seu facultate producendi ideas rerum de quibus cogitare volunt, illásque (mentes) excitari ad producendas illas ideas ab impressionibus quæ objecta faciunt in corpus, quamvis istæ impressiones non sint imagines similes objectis quæ ipsas faciunt. Existimant in eo consistere imaginem Dei in homine, ipsúmque hominem hoc pacto divinæ potentiæ participem fieri. Quemadmodùm, inquiunt, Deus omnia ex nihilo creavit, potéstque omnia in nihilum redigere, & alia nova denuò creare, ita homo potest creare & annihilare ideas omnium pro lubitu. Verùm non unâ de causâ ejusmodi opiniones quæ hominem extollunt suspectas habere debemus. Ejusmodi cogitationes ex vano & superbo hominis fundo oriundas Pater luminum nequaquàm inspiravit.

Ista participatio potentiæ Divinæ quam sibi arrogant homines ut objecta sibi repræsentare multásque alias actiones speciales patrare possint, participatio est quæ independentiam aliquatenùs inducere videtur; ut saltem illa (participatio) explicari solet. Verùm sincerè loquendo illa participatio chimærica est, merum ignorantiæ & vanitatis humanæ figmentum. Homines à bonitate & misericordia Divina longè suprà ipsorum opinionem dependent. Sed hæc explicandi non est hîc locus. Sufficiat nobis si ostendere conemur homines non pollere virtute aut facultate formandi ideas rerum quas percipiunt.

Nemo est qui ideas esse entia maximè realia, siquidem proprietates habeant reales, alias ab aliis differre, résque planè diversas repræsentare, in dubium vocare possit. Meritò etiam dubitari nequit quin illæ sint spirituales & à corporibus quæ repræsentant longè diversæ. Et vel ex hoc solo non injuriâ quis forsan ambigeret an illæ ideæ quarum ope percipiuntur corpora, non sint nobiliores ipsis corporibus. Reverâ mundus intelligibilis perfectior esse debet mundo materiali & terrestri, ut infra patebit. Cùm itaque quis asserit homines præditos esse virtute formandi ideas pro lubitû, in id etiam discriminis vocari videtur ut asserat ipsos posse formare entia nobiliora & perfectiora mundo quem Deus condidit. Plerique tamen ne ad id attendunt quidem, quippe qui arbitrantur ideam nihil esse, quia sese sentiendam non præbet; aut si illam tanquam ens quoddam habeant, ens illud ipsis videtur perquàm exile & adspernandum; quoniam ipsam statim atque menti ampliùs non objicitur annihilari arbitrantur.

Quemadmodum enim pictor non potest pingere hominem quendam singularem, ita ut possit confidere se rem feliciter gessisse, nisi habeat ideam distinctam istius hominis, immò nisi homo ille præsens adsit. Sic mens quæ nullam ideam habebit præter ideam, exempli gratiâ, entis aut animalis in genere, non poterit sibi repræsentare equum, nec ipsius formare ideam distinctam; ac pro certo habere istam ideam esse prorsùs similem equo, nisi priorem habeat ideam cum qua secundam possit conferre. Jam autem si antecedentem habeat ideam, alteram formare inutile est; & quæstio vertitur circa priorem illam ideam. Ergo, &c.

Verum quidem est nos, dum quadratum concipimus per puram intellectionem, posse insuper illud imaginari, hoc est, illud percipere nobis insculpendo illius imaginem in cerebro. Sed primò observandum est, nos nec esse veram nec principalem causam istius imaginis, at verò brevitatis causa ab eo explicando supersedemus. Secundò tantum abest ut secunda idea quæ comitatur imaginem illam sit distinctior & accuratior priori, quin potiùs accurata non est nisi quatenùs priori quæ alterius norma esse debet, similis est. Arbitrandum enim non est imaginationem, & sensûs objecta distinctiùs nobis repræsentare quàm intellectus purus, sed illa tantùm (sensûs & imaginationem) mentem magis afficere & applicare. Nam ideæ sensuum & imaginationis, non sunt distinctæ nisi quatenùs conformes sunt ideis puræ intellectionis. Imago quadrati, exempli gratiâ, quam imaginatio cerebro imprimit justa & accurata est duntaxat per conformitatem quam habet cum idea quadrati quod concipimus per puram intellectionem. Hæc idea est norma imaginis. Mens dirigit imaginationem, ac illam, ut ita dicam, adigit ad dispiciendum identidem an imago quam pingit sit figura quatuor linearum rectarum & æqualium, cujus anguli sint accuratè recti, uno verbo an res quam imaginamur sit similis rei quam concipimus.

Tanto meliora esse indico quæ oculis cerno quanto pro sui natura viciniora sunt iis quæ animo intelligo. Aug. 63. de vera relig.

His præmissis nemo est, opinor, qui dubitet, quin Philosophi qui asserunt mentem posse formare ideas objectorum, fallantur; cùm menti tribuant potentiam creandi, immò etiam creandi cum ordine & sapientia, quanquam ne cognoscat quidem quid agat; id enim concipi nequit. Sed causa errandi ipsis est, quod homines semper existiment rem quampiam esse causam alicujus effectûs, cùm utrumque simul conjunctum vident, si modò vera istius effectûs causa ipsos lateat. Hanc ob causam omnes concludunt globum agitatum, cùm in alium incidit, esse veram & principalem causam agitationis quam ipsi communicat; voluntatem mentis esse veram & principalem causam motûs brachij, & alia similia præjudicia: quia semper contingit ut globus agitetur, cùm in ipsum alius globus incidit & impingit, útque brachia nostra moveantur quotiescunque penè id volumus; & quia nullam aliam sensibilem istorum motuum causam deprehendimus.

Sed etiam quum effectum quoddam rarius ab aliqua re consequitur

quæ ipsius non est causa, non pauci tamen sunt qui arbitrentur rem istam esse causam effecti illius, sed omnes in hunc errorem non labuntur. Cometa, exempli gratiâ, apparet & post illum cometam Princeps quidam fato fungitur. Lapides Lunæ oppositi sunt, & vermibus exeduntur; Sol conjunctus est cum Marte tempore nativitatis alicujus infantis, & aliquid extraordinarium huic infanti accidit; id non paucis sufficit ut protinus sibi persuadeant, Cometam, Lunam, conjunctionem Solis cum Marte esse causas istorum effectuum, necnon aliorum ipsis similium: causa autem cur omnes id non credunt ex eo est quòd hæc Phænomena similia post se non semper trahant effecta.

Cùm verò omnes homines ideas objectorum menti præsentes ut plurimùm habeant, statim atque id exoptant, cùm id ipsis multoties de die contingat, omnes etiam penè, concludunt voluntatem quæ comitatur productionem aut potiùs præsentiam idearum, esse veram ipsarum causam. Quia nihil eodem temporis momento deprehendunt cui hanc productionem seu præsentiam possint tribuere, & quia imaginantur ideas non ampliùs esse statim atque mens ipsas non ampliùs videt; ipsásque deintegrò existere, cùm se iterum menti objiciunt.

His etiam de causis nonnulli arbitrantur objecta externa emittere imagines sibi similes, ut cap. præcedenti dictum est. Cùm enim objecta per seipsa videri nequeant, sed duntaxat per ideas, judicant objectum ideam producere; quia statim atque præsens est, illud vident; statim atque abest, illud ampliùs non vident; & quia præsentia objecti penè semper comitatur ideam quæ illud nobis repræsentat.

Attamen, si homines in judiciis non essent præcipites; ex eo quod ideæ rerum præsentes sint ipsorum menti, statim atque id volunt, concludere tantùm deberent, voluntatem ipsorum, juxta ordinem à natura institutum, esse ordinariè necessariam, ut illas habere possint ideas, non verò voluntatem esse veram & principalem causam quæ ipsas menti objiciat, multò minùs voluntatem illas è nihilo producere, aut eo quem explicant modo. Non debent etiam concludere, objecta emittere species sibi similes, ex eo quod mens ea ut plurimum non percipit, nisi cùm præsentia adsunt; sed tantùm objectum ordinariè necessarium, ut idea sit præsens menti. Denique non debent judicare globum agitatum esse principalem & veram causam motûs globi cui occurrit, cùm prior ipse globus non habeat potestatem sese movendi. Possunt duntaxat judicare hunc duorum globorum concursum præbere occasionem Authori motûs materiæ executioni mandandi decretum voluntatis suæ, quæ est causa omnium universalis, communicando alteri globulo partem motûs prioris, hoc est, ut clariùs loquar, volendo ut posterior tantùm acquirat agitationis quantum prior de suâ perdidit. Vis enim motrix corporum alia esse nequit quàm voluntas ejus qui illa conservat, ut infrà videbitur.

Vide cap. 3. 2 part. methodi.

CAPUT

CAPUT IV.

Nos non percipere objecta per ideas nobiscum creatas. Deum eas in nobis non producere, quotiescunque ipsis indigemus.

TErtia opinio eorum est qui arbitrantur omnes ideas nobiscum creatas fuisse.

Ut ostendatur quantùm hæc opinio à verosimili abhorreat, animadvertendum est in hoc mundo multa esse toto genere diversa, quorum ideas habemus. Nam ut de figuris duntaxat loquamur, numerum ipsarum infinitum esse constat; immò si vel unam solam consideremus, ut, exempli gratiâ, ellipsin, mentem numerum ellipseon diversæ speciei infinitum posse concipere haud dubiè comperiemus; dum concipit alteram ex diametris in infinitum extendi posse, alterâ semper eadem manente.

Ita cùm altitudo trianguli possit augeri aut diminui in infinitum, latere quod basim constituit semper eodem manente, facilè concipimus posse dari numerum triangulorum diversæ speciei innumerabilem. Immò quod accuratè hîc observari velim, mens aliquo modo percipit numerum illum infinitum, quamvis pauci admodùm sub imaginationem cadant; nec possint haberi eodem tempore ideæ speciales & distinctæ multorum triangulorum diversæ speciei. Sed præcipuè animadvertendum est ideam illam generalem quam mens habet numeri illius infiniti diversæ speciei satis probare, quod, si non concipiantur per ideas speciales omnes illi diversi trianguli, uno verbo, si non concipiatur infinitum, id non provenit ex defectu idearum, aut ex eo quod infinitum nobis præsens non sit; sed tantùm quia mens nostra satis non habet capacitatis & extentionis. Si homo quispiam ad considerandas omnes omnium specierum triangulorum proprietates animum suum appelleret, licèt in id studij genus æternùm incumberet, ipsi equidem novæ & speciales ideæ non deficerent; sed ejus mens incassum defatigaretur.

Quæ de triangulis dicta sunt possunt adaptari figuris quinque, sex, centum, mille, decies mille laterum, & ita ad infinitum. Jam autem si latera trianguli quæ habent relationes infinitas inter se invicem faciant triangulos infiniti specierum numeri, hinc manifestò patet figuras quibus sunt quatuor, quinque, aut decies centena millia laterum, posse suscipere differentias longè majores; cùm capaces sint longè majoris numeri relationum & combinationum inter latera, quàm simplices trianguli.

Mens igitur videt hæc omnia: Illorum habet ideas: nec ipsam unquam deficient ideæ illæ, licet infinita sæcula vel unicæ figuræ con-

fiderationi insumeret; quòd si figuras illas infinitas primo intuitu non percipit, aut infinitum non capit; id ipsius extensioni spatiis admodum angustis inclusæ, adscribendum. Numerum igitur idearum habet infinitum; quid dico infinitum? tot habet numeros idearum infinitos quot sunt diversæ figuræ; cùm igitur sit numerus infinitus diversarum figurarum, mens ut solas cognoscat figuras, numeros idearum infinitè infinitos habere debet.

Jam autem peto an sit verisimile Deum tot res creavisse cum mente humana. Id mihi quidem verisimile non videtur; præcipuè cùm id fieri possit aliâ ratione simplicissimâ & facillimâ, ut mox patebit. Cùm Deus enim agat juxta rationes simplicissimas, rationi congruum non videtur explicare quî cognoscamus objecta, admittendo creationem numeri entium infiniti: quandoquidem hæc difficultas potest solvi modo simpliciori ad naturam magis accommodato.

Sed licèt mens veluti armamentarium seu apothecam omnium idearum quæ ad res percipiendas ipsi necessariæ sunt haberet, difficillimum tamen foret explicare quomodo mens posset illas seligere ad eas sibi repræsentandum, quomodo, exempli gratiâ, fieri posset ut solem sibi repræsentaret, dum præsens adesset oculis corporeis; Cùm enim imago quam sol imprimit cerebro non similis sit ideæ quam de illo habemus, ut id alibi probatum fuit, nec mens percipiat motum quem sol in interna oculorum parte & in cerebro ciet; concipi nequit ipsam posse sine erroris periculo judicare, inter numerum illum infinitum idearum quas haberet, quænam sibi esset repræsentanda ad imaginandum aut videndum solem. Dici igitur non potest ideas rerum nobiscum creatas esse, idque sufficere ut objecta circumjacentia videamus.

Non est etiam quod quis dicat Deum singulis momentis tot novas producere ideas, quot varias res percipimus. Istæc opinio ex iis quæ hoc capite dicta sunt satis convellitur. Insuper necesse est ut omni tempore actû habeamus in nobis ideas omnium rerum, cùm omni tempore possimus velle cogitare de rebus omnibus: quod non possemus, nisi illas jam confusè perciperemus; hoc est, nisi numerus idearum infinitus menti nostræ obversaretur: Non possumus enim duci voluntate cogitandi de objectis quorum nullam habemus ideam.

CAPVT V.

Mentem nec essentiam nec existentiam objectorum videre suas perfectiones considerando. Deum solum objecta hoc modo percipere.

Quanta opinio est, mentem nullâ aliâ re quàm seipsâ indigere ut objecta percipiat; ipsámque, sese & perfectiones suas considerando, omnia externa posse percipere.

Mentem

Mentem omnes sensationes & affectus quos potest suscipere, voluptatem, dolorem, frigus, calorem, colores, sonos, odores, sapores, amorem, odium, gaudium, tristitiam quibus movetur, & cæteros affectûs in seipsâ & sine ideis videre constat; quia omnes mentis sensationes & affectus nihil repræsentant, quod sit extra ipsam, sensationibus illis simile, & quia sensationes illæ modificationes duntaxat sunt quarum mens capax esse potest.

Sed quod hic maiorem includit difficultatem est scire, an ideæ quæ repræsentant aliquid extra mentem positum, quódque ipsis ideis simile aliquatenùs sit, quales sunt ideæ solis, domus, equi, fluminis, &c. nihil aliud sint præter modificationes mentis: adeò ut mens nullâ aliâ re à se diversâ indigeat ad omnia sibi repræsentanda quæ extra ipsam sita sunt.

Sunt qui asserere non dubitent animam utpote ad cogitandum factam, in se hoc est, suas proprias considerando perfectiones, omnia habere quæ necessaria sunt ad percipienda objecta. Cùm enim ipsa reverâ nobilior sit rebus omnibus quas distinctè concipit, ea *eminenter* ut loqui amant Scholastici aliquo modo continere dici potest, hoc est, modo sublimiori, & nobiliori quàm sunt in seipsis. Superiora hoc modo inferiorum perfectiones continere arbitrantur. Cùm itaque nobilissimi inter omnes res conditas quas norunt, sint, sibi tantùm arrogant ut in se modo spirituali, quidquid in mundo visibili extat habere, ac sese variè modificando quicquid mens humana cognoscere potest percipere posse autument. Uno verbo volunt mentem instar mundi intelligibilis esse, qui mundum materialem & sensibilem, immò multò plura in se complectitur.

Verùm qui istud cogitatum defendunt audacissimi mihi videntur; vanitas, ni fallor, nobis ingenita, αὐτοπειθείας amor, ac illius qui in se omnia complectitur entia similitudinem referendi cupiditas mentem nostram ita confudit & perturbavit ut nos ea quæ non habemus possidere imaginemur; *Dic quia tu tibi lumen non es*, inquit August. Deus solus sibi ipsi lumen est, ac sese considerando quæcunque produxit ac producere potest, solus videt. *Serm. 8. de verbis Domini.*

Deum solum anteouàm mundus conderetur extitisse, ac mundum sine cognitione & idea producere ipsum non potuisse, constat; unde sequitur ideas illas quas de mundo habuit ab ipso Deo non esse diversas; ac proinde omnes res conditas, eas etiam quæ maximè materiales & terrestres sunt in Deo esse, modo prorsùs spirituali quem non possumus capere. Deus igitur in se omnia entia videt, suas perfectiones, quæ ea ipsi repræsentant considerando. Eorum præterea existentiam perfectè cognoscit, cùm enim omnia (entia) ab ipsius voluntate pendeant, ut existant, ipse verò non possit ignorare suas proprias voluntates; hinc sequitur ipsum non posse ignorare illorum existentiam: atque ideò Deus non modò rerum essentiam sed earum etiam existentiam in se videt.

At

At verò res secùs se habet de spiritibus creatis: Hi in se nec rerum essentiam nec earum existentiam videre queunt. Earum inquam, essentiam in se videre nequeunt, cùm enim sint maximè finiti omnia entia in se non complectuntur, ut Deus, qui dici potest ens universale, aut simpliciter ille qui est, (Jehovah) ut seipsum appellat. Cùm igitur mens humana possit cognoscere omnia entia & entia infinita, nec tamen illa contineat, hinc manifestò patet, ipsam illorum essentiam in se non videre. Mens enim non modò videt mox rem unam mox alteram vicissim aut successivè, immò actû etiam percipit infinitum, licèt illud non complectatur, ut capite præcedenti diximus. Adeò ut cùm mensnon sit actû infinita, nec infinitarum modificationum capax eodem tempore, fieri prorsùs nequit ut in se videat quod in se non habet. Rerum igitur essentiam non videt suas proprias considerando perfectiones, aut sese variè modificando. Earum etiam existentiam in se non videt, quia ab ipsius voluntate non dependent ut existant, & quia ideæ rerum possunt adesse menti, quamvis res actû non existant. Omnes enim possunt habere ideam montis aurei, quamvis in mundo nullus sit mons aureus. Et quamvis sensuum nostrorum testimonio ad judicandum de existentia objectorum nitamur, à ratione nostra non docemur nos debere, in omnibus, sensibus nostris fidere, cùm clarè comperiamus nos ab ipsis decipi. Quum, exempli gratiâ, aliquis sanguinem habet agitatissimum, aut etiam quum dormit, campos aliquando, prælia, & alia similia ob oculos habet, quæ tamen actû non sunt, nec forsan unquam fuere. Constet igitur mentem nec in se nec per se videre existentiam rerum, sed ipsam hac in re ab aliquo alio pendere.

CAPVT VI.

Nos omnia in Deo videre.

CApitibus superioribus quatuor varias rationes excussimus quibus mens videre potest objecta externa, quæ nobis verisimiles non videntur, superest quinta, quæ sola ad rationem accedere videtur, & ad id aptior ut cognoscamus quantùm omnes spiritus pendeant à Deo in omnibus suis cogitationibus.

Ut id possit intelligi, revocanda sunt in memoriam ea quæ capite præcedenti dicta sunt, scilicet, necesse esse Deum in se habere ideas omnium entium quæ creavit, cùm alioqui ea non potuisset producere, ac illum proinde videre omnia illa entia considerando perfectiones quas includit in se, & ad quas entia illa referuntur. Sciendum est prætereà Deum mentibus nostris præsentiâ suâ arctissimè uniri; adeò ut Deus dici possit locus spirituum, quemadmodùm spatium est locus

locus corporum. His duobus præsuppositis certum est mentem id posse videre quod in Deo est quod repræsentat entia creata ; cùm id sit maximè spirituale, intelligibile,& menti præsentissimum. Mens itaque in Deo potest videre opera Dei dummodò Deus velit ipsi retegere id quod in se habet quod illa repræsentat opera. Jam autem hæc sunt argumenta quæ probare videntur Deum id potiùs velle quàm creare numerum infinitum idearum in unaquaque mente.

Primò, quamvis non negemus absolutè Deum posse numerum infinitè innumerabilem entium quæ objecta repræsentent sive quæ objectorum sint repræsentiva producere, singulis mentibus quas creat : rem tamen sic ab ipso fieri credendum non est.

I. Non modò enim ex ratione, verùm etiam ex œconomia totius naturæ liquet, Deum nunquam id facere per rationes difficiles quod fieri potest per rationes simplicissimas & facillimas. Deus nihil facit frustrà & sine causa. Suam non exerit sapientiam & potentiam parva viis difficilioribus, modísque magnificis exequendo, id rationi repugnat & finitam arguit intelligentiam. In eo contra elucet sapientia & potentia Dei dum magna, modis simplicissimis & facillimis efficit. Hoc pacto ex sola extensione quicquid admirabilis in rerum natura videmus producit ; immò id etiam quod animalibus dat vitam & motum. Qui enim formas substantiales, facultates & animas in brutis ab ipsorum sanguine, & organis corporeis diversas, quibus omnes præstent functiones præfractè volunt, volunt eadem ratione Deo summam non esse intelligentiam, aut ipsum non posse facere res tam mirabiles ex extensione solâ. Dei potentiam summámque ipsius sapientiam mentis suæ tenuitate dimetiuntur. Cùm igitur Deus possit per se omnia mentibus patefacere, volendo simpliciter ut videant id quod est intrà ipsos seu in medio ipsorum, hoc est, id quod in ipso est quod relationem habet ad illas res quódque illas repræsentat, verisimile non est ipsum rem aliter facere, & ad illum finem obtinendum producere totidem infinitates numerorum infinitorum idearum quot sunt mentes creatæ.

Sed animadvertendum est non inferendum esse mentes videre essentiam Dei, ex eo quod omnia in Deo videant eo quo diximus modo. Quia id quod vident est valdè imperfectum, Deus verò perfectissimus. Materiam vident divisibilem, figuratam, &c. in Deo verò nihil est divisibilis aut figurati. Deus enim ipse est, ut ita loquar, omnia entia, quia est infinitus ac in se omnia complectitur, at nullum est ens in particulari. Tamen id quod videmus nihil est præter unum aut plurima entia specialia, nec concipimus perfectam illam Dei simplicitatem quæ omnia complectitur entia. Præterquamquod dicere possumus, nos non tam videre ideas rerum quàm res ipsas quæ ideis repræsentantur. Cùm enim, exempli gratiâ, videmus quadratum, non dicimus nos videre ideam istius quadrati, quæ menti nostræ unitur, sed tantùm quadratum extra nos situm.

Secunda ratio quæ nos eò adducere potest ut credamus, nos videre omnia entia, quia Deus vult ut id quod in ipso est, quod ea entia repræsentat, nobis patefiat; non verò quia totidem habemus ideas creatas nobiscum quot res possumus videre, in eo consistit quod hæc ratio res videndi mentes creatas collocet in tantâ dependentiâ à Deo quanta esse potest. Hoc enim sic posito, non modò nihil possumus videre, quin Deus benè velit nos id videre, verùm etiam nihil possumus
2. Cor. 3. 5. videre, quin ipse id nobis videndum præbeat. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Deus ipse erudit & illuminat Philosophos in cognitionibus quas homines ex ingrati animi motu naturales appellant, quamvis è cœlo sint
Rom. 1. 19. oriundæ. *Deus enim illis manifestavit.* Ipse propriè loquendo est lumen
Iac. 1. 17. mentis & *Pater luminum.* Ipse est *qui docet hominem scientiam.* Uno verbo
Psal 3. 10. ipse *Lux vera est quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*
Ioan. 1. 9. Etenim satis difficile est distinctè assequi dependentiam mentium nostrarum à Deo in omnibus actionibus suis, si supponantur (mentes nostræ) habere quicquid distinctè cognoscimus ipsis esse necessarium ad agendum, aut si supponantur habere omnes ideas rerum præsentes. Ac sanè vox illa generalis & confusa (*concursus*) qua explicari solet dependentia rerum conditarum à Deo, in mente attentâ nullam excitat ideam distinctam; perquàm utile tamen est homines distinctissimè cognoscere, se sine Deo nihil posse.

Verùm argumentum validius quod nos in eam injicit sententiam positum est in ratione seu modo quo mens omnia percipit. Ex omnium hominum experientia constat, nos cum de aliqua re speciatim cogitare volumus, primò oculos in omnia entia injicere, ac deinde objecti de quo cogitare intenderamus considerationi adhærere. Jam autem extrà dubium est nos non posse teneri desiderio videndi aliquod objectum, quin illud jam videamus, quamvis confusè & modo quodam generali, adeò ut cùm possimus duci cupiditate videndi omnia objecta, mox hoc, mox verò illud, indè certò sequatur omnia entia menti nostræ esse præsentia. Jam verò omnia entia menti adesse præsentia non posse videntur nisi quia ipsi (menti) præsens est Deus, hoc est ille qui in simplicitate entis sui omnia entia complectitur.

Mens etiam sibi ideas universales generis, speciei, &c. repræsentare posse non videretur, nisi omnia entia in unico inclusa videret. Cum enim omnis res creata sit ens quoddam individuum, nemo potest dicere se videre aliquid creatum, cùm videt, exempli gratiâ, triangulum in genere. Denique non putem quemquam posse ritè rationem reddere modi quo mens multas cognoscit veritates abstractas & generales, nisi per præsentiam illius qui potest illuminare mentem infinitis modis.

Tandem argumentum existentiæ Dei illustrissimum, nobilissimum, solidissimum, ac primum, aut quod à minori rerum numero pendet, ducitur ex idea quam habemus de infinito. Constat enim mentem percipere

percipere infinitum, quamvis illud non capiat; ipsámque (mentem) habere ideam maximè distinctam Dei, quæ ipsi aliunde quàm ex unione cum Deo non potest suppetere, cùm concipi nequeat ideam entis infinitè perfecti, quæ est idea quam de Deo habemus, esse aliquid creati.

Verùm mens non modò habet ideam infiniti, immò etiam illam habet ante ideam finiti. Nam ens infinitum concipimus ex eo duntaxat quod concipimus ens nullâ habitâ ratione an sit finitum an verò infinitum. Sed ut concipiamus ens aliquod finitum, aliquid necessariò detrahendum est de notione illa generali entis, quæ per consequens præcedere debet. Mens itaque nihil percipit nisi in idea quam habet de infinito: Et tantùm abest ut idea illa formetur ex coacervatione confusâ omnium idearum entium specialium, ut id pertendunt Philosophi; quin omnes illæ ideæ speciales nil aliud sunt quàm participationes ad ideam generalem infiniti; quemadmodùm Deus non tenet ens suum à creaturis, cùm potiùs omnes creaturæ non subsistant nisi per ipsum.

Ultimum argumentum, quod forsan demonstrationis vicem geret apud eos qui ratiociniis abstractis assueti sunt, hoc est. Impossibile est Deum in suis actionibus alium habere finem principalem à se ipso diversum. Hæc est notio communis cuilibet attento: Ipsáque Scriptura non sinit nos dubitare, quin Deus omnia fecerit propter seipsum. Necesse igitur est ut non modo amor noster naturalis, hoc est, motus quem in mente nostra producit, tendat versus ipsum, sed præterea ut cognitio & lux quam ipsi impertitur aliquid nobis patefaciat quod in ipso sit: Quicquid enim ex Deo venit propter alium fieri non potest quàm propter Deum. Si Deus mentem faceret seu crearet ac ipsi daret pro idea, seu pro objecto immediato cognitionis solem, Deus, opinor, illam mentem & illius mentis ideam propter solem faceret, non verò propter se.

Deus igitur non potest facere mentem ad cognoscenda opera sua, nisi mens illa videat aliquo modo Deum, videndo ipsius opera, adeò ut dicere possim, quòd si Deum aliquo modo non videremus, nihil prorsùs videremus, quemadmodùm si Deum non amaremus, hoc est, nisi Deus indesinenter in nobis imprimeret amorem boni in genere, nihil prorsùs amaremus. Cùm enim amor ille sit nostra voluntas, quicquam amare aut velle sine ipso non possumus; cùm non possimus amare bona specialia, nisi determinando versùs illa bona motum amoris quem Deus dat nobis versùs se. Nihil quicquam itaque amamus, nisi per amorem necessarium quo erga Deum movemur, nihil videmus nisi per cognitionem naturalem quam de Deo habemus; atque omnes ideæ speciales quas de creaturis habemus, nihil aliud sunt quàm limitationes ideæ Creatoris, ut omnes motus voluntatis erga creaturas nihil sunt præter determinationes motûs versùs Creatorem.

Haud opinor quemquam esse inter Theologos qui non fateatur

impios amare Deum illo amore naturali de quo sermo est: Immò Divus Augustinus & nonnulli alij Patres pro certo asserunt impios videre in Deo regulas morum, & veritates æternas. Adeò ut illa quam expono sententia nemini molestiam creare debeat. Sic loquitur Divus Augustinus. *Ab illa incommutabili luce veritatis, etiam impius, dum ab eâ avertitur, quodammodo tangitur. Hinc est quòd etiam impij cogitant æternitatem, & multa rectè reprehendunt rectéque laudant in hominum moribus. Quibus ea tandem regulis judicant, nisi in quibus vident, quemadmodùm quisque vivere debeat, etiamsi nec ipsi eodem modo vivant? Ubi autem eas vident? Neque enim in sua natura. Nam cùm procul dubio mente ista videantur, eorúmque mentes constet esse mutabiles, has verò regulas immutabiles, videat quisquis in eis, & hoc videre potuerit...... ubinam ergo sunt istæ regulæ scriptæ, nisi in libro lucis illius, quæ veritas dicitur unde lex omnis justa describitur...... in qua videt quid operandum sit etiam qui operatur injustitiam & ipse est qui ab illa luce avertitur à qua tamen tangitur.* Apud Augustinum innumeri sunt loci huic consimiles, quibus ille probat nos Deum videre etiam in hac vita, cognitione quam habemus veritatum æternarum. Veritas est increata, immutabilis, immensa, æterna, ac supra omnia transcendens. Vera est per se, perfectionem suam à nulla re habet. Illa creaturas reddit perfectiores, ac omnes spiritus ipsius cognitionem naturâ suâ investigant. Jam autem nihil præter Deum has omnes habere potest perfectiones. Ergo veritas est Deus; Jam verò veritates illas immutabiles videmus. Ergo Deum videmus. Hæc sunt Divi Augustini rationes, nostræ ab illis paulùm differunt. Nec tanti viri authoritate immeritò niti ad nostram stabiliendam sententiam volumus.

L. 14. de Trinit. cap 3.

Existimamus igitur veritates, eas etiam quæ æternæ sunt; ut, bis duo sunt quatuor, nequidem esse entia absoluta, tantùm abest ut credamus illas veritates esse Deum ipsum. Manifestum enim est hanc veritatem alia in re non consistere quàm in relatione seu analogia æqualitatis, quæ est inter bis duo & quatuor. Non dicimus itaque nos Deum videre, dum videmus veritates, ut id dicit D. Augustinus, sed dum videmus ideas illarum veritatum: ideæ enim reales sunt, sed æqualitas inter ideas, quæ est ipsa veritas, nihil est reale. Quum, exempli gratiâ, dico pannum quem metior constare tribus ulnis, pannus & ulnæ sunt quid reale; sed æqualitas inter tres ulnas & pannum non est ens reale, nihil est præter analogiam quæ reperitur inter tres ulnas & pannum. Quum dicimus bis duo esse quatuor, ideæ numerorum sunt reales quidem, sed æqualitas quæ est inter ipsos nihil est præter relationem. Itaque juxta hypothesin nostram videmus equidem Deum, quum videmus veritates æternas, non quòd illæ veritates sint ipse Deus, sed quia ideæ à quibus veritates illæ pendent sunt in Deo. Forsan & Divus Augustinus rem hoc intellexit modo. Credimus etiam cognosci in Deo mutabilia & corruptibilia, quamvis Divus Augustinus loquatur tantùm de immutabilibus & incorruptibilibus; Ideò enim necesse non est ut aliqua ponatur in Deo imperfectio, cùm sufficiat,

ut

ut jam diximus, Deum nobis patefacere id quod in se est quod ad hæc referatur.

Verùm etiam si dicam nos in Deo materialia & sensibilia videre, attendendum tamen est me non dicere nos illa in Deo sentire, sed dico duntaxat sensum illum à Deo oriri qui agit in nobis; Deus enim sensibilia equidem novit, sed ea non sentit. Quum aliquid sensibile percipimus, in perceptione nostrâ deprehenditur sensatio, & idea pura. Sensatio est modificatio mentis nostræ, Deus verò illam in nobis parit, atque illam potest parere, quamvis non habeat ipsam, quia videt in idea quam habet mentis nostræ, ipsam istius sensationis esse capacem. Idea verò quæ cum sensatione conjuncta reperitur in Deo est, illámque videmus quia ipsi lubet illam nobis retegere. Deus verò jungit sensationem ideæ, quum objecta sunt præsentia, ut rem credamus qualis est, eósque sensus & affectus induamus quæ nos relatè ad illa objecta, habere par est.

Credimus denique omnes mentes videre leges æternas æquè ac cætera in Deo, sed cum aliqua differentia. Cognoscunt ordinem & veritates æternas, atque etiam entia quæ Deus fecit secundùm veritates illas aut secundùm ordinem. Illa, inquam, cognoscunt per unionem quam necessariò habent (mentes illæ) cum verbo, aut cum sapientia Dei quæ ipsas illuminat, ut id modò expositum fuit. Verùm per impressionem quam recipiunt indesinenter à voluntate Dei, qui ipsas versùs se fert, & conatur, ut ita loquar, ipsarum voluntatem suæ prorsùs similem reddere, per illam, inquam, impressionem cognoscunt ordinem esse legem, hoc est cognoscunt leges æternas, ut, amandum esse bonum, malum verò fugiendum: justitiam omnibus divitiis esse anteponendam; obedientiam Deo, præstare imperio in homines, & innumeras alias leges naturales. Nam cognitio harumce omnium legum non differt à cognitione hujus impressionis quam in seipsis semper sentiunt, quamvis ipsam non semper sequantur, optione liberâ voluntatis suæ; quámque norunt esse communem omnibus mentibus, quamvis non sit æquè fortis in omnibus.

Per hanc dependentiam, analogiam, & unionem mentis nostræ cum Verbo Dei, & voluntatis nostræ cum amore ipsius formati fuimus ad imaginem & similitudinem Dei. Et quamvis illa imago peccato non parùm deleta fuerit, necesse tamen est ut tamdiù subsistat quamdiù nos superstites sumus, sed si feramus imaginem Verbi humiliati in terra, ac si sequamur afflatûs Spiritûs sancti, imago illa pristina prioris creationis nostræ, unio illa mentis nostræ cum Verbo Patris, & cum amore Patris & Filij restituetur, & indelebilis fiet. Similes Deo erimus, si similes fiamus Θεανθρώπω. Denique Deus erit totus in nobis nos verò toti in illo, modo longè perfectiori quàm modus ille quo necesse est, nos in ipso esse, & ipsum in nobis, ut subsistamus.

Hæc sunt aliquot argumenta quæ possunt persuadere mentes percipere omnia per præsentiam intimam illius qui omnia complectitur. *Vide illustrationem.*

in simplicitate entis sui. Unusquisque de re illâ seriò examinata judicabit prout intùs convincetur, sed credimus nullam esse verisimilitudinem in cæteris rationibus istæc explicandi, hanc verò postremam explicationem plusquàm verosimilem cuilibet apparituram. Hoc pacto mentes nostræ à Deo omnimodè dependent. Nam quemadmodùm ipse in iis excitat dolorem, voluptatem, & cæteras sensationes, unione naturali quàm instituit inter illas & corpora nostra, quæ unio nihil aliud est quàm ipsius decretum, & voluntas generalis: ita ipse est qui unione naturali quam etiam instituit inter voluntatem hominis, & repræsentationem idearum quas includit immensitas entis Divini, ipsis notificat omnia quæ cognoscunt, atque ista quoque unio naturalis nihil est quàm ipsius voluntas generalis, adeò ut ipse solus possit nos illuminare, nobis omnia repræsentando; quemadmodùm ipse solus potest nos reddere beatos; in nobis pariendo sensum seu gustum omnigenarum voluptatum.

Stet igitur illa sententia, Deum esse mundum intelligibilem, aut locum spirituum, ut mundus materialis est locus corporum. Ab ipsius potentia illos (spiritûs) suas accipere modificationes; in ipsius sapientia suas omnes reperire ideas, atque per ipsius amorem illos agitari omnibus motibus ordinatis; quia autem ipsius potentia & amor ab ipso non differunt, credamus cum Divo Paulo, ipsum ab unoquoque nostrûm non esse longinquum, nósque in ipso habere vitam, motum, & esse. *Non longè est ab unoquoque nostrûm, in ipso enim vivimus, movemur & sumus.* *Act. Apost. c. 17. 28.*

CAPUT VII.

I. Quatuor diversæ rationes res videndi. II. Quomodo Deus cognoscitur. III. Quomodo corpora cognoscuntur. IV. Quomodo unusquisque suam mentem cognoscit. V. Quomodo mentes cæterorum hominum & puræ intelligentiæ cognoscuntur.

I. *Quatuor rationes res videndi.*

UT sententia de ratione qua mens percipit varia objecta cognitionis suæ mox posita contrahatur & illustretur, necesse est me distinguere in ipsâ quatuor cognoscendi modos.

Primus est quo res per seipsas cognoscit. Secundus quo illas cognoscit per ideas ipsarum, hoc est, ut rem hîc intelligo, per aliquid diversum à rebus ipsis.

Tertius quo res cognoscit per *conscientiam*, seu per sensum internum.

Quartus quo illas cognoscit per conjecturam.

Res per se & sine ideis cognoscuntur, cùm ita sunt intelligibiles, & claræ, ut mentem penetrare ac ipsi sese prodere possint. Res per ideas suas cognoscuntur, cùm per se non sunt intelligibiles, sive quia non

non possunt mentem penetrare aut sese ipsi prodere. Res omnes quæ à nobis ipsis non distinguuntur per conscientiam cognoscuntur. Denique cognoscimus per conjecturam res quæ à nobis, & ab iis rebus quæ cognoscuntur in seipsis, & per ideas differunt, cùm cogitamus quædam esse similia nonnullis aliis quæ jam cognoscimus.

Deus solus per seipsum cognoscitur, quamvis enim sint alia entia spiritualia præter illum, quæque intelligibilia esse videntur naturâ suâ, ipse tamen solus nunc mentem penetrat, ac sese ipsi prodit. Deum solum videmus visû immediato & directo. Forsan etiam ipse solus potest illuminare mentem per propriam suam substantiam. Denique in hac vita quicquid cognoscimus illud duntaxat per unionem quam cum ipso habemus cognoscere possumus ut capite præcedenti exposuimus: Ipse enim solus est magister noster qui menti nostræ præest, sine ullius creaturæ interventu, juxta D. Augustinum. II. *Quomodo Deus cognoscitur.* *Humanis mentibus nullâ interpositâ naturâ præsidet.* Aug. de vera religione, c. 55.

Concipi nequit rem ullam creatam repræsentare posse infinitum; concipi, inquam, nequit ens sine restrictione, ens immensum, ens universale posse percipi per ideam, hoc est, per ens speciale: per ens differens ab ente universali & infinito. Entia verò specialia quod spectat, nullo negotio concipimus illa posse repræsentari per ens infinitum quod ea includit, & quidem modo maximè spirituali & per consequens maximè intelligibili. Necesse itaque est dicere cognosci Deum per seipsum, quamvis cognitio quam in hac vita adipiscimur sit admodùm imperfecta; corporea verò cognosci per suas ideas, hoc est, in Deo; quandoquidem in Deo, qui mundum complectitur intelligibilem reperiantur ideæ rerum omnium.

Sed licet hæc omnia in Deo videri possint, non sequitur illa omnia in ipso actu videri: Ea tantùm in Deo videmus quorum habemus ideas, jam autem quædam sunt quæ à nobis sine ideis videntur.

Quæcunque in hoc mundo existunt, quorum habeamus aliquam cognitionem, sunt corpora, vel spiritûs, corporum proprietates, vel spirituum proprietates. Non dubium est quin videantur corpora cum suis proprietatibus per suas ideas; cùm enim non sint intelligibilia per se, ea non possumus videre nisi in ente, quod ea includit modo intelligibili. In Deo itaque, & per ideas suas videmus corpora cum ipsorum proprietatibus; atque hinc est, quòd cognitio quam de illis habemus sit perfectissima: hoc est, quòd idea quam de extensione habemus sufficiat ut cognoscamus omnes proprietates, quas suscipere potest extensio, quòdque non possimus desiderare ideam distinctiorem & fœcundiorem extensionis figurarum, & motuum, quam idea quam nobis dat Deus de illis. III. *Quomodo cognoscuntur corpora.*

Cùm ideæ rerum quæ in Deo sunt, includant omnes proprietates rerum illarum, qui ipsarum videt ideas, potest etiam successivè videre proprietates rerum illarum: cùm enim videmus res ut sunt in Deo, eas semper modo perfectissimo videmus: atque ille modus esset infinitè perfectus, si mens quæ res eo videt modo esset infinita. Quod deest

cognitioni

cognitioni quam habemus de extensione, figuris, & motibus, non est defectus ideæ quæ nobis illam extensionem repræsentat, sed mentis nostræ quæ illam considerat.

IV. *Quomodo nostram cognoscimus mentem.* Res secùs se habet de mente, illam non cognoscimus per ideam suam; illam in Deo non videmus; illam tantùm per *conscientiam* cognoscimus; & hanc ob causam cognitio quam de illa habemus est imperfecta. Nihil de mente nostrâ scimus quàm quod sentimus agì in nobis. Si nullum unquam dolorem, calorem sensissemus, non possemus scire an mens nostra sit apta ad has sensationes, quia illam non cognoscimus per ideam suam. Sed si in Deo videremus ideam quæ respondet menti nostræ, eodem tempore cognosceremus, aut possemus cognoscere omnes proprietates quas habere potest: ut cognoscimus omnes proprietates, quas habere potest extensio, quia cognoscimus extensionem per ideam suam. *Vide illustrationes.*

Verum equidem est nos satis cognoscere per conscientiam seu per sensum internum quem de nobismetipsis habemus, mentem nostram esse quid præstantissimi: sed fieri potest ut id quod de illa cognoscimus nihil sit præ eo quod est in seipsa. Si de materia nihil cognosceretur præter viginti aut triginta figuras quibus modificata fuisset, certè de ea nihil penè cognosceretur, præ eo quod de ea cognoscimus per ideam quâ repræsentatur. Non sufficit igitur ut mens perfectè à nobis cognoscatur illud tantùm tenere quod de illa tenemus per solum sensum internum, cùm conscientia quam de nobis ipsis habemus, forsan nobis tantùm ostendat minimam entis nostri partem.

Ex suprà dictis concludere est, quamvis distinctiùs cognoscamus existentiam mentis nostræ, quàm existentiam corporis nostri, & eorum quæ nobis adjacent; naturam tamen mentis non tam perfectè à nobis cognosci quàm natura corporum; atque id variis eorum qui nihil meliùs cognosci mente asserunt, & eorum qui contrà eâ nihil minùs cognosci defendunt, conciliandis sententiis intervenire potest.

Id etiam potest inservire ad probandum ideas, quæ nobis aliquid extra nos repræsentant, non esse modificationes mentis nostræ. Si enim mens omnia videret suas considerando modificationes essentiam suam aut naturam clariùs cognoscere deberet quàm naturam corporum, omnésque sensationes & modificationes quas potest suscipere, quam figuras, aut modificationes quas corpora possunt recipere. Non cognoscit tamen se capacem esse talis sensationis sese videndo, sed tantùm experientiâ, cùm è contrà cognoscat extensionem esse capacem numeri infiniti figurarum per ideam quam habet de extensione. Immò sunt quædam sensationes, ut colores, & soni, de quibus plerique homines non possunt cognoscere, an sint modificationes mentis: sed nullæ sunt figuræ quas omnes homines non cognoscant, per ideam quam habent de extensione, esse modificationes corporum.

Ex eo etiam patet ratio cur non possit dari definitio, quæ modificationes

ficationes mentis patefaciat, cùm enim nec mens, nec ipſius modificationes per ideas cognoſcantur, ſed tantùm per conſcientiam, ſeu ſensûs internos, cúmque ejuſmodi ſensûs, voluptatis, exempli gratiâ, doloris, caloris, &c. non alligentur vocibus quibuſdam; hinc manifeſtò patet quòd ſi quis nullum unquam vidiſſet colorem, nec ſenſiſſet calorem, non poſſent illi patefieri iſtæ ſenſationes per omnes definitiones quæ ipſi de illis traderentur. Cùm autem homines ſenſationes non habeant niſi propter corpus, ipſorum verò corpus in omnibus eodem modo non ſit diſpoſitum, ſæpè contingit ut voces ſint æquivocæ; ut voces quibus utimur ad exprimendas modificationes mentis noſtræ contrarium intento prorſùs ſignificent; utque amaritudinis cogitationem ſæpe excitemus, dum ut de dulcedine cogitaretur efficere intenderamus.

Quamvis mentis noſtræ perfectam non habeamus cognitionem, cognitio tamen quam habemus ſufficit ad demonſtrandam ipſius immortalitatem, ſpiritualitatem, libertatem, & nonnulla alia attributa, quæ nos ſcire neceſſe eſt: & hac de cauſâ Deus ipſius cognitionem in nobis non parit per ideam, ut facit reſpectû corporum. Cognitio quam de mente noſtrâ habemus per conſcientiam, imperfecta quidem eſt, id lubens fateor, ſed non eſt falſa: vice verſâ cognitio quam de corporibus habemus per ſenſum, ſeu per conſcientiam, ſi conſcientia demùm dici poſſit ſenſus eorum quæ aguntur in corpore noſtro, non modò imperfecta eſt verùm etiam falſa. Idea igitur corporum nobis erat neceſſaria ad corrigendos ſenſus quos de illis habemus: ſed non indigemus idea mentis noſtræ, cùm conſcientia quàm de illâ habemus nos in errorem non injiciat, cúmque ut errorem in ipſius cognitione vitemus, ſufficiat nobis illam cum corpore non confundere quod ratione aſſequi poſſumus. Denique ſi ideam mentis noſtræ æquè claram habuiſſemus ac eſt illa quam habemus de corpore, hæc idea nos æquo faciliùs ad id adduxiſſet ut illam à corpore ſeparatam conſideraremus. Atque hoc modo minuiſſet unionem mentis noſtræ cum corpore, impediendo quominùs illam judicaremus veluti diffuſam per omnia membra, quod ulteriùs non explico.

Ex omnibus objectis cognitionis noſtræ nihil ampliùs ſupereſt præter mentes cæterorum hominum, & puras intelligentias; jam verò manifeſtum eſt nos illas non cognoſcere niſi per conjecturam. Illas nunc non cognoſcimus in ſeipſis, neque per ideas ſuas, & cùm à nobis differant, fieri nequit ut illas cognoſcamus per conſcientiam. Conjicimus mentes cæterorum hominum ejuſdem eſſe ſpeciei ac noſtra. Quod in nobis ſentimus id etiam eos in ſe ſentire exiſtimamus; immò cùm ſenſationes illæ nullam cum corpore habent analogiam, pro certo habemus nos non decipi: quia in Deo quaſdam videmus ideas & leges immutabiles, juxta quas certò ſcimus Deum agere æqualiter in omnibus mentibus.

V. Quomodo aliorum hominum mens cognoſcatur.

Ego ſcio bis duo eſſe quatuor, præſtare eſſe juſtum quàm eſſe di-

vitem, nec fallor cùm credo alios cognoſcere haſce veritates ſicut ego. Ego amo bonum & voluptatem, odi malum & dolorem, beatum eſſe cupio, nec hallucinor, cùm credo homines, Angelos, & ipſos cacodæmonas iiſdem motibus affici. Certò etiam apud me conſtat Deum nullas unquam creaturum mentes quæ beatitudinem non appetant, aut quæ infelicitatem poſſint appetere: ſed id ſcio cum evidentia & certitudine quia Deus id me docuit: Quis enim præter Deum conſilia & voluntates Dei poſſet mihi retegere? At verò cùm corpus aliquid commune habet cum iis quæ in me aguntur, tum penè ſemper fallor, ſi de aliis per me ipſum judicem, ſentio calorem, video talem magnitudinem, talem colorem; guſto talem aut talem ſaporem admotis ad me quibuſdam corporibus: decipior ſi hac in re de aliis per meipſum judicem. Quibuſdam affectibus obnoxius ſum, talia aut talia mihi grata, aut ingrata ſunt, alios autem mihi in hoc ſimiles judico; conjectura mea ſæpè falſa eſt. Itaque cognitio quam de cæteris hominibus habemus errori eſt valdè obnoxia, ſi de illis tantùm judicemus per ſenſum quem de nobis ipſis habemus.

Si quæ ſint entia à Deo, à nobis ipſis, à corporibus, & à puris intelligentiis diverſa, id quidem nobis non innoteſcit; alia dari vix poſſumus credere, & expenſas quorundam Philoſophorum, qui ſecùs ſentiunt, rationes, falſas comperimus; atque illud nos in ea in qua jam eramus ſententia confirmavit, ſcilicet, cùm omnes ſimus homines ejuſdem naturæ, nos habere eaſdem ideas, quia nobis omnibus opus eſt eadem cognoſcere.

CAPVT VIII.

I. Præſentia intima ideæ vagæ entis in genere eſt cauſa omnium abſtractionum inordinatarum mentis, & plerarumque chimærarum Philoſophiæ vulgaris, quæ impediunt quominùs multi Philoſophi agnoſcant ſoliditatem verorum principiorum Phyſicæ.
II. Exemplum de eſſentia materiæ.

PRæſentia illa clara, intima, & neceſſaria Dei, hoc eſt, entis ſine ulla reſtrictione ſpeciali, entis in genere, quæ menti humanæ obverſatur, in ipſam fortiùs agit quàm præſentia omnium objectorum finitorum. Fieri nequit ut penitùs excutiat ideam illam generalem entis, quia non poteſt ſubſiſtere extra Deum. Forſan quis poſſet dicere mentem humanam ab illa idea recedere poſſe, quia poteſt cogitare de entibus ſpecialibus; ſed is hallucinaretur. Quum enim conſiderat aliquod ens ſpeciatim, non tam à Deo recedit, quàm accedit, ſi fas ſit, ita loqui, ad certas quaſdam ipſius perfectiones recedendo à cæteris omnibus. Tamen ita ab illis recedit, ut eas à ſe prorsùs
non

non eliminet, ac in eo perpetuò versetur statu, ut possit illas inquirere & ad eas accedere. Illæ semper præsentes sunt menti, sed mens eas non percipit nisi cum confusione inexplicabili, propter sui tenuitatem, & magnitudinem ideæ entis. Quis per aliquod tempus potest de se non cogitare; sed non puto quemquam posse subsistere unico temporis momento quin cogitet de ente; immò eo ipso tempore quo nos nihil cogitare credimus necessariò pleni sumus ideâ vagâ & generali entis. Sed quia res quæ nobis valdè familiares sunt, quæque nos non tangunt, mentem vividè non excitant, ipsámque ad id non adigunt ut ad eas attendat; idea illa entis quantumvis magna, vasta, realis & positiva sit, nobis adeò familiaris est, nósque ita parum afficit, ut eam nos non percipere penè arbitremur; ad illam animum non advertamus; ipsam parùm realitatis habere credamus; nec aliunde formari quam ex congerie confusâ omnium idearum specialium; quamvis contrà in ipsa sola & per ipsam solam, omnia entia speciatim percipiamus.

Quamvis idea illa quam recipimus per unionem immediatam cum Verbo Dei, nos nunquam fallat per se, ut facere solent ideæ quas recipimus propter unionem quam cum corpore nostro habemus, quæ res nobis secùs repræsentant quàm sunt: Ausim tamen dicere nos rebus optimis adeò perperam & sinistrè uti, ut præsentia indelebilis hujus ideæ sit una inter præcipuas causas omnium abstractionum inordinatarum mentis, ac proinde totius illius Philosophiæ abstractæ & chimericæ quæ explicat omnes effectus naturæ per terminos generales actûs, potentiæ, effectûs, formarum substantialium, facultatum, qualitatum occultarum, sympathiæ, antipathiæ, &c. Constat enim omnes illos terminos, multósque alios nullas in mente excitare ideas præter ideas vagas & generales; hoc est ideas quæ menti per se objiciuntur, sine ullo negotio ac applicatione.

Legantur attentè, quantum id fieri potest, omnes definitiones & explicationes quæ adscribi solent formis substantialibus: fiat accuratissima disquisitio essentiæ omnium illarum entitatum, quas Philosophi pro lubitû ac tanto imaginantur numero, ut illarum multas divisiones & subdivisiones facere cogantur: certè ausim dejerare nullam aliam ideam de istis omnibus in mente excitatum iri quàm ideam entis & causæ in genere.

Sic enim vulgò procedunt Philosophi aliquod novum vident effectum, continuò imaginantur novam aliquam entitatem quæ illud produxerit effectum. Ignis calefacit: Ergo in igne est nova quædam entitas quæ istud edidit effectum, quæ differt à materia ex qua constat ignis. Quia autem ignis variis effectis idoneum est; ut exempli gratiâ, corpora segregat, illa in cinerem & vitrum redigit, exsiccat, indurat, emollit, dilatat, purificat, illuminat, &c. tot liberaliter adscribunt igni facultates, aut qualitates reales, quot potest varia producere effecta.

Sed verò si quis ad omnes definitiones quas de illis facultatibus tradunt attendat is facilè agnoscet illas nihil esse præter definitiones Logicas, nullásque ideas in mente excitare quàm ideam entis & causæ in genere quam mens refert ad effectum quod producitur : adeò ut qui illis definitionibus diù studuerit doctior evasurus non sit. Quid enim emolumenti ex illo studij genere provenit ? illud scilicet ; quòd ea meliùs tenêre credant quæ tamen longè minùs tenent : non modò quia multas admittunt entitates quæ nunquam extitere ; sed etiam quia ejusmodi homines jam præoccupati, non possunt posteà concipere, quomodo fieri queat ut materia sola, qualis est materia ignis, mota versùs corpora variè disposita, in iis producat varia effecta quæ ab igne produci videmus.

Apud omnes in lectione paulùm exercitatos constat, omnes fermè libros qui de scientiis agunt, ac illos præcipuè qui de Physica, Medicina, & Chymia, ac de omnibus rebus specialibus naturæ tractant, refertos esse ratiociniis innixis qualitatibus elementaribus, & qualitatibus secundis, ut *attractricibus*, *retentricibus*, *concoctricibus*, *expultricibus*, & aliis similibus, item aliis quas vocant occultas ; virtutibus specificis, multisque aliis entitatibus quas homines componunt ex idea generali entis, & ex idea causæ effectûs quem vident. Quod non aliunde contingere mihi videtur quàm ex facilitate quâ possunt considerare ideam entis in genere quæ semper ipsorum menti præsens est, per præsentiam intimam illius qui omnia entia includit.

Si Philosophi vulgares contenti essent tradere Physicam suam duntaxat tanquam Logicam, quæ suppeditaret terminos idoneos ad loquendum de rebus naturæ, ac eos non lacesserent qui hisce terminis alligant ideas distinctas & speciales quibus intelligi possint, nihil esset in ipsorum agendi ratione quod vitio vertere possemus. Sed ipsi aggrediuntur explicare naturam per ideas istas generales & abstractas ; quasi natura esset abstracta : Et præfractè volunt Physicam Aristotelis ipsorum Magistri esse veram Physicam, quæ res penitùs explicet, non verò simplicem Logicam, quamvis nihil non inepti contineat præter definitiones quasdam ita vagas & terminos ita generales, ut cuilibet Philosophiæ possint competere. Denique in gratiam illarum entitatum imaginariarum idearúmque vagarum, & indeterminatarum quæ ipsis sponte in mentem veniunt adeò occæcati sunt ut inepti prorsùs sint ad ideas rerum reales satis diù & accuratè considerandas, ut illarum soliditatem & evidentiam possint agnoscere : atque hinc manat supina illa ignorantia in qua versantur circa vera principia Physices. Sed rem exemplo aliquo probemus.

II. *De essentia materiæ.* Si hæc definitio vocis (*essentia*)

Apud Philosophos id, ni fallor, in confesso est, nempe, id debere haberi essentiam alicujus rei, quod in illa re primum cognoscitur, quod ab ea inseparabile est, & à quo omnes illius rei proprietates dependent. Ut itaque deprehendatur qua in re consistat essentia materiæ, omnes proprietates quæ ipsi conveniunt, aut quæ includuntur in

in idea materiæ perlustrandæ sunt : ut durities, mollities, fluiditas, motus, quies, figura, divisibilitas, impenetrabilitas, & extensio, ac primò inspiciendum quodnam sit inter illa attributa quod à materia sit inseparabile. Sic, cùm fluiditas, durities, mollities, motûs & quies possint separari à materia, quippe multa sunt corpora sine duritie, aut sine fluiditate, aut sine mollitie, sine motu, sine quiete ; hinc sequitur manifestò illa omnia non esse essentialia materiæ.

Sed quatuor adhuc supersunt quæ à materia inseparabilia concipiuntur, nempe, figura, divisibilitas, impenetrabilitas, & extensio. Ut itaque cognoscatur quodnam attributum debeat accipi pro essentia ; hæc attributa separanda à materia ampliùs non sunt ; sed duntaxat examinandum quodnam eorum sit primum nec ullum aliud supponat. Tum facile est cognoscere, figuram, divisibilitatem, & impenetrabilitatem supponere extensionem, extensionem verò nihil supponere ; illa enim semel data dantur eodem tempore divisibilitas, impenetrabilitas & figura. Itaque concludendum est extensionem esse essentiam materiæ ; si modò materia nulla habeat attributa, præter ea quæ designavimus, aut alia similia ; nec putem quemquam esse qui rem seriò meditatus, eam in dubium revocet.

admittatur, quod superest planè demonstratū est ; quòd si non admittatur, nihil ampliùs est præter quæstionem nominis, scilicet, qua in re consistat essentia materiæ, seu potiùs id sub qua stionem cadere nequit.

Sed in eo sita est difficultas, ut, nempe, sciamus an materia adhuc non habeat alia attributa ab extensione, & iis quæ ab illa dependent diversa ; adeò ut ipsa extensio ipsi non sit essentialis, supponátque aliquid quod ipsius sit principium & subjectum.

Non pauci, consideratâ attentissimè ideâ quam de materia habebant, per omnia attributa quæ de illâ cognoscuntur, effectis etiam Naturæ, quantùm per vires & capacitatem mentis licèt, expensis, id altè sibi persuaserunt, nempe, extensionem nihil quicquam supponere in materia, sive quia ideam distinctam & specialem non habuerunt rei illius quæ extensionem præcedere credi posset, sive etiam quia nullum viderunt effectum quod rem illam præcedaneam probet.

Quemadmodùm enim ut quis sibi persuadeat horologium nullam habere entitatem diversam à materia ex qua compactum est, sufficit ipsum scire, quomodò varia dispositio rotarum potest producere omnes motus horologij ipsúmque præterea nullam habere ideam distinctam illius rei quæ posset esse causa horum motuum, quamvis plures è Logica petantur. Sic, quia Philosophi ideam distinctam non habent illius rei quæ posset esse in materia, si ab eâ extensio detraheretur, quia nullum vident attributum quod illud rei possit notum facere, quia præterea vident extensione data, omnia etiam dari attributa quæ ad materiam pertinere concipiuntur ; & materiam nullius effectus causam esse, quem non concipiamus posse produci ab extensione variè configuratâ & variè agitatâ, hinc pro certo habuerunt extensionem esse essentiam materiæ.

Sed quemadmodùm homines nullâ certâ demonstratione convincuntur, non dari aliquam intelligentiam, aut aliquam entitatem

recens creatam in rotis horologij; ita nemo potest sine speciali revelatione asserere tanquam demonstrationem Geometricam, nihil esse in lapide præter extensionem diversè configuratam: fieri omninò potest ut extensio conjuncta sit cum aliqua alia re quam non concipimus quia nullam illius habemus ideam. Quamvis id credere & asseverare videatur valdè absurdum; absurdum enim est ea asserere quæ nec scimus, nec concipimus.

Supponamus tamen aliud quid esse ab extensione diversum in materia, id certè non impedit, si res seriò animadvertatur, quò minùs extensio sit essentia materiæ, juxta definitionem modò traditam. Prorsùs enim necesse est, ut quicquid est in mundo, sit vel ens, vel modus entis; id ab ingenio attento negari nequit. Jam autem extensio non est modus entis, ergo est ens. Sed cùm materia non sit ens constans ex pluribus entibus, ut homo, qui constat ex corpore & mente; hinc sequitur materiam esse unicum ens, ac proinde ipsam nihil aliud esse quam extensionem.

Jam ut probem extensionem non esse modum entis, sed verum ens; animadvertendum est non posse concipi modum entis, quin eodem tempore concipiatur ens cujus est modus; non potest, exempli gratiâ, concipi rotunditas, quin concipiatur extensio, cùm enim modus entis nihil aliud sit quàm ipsum ens sic modificatum, rotunditas exempli gratiâ ceræ nihil aliud sit quàm cera hoc modo disposita, constat concipi non posse modum entis sine ipso ente. Si igitur extensio esset modus entis, non posset concipi extensio, sine illo ente cujus extensio esset modus. Extensio tamen sola facillimè concipitur. Ergo non est modus ullius entis ac ideò in seipsâ est ens. Itaque constituit essentiam materiæ, cùm materia sit unicum ens, non verò ens compositum ex multis entibus, ut jam dictum est.

Sed complures Philosophi ideis generalibus & entitatibus Logicæ, ita sunt assueti, ut ipsorum mens iis magis occupetur, quàm ideis sibi peculiaribus, distinctis, & Physicis. Id vel ex eo patet quòd omnia ipsorum ratiocinia circa res naturales nitantur duntaxat notionibus Logicis, actûs & potentiæ, & numeri infiniti entitatum imaginariarum, quas non discernunt à realibus. Cùm igitur istius commatis homines per eam methodum mirâ facilitate videant quidlibet, se cæteris visu perspicaciori præpollere arbitrantur, séque clarissimè videre extensionem supponere aliquid, ipsámque nihil aliud esse quàm proprietatem quâ etiam spoliari potest.

Si tamen ab ipsis postulatur ut eam rem explicent, quam percipere sibi videntur in materia præter extensionem; id multis exequuntur rationibus, quæ omnes ostendunt ipsos nullam aliam habere ideam quàm ideam entis, aut substantiæ in genere. Id manifestò patet ex eo quod illa idea entis in genere nulla includat attributa specialia quæ materiæ competant. Si enim ex materia detrahas extensionem; omnia attributa omnésque proprietates quæ ad ipsam pertinere

nere concipiuntur ab ipsa detrahuntur, licèt in ipsa relinqueres rem illam quam ipsius esse essentiam imaginantur: Certè ex eâ non possent fieri cœlum, terra, nec quicquam eorum quæ videmus. Contrà verò, si detrahatur id quod pertendunt esse essentiam materiæ, dummodò extensio residua supersit, supererunt etiam omnia attributa omnésque proprietates quæ distinctè in idea materiæ includi concipiuntur: Nam ex extensione possunt haud dubiè formari cœlum, terra, totus mundus adspectabilis, & infiniti alij. Itaque cum res illa quam supponunt præter extensionem, nulla habeat attributa quæ ad ipsam pertinere, distinctè concipiantur, quæque clarè includantur, in ipsius idea, nihil est reale, si rationem consulas; nec potest quicquam conferre ad explicandos effectus naturales. Quod verò dicunt rem illam esse *subjectum* & *principium* extensionis id dicunt gratis, nec clare concipiunt id quod dicunt, hoc est, nullam illius habent ideam præter ideam generalem & Logicam, ideam, scilicet, subjecti & principij; adeò ut novum adhuc posset fingi *subjectum*, novúmque *principium* illius subjecti extensionis, & sic in infinitum; quia mens sibi pro lubitû repræsentat ideas generales *subjecti* & *principij*.

Verisimile equidem est homines ideam materiæ sine gravibus causis tantopere non obscurasse, multosque esse qui sententias nostras adversas defendant ad id principiis è Theologia petitis adducti. Sanè extensio non est essentia materiæ si id fidei repugnat; Huic autoritati planè cedimus. Debilitatis & limitationis ingenij humani satis Dei gratiâ conscij sumus. Illud satis non habere capacitatis ut potentiam infinitam metiri queat, Deum infinitè plura posse quàm concipere valemus, ipsum dare nobis ideas ad ea duntaxat cognoscenda quæ fiunt secundùm ordinem naturæ, cætera verò nos celare, novimus. Semper igitur parati sumus, ad submittendum ingenium fidei; sed aliis opus est argumentis quàm iis quæ vulgò afferuntur ad destruendas rationes supradictas; quia modi explicandorum mysteriorum fidei, non sunt fidei, illa enim mysteria creduntur, quamvis modum ipsorum posse unquam liquidò explicari non concipiamus.

Credimus, exempli gratiâ, mysterium Trinitatis quamvis mens humana illud capere non possit; & id non obstat quo minus credamus ea quæ ab uno tertio non differunt, inter se non differre, quamvis hæc propositio istud mysterium videatur destruere. Persuasum enim habemus utendum non esse ratione seu mente, nisi circa res ipsius capacitati accommodatas, mysteriáque nostra non esse irretorto oculo spectanda, ne iis præstringamur, juxta illud Spiritûs sancti monitum *Qui scrutator est Majestatis opprimetur à gloria.*

Si tamen ad satisfaciendum nonnullis ingeniis utile duceremus explicare quo pacto sententia quam de materia habemus possit conciliari cum doctrina fidei circa Transsubstantiationem, id forsan modo ita claro & distincto effectum daremus ut eo pacto nullum occasio-

nibus

nibus Ecclesiæ fieret præjudicium ; sed ab hac explicatione, præcipuè in hoc opere supersedere posse nobis videmur.

Observandum enim est Patres de illo mysterio semper loquutos ut de mysterio ἀκαταλήπτῳ ; ipsos ad illud explicandum Philosophiam non adhibuisse ; ac ut plurimùm comparationibus parùm accuratis & ad dogma declarandum potiùs quàm exactè explicandum aptis usos fuisse. Traditio itaque in eorum usum est qui non philosophantur super hoc mysterio, quique mentem suam fidei, anxiis illis & arduis missis quæstionibus, submittunt.

Immeritò igitur quis exigeret à Philosophis explicationes claras & faciles modi quo corpus Jesu-Christi est in Eucharistia, is enim ab ipsis peteret ut nova in Theologiam inveherent. Ac si Philosophi huic postulato imprudentes responderent, certè non possent vitare vel suæ Philosophiæ, vel Theologiæ condemnationem ; si enim ipsorum responsa essent obscura ipsorum Philosophiæ principia spernerentur, si verò essent clara, non sine ratione ipsorum Theologiæ novitas metum incuteret.

Cùm igitur novitas in rebus Theologicis secum ferat erroris indicium, & opiniones vel ex eo duntaxat quòd novæ sint nec traditionis fundamento nixæ jure contemnantur : nemo potest sine temeritate tradere explicationes faciles & intelligibiles rerum quas Patres & Concilia penitùs non explanaverunt ; sufficit si dogma Transsubstantiationis teneamus, ipsius explicationem quærere non satagentes. Alioqui nova litium & altercationum semina spargerentur, quæ jam plus satis grassantur. ; immò ipsi veritatis inimici iis litibus malignè uterentur ad suos opprimendos adversarios.

Lites circa explicationes Theologicas omnium maximè inutiles & noxiæ videntur : eò etiam sunt formidabiliores quòd ipsi Viri pij se legitimè vinculum charitatis rumpere credant, erga dissentientes. Id æquo pluribus experientiis comprobatur, nec causa istius eventûs est admodùm occulta. Satius itaque & tutius est, de rebus quæ evidenter non liquent, quásque alij non possunt assequi, præcipitantiùs non loqui.

Sed non oportet etiam ut explicationes obscuræ & incertæ mysteriorum fidei, quas credere non tenemur, sint nobis instar normæ & principij ex quibus ratiocinemur in Philosophia, in qua sola evidentia nos persuadere debet. Commutandæ non sunt ideæ claræ & distinctæ extensionis, figuræ, & motûs localis cum ideis illis generalibus & confusis principij, aut subjecti extensionis, formæ, quidditatum, qualitatum realium, & omnium illorum motuum generationis, corruptionis, alterationis, & aliorum similium à motu locali diversorum ; ideæ reales scientiam parient realem. Sed ideæ generales & Logicæ nihil unquam gignent præter scientiam, vagam, superficiariam, & sterilem. Attentè igitur quantùm fieri potest considerandæ sunt ideæ illæ distinctæ & speciales rerum, ad cognoscendas proprietates

proprietates quas includunt; ac sic rimanda est natura, missis omnibus illis chimæris quæ in solo quorundam Philosophorum cerebro existunt.

CAPUT IX.

I. Ultima causa generalis errorum nostrorum. II. Ideas rerum non semper præsentes adesse menti statim atque id optamus. III. Omnem mentem finitam obnoxiam esse errori, & cur res sic se habeat. IV. Judicandum non esse nihil existere præter corpora, aut spiritus, neque Deum esse spiritum, ut alios concipimus spiritûs.

HActenùs de erroribus, quorum aliqua assignari potest causa occasionalis in natura intellectûs puri, aut mentis dum illam consideramus per se agentem, & in natura idearum, hoc est, in modo quo mens percipit objecta externa, loquuti fuimus.

Jam nihil restat ampliùs nisi ut explicemus unam causam, quæ dici potest universalis & generalis omnium errorum nostrorum; nullum enim errorem concipimus qui ab illa aliquatenùs non dependeat. Hæc causa in eo sita est quòd cùm τὸ nihil nullam habeat ideam quâ repræsentetur, mens ad id facilè adducatur ut credat ea quorum nullam habet ideam non existere. I. *Ultima causa generalis errorum nostrorum.*

Errorum nostrorum fontem generalem ex eo manare constat, ut jam multoties diximus, quòd judicia nostra latiùs pateant perceptionibus nostris. Quum enim aliquod objectum consideramus, illius ut plurimum unam tantùm faciem inspicimus; jam autem de facie à nobis considerata duntaxat judicare non contenti judicium de objecto integro statuimus. Unde fit ut sæpe hallucinemur, quamvis enim res vera sit respectu faciei à nobis expensæ, respectu alterius sæpè falsa deprehenditur, & quod credimus verum esse, est tantùm verisimile. Jam verò manifestum est nos de rebus non omninò judicaturos esse ut solemus, nisi arbitraremur nos omnes illarum inspexisse facies, aut nisi supponeremus omnes alias facies similes esse faciei à nobis inspectæ. Causa itaque generalis errorum nostrorum in eo versatur quòd cùm nullam habeamus ideam aliarum facierum objecti nostri, aut ipsarum discriminis cum facie quæ menti nostræ obversatur, credamus illas alias facies non existere, aut saltem supponamus inter illas nullam esse specialem differentiam.

Iste processus nobis videtur rationi satis consentaneus. Cùm enim τὸ nihil nullam in mente excitet ideam, non immeritò credere nobis videmur ea quæ nullam in mente efformant ideam, dum examinantur, similia esse nihilo. Quódque nos in ea confirmat sententia illud est; scicet, instinctû quodam persuademur ideas rerum debitas esse

naturæ nostræ, ipsásque menti ita submittit ut sese ipsi objicere debeant statim atque id exoptat.

II.
Ideæ rerum non objiciuntur menti nostræ statim atque id optamus.

Si tamen animum ad statum præsentem naturæ nostræ attentum adverteremus, certè tam proni non essemus ad credendum, ideas rerum nobis adesse statim atque eas volumus. Homo nihil est, ut ita dicam, præter carnem & sanguinem, ex quo peccavit. Levior impressio sensuum & affectuum frangit vim intentiorem applicationis mentis ipsius: Cursúsque rapidus spirituum & sanguinis ipsum secum abripit, ac versùs objecta sensibilia perpetuò impellit. Huic torrenti ipsum abripienti incassum sæpè reluctatur, immo ipsi reluctari rarò aggreditur, ipsum enim sequi dulcissimum est, adversùs ipsum verò reniti arduum nimis. Mens igitur defatigatur & fatiscit postquam aliquantùm in veritate aliqua amplectenda ac veluti arripienda desudavit: Ac eo in quo versamur statu, planè falsum est ideas rerum menti objici statim atque eas considerare volumus. Judicare igitur non debemus res non existere, ex eo dutaxat quod illarum nullas habemus ideas.

III.
Omnis mens finita obnoxia est errori.

Sed etiamsi hominem supponeremus summum arbitrum mentis suæ & idearum, necessariò tamen obnoxius esset errori per naturam suam. Quippe mens humana est finita, omnis autem mens finita naturâ suâ errori obnoxia est. Cujus rei hæc est ratio. Res minimæ infinitas relationes inter se habent, jam verò mente infinitâ opus est ad eas omnes capiendas cùm itaque mens amplecti nec capere possit omnes illas rationes, quicquid conetur, ad id facilè propendet ut credat relationes quas non percipit non existere, præcipuè cùm ad tenuitatem, & limitationem mentis suæ, ut sæpe fit, non satis attendit. Itaque limitatio mentis sola infert secum capacitatem errandi, ut ita loquar.

Attamen si homines, etiam in eo statu infirmitatis & corruptionis in quo nunc sunt, libertate suâ benè semper uterentur, nunquam fallerentur. Atque hanc ob causam omnis homo qui in errorem labitur culpandus est, ac meritò pœnas luit: sufficit enim ut non erremus, nos judicare tantùm de iis quæ videmus nec adæquata unquam ferre judicia, nisi de rebus quas integras nos examinasse certò scimus, quod equidem homines possunt assequi. Sed malunt errori sese mancipare, quàm sese ad normam veritatis conformare; decidere volunt sine labore & examine? Quid mirum igitur est si in errores incidant innumeros, ac si sæpè ferant judicia incertissima?

IV.
Non judicandum est nihil esse creatum, præter corpora aut spiritus: Deúmque

Homines, exempli gratiâ, nullas alias habent substantiæ ideas, quàm ideas mentis seu spiritûs, & corporis; hoc est, substantiæ cogitantis & substantiæ extensæ. Atque hinc se legitime concludere arbitrantur quicquid existit esse corpus, vel spiritum. Nolim tamen asserere dari aliquam substantiam quæ nec sit corpus nec spiritus; Non debemus enim asserere res existere, cùm nullam illarum habemus cognitionem; Deus enim qui sua opera nos non celat, aliquam, ut videtur,

tur,

tur, earum rerum nobis dedisset ideam. Existimo tamen nihil de numero generum entium quæ Deus creavit, per ideas quas de illis habemus determinandum esse, cùm absolutè loquendo fieri possit ut Deo sint rationes nobis occultæ quibus ea nos celare velit: ut vel hæc posset sufficere quòd, nempe cùm entia illa nullam ad nos habeant relationem, nobis satis inutile foret illa cognoscere: quemadmodùm nobis non dedit oculos satis acutos ut possimus numerare dentes acari, quia inutile est ad conservationem vitæ nostræ nos visû adeò perspicaci pollere.

esse spiritum eodem modo quo concipere solemus spiritûs.

Sed quamvis præcipiti judicio non debeamus pronuntiare omnia entia esse vel spiritûs, vel corpora, omninò ἀντίλεγειν censemus, Philosophos ad explicandos effectus naturales, uti aliis ideis, quàm iis quæ pendent à cogitatione, & extensione; cùm reverà illæ solæ sint ideæ distinctæ & speciales quas habeamus.

Nihil à ratione magis abhorret quàm imaginari innumera entia ex simplicibus ideis Logicis, illis innumeras tribuere proprietates, atque ita res quæ non intelliguntur velle explicare, per alias res quæ non modò non concipiuntur, sed etiam quæ concipi nequeunt. Res perinde se habet ac de cæcis qui inter se de coloribus colloqui volentes ac de iis Theses propugnare, ad id uterentur definitionibus quas Philosophi solent tradere, ac de iis multas elicerent conclusiones: sicut enim cæci illi non possent habere sermones nisi ludicros, & ridiculos de coloribus, quia eorum ideas distinctas non habentes de illis vellent ratiocinari ex ideis generalibus & è Logica petitis. Ita Philosophi non possunt solidè ratiocinari de effectis naturæ, dum ad id utuntur duntaxat ideis generalibus & Logicis, actûs, potentiæ, entis, causæ, principij, formæ, qualitatis & aliorum similium. Omninò necesse est ut nitantur duntaxat ideis distinctis, aut specialibus cogitationis, & extensionis, & ideis quas illæ includunt, quales sunt ideæ figuræ, motûs, &c. Sperandum enim non est naturam posse cognosci, aliâ viâ quàm per considerationem idearum quas de illa habemus; ac longè præstat nunquam meditari, quàm circa chimæras meditari.

Non est tamen asseverandum nihil existere præter spiritus, & corpora, h. e. entia quæ cogitent, & entia quæ sint extensa, quia in illa asseveratione esset periculum erroris: Quamvis enim illa entia ad explicandam naturam sufficiant, ac possimus idcircò sine ullo erroris discrimine concludere res naturales quarum aliquam habemus cognitionem, pendere ab extensione & cogitatione, fieri tamen, absolutè loquendo, potest, ut alia quædam extent entia quorum nullam habeamus ideam, quorúmque nulla videamus effecta.

Homines igitur præcipiti feruntur judicio, dum statuunt ut principium indubitatum, omnem substantiam esse corpus, vel spiritum. Sed inde etiam præcipitem eliciunt conclusionem cùm solo rationis lumine colligunt Deum esse spiritum. Verum equidem est, cùm ad ipsius imaginem & similitudinem simus conditi, & Scriptura sacra

nos multis in locis doceat Deum esse spiritum, nos id credere debere, illúmque sic appellare, sed id ratio sola nos edocere nequit: Nobis tantùm dictat Deum esse infinitè perfectum, ipsúmque potiùs debere esse spiritum quàm corpus, cùm mens nostra sit perfectior corpore, sed nos non fecit certiores illa ratio non dari entia perfectiora mentibus nostris; ac mentibus nostris longè magis superiora, quàm mentes sunt corporibus superiores.

Posito autem quod extent ejusmodi entia, ut id extra omne dubium videtur constitutum, vel ex eo quod Deus potuerit ea creare, manifestum est illa entia Deo longè similiora fore quàm nos. Ita eadem ratio evincit Deum potiùs habiturum esse illorum entium perfectiones quàm nostras, quæ ipsorum respectu nihil essent præter imperfectiones. Arbitrandum igitur non est præcipitanter, vocem spiritûs qua utimur ad exprimendum id quod Deus est, & id quod sumus, esse terminum univocum, qui eadem aut planè similia significat. Deus longè magis præstat mentibus creatis, quàm illæ corporibus præstant: ac Deus non tam vocari debet spiritus ut positivè designetur id quod est, quàm ut significetur ipsum non esse corporeum. Ens est infinitè perfectum, res est sine omni dubio. Sed quemadmodùm censendum non est cum Anthropomorphitis, ipsius figuram debere esse humanæ similem, utpote quæ omnium videatur perfectissima, etsi illum supponeremus corporeum, cogitandum quoque non est spiritum Dei habere cogitationes humanas, ipsiúsque mentem nostræ similem esse, quia nihil mente nostrâ perfectius cognoscimus. Credendum potiùs est quòd, quemadmodùm in se includit perfectiones materiæ cùm tamen non sit ens materiale, certum enim est materiam habere relationem ad aliquam perfectionem quæ in Deo est; complectitur etiam perfectiones spirituum creatorum cùm tamen non sit spiritus eodem modo quo spiritûs solemus concipere; verùm ipsius nomen est, ILLE QUI EST, JEHOVAH, hoc est, Ens sine restrictione, omne ens, ens infinitum & universale.

CAPUT X.

Exempla quorundam errorum Physices in quos labuntur homines, quia supponunt res quæ naturâ suâ, qualitatibus, extensione, duratione, & proportione differunt, esse similes in hisce omnibus.

CApite præcedenti vidimus homines præmaturum ferre judicium, dum statuunt omnia entia duplicis duntaxat esse generis, nempe, spiritûs & corpora. In sequentibus demonstrabimus ipsos ferre judicia non modò præcocia verùm etiam falsissima, quæque numeri errorum innumerabilis sunt principia dum judicant entia non differre in suis

suis relationibus nec in suis modis, quia nullam illarum differentiarum habent ideam.

Mentem humanam nihil aliud quàm rerum relationes investigare constat; primò relationes quas objecta quæ considerat possunt habere secum, deinde relationes quas illa objecta habent inter se invicem: Nam mens humana nihil aliud quærit quàm bonum suum, & veritatem: ut suum consequatur bonum, ratione, gustû, aut sensû accuratè investigat, num objecta analogiam convenientiæ habeant secum: ut veritatem adipiscatur, inspicit an objecta analogiam æqualitatis aut similitudinis inter se invicem habeant, aut quænam præcisè sit magnitudo æqualis ipsorum inæqualitati. Quemadmodùm enim bonum non est bonum mentis, nisi quia ipsi competit; ita veritas non est veritas, nisi per analogiam æqualitatis, aut similitudinis quæ deprehenditur inter duas vel plures res; sive inter duo vel plura objecta ut inter unam ulnam, & telam; verum enim est illam telam unâ ulnâ longam esse, quia datur mutua analogia inter ulnam, & telam illam, sive inter duas vel plures ideas: ut inter binas ideas bis trium & ideam sex, verùm enim est bis tria esse sex, quia datur æqualitas inter duas ideas bis trium & ideam numeri senarij: sive denique inter ideas & res, cùm ideæ repræsentant id quod res sunt; cùm enim dico Solem existere, propositio mea vera est, quia ideæ quas habeo existentiæ & solis repræsentant solem existere, ac verè existere. Omnis igitur actio & attentio mentis ad objecta, ad aliud non intenditur quàm ut deprehendat eorum mutuas analogias, cùm rebus non præbeatur attentio nisi ut earum agnoscatur veritas, aut bonitas.

Sed, ut jam Capite præcedenti dictum est attentio mentem magnoperè fatigat, citò fatiscit mens resistendo impressioni sensuum quæ ipsam ab objecto suo dimovet, ac versùs alia deflectit, quæ ipsi præ ingenti erga corpus amore, allubescunt. Valdè finita est ac sic differentias quæ intercedunt inter res quas examinat, utpotè infinitas aut ptopè infinitas non potest dignoscere. Mens igitur supponit similitudines fictitias, ubi non animadvertit differentias positivas & reales; quippe ideæ similitudinis ipsi sunt magis præsentes, magis familiares, magisque simplices quàm cæteræ. Manifestum enim est similitudinem, unicam duntaxat includere analogiam, ac unicam ideam sufficere ad judicandum mille res esse inter se similes; cùm è contrà ut quis judicet sine erroris periculo mille objecta inter se differre necessariò habere debeat mille ideas differentes menti præsentes.

Homines igitur imaginantur res diversæ naturæ esse ejusdem naturæ; ac res omnes ejusdem speciei inter se invicem fermè non differre. Judicant inæqualia, esse æqualia, instabilia esse stabilia, ac ea quæ sine ordine & proportione sunt, esse optimè ordinata, ac accuratissimam servare proportionem. Uno verbo res naturâ, qualitate, duratione & proportione diversas similes esse in his omnibus rebus sæpissimè ducunt.

Mens & corpus, substantia cogitans, & substantia extensa, sunt duo genera entium toto cœlo diversa, ac penitùs opposita: quod alteri competit alteri nequit competere; attamen plerique homines ad ideam quam habent cogitationis parùm attendentes, ac corporibus perpetuò affecti, mentem & corpus tanquam unum idémque habuerunt: imaginati sunt similitudinem inter res adeò diversas. Voluerunt animam esse materialem per totum corpus diffusam, ac instar corporis figuratam: menti tribuerunt quod soli corpori congruere potest.

Insuper homines voluptatem, dolorem, odores, sapores, &c. sentientes, ac corpus magis præsens habentes quàm mentem ipsam, hoc est, corpus facilè imaginantes, mentem verò imaginari non valentes; ipsi corpori facultates sentiendi, imaginandi, & aliquandò etiam facultatem concipiendi, quæ menti soli possunt competere, tribuerunt. Sed exempla infrà subnexa erunt clariora.

Omnia corpora naturalia, ea etiam quæ ejusdem speciei esse dicuntur, à se invicem differre constat; aurum auro non esse prorsùs simile, & guttam aquæ ab alia gutta differre. De omnibus corporibus ejusdem speciei res non secùs se habet, quàm de faciebus: omnes facies habent binos oculos, nasum, os, &c. omnes sunt facies, & quidem facies humanæ; dici tamen potest hominum duas facies nunquam extitisse prorsùs similes. Pariter alterum auri fragmentum partes habet similes alteri fragmento auri, & aquæ gutta alteri guttæ sine dubio est valdè similis: asseri tamen potest non posse dari duas guttas, licèt ex eodem haurirentur flumine, omninò similes. Tamen Philosophi incogitanter supponunt similitudines essentiales inter corpora ejusdem speciei, aut similitudines quæ consistunt in indivisibili, nam essentiæ rerum consistunt in indivisibili, juxta falsam illorum opinionem.

Jam autem causa cur errorem adeò crassum errent ex eo oritur, quòd res circa quas ampla conflare volumina non dubitant, accuratè examinare nequidem dignentur. Quemadmodùm enim perfectam non statuimus similitudinem inter facies, quia cominùs eas conspicimus, ac quia habitus quem illas discernendi contraximus efficit ut minimas earum deprehendamus differentias: ita, si Philosophi naturam aliquâ cum attentione considerarent, non paucas haud dubiè comperirent causas diversitatum in ipsis etiam rebus quæ easdem in nobis excitant sensationes, quásque ideò ejusdem speciei appellamus, in iisque similitudines essentiales tam facilè non supponerent. Cæci ridiculi essent, si supponerent similitudinem essentialem inter facies quæ consisteret in indivisibili, quia illarum differentias clarè non percipiunt: Philosophi igitur tales similitudines in corporibus ejusdem speciei non debent supponere, quia per sensationes quas de illis habent; nullas interea deprehendunt differentias.

Facilis illa propensio quâ ad supponendam similitudinem in rebus ferimur, nos eò etiam impellit ut credamus esse numerum determinatum differentiarum, & formarum; illásque formas non posse suscipere magis

magis & minùs. Existimamus omnia corpora inter se differre veluti per gradûs : ac istos etiam gradûs quasdam inter se servare proportiones : uno verbo de rebus materialibus judicamus ut de numeris.

Id ex eo oriri constat quòd mens in relationibus rerum incommensurabilium, (ut sunt infinitæ differentiæ, quæ extant inter corpora naturalia) absorbeatur, ac sese veluti sublevet cùm aliquam inter illas imaginatur similitudinem aut proportionem ; quia tum plurima sibi repræsentat quàm facillimè. Namque, uti jam dictum est, unica sufficit idea ut multa inter se similia esse judicentur, multis verò opus est ideis, ut illa inter se differre judicentur. Exempli gratiâ, si quis teneat numerum Angelorum ; ac pro unoquoque Angelo esse decem Archangelos, unicuique Archangelo decem esse thronos, ac sic deinceps servatâ eadem proportione unius ad decem usque ad postremum Intelligentiarum ordinem ; mens poterit scire, cùm lubuerit, numerum omnium illorum spirituum beatorum ; ac de iis etiam uno intuitu, rem attentissime expendendo, judicare, quòd ipsi valdè arridet. Nec alio fortè freti principio nonnulli numerum spirituum cælestium assignarunt : ut etiam extitere Philosophi qui proportionem decuplam gravitatis, & levitatis inter elementa statuerunt, ignem decies leviorem esse aëre, & sic de cæteris, supponentes.

Quum mens ad id tenetur, ut admittat differentias inter corpora per diversas sensationes quas de ipsis habet, & per alias speciales rationes, illas semper numero quàm potest paucissimas admittit. Hanc ob causam facilè sibi persuadet essentias rerum consistere in indivisibili, ipsásque, ut jam dictum est, numeris esse similes ; quia tum ipsi unica sufficit idea ut sibi repræsentet omnia corpora quæ ejusdem speciei appellant. Si, exempli gratiâ, cyathus aquæ in dolium vino plenum infundatur, Philosophi volunt essentiam vini semper eandem manere, aquámque converti in vinum. Quemadmodum inter tria & quatuor non potest dari numerus, cùm vera unitas sit indivisibilis ; sic necesse esse aquam converti in naturam & essentiam vini aut vinum deperdere naturam suam ; Quemadmodùm omnes quaternarij numeri sunt prorsùs similes, ita essentiam aquæ esse prorsus similem in omnibus aquis. Quemadmodùm numerus ternarius differt essentialiter à numero binario, & easdem cum illo proprietates habere nequit ; sic corpora diversæ speciei differre essentialiter, & tali modo ut nunquam habeant easdem proprietates, quæ fluunt ab essentia ; & alia similia. Si tamen homines veras rerum ideas aliqua cum attentione considerarent, citò deprehenderent, omnium corporum, cùm sint extensa, naturam & essentiam nihil habere similitudinis cum numeris, ipsámque non consistere in indivisibili.

Homines non modò supponunt identitatem, similitudinem aut proportionem in natura, numero, & differentiis essentialibus substantiarum, illam etiam identitatem, similitudinem, & proportionem supponunt in omnibus quæ percipiunt. Omnes penè homines judicant omnes

stellas

stellas fixas cœlo adhærere tanquam fornici in æquali distantia à terra.

Astronomi diù defenderunt Planetas agi secundùm circulos perfectos; & permultos tales circulos finxerunt, ut concentricos, excentricos, epicyclos, deferentes, & æquantes ad explicanda phænomena suis præjudiciis adversa.

Hisce equidem novissimis sæculis peritiores, errore Priscorum castigato, credunt planetas describere ellipses motu suo. At verò si pertendant ellipses illas esse regulares ut ad id credendum naturâ ferimur quia mens supponit regularitatem ubi nullam deprehendit irregularitatem, in errorem labuntur eò ineluctabiliorem, quod observationes, quæ circa cursum planetarum possunt fieri, satis exactæ esse nequeant ad ostendendam irregularitatem motuum illorum planetarum. Sola Physica potest emendare illum errorem; Illa enim irregularitas multò minùs conspicua est, eâ quæ deprehenditur in systemate circulorum perfectorum.

Porrò aliquid satis speciale circa distantiam, & motum Planetarum contigit. Cùm enim Astronomi nullam in iis deprehendere possent proportionem Arithmeticam, aut Geometricam manifestò repugnantibus observationibus, nonnulli imaginati sunt illos (planetas) saltem servare in suis distantiis, & motibus quandam proportionem, quam Harmonicam vocaverunt. Hinc factum est ut Astronomus quidam hujus sæculi, in suo *Almagesto novo* sectionem quæ habet pro titulo *de systemate mundi harmonico*, per hæc verba inceperit *Nemo est paulò eruditior in Astronomicis, qui cœlorum ordinem contemplatus, non agnoscat harmoniam quandam in planetarum intervallis & motibus.* Non ideò tamen Author ille in ea est sententia: Nam observationes jam factæ ipsi satis ostenderunt ineptiam istius harmoniæ imaginariæ, quæ tamen ampla fuit admirationis materia multis Authoribus antiquis & recentibus, quorum R. P. Riccioli refert & confutat opiniones; vulgò etiam Pythagoræ, ipsiúsque Sectatoribus tribuitur credidisse cœlos motibus suis ordinatis miram quandam producere symphoniam, quam homines præ consuetudine non exaudiunt: quemadmodùm qui propè Nili Cataractas habitant, aquarum decidentium sonitum non audiunt. Verùm specialem illam opinionem proportionis harmonicæ intervallorum, & motuum Planetarum eo tantùm fine affero, ut ostendam mentem gaudere proportionibus, ac eas sæpè imaginari ubi actû non sunt.

Riccioli 2. Volum.

Mens uniformitatem etiam in rerum duratione supponit, ipsásque mutationi, & instabilitati obnoxias non esse arbitratur, cùm ad aliud ferendum judicium sensuum testimonio non adigitur.

Omnia materialia, utpotè extensa, sunt divisibilia, ac proinde corruptibilia: Qui ad corporum naturam tantillùm attendunt illa esse corruptibilia facilè agnoscunt: Non pauci tamen fuêre Philosophi qui cœlos licet materiales esse tamen incorruptibiles arbitrarentur.

Cœli

Cœli remotiores à nobis sunt quàm ut possimus omnes quæ in illis fiunt deprehendere mutationes; ac rarum est in iis tantas unquam fieri ut possint è terra videri. Id innumeris satis fuit ut crederent cœlos esse reverà incorruptibiles. Quódque ipsos in illa confirmavit opinione, est illud præjudicium quo corruptionem quæ contingit corporibus sublunaribus qualitatum contrarietati tribuunt. Cùm enim in cœlum nunquam ascenderint exploraturi quid ibi agatur, pro comperto etiam non habuerunt illam qualitatum contrarietatem in eo occurrere; quod illos eò adduxit ut crederent illam contrarietatem in cœlo reverà non occurrere: collegerunt itaque cœlos corruptionis immunes esse, quia, id quod juxta ipsorum opinionem, corrumpit omnia corpora terrestria, in corporibus cœlestibus non occurrit.

Illud ratiocinium omni soliditate carere manifestum est: Non video enim, cur alia non possit dari causa corruptionis præter illam qualitatum contrarietatem quam fingunt: aut quo freti fundamento nullum in cœlis calorem, frigus, siccitatem, nec humiditatem dari, solémque calidum, saturnum verò frigidum non esse asserant.

Non est omninò absurdum dicere lapides durissimos, vitrum & alia corpora non corrumpi, cùm diù in eodem statu perstare concipiantur, cumque sat nobis sint propinqua ut eorum deprehendamus mutationes si quæ in iis fiant: sed in ea à cœlis distantia in qua versamur, prorsùs absurdum est concludere illos non corrumpi, quia in ipsis qualitates contrariæ non deprehenduntur, & quia ipsos corrumpi non percipimus. Attamen non modò asseruut ipsos non corrumpi, sed præterea ipsos inalterabiles, & incorruptibiles esse defendunt: & parùm abest quin Peripatetici dicant corpora cœlestia totidem esse numina, ut id olim credidit Aristoteles ipsorum Magister.

Pulchritudo universi in partium incorruptibilitate sita non est, sed potiùs in ipsarum varietate: Ac ingens illud opus tam admirabile non esset sine illa rerum vicissitudine quæ in ipso deprehenditur. Materia infinitè extensa, sine motu, ac proinde sine forma, & corruptione posset equidem patefacere infinitam Authoris potentiam, at ipsius sapientiæ nullam daret ideam. Hanc ob causam omnia corporea sunt corruptibilia, nullúmque exstat corpus cui aliqua non obveniat mutatio, quæ ipsum, tempore cedente, alterat & corrumpit. Immò Deus in ipsis lapidum, & vitri visceribus animalia omnibus hominum operibus perfectiora & admirabiliora format. Corpora illa, licèt durissima, & siccissima corrumpuntur tamen per temporis successionem: Aër & Sol quibus exponuntur aliquas ex illorum partibus mutant, & repe- riuntur vermes, qui illis partibus vescantur, experientiâ teste. *Ephemerid. Doctorum 9. Augusti 1666.*

Nullum aliud est discrimen inter illa corpora durissima & siccissima, & alia corpora, nisi quòd illa constent partibus crassissimis & solidissimis atque ideò minùs idoneis ut agitentur & à se invicem separentur motû partium quæ in illas illidunt, unde fit ut incorrupti-

bilia habeantur illa corpora : Quamvis talia non sint naturâ suâ, ut id tempus, experientia, & ratio satis evincunt.

Cœli verò, ac præcipuè Sol, constant ex materia fluidissima & subtilissima : ac tantùm abest ut sit sine calore, & incorruptibilis, ut putant Aristotelici, quin omnium corporum est calidissimum, ac mutationi maximè obnoxium. Immò ipse omnia calefacit, agitat, & mutat. Ipse actione suâ, quæ ab ipsius calore, seu motû partium non differt, quicquid in tempestatum mutationibus novi conspicimus producit. Hæc ratio demonstrat : si quis tamen rationi reluctari sustineat, experientiæ saltem cedat. Cùm enim in Sole, telescopiorum ope detectæ fuerint maculæ terram magnitudine suâ æquantes, quæ in se sese formarunt, ac brevi evanuerunt ; non est quod quisquam imposterùm, solem mutationi esse multò magis obnoxium quàm hæc terra quam incolimus, neget.

Omnia igitur corpora ac præcipuè fluidissima, ut ignis, aër, & aqua perpetuo agitantur motu : deinde corporum viventium partes ut caro, & ipsa ossa ; ac tandem durissima, etiam corpora ; Nec mens quandam in rebus immutabilitatis speciem ex eo supponere debet, quòd in iis nullam deprehendat corruptionem mutationémve ; Ex eo enim quod nulla in aliquâ re percipitur differentia non sequitur rem illam semper sibi similem esse ; nec ex eo quod rerum non habemus ideam aut cognitionem, sequitur res illas non existere.

CAPVT XI.

Exempla nonnullorum errorum circa Ethicam ab eodem principio pendentium.

Facilis illa propensio quâ mens ad imaginandas & supponendas similitudines ubicunque manifestas non agnoscit differentias, fertur, plerosque in errores circa Ethicam longè perniciosiores injicit. Adsunt istorum quædam exempla.

Gallus in Anglum aut in Italum fortè fortuna incidit. Jam verò extraneus ille suam habet peculiarem indolem. Ingenio forsan est delicato, aut si mavis feroci & incommodo. Continuò Gallus eò adducetur ut omnes Anglos seu omnes Italos ejusdem ac illum ingenij esse judicet. Illos omnes in genere laudabit aut vituperabit : Ac si in alium fortè adhuc incidat, præjudicabit statim hunc illi esse similem quem anteà viderat, ac sic præoccupatus, erga istum aliquo sive amoris sive odij motu impercepto afficietur. Uno verbo de singulis ejusdem gentis hominibus idem feret judicium, egregio illo adductus argumento, quòd unum aut plures viderit qui hujus aut illius essent indolis sive ingenij:

ingenij: Quia nescius an cæteri ab illis quos vidit differant, omnes prorsùs similes judicat.

Religiosus quispiam alicujus Ordinis deliquit: id sufficit ut plerique omnes istius Ordinis Religiosos indiscriminatim damnent. Eadem omnibus vestis est, eodémque appellantur nomine, hac in re inter se similes sunt, id sufficit ut vulgus hominum eos in omnibus prorsùs similes judicet. Similes existimantur, quia cùm intima cordis ipsorum non possint penetrari, non potest positivè judicari an inter se different.

Sycophantæ qui nulla non adhibent media, ut possint eorum quos oderunt famæ malam inurere notam, isto, quod ipsis ex voto semper cedere experientia comprobatur, plerumque utuntur. Ac reverà vulgi captui est maximè accommodatum: Difficile enim non est in Societatibus numerosis, quantumvis sanctæ sint, quosdam reperire delinquentes seu in moribus, seu in doctrina: si quidem in ipsa Apostolorum Societate, cujus ipse Christus erat caput, fur, proditor, hypocrita, uno verbo Judas repertus fuit.

Judæi sanè iniqui prorsùs fuissent, si de sanctissimâ omnium quæ unquam fuerunt Societate sinistrè judicassent, propter avaritiam & nequitiam Judæ, ac si illos omnes intrà se damnassent, quòd scelestum illum tolerarent, quódque ipse Jesus-Christus in illum non animadverteret, quamvis illius crimina ipsum non laterent.

Rationi igitur & charitati manifestò repugnat, existimare totam societatem erroris alicujus esse participem, quia quædam fuêre membra istius societatis quæ in illum inciderunt errorem; immò licèt ipsa societatis capita illum errorem dissimularent aut etiam foverent, iniquè tamen idem de tota societate ferretur judicium. Cùm singula membra errorem, aut culpam alicujus è fratribus tutari satagunt tum equidem istius erroris conscia meritò habetur tota societas: sed id ferè nunquam accidit. Impossibile enim est, humano more loquendo, ut singuli ejusdem societatis homines idem planè sentiant.

Desuescant igitur homines ab ejusmodi conclusionibus à singularibus ad generalia: verùm id habent à natura quòd ad judicandum duntaxat de iis quæ vident assuescere nequeant. Res semper ferunt extra modum. Religiosus quidam alicujus Ordinis; est vir clarus, vir frugi; ergo omnes istius Ordinis. Religiosi sunt viri magni, & viri probi. Pariter, quidam Religiosus istius Ordinis habet doctrinam heterodoxam, ergo totus Ordo est corruptus, ac ejus heterodoxias conscius. Sed hæc ultima judicia prioribus sunt longè pejora, quia de proximo benè semper judicandum est, & quia ea est humana malignitas, ut sinistra judicia, ac sermones adversus alicujus famam habiti, longè magis arrideant, & altiùs menti imprimantur quàm judicia, & sermones quæ in ipsius laudem habentur.

Cùm mundanus aliquis affectibus suis addictus opinioni suæ mordicùs adhærescit, ac sese per incompositos turbati animi motûs illam opinionem meritò defendere arbitratur, tum jure pervicax habetur,

ac ipse sedato animi impetu suam non diffitetur pervicaciam. Pariter quum vir aliquis pietate gravis, eorum quæ dicit intùs convictus, quique Religionis veritatem, ac rerum humanarum vanitatem penitùs agnovit; præviis hisce ductus luminibus adversùs vitam aliorum immoderatam insurgere, ac in illos acriter & cum zelo animadvertere vult, tum homines profani judicant illum esse pertinacem, & sic omnes pietatis studiosos pertinaces esse ducunt.

Immò viros probos, profanis & improbis longè pertinaciores esse autumant: quia cùm hi suas opiniones duntaxat tutentur juxta varias sanguinis, & affectuum agitationes diù in illis nequeunt perstare; quin sententiam mutant seu resipiscunt, ubi sanguis deferbuit: viros pios contra tenaces propositi nihil potest quatere; quia nituntur fundamentis immotis, quæ ab inconstantia sanguinis in venis circulantis non dependent.

Hæc est igitur causa cur vulgus viros pios pertinaces judicet, æquè ac homines nequam: Quia, scilicet, viri probi veritatis, & virtutis sunt vindices acerrimi, ut improbi vitij & mendacij sunt impigri assertores: utrique eodem penè modo loquuntur ut suis patrocinentur sententiis; in hoc similes sunt, quamvis reapse differant. Sed hæc similitudo sufficit ut vulgus quod rationum pondus & differentiam non examinat, ipsos in omnibus esse similes judicet, quia inter se similes sunt, quoad modum illum externum, de quo cuncti possunt judicare.

Viri pij igitur non sunt pertinaces, sunt solùm firmi ut ipsos esse par est; vitiosi verò, & prophani semper habebuntur pervicaces, licèt per unicam tantùm horam in suâ perstarent sententiâ: Ij enim duntaxat sunt pervicaces qui malam defendunt sententiam, licèt illam per brevissimum tempus defendant.

Res eodem modo se habet de Philosophis nonnullis, qui chimæricas defendunt opiniones, à quibus postea agnitâ ipsarum falsitate desistunt. Volunt illi alios qui veritates indubitatas tutantur, quarúmque certitudinem evidenter vident, eas tamen ut meras opiniones deserere; ut ipsi eas deseruere quibus incautam dederant fidem. Quia verò ipsis cum veritatis detrimento obsecundare difficile est; ac amor quem veritas naturâ suâ sibi conciliat apud ipsius studiosos, eos ad ipsam strenuè propugnandum fert, tum Philosophi illi continuò judicant veritatis vindices, esse pertinaces.

Isti homines suas chimæras immeritò tuebantur; at alij veritatem acriter & fortiter jure propugnant: ratio suam tuendi sententiam in utrisque eadem est; at res ipsæ longè differunt. Illa verò sententiarum differentia quæ inter utrosque intercedit, efficit ut alij sint firmi, & tenaces, alij verò pertinaces.

CONCLU-

CONCLUDUNTUR TRES PRIMI LIBRI.

AB istius operis initio, in ente simplici & indivisibili, mente scilicet duas veluti distinxi partes. Alteram merè passivam, alteram verò passivam & activam simul; Prior est mens, seu intellectus, posterior est voluntas. Menti tribui tres facultates, quia modificationes, & ideas suas ab Authore Naturæ trifariam, accipit. Illam nuncupavi sensum, cùm recipit à Deo ideas confusas cum sensationibus, hoc est, cum ideis sensibilibus natis occasione quorundam motuum qui excitantur in organis sensuum ad præsentiam objectorum. Illam (mentem) vocavi imaginationem, & memoriam, quum à Deo recipit ideas confusas seu commixtas cum imaginibus, quæ efficiunt speciem quandam sensationum debilium & languidarum, quas mens non excipit, nisi per quædam vestigia quæ imprimuntur, aut quæ anteà impressa, excitantur denuò in cerebro cursû spirituum animalium. Illam denique appellavi mentem puram, seu intellectum purum, quum recipit à Deo ideas puras putas veritatis, sine ullâ sensationum & imaginum admixtione; non per unionem quam habet cum corpore, sed per unionem quam habet cum Verbo ac Sapientia Dei; non quia est in mundo materiali & sensibili, sed quia subsistit in mundo immateriali & intelligibili; non ad cognoscenda mutabilia, & idonea ad conservationem vitæ corporeæ, sed ad penetrandas veritates immutabiles, quæ in nobis vitam spiritualem conservant.

Primo & Secundo Libro ostendi sensus nostros & imaginationem nobis esse admodùm utiles ad cognoscendas relationes quæ corpora externa habent cum nostro; omnes ideas quas mens recipit mediante corpore esse propter corpus, & in ipsius usum nullam veritatem, quæcunque tandem illa sit, posse unquam evidenter retegi per ideas sensuum & imaginationis; illas ideas confusas ad id tantùm conconferre ut nos corpori nostro, & per corpus omnibus sensibilibus alligent; ac illis ideis sensibilibus esse diffidendum si errorem vitare velimus. Pari ratione concludo impossibile, moraliter, esse ut cognoscantur per ideas puras mentis, relationes quas corpora habent cum nostro; ex his ideis puris non esse ratiocinandum, ut sciamus an pomum, lapis aut quodlibet aliud sint edulia, sed ea potiùs esse degustanda: & quamvis mente nostrâ possimus uti ad cognoscendas confusè relationes corporum externorum cum nostro, tutius tamen semper esse uti sensibus: adhuc unum exemplum hîc subnecto. Res enim adeò essentiales & necessariæ non possunt nimis inculcari.

Volo, exempli gratiâ, examinare utrum mihi sit meliùs, justum esse, aut divitem. Si oculos corporeos aperio, justitia mihi videtur chimera; nullas in ea deprehendo illecebras. Video justos miseros, derelictos, afflictos, omni orbatos patrocinio & solamine; qui enim ipsos solatur & protegit oculis meis conspicuus non est. Uno verbo,

non video quorsùm tandem evadant justitia & virtus. Verùm si oculis apertis divitias contemplor, illarum fulgor oculos meos statim ferit, & perstringit. Potentia, Magnitudo, voluptates, & omnia bona sensibilia comitantur divitias; nec possum dubitare quin divitiæ sint prorsùs necessariæ ad consequendam felicitatem. Pariter si auribus utar, audio omnes homines magni facere divitias: omnia ipsorum studia circa illas comparandas verti; ac divites ab omnibus laudari & coli: hic sensus igitur ut & cæteri mihi dicunt eum qui beatum esse vult divitem esse oportere. Quod si clausis oculis & auribus imaginationem consulam, illa perpetuò eadem quæ oculi viderint & legerint, quæque aures audiverint in opum gratiam mihi repræsentabit. Immò imaginatio eadem illa mihi repræsentabit longe aliter quam sensùs; quippe imaginatio semper auget ideas rerum quæ ad corpus & ad ea omnia quæ nobis arrident, relationem habent. Si igitur ipsi memet permittam; illa me illicò in superbum palatium iis similes quæ Poëtæ & fabularum scriptores tam magnificè solent describere intromittet; ibi tot admiranda, à quibus describendis hic supersedeo mihi sese conspicienda præbebunt; ut facilè convincar Mammonam divitiarum Deum qui in hoc palatio regnat solum esse qui possit me beatum efficere: hæc sunt quæ corpus meum potest mihi persuadere; nam propter se & pro se duntaxat loquitur; ac ut ipsius bono consulatur, necesse est imaginationem magnificæ & fulgenti divitiarum speciei cedere.


Verùm enim verò si attendam posteà corpus infra mentem longè jacere; illúdque huic non posse dominari; mentem à corpore non posse erudiri nec ullum ab illo accipere lumen; si inquam, his seriò ponderatis, memet intrà me ipsum colligam, atque interrogem; seu potiùs (cùm ego non sim mihi ipsi magister, nec lumen) si ad Deum accedam, atque sensibus & affectibus ad silentium adactis, ab ipso quæram an divitias virtuti, an verò virtutem divitiis debeam anteponere: tum responsum accipiam clarum & distinctum de iis quæ mihi sunt facienda; responsum æternum, semper datum, ac ad finem usque dandum; responsum quod hìc exponere frustrà foret, quippe quod omnibus sit notum æquè iis qui hæc legunt, ac iis qui non legunt; illud enim responsum nec est Græcum nec Latinum, nec Gallicum nec Germanicum, ab omnibus gentibus potest concipi: responsum denique quod pauperes in ipsa paupertate solatur, quódque divites angit in ipsâ divitiarum copiâ. Illud, inquam, responsum audiam illiúsque veritatem intùs agnoscam. Imaginationis phantasmata & sensuum illusiones ridebo. Homo internus & spiritualis in me latens hominem animalem & terrestrem quem gero irridebit. Novus denique homo crescet, vetus verò delebitur dummodò semper auscultem illius voci qui me tam clarè in uno pectore alloquitur, cujúsque tanta fuit semper lenitas ut sese infirmitati ac ægritudini meæ accommodaturus sensibilem se effecerit; utque vitam mihi largiretur per id ipsum

ipſum quod morti me tradiderat, me adhuc alloquatur modo efficaciſſimo, vividiſſimo & perquàm familiari, hoc eſt, prædicatione Evangelij Si ipſam de omnibus quæſtionibus Metaphyſicis, naturalibus, & puræ Philoſophiæ interrogem Magiſtrum ſemper habebo fidelem, à quo nunquam decipiar. Non modò Chriſtianus ero, verùm etiam Philoſophus, ritè cogitabo, & res bonas amabo. Uno verbo illam inſiſtam viam quâ poſſim omnem aſſequi perfectionem quam poſſum conſequi, & per gratiam, & per naturam.

Ex iis ergo hæc ſequuntur; nempe, ut quam optimè fieri poteſt utamur facultatibus mentis noſtræ, ſenſibus, imaginatione, & intellectu; illa non debemus applicare niſi iis rebus ad quas fuerunt deſtinatæ & nobis conceſſæ. Senſationes & imaginationes noſtræ ab ideis puris ſedulò ſunt diſtinguendæ; ac judicandum ex ſenſationibus & imaginationibus noſtris de relationibus quæ corpora externa habent cum noſtro; nec iis utendum ad ediſcendas veritates quas ſemper confundunt: ideis verò puris intellectûs utendum ad detegendas veritates, iis miſſis cùm agitur de relationibus quæ corpora externa habent cum noſtro; quia illæ ideæ nunquam habent ſatis extenſionis ut eas relationes nobis adæquatè repræſentent.

Fieri nequit ut homines omnes figuras, omneſque motûs particularum ipſorum corporis & ſanguinis, & particularum alicujus fructûs certo tempore ſeu intervallo ipſorum morbi ita cognoſcant, ut percipiant quandam eſſe relationem convenientiæ inter illum fructum & ipſorum corpus útque tutò poſſint ſperare ſanationem ſi illo fructu utantur. Soli itaque ſenſus noſtri utiliores ſunt ad conſervationem valetudinis noſtræ quàm omnes leges medicinæ experimentalis, ac medicina experimentalis tutior eſt medicinâ theoreticâ. Sed Medicinâ theoreticâ quæ multùm experientiæ, & plus adhuc ſenſibus defert, eſt omnium optima; quia hæc omnia ſunt ſimul conjungenda. *Vide illuſtrationes.*

Uti igitur poſſunt homines ratione ſuâ in omnibus; atque hoc ratio ſenſibus & imaginationi antecellit, quòd illa ad ſenſibilia limitentur, hæc verò ad omnia extendatur. Illâ tamen utendum eſt cum temperamento. Quamvis enim ratio ſit præcipua pars noſtri; ſæpè tamen contingit ut ipſam liberiùs adhibendo fallamur; quia non poteſt diù agere indefeſſa; hoc eſt, res non poteſt ſatis cognoſcere ut de iis judicet; & nihilò ſeciùs judicare vult.




DE INQVIRENDA VERITATE.

LIBER QVARTVS.

De Inclinationibus seu motibus naturalibus mentis.

CAPVT PRIMVM.

I. Spiritûs debent habere inclinationes quemadmodùm corpora habent motus. II. Deus nullum dat motum spiritibus nisi propter se. III. Spiritûs non feruntur versùs bona specialia nisi per motum quo versùs bonum in genere feruntur. IV. Origo præcipuarum inclinationum naturalium in quas dividetur quartus hic Liber.



HAUD opus foret agere de inclinationibus naturalibus, ut hoc quarto Libro sumus acturi, neque de passionibus ut id sequenti Libro faciendum nobis proponimus, ad retegendas causas errorum humanorum, nisi intellectus penderet à voluntate in objectorum perceptione; sed quia ab illa dirigitur, determinatur, & applicatur ad quædam objecta potiùs quàm ad alia; cognoscere illius (voluntatis) inclinationes, ut possimus penitùs deprehendere causas errorum nostrorum, necesse est.

I. *Mentes debent habere* Si Deus condendo hunc mundum materiam infinitè extensam nullo ipsi impresso motu produxisset, omnia corpora inter se non differrent.

differrent. Totus iste mundus adspectabilis nihil etiam nunc esset præter molem materiæ aut extensionis, quæ Authoris ipsius magnitudinem & potentiam posset equidem patefacere ; sed non esset illa formarum successio, & corporum varietas quæ totam efficit istius universi pulchritudinem, quæque omnes mentes creatas in sapientiæ infinitæ illius qui hæc omnia regit, admirationem rapit. *Inclinationes quemadmodum corpora habent motûs.*

Jam autem inclinationes spirituum idem mihi videntur esse mundo spirituali, quod motus est mundo materiali; nec certè si omnes spiritus seu mentes essent sine inclinationibus, aut si nihil unquam vellent ea observaretur in ordine rerum spiritualium varietas, quæ non modo sapientiæ Dei altitudinem, ut varietas quæ deprehenditur in ordine rerum materialium ; verùm etiam ipsius misericordiam; justitiam,bonitatem & omnia in genere attributa præbet admiranda. Varietas inclinationum efficit in spiritibus idem fermè quod varietas motuum efficit in corporibus, & inclinationes spirituum, ac motus corporum unà totam constituunt pulchritudinem entium creatorum. Omnes itaque spiritûs debent habere aliquas inclinationes ac omnia opera habent varios motus. Sed quas debeant habere inclinationes scrutemur.

Si natura nostra non esset corrupta, non opus haberemus quærere, ut sumus quæsituri, quænam debeant esse inclinationes naturales spirituum creatorum; ad id cognoscendum nosmet ipsos consulere sufficeret, ac sensu interno, quem de ijs quæ in nobis aguntur habemus, edoceremur omnes inclinationes, quæ naturâ nos decent. Sed, quia per fidem scimus naturæ ordinem peccato eversum fuisse, ac ratio ipsa nos docet inclinationes nostras esse inordinatas, ut clariùs infrà videbitur, alia ratione procedere tenemur. Cùm tutò non possimus fidere ijs quæ sentimus res ratione sublimiori nos explicare oportet; Verùm illa ratio parùm solida haud dubiè videbitur ijs qui nihil quàm quod sensibile est, æstimant.

Extrà omne dubium positum est, Deum non posse alium habere finem præcipuum, operationum suarum quàm seipsum, illúmque posse habere multos fines minùs principales, qui omnes tendunt ad conservationem entium quæ creavit. Non potest alium habere finem principalem à se ipso diversum,quia non potest errare, aut ultimum finem suum constituere in entibus quæ omnia in se non includunt bona. Sed potest habere pro fine minùs principali conservationem entium creatorum, cùm enim omnia entia bonitatem ipsius participent, necessariò bona sunt, imò optima, juxtà scripturam *valdè bona*, Deus itaque illa amat, immò ipsius amore conservantur, nam omnia duntaxat subsistunt, quia Deus illa amat. *Diligis omnia quæ sunt*, inquit sapiens, *& nihil odisti eorum, quæ fecisti nec enim odiens aliquid fecisti & constituisti. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod à se vocatum non esset conservaretur.* Reverâ quomodo concipi po-

II. Deus alium non habet finem præcipuum actionum suorum quàm seipsum, nec dat spiritibus motum nisi propter se.

test ut res quæ enti infinitè perfecto & omnipotenti non placent possint subsistere. Cùm omnia subsistant duntaxat per ipsius voluntatem, Deus igitur vult gloriam suam ut finem principalem, vult etiam creaturarum suarum conservationem, sed ad sui gloriam.

Cùm inclinationes naturales spirituum sint haud dubiè perpetuæ impressiones voluntatis illius qui illos creavit spiritûs, quique illos conservat; necessarium mihi videtur, ut inclinationes illæ sint omnino similes inclinationibus ipsarum creatoris & conservatoris. Nullum igitur naturaliter possunt alium habere finem principalem & primarium quàm ipsius gloriam, nec alium finem subalternum præter suam propriam conservationem, & conservationem aliarum, sed semper relatè ad eum qui ipsis dat esse. Etenim extrà omnem dubitationis aleam positum mihi videtur, Deum, cùm non possit velle, ut voluntates quas creat, minus bonum majori præferant, hoc est, ut majori complectantur amore id quod minùs, quàm quod magis est amabile; non posse ullam rem creare, quin eam statim ad se convertat, quin illam jubeat ipsum ante omnia amare; quamvis illam possit creare liberam, & cum potestate sese ab ipso sejungendi & deflectendi.

III. Spiritûs non feruntur versùs bona specialia nisi per motum quo versùs bonum in genere feruntur.

Sicut in Deo propriè unicus duntaxat amor est, nempe amor sui ipsius; ac Deus nihil potest amare, nisi per illum amorem, cùm nihil possit amare, nisi cum relatione ad se ipsum; ita Deus in nobis unicum duntaxat imprimis amorem, nempe amorem boni in genere; nec quicquam possumus amare, nisi per amorem illum, cùm nihil possimus amare, quod non sit, aut saltem quod non appareat bonum. Amor boni in genere est principium omnium amorum nostrorum specialium, quia reverâ amor ille nihil aliud est quàm ipsa voluntas nostra: namque, ut suprà dictum est, voluntas hominis nihil aliud est quàm impressio perpetua Authoris Naturæ, quæ mensem humanam fert versùs bonum in genere. Nec certè existimandum est facultatem seu potestatem illam amandi quâ præditi sumus à nobis oriri aut dependere. Sola potestas perperam amandi, seu potiùs benè adamandi res malas pendet à nobis; quippe cùm simus liberi possumus determinare ac reverâ determinamus versùs bona specialia, & per consequens versùs falsa bona, legitimum amorem quem Deus nobis indesinenter imprimit, quamdiu nos conservare pergit.

Verùm non modò voluntas nostra, seu amor noster versùs bonum in genere à Deo oritur, ipsæ etiam inclinationes nostræ versùs bona quædam specialia, quæ omnibus hominibus communes sunt, quamvis in omnibus non æqualiter fortes, ut inclinatio nostra ad conservationem entis nostri, & eorum quibus cum unimur per naturam; illæ, inquam, inclinationes sunt etiam impressiones voluntatis Dei in nos. Hic enim nomine inclinationis naturalis indiscriminatim appello omnes impressiones Authoris Naturæ, quæ communes sunt omnibus spiritibus. Mox dixi Deum suas amare creaturas, illásque per ipsius

sius amorem existere & conservari; Deus itaque indesinenter imprimendo in nobis amorem ipsius amori similem, cùm ipsius voluntas efficiat & dirigat nostram, nobis dat etiam omnes illas inclinationes naturales quæ non pendent ab optione nostra, quibúsque necessariò ferimur ad conservationem entis nostri, & eorum quibuscum vivimus.

Origo præcipuarum inclinationum naturalium in qua dividetur quartus hic liber.

Quamvis enim peccatum omnia corruperit, omnia tamen non destruxit. Licet inclinationes nostræ naturales Deum non semper pro fine suo habeant per liberam voluntatis nostræ electionem, habent tamen semper Deum pro fine per institutionem naturæ; Deus enim qui eas in nobis producit & conservat, eas tantum producit & conservat propter se. Omnes peccatores tendunt versus Deum impressione quam à Deo accipiunt, quamvis ab ipso recedant errore & aberratione mentis suæ. Amant equidem benè, nemo enim unquam potest malè amare, cùm ipse Deus sit qui efficiat ut ament, sed amant res malas, & ideò tantum malas quia Deus, qui ipsis peccatoribus dat potestatem amandi eos vetat illas res amare, quia ex quo peccatum irrepsit res illæ diuertunt homines ab ipsius (Dei) amore. Quippe homines, creaturas in ipsis excitare voluptatem quam illarum occasione sentiunt, arbitrantes; in corpora cum furore ruunt; & hoc pacto in totalem Dei, quia sub ipsorum oculos non cadit, oblivionem delabuntur.

Easdem igitur hodie adhuc habemus inclinationes naturales, seu easdem impressiones authoris naturæ quas habebat Adam antequam peccaret. Immò habemus easdem inclinationes quas beati in cœlo; Deus enim nullas creat & conservat creaturas rationales quin ipsis impertiatur amorem suo similem. Seipsum amat, nos amat, Omnes amat creaturas; Nullas igitur creat mentes quas non ferat ad ipsum amandum, ad seipsas amandas & ad amandas omnes creaturas.

Sed quia omnes inclinationes nostræ nihil aliud sunt quam impressiones authoris naturæ quibus ad ipsum & omnia propter ipsum amandum ferimur, illæ inclinationes non possunt esse legitimæ, nisi quatenùs Deum amamus totis viribus nostris, & omnia propter Deum, liberâ voluntatis nostræ electione. Non possumus enim sine injuria abuti amore quem Deus erga se nobis impertitur amando per illum amorem, seu per illum motum generalem amoris, aliud quam ipsum, & sine relatione ad ipsum.

Jam itaque cognoscimus non modò quænam sint nostræ inclinationes naturales; sed etiam quænam illæ debeant esse; ut sint benè ordinatæ, & secundum institutionem ipsarum authoris. Omnis inordinatio inclinationum nostrarum in eo dúntaxat consistit quod statuamus ultimum nostrũ finem in nobis ipsis, quodque cùm deberemus omnia referre ad Deum, omnia ad nos referamus Primò igitur habemus inclinationem versùs bonum in genere, quæ est principium

omnium inclinationum nostrarum, omnium affectuum nostrorum, ac omnium amorum liberorum voluntatis nostræ.

2o. Habemus inclinationem pro conservatione entis nostri seu felicitatis nostræ.

3o. Cuncti habemus inclinationem versùs cæteras creaturas, quum utiles sunt vel nobis ipsis, vel iis quos amamus. Multas adhuc alias habemus inclinationes peculiares quæ ab his pendent; sed de illis alibi forsan agetur. Hoc quarto libro errores inclinationum nostrarum ad hæc tria capita, ad inclinationem nostram versus bonum in genere, ad amorem nostri seu ad philautiam, & ad amorem proximi referre duntaxat propositum est.

CAPVT II.

I. Inclinatio versùs bonum in genere est principium inquietudinis Voluntatis nostræ. II. Et per consequens negligentiæ nostræ & ignorantiæ. III. Primum exemplum; Ethica plerisque hominibus parum nota. IV. Secundum exemplum; Immortalitas animæ à nonnullis impugnatur. V. Ignorantiam nostram esse maximam circà res abstractas, aut quæ parum habent relationis ad nos.

I. *Inclinatio versus bonum in genere est principium inquietudinis voluntatis nostræ.*

VAsta illa voluntatis capacitas erga omnia bona in genere, quia duntaxat creata fuit propter bonum quod in se includit omnia bona, non potest impleri rebus omnibus quas mens ipsi repræsentat, tamen motus ille perpetuus quem Deus ipsi versus bonum imprimit non potest sisti. Motus ille nunquam desinens perpetuam in mente necessario excitat agitationem. Voluntas quærens id quod optat ad id adigit intellectum ut sibi repræsentet quælibet objecta. Intellectus ea sibi equidem repræsentat; sed illa menti non arrident aut si arrideant iis contenta non est. Illa non arrident menti, quia sæpe perceptio intellectûs nulla voluptate comitata est; nam per voluptatem mens bonum suum degustat; iis verò contenta non est; quia nihil potest sistere motum mentis præter illum à quo motus ille excitatur. Quicquid mens sibi repræsentat ut bonum suum, finitum est, jam autem quicquid finitum est potest quidem ad tempus amoris motum divertere, non verò figere. Quum intellectus quædam valdè nova & inusitata aut quæ aliquam cum infinito habent analogiam contemplatur tum voluntas per aliquod tempus sinit ipsum ea cum aliquâ attentione expendere; quia sperat se in iis inventuram esse id quod quærit, & quia id quod infinitum videtur veri ipsius boni characterem

saporem præ se fert: sed paulatim illa fastidit æquè ac cætera. Semper anxia est & inquieta, quia ad id fertur ut quærat id quod nunquam potest nancisci quodque se nacturam esse semper sperat. Jam autem id amat quod magnum, & extraordinarium est, quodque ad infinitum aliquatenus accedit; quum non invenerit bonum suum in rebus communibus & familiaribus, illud sperat se inventurum in rebus incognitis. Inquietudinem voluntatis nostræ esse unam inter præcipuas causas ignorantiæ in qua versamur, & errorum in quos circa res innumeras labimur, hoc capite ostendemus. Et in duobus sequentibus explicabimus id quod producit in nobis inclinationem illam quæ nos fert versùs ea omnia quæ aliquid habent magni & extraordinarij.

II. *Ac per consequens negligentiæ nostræ inattendendo, & ignorantiæ.*

Ex supra dictis evidenter satis patet, primò voluntatem rarò applicare intellectum ad objecta quæ ad nos non referantur; objectaq; ad nos nullo modo attinentia negligere, cùm enim felicitatem enixè semper & impressione naturali exoptet intellectum non vertit nisi, ad ea quæ nobis utilia videntur, quæque in nobis aliquam possunt excitare voluptatem.

Secundò voluntatem non sinere intellectum diu occupari circa res quæ ipsi etiam aliquam ingenerant voluptatem; quia, ut mox dictum est, res conditæ possunt equidem nobis ad tempus arridere, sed fastidium tandem nobis creant; & tum mens ab iis avertitur & alibi disquirit unde sibi satisfiat.

Tertio, Voluntatem ad id excitari ut intellectum sic undique ab uno objecto in aliud jubeat discursitare, quia ipsi semper repræsentat confusè & veluti eminùs illum qui omnia entia in se complectitur, ut id in tertio libro diximus. Cùm enim Voluntas verum bonum suum ad se, ut ita dicam, propius admovere velit, ut eo afficiatur, utque ab eo motum quo animetur accipiat; intellectum excitat ut illud bonum ipsi per aliquam faciem repræsentet. Sed tunc ens illud quod mens percipit non est amplius ens generale & universale; ens infinitè perfectum; est aliquid finitum & imperfectum, quod cùm non possit voluntatis motum sistere ipsique diu placere, ad aliud objectum sese convertit.

Cùm tamen attentio & applicatio mentis sit absolutè necessaria ad retegendas veritates subobscuras; vulgi homines in crassissima ignorantia etiam circa ea quæ ad ipsos aliquo modo referuntur versari debere manifestum est; illosque planè cæcutire circa omnes veritates abstractas, quæque cum ipsis nullam habent relationem sensibilem. Sed hæc exemplis demonstrare conemur.

III. *Primum exemplum, Ethica plerisque hominibus parum nota.*

Nulla est scientia quæ ad nos tam proximè spectet quàm Ethica; Illa omnes officij nostri partes, ergà Deum, erga Principem, erga parentes, erga amicos & in genere erga omnia nobis circumstantia nos docet. Immo nobis indicat viam quam ad vitam æternam con-

sequendam insistere debemus. Ac proinde omnibus hominibus necessaria & ineluctabis incumbit necessitas animum unicè ad illam scientiam appellendi ? Attamen quanquam à sex mille annis homines existant, hæc scientia adhuc est admodum imperfecta.

Pars illa Ethicæ quæ versatur circa officia nostra erga Deum, quæque proculdubio est præcipua, quippe quæ ad æternitatem refertur doctissimis incognita fuit; atque etiamnum hodie exstant viri ingeniosi illius planè imperiti : Illa tamen est pars Ethices facillima. Nam primò an difficile est agnoscere Deum existere ? Quicquid Deus fecit id probat; Quicquid homines & bruta faciunt idem etiam probat; Quicquid cogitamus, videmus, sentimus id probat. Quid plura ? Nihil est quod existentiam Dei non probet, aut saltem quod ingeniis attentis, ac rerum omnium Authorem inquirentibus illam non possit probare.

Secundò mandatis Dei esse obediendum ad beatitudinem consequendam manifestum est; cùm enim ille sit potens & justus, ipsius mandata non possunt impunè violari, nec observari sine mercede. Quid verò à nobis exigit ? Ut ipsum amemus; Ut mens nostra ipso occupetur, ut cor nostrum versus ipsum inflectatur. Cur enim creavit spiritus ? Certè nihil potest facere nisi propter se, nos igitur propter se solum creavit; & ad id necessario tenemur ut perpetuò caveamus, ne impressionem amoris quam in nobis perpetuò conservat, aliorsum deflectamus, & ipsum perpetuò quoque amemus.

Veritates illæ cognitû non sunt admodum difficiles iis qui ad illas tantillum attendunt. Attamen unicum illud Ethicæ principium scilicet, ut virtutis observantes, & beatitudinis participes simus omninò necesse esse nos Deum ante omnia & in omnibus amare, est fundamentum totius Ethicæ Christianæ. Non difficili etiam negotio possunt inde elici consequentiæ nobis necessariæ, ad instituendas generales vitæ nostræ, & actionum nostrarum regulas & leges; quamvis oppidò pauci sint qui illas eliciant consequentias; ac quotidie magnâ animorum contentione agitentur quæstiones in Ethica quæ ab illo principio tam evidenti immediatè & necessario sequuntur.

Geometræ aliquid novi quotidie retegunt; aut si scientiam suam valdè non adaugeant id fit quia ex principiis suis utilissimas & maximè necessarias jam deduxerunt consequentias : Sed plerique homines quicquam ex primo Ethicæ principio concludere nequeunt; omnes ipsorum ideæ evanescunt & in auras abeunt statim, ac de illo principio tantùm cogitare volunt; quia id ut par est minimè volunt; idque non volunt quia illud non gustant, aut semel gustatum citiùs æquo fastidiunt. Principium illud abstractum est, metaphysicum & mere intelligibile; nec sensus nec imaginationem ferit; Oculis igitur

tur carnalibus aut mentibus quæ nihil nisi oculorum interventu cernunt, solidum videri nequit. Nihil deprehenditur in illo principio quod possit sistere inquietudinem ipsorum voluntatis, quodque possit visum mentis ad attentam sui considerationem figere. Quî igitur illud clarè perspicere, distinctè intelligere, & ab illo rectas censequentias deducere possent?

Si homines illam Geometriæ propositionem imperfectè duntaxat conciperent; scilicet latera triangulorum similium esse proportionalia inter se; certè periti Geometræ habendi non essent, sed si præter perceptionem illam confusam & imperfectam istius propositionis fundamentalis Geometriæ; ipsorum utilitas postularet latera triangulorum similium non esse proportionalia; ac si falsa Geometria æquè indulgeret perversis ipsorum affectibus ac falsa Ethica, in rebus Geometricis parologismos non minus absurdos facerent ac in rebus moralibus; quia ipsorum errores ipsis placerent; veritas verò ipsis impedimento esset ac ipsos obtunderet, infestaretque.

Non est igitur quòd miremur cæcitatem hominum qui per anteacta sæcula vivebant in quibus ignorantia grassabatur aut eorum qui nunc vivunt, quibúsque lumen Evangelij nondum affulsit. Sapientiam æternam sese tandem sensibilem præbere oportebat ut homines qui solos sensus consulunt erudiret; à quater mille annis veritas ipsorum mentem alloquebatur; Sed cùm sese intra se ipsos nunquam colligerent veritatis vocem non exaudiebant; Illam igitur ipsorum aures ferire oportuit; Lux omnes homines illuminans, in ipsorum tenebris lucebat quidem, sed eas non discutiebat; immò eam nequidem poterat contemplari. Oportebat igitur lumen intelligibile obnuptum velo visibile fieri; verbum carnem assumere, sapientiamque hominibus carnalibus abditam & inaccessam ipsos modo carnali instituere oportebat; *carnaliter*, inquit Divus Bernardus. Plerique Homines ac præcipuè pauperes [objectum misericordiæ & providentiæ creatoris omnium sanè dignissimum] qui vitam labore suo tolerare coguntur, sunt maximè rudes & stupidi. Intelligunt duntaxat quia habent aures quibus audiant, nec quicquam vident nisi quia habent oculos, nullo mentis conamine possunt in seipsos reflecti, ut sic veritatem silentibus sensibus & affectibus possint interrogare. Veritati incumbere nequeunt, quia illam ne possunt quidem delibare. Immò de illà aliqua cum applicatione meditanda sæpe non cogitant, quia ipsorum animum non subit iis incumbere quibus nequaquàm afficiuntur aut tanguntur. Ipsorum Voluntas inquieta & inconstans mentis aciem indesinenter flectit versus objecta sensibilia quæ ob suam varietatem ipsis arrident voluptatemque creant: Nam multiplicitas, ut ita dicam, & varietas bonorum sensibilium impediunt quo minus ipsorum Vanitas agnoscatur, ac perpetuam hominibus spem faciunt in ipsis inveniendi verum bonum quod appetunt.

Serm. 59. de natali Domini.

Itaque, quamvis præcepta à Jesu Christo, ut homine, ut viâ, ut Authore fidei nostræ nobis in Evangelio tradita multo magis accommodentur ingenij nostri infirmitati, quàm præcepta ab eodem Jesu Christo ut sapientia æternâ, ut veritate internâ ut lumine intelligibili in intimo rationis secessu a nobis inspirata; Quamvis Jesus Christus præcepta sua iucunda gratiâ suâ, sensibilia exemplo, ac certa miraculis efficiat; homines ita sunt stupidi & ad meditationem attentionemque, etiam super iis quæ ipsos scire omnino expedit adeò inepti, ut illa nunquam ut par est apud se reputent. Pauci perspiciunt Evangelij pulchritudinem, Pauci soliditatem & necessitatem præceptorum Christi satis assequuntur; Pauci illa meditantur, illisque sese sustentant & muniunt; agitatione perpetuâ Voluntatis bonum degustare quærentis, non sinente mentem inhærere veritatibus quibus hoc bono quod quærit privari videntur. En aliud istius rei exemplum.

IX. Secundum exemplum; Immortalitas animæ à nonnullis impugnatur.

Impij, non debent, nî fallor, oscitanter quærere an ipsorum anima sit mortalis, ut id arbitrantur, an verò immortalis ut fides & ratio docent. Res ipsis est summi momenti. Ibi de æternâ ipsorum sorte agitur; immò ipsorum animi tranquillitas hinc omnino pendet. Unde igitur illorum hac super re ignorãtia. Aut quomodo circa rem tanti momenti dubium possunt sustinere; certè id non aliunde oritur quam ex eo quod ad quicquam seriò attendere nequeunt; Voluntas ipsorum inquieta & corrupta non sinit mentem intentam expendere rationes sententiæ, quam veram esse optarent, adversas. Etenim an ita difficile est discrimen inter mentem & corpus, inter id quod cogitat, & id quod extensum est agnoscere? Tantâ ne opus est mentis attentione ut capiat cogitationem nihil esse rotundi nec quadrati? Extensionem diversarum figurarum, variorúmque motuum duntaxat esse capacem nequaquam verò cogitationis & ratiocinationis; ac proinde id quod cogitat, & id quod est extensum esse duo entia planè opposita. Id tamen sufficit ad demonstrandum animam esse immortalem illámque non posse perire, tametsi corpus annihilaretur.

Quum substantia aliqua perit, verum est modificationes seu modos essendi vt ita dicam, illius substantiæ cum ipsa interiré. Si aliqua ceræ portio annihilaretur, certè & figuræ istius ceræ cum ipsa annihilarentur; quia rotunditas, exempli gratia, ceræ, nihil aliud reverâ est præter ipsam ceram hoc modo dispositam, itaque sine cera non potest subsistere sed licet Deus omnem quæ in mundo existit ceram in nihilum redigeret, non inde tamen sequeretur ullam aliam substantiam, aut modos ullius aliûs substantiæ annihilari. Omnes, exempli gratia, lapides cum suis *modis* subsisterent, quia lapides sunt substantiæ seu entia, non verò modificationes ceræ.

Pariter licèt Deus annihilaret dimidiam alicujus corporis partem, inde

inde non sequeretur alteram partem ab ipso quoque annihilari. Ultima illa pars alteri quidem vnita est, sed cum ipsa tamen una non est. Namque alterâ parte annihilatâ sequitur equidem, juxta rationis lumen, alteram partem nullam ampliùs relationem habere ad partem annihilatam; Sed non sequitur illam non ampliùs esse; cùm enim existentia illius partis ab alterius existentia differat, illa non potest annihilari per annihilationem alterius. Clarum igitur est, cùm cogitatio nequaquàm sit modificatio extensionis, mentem nostram non annihilari, licèt supponeremus morte corpus nostrum in nihilum redigi.

Sed immeritò corpus annihilari creditur quum destruitur. Partes ex quibus constabat in auras abeunt & in pulverem resoluuntur. Non possunt ampliùs videri nec agnosci, fateor, sed inde concludendum non est ipsas ampliùs non esse, mens enim eas semper percipit. Si unum sinapi Granum in duas, quatuor, aut viginti partes dividitur, respectû oculorum nostrorum annihilatur; illud enim ampliùs non videmus, sed in se tamen non annihilatur; mens enim illud videt, licèt in partes mille immò centies mille diviserit.

Quicunque ratione potius quàm sensibus vtitur, pro notione communi agnoscit, nihil per se reverti in nihilum viribus naturæ ordinariis; nam quemadmodum naturaliter nihil potest fieri ex nihilo, non potest etiam fieri vt substantia seu ens fiat nihil. Corpora possunt equidem corrumpi, si mutationes quæ ipsis accidunt corruptionem nuncupare placeat, sed non possunt annihilari. Quod rotundum est potest fieri quadratum quod caro est, potest fieri terra, vapor, & quicquid libuerit. Omnis enim extensio quamlibet configurationem potest suscipere, sed substantiâ illius quod est rotundi & illius quod est caro, non potest perire. Sunt quædam leges in natura institutæ secundùm quas corpora vicissim mutant formas suas quia successiva istarum formarum varietas pulchritudinem universi constituit, & in admirationem ipsius authoris rapit; Sed nulla lex in natura instituta est ad annihilationem vllius entis, quia τὸ nihilum nihil in se habet boni nec pulchri, & quia author naturæ amat opus suum. Corpora igitur possunt mutari, non verò annihilari.

At si qui sensuum testimonio mordicùs adhærentes, resolutionem cõrporum esse veram annihilationem velint præfractè defendere; quia partes in quas resoluuntur corpora oculos fugiunt; meminerint saltem corpora non posse diuidi in partes illas imperceptas nisi quia sunt extensa. Namque si mens non sit extensa certe non erit divisibilis; si non sit divisibilis, fatendum erit illam hoc sensû non fore corruptibilem. At verò quomodo quis posset imaginari mentem esse aliquid extensum & divisibile? Quadratum per lineam rectam in duos

triangulos, in duo parallelogrammata, in duo trapezia potest equidem dividi. At per quam lineam concipiemus voluptatem, dolorem desiderium per se resecari ? Aut quænam figura ex hac divisione resultaret ? Certè haud credo imaginationem fallis ideis ita feracem esse vt sibi super hac re satisfacere valeat.

Mens igitur non est extensa, non est divisibilis, easdem quas corpus non potest suscipere mutationes; confitendum tamen est ipsam naturâ suâ non esse immutabilem. Si corpus innumeras varias figuras & configurationes suscipere potest, mens varias etiam ideas & modificationes potest excipere sicut post obitum substantia carnis nostræ in terram, vapores & innumera corpora resolvetur sine ulla annihilatione, ita mens nostra, omnis annihilationis expers, cogitationes & sensationes habebit longè diversas ab iis quas nunc habet. Nunc dum in vivis sumus necesse est corpus nostrum constare ex carne & ossibus; necesse pariter est, vt vivamus, mentem nostram habere ideas quas habet relatè ad corpus cui unitur. Sed postquàm è corpore sejuncta fuerit, tunc plena fruetur libertate recipiendi quaslibet ideas & modificationes ab iis quas nunc habet longè diversas, sicut pariter corpus nostrum quaslibet figuras & configurationes ab iis quas nunc necessariò habere debet vt sit corpus hominis vivi longè diversas poterit accipere.

Quæ à me supradicta sunt satis, nî fallor, demonstrant immortalitatem animæ intellectû non esse adeò difficilem. Unde igitur fit ut tot homines illam vocent in dubium, nisi quia ad argumenta quibus illa probatur eam non dignentur attensionem afferre quæ necessaria est vt de illius veritate convincantur. Cur autem id nolunt, nisi quia ipsorum voluntas inquieta & inconstans intellectum perpetuò agitat adeò vt ne ipsi quidem per tempus liceat distinctè percipere ideas sibi maximè præsentes, quales sunt ideæ cogitationis & extensionis: non secus ac homo affectu aliquo motus & occupatus objecta quæ oculis proximè obversantur plerunque non discernit. Etenim quæstio de mentis immortalitate omnium est facillima solutû, iis qui imaginationis testimonium respuentes ideam claram & distinctam extensionis, & relationem quam cum cogitatione habere potest, attento expendunt examine.

Si inconstantia & levitas voluntatis nostræ intellectui res ipsi præsentissimas & quas scire nostrâ maximè interest penitùs introspicere non permittat, certè multò minùs ea quæ sunt dissita quæque ad nos nequaquam referuntur meditari nobis permittet. Adeò vt si in crassissima versemur ignorantia circa pleraque nobis necessaria; verissimile non sit nos magnam esse consequuturos cognitionem eorum quæ nobis vana & inutilia prorsùs videntur.

Ab

Ab exemplis tædiosis, quæque nullam alicuius momenti veritatem complectantur, ad hæc probanda, proferendis hîc supersedeo. Si quæ enim ignorare licet, certè ea sunt ex quibus nulla redundat utilitas: fidem mihi denegari malo, quàm lectorem in legendis inutilibus detinere.

Quamvis pauci sint qui rebus planè vanis & inutilibus seriò incumbant, illorum tamen numerus æquo adhuc maior est, vtinam plures adhuc essent qui ad illas animum non appellerent, illásque aspernarentur, dummodò de illis iudicare non satagerent. Menti finitæ vitio vertendum non est quod quædam ignoret, sed tantùm quòd de iis quæ ignorat iudicare velit. Ignorantia malum est necessarium, sed error evitari potest & actû evitari debet. In hominibus itaque non ignorantiam circa plurima, sed iudicia temeraria carpo.

Quum res magnam ad nos habent relationem, quum sensibiles sunt, & sub imaginationem facilè cadunt, mens ad eas applicari eásque posse cognoscere dici potest. Ubi enim novimus res quaspiam ad nos aliquatenùs referri ad id naturâ propendemus, vt ad illas attendamus, cùm verò sentimus res illas nos afficere tum ad illas cum voluptate attendimus. Adeò vt in multis multò peritiores esse deberemus nisi voluntatis nostræ inquietudo & agitatio attentionem nostram interrumperet & fatigaret.

V. *Ignorantiam nostram summam esse circa res abstractas, aut quæ parùm habent relationis ad nos.*

Sed cùm res abstractæ sunt, & partùm sensibiles, vix earum certam possumus habere cognitionem; Id equidem ex eo non fit quòd res abstractæ sint per se valdè complexæ & intricatæ; sed ex eo quòd attentio & visus mentis eodem plerunque tempore inchoat & desinat quo visus sensibilis obiectorum; vix enim de quoquam cogitamus nisi illud videamus ac sentiamus,& quandiù illud videmus & sentimus,

Si mens ad ideas claras & distinctas, nullâ veluti adiuta sensatione, posset facilè attendere, ac nisi voluntatis inquietudo ipsius applicationem perpetuò disturbaret, certè innumeras quæstiones Physicas quas inexplicabiles censemus, nullo negotio solvere; atque hoc pacto nos ab ignorantia & errore in quibus circa illas quæstiones versamur brevi expedire possemus.

Exempli gratiâ; apud omnem hominem ratione sua ritè vtentem pro certo constat creationem & annihilationem superare vires naturæ ordinarias. Si igitur Philosophi attenti persisterent ad illam puram mentis notionem, creationem & annihilationem numeri novorum entium innumerabilis, vt formarum substantialium, qualitatum, facultatum realium, &c. tam facilè non admitterent, In ideis distinctis, extensionis, figuræ, & mo-

tus rationem quærerent tot effectorum naturalium ; quod tantam quam vulgò putatur non involuit difficultatem ; quippe omnes res naturales mutuo cohærent inter se vinculo , ac sese mutuò comprobant.

Effectûs ignis , ij verbi gratiâ , quos edunt tormenta bellica & cuniculi subterranei ; sunt prorsùs admirabiles , & ipsorum causa est satis occulta. Attamen si homines , sensuum impressioni & aliquot experimentis falsis aut fallacibus diffidentes huic uni mentis puræ notioni mordicùs adhæreseerent ; nempè , fieri non posse vt corpus oppidò parùm agitatum , violentum producat motum , cùm non possit maiorem impertiri vim moventem quàm habet in se ; ex eo solo facili negotio concluderent , esse materiam quandam subtilem & invisibilem ; ipsam esse agitatissimam , per omnia corpora diffusam , & multa similia quæ ipsos ad cognitionem naturæ ignis , & ad alias veritates magis abditas deducerent.

Cùm enim tanti excitentur motûs in tormento bellico & in cuniculo subterraneo , cumque omnia corpora visibilia ipsis circumiacentia satis non agitentur vt illos motûs excitare queant ; hinc certò & manifestò patet alia dari corpora invisibilia & insensibilia , quæ tantum ad minimum habeant agitationis quantùm tormentarius globus. Sed cùm corpora illa sint subtilissima & tenuissima , liberè & nullâ ruptione factâ per poros tormenti sola transire queunt , antequàm ignis ipsi fuerit admotus, hoc est, vt id fusius videre licet apud D. Cartesium , antequam circumdederint partes duras & crassas salis niri ex quibus constat pulvis tormentarius. At verò cum ignis tormento fuit admotus , hoc est, postquàm partes illæ subtilissimæ & agitatissimæ circumcinxerunt partes crassas & solidas salis nitri , ac eo pacto ipsis suum vehementissimum & velocissimum communicavere motum ; tunc omnia erumpere & crepare necesse est. Quia pori tormenti qui partibus subtilibus de quibus agitur transeundi copiam undique faciebant dum erant solæ , satis patentes non sunt vt per eos transire possint partes crassæ salis niti , & quædam aliæ ex quibus constat pulvis tormentarius , postquàm agitationem partium subtilium quibus circundantur in se susceperunt.

Quemadmodùm enim aqua fluminum sub pontibus præterfluens ipsos ob tenuitatem particularum ex quibus constat illa aqua, non quatit , ita materia subtilissima & tenuissima de quâ mox , omnium corporum poros nulla in iis memorabili mutatione factâ indesinenter prætergreditur. Sed non secus ac etiam

etiam flumen illud potest evertere pontem, ubi ingentes glaciei moles, aut alia quælibet solidiora corpora secum convecta cum toto suo motû in illum pontem impellit; ita materia subtilis omnes illos effectûs stupendos qui in tormentis & cuniculis conspiciuntur potest edere, postquàm communicato partibus pulveris tormentarij quibus intermiscebatur motû suo, motum fluminum & torrentium violentiâ suâ longe excedente; eædem illæ partes pulveris pyrij per poros corporis quo continentur liberè transmeare nequeunt, quia sunt crassiores; adeò vt poros illos cum impetu rumpant vt liberè possint transire.

At verò partes subtiles & tenues tam facilè sibi repræsentare nequeunt homines; illàs existimant meras chimæras quia illas non vident. *Contemplatio ferè desinit cum aspectû*, inquit Baco. Immò plerique Philosophi novam aliquam entitatem fingere, quàm super iis quæ ignorant silere malunt. Quòd si ipsorum falsis & ἀκαταλήπτοις hypothesibus objicias, necessum esse, ignem constare ex partibus maximè agitatis, cùm motûs adeò violentos edat, nihilque posse dare quod non habet; quæ sane objectio clarissima est certa atque solidissima; tum homines illi omnia confundere distinctione aliquâ frivolâ & fictitiâ, qualis est distinctio causarum æquivocarum & univocarum; vt aliquid dicere videantur; dum reapse nihil dicunt. Etenim apud quemlibet attentum notio communis est non posse dari veram causam æquivocam in rerum naturâ, solámque hominum ignorantiam illas excogitasse.

Ad notionum itaque clararum & distinctarum considerationem attentiùs animum appellant homines si naturam cognoscere velint; inconstantiam & levitatem voluntatis suæ cohibeant ac sistant, si res penitùs & accuratè cupiant cognoscere. Ipsorum enim mentes erunt semper debiles, superficiariæ, & erroneæ quandiù ipsorum voluntates leves, inconstantes, & mutabiles manebunt.

Attentio equidem & accuratum rerum examen molestiam parit; verùm quid sine labore potest comparari? Viris cordatis & Philosophis, quorum omninò interest veritatem inquirere & tueri, turpe est loqui nec ea quæ loquuntur intelligere, aç in eo quod nequaquam assequuntur segniter acquiescere.

CAPVT III.

I. Curiositas est naturalis & necessaria. II. Tres leges quibus illa possit intra iustos limites contineri. III. Prima illarum legum explicatur.

I. Curiositas est naturalis, & essentialis.

QUandiù homines erga bonum supra vires ipsorum positum inclinabunt, illudque non possidebunt; secretà quadam propensione versùs id omne quod novi & insolentis aliquid geret semper ferentur. Res quas nondùm expenderunt semper consectabuntur: in iis id quod quærunt nancisci sperantes; cùmque mentibus ipsorum non possit penitùs satisfieri nisi per visum illius propter quem conditæ sunt, in perpetuà versabuntur anxietate & agitatione, donec tandem ille glorià suà circumfulgens ipsis appareat.

Ista equidem mentis dispositio ipsorum statui valdè conformis est; quippe veritatem & felicitatem quæ penes nos non sunt anxiè disquirere longè satiùs est, quàm acquiescendo in mendacio & falsis bonis quibus plerumque pascimur in falsa requie securos manere. Circà veritatem & suam felicitatem indifferentes esse, non debent homines. Itaque quod novum est & insolitum illos debet excitare. Immò quædam est curiositas quæ ipsis non modò permittenda, verùm etiam commendanda est. Cùm itaque vulgaria & ordinaria, verum bonum in se non includant, veteresque Philosophorum opiniones sint perquàm incertæ; æquum est nos curiositate moveri erga recens retecta, ac in perpetuà anxietate versari dum solis ordinarijs bonis fruimur.

Si Geometra quipiam novas propositiones ab Euclidis propositionibus contrarias nobis obtruderet; si hanc scientiam erroribus scatere probare satageret, vt id aggressus est Hobbes libro adversus fastum Geometrarum ab ipso composito, fateor eiusmodi innovationem nonnisi immeritò posse cuiquam arridere; quoniam veritati semel repertæ tenaciter adhærendum est, cùm curiositas eo duntaxat fine nobis sit data vt illam veritatem inveniamus. Nec id vitium deprehendi solet in Geometris vt sint opinionum novarum in Geometria sectatores. Ipsos brevi tæderet libri qui nihil præter propositiones Euclidis propositionibus contrarias complecteretur. Cùm enim certissimi facti simus veritatis istarum propositionum per demonstrationes infractas omnis nostra curiositas ipsarum

ipſarum reſpectû deſinit ; Quod nobis manifeſtè arguit homines ideò tantùm versùs novitatem propendere, quia veritatem rerum quas ſcire naturaliter exoptant , evidenter non vident, & quia bona infinita quæ poſſidere naturâ ſuâ appetunt non poſſident.

Juſtum igitur eſt homines novitate excitari & ipſam amare; ſunt tamen quædam admittendæ exceptiones, & nonnullas leges ex iis quæ diximus, nempe, propenſionem erga novitatem nobis dumtaxat ad veritatis, & noſtri veri boni inquiſitionem datam fuiſſe, collectû faciles, obſervare debent.

II. Tres leges quarum ope curioſitas intra iuſtos continentur limites.

Jam autem tres ſunt eiuſmodi leges, prima ; homines non debere conſectari novitatem in rebus fidei quæ rationi non ſubiiciuntur.

Secunda novitatem non eſſe rationem ob quam credere debeamus res eſſe bonas aut veras, hoc eſt, nos non debere iudicare opiniones veras eſſe, quia ſunt novæ, bonáque eſſe nobis idonea & ſufficientia, quia nova ſunt & extraordinaria, illíſque nondum fuimus potiti.

Tertia. Quum aliundè certi facti fuimus veritates quaſdam ita abditas eſſe vt illas tetegere moraliter, vt ita dicam, ſit impoſſibile, bonáque ita parva & exilia eſſe vt nobis ſatis eſſe nequeant; novitate quæ in illis deprehenditur non debemus pertrahi, nec falſis allici ſpeciebus. Sed iſtæ leges fuſiùs ſunt explicandæ, oſtendendumque eſt ex ipſarum negligentiâ ingentem oriri errorum numerum.

III. Prima illarum legum ſpecialis explicatio.

Indoles maximæ diverſæ ſæpiſſimè reperiuntur ; inter homines alij cæcam fidem ſemper volunt adhibere; alij evidenter omnia volunt videre. Priores vtpote qui nunquam mente ſuâ uſi fuerint, inconſultò credunt quæcunque ipſis dicuntur, poſteriores mente ſua ſemper uti volentes etiam in rebus quæ ipſos longè ſuperant, quaſlibet authoritates perinde aſpernantur. Priores ut plurimùm ſunt ſtupidi & homines debilis cerebri, vt infantes & fœminæ ; alij ſunt ingenio ſuperbo, & prophano, quales ſunt hæretici, & Philoſophi.

Homines qui inter illa duo extrema medium inſiſtant iter, quique in rebus fidei per vanam mentis agitationem aliquam non quærant evidentiam, aut qui falſas opiniones circa res naturales, per obedientiam inconſultam abiectamque animi demiſſionem ſine evidentia non credant, pauci admodùm reperiuntur. Si homines illi ſint pietate inſignes, ac Eccleſiæ authoritati maximè ſubmiſſi, ipſorum fides ad opiniones merè Philoſophicas uſque nonnunquam extenditur ; opiniones illas ſæpe eadem cum veneratione

ratione spectant ac veritates Religionis : dissentientes, falso zelo moti, nimis facilè damnant. Eos non sine iniuriâ suspectos habent qui novas quasdam retegunt veritates. Illum protinùs impietatis arguent, qui negare audebit dari formas substantiales, animalia dolorem & voluptatem sentire, aliásque Philosophicas opiniones, quas sine ratione evidenti veras existimant, quia duntaxat nescio quem nexum fingunt inter illas opiniones & veritates fidei.

Uiceversâ si in homines incidas æquo audaciores superbiâ eò adducuntur vt Ecclesiæ authoritatem susque deque habeant : vix ac ne vix ipsi se subiiciunt opinionibus duris & indigestis gaudent ; animi fortitudinis famam ambiunt ; atque eo animo de rebus divinis inverecundè & audaciter loquuntur ; illos despicantur vt nimis credulos qui de sententiis quibusdam receptis modestè loquuntur. Denique ad id valdè propensi sunt vt de cunctis dubitent, ac proinde aliis qui facilius æquo humanæ authoritati sese submittunt toto genere diversi.

Hæc duo extrema pessima esse, illosque qui in quæstionibus naturalibus nullam quærunt evidentiam non minùs vituperandos esse quàm eos qui in mysteriis fidei evidentiam illam anxiè sollicitant manifestum est. At verò qui in erroris periculum adducuntur in quæstionibus Philosophicis dum æquo facilius fidem adhibent, multò sanè excusabiliores sunt iis qui temerariè dubitando in hæresin aliquam incidere periclitantur. Etenim innumeros admittere errores in Philosophia ob examinis defectum multò minus periculosum est, quàm in unicam labi hæresin propter non præstitam obedientiam debitam authoritati Ecclesiæ.

Mens placidè quiescit ubi evidentiam nanciscitur, at verò quum illam non reperit sollicita est quia evidentia est veritatis κριτήριον. Itaque * Prophanorum & hæreticorum error in eo consistit quod veritatem in Ecclesiæ decisionibus occurrere dubitent, quia in iis nullam vident evidentiam, ac veritates fidei cum evidentia posse cognoscere sibi pollicentur. Jam autem hac in re ipsorum amor ergà novitatem excedit normam, quippe veritatem in Fide Ecclesiæ possidentes, perperam aliquid ulteriùs quærunt. His adde, quòd veritates Fidei vt pote ipsorum captum longè exuperantes nunquam possent retegere licèt iuxta falsam ipsorum hypothesim Ecclesia in suis decisionibus errasset.

* Libertins.

Verùm si complures sint qui obedientiam & summissionem authoritati Ecclesiæ recusando errent, pauciores non sunt qui authoritati humanæ serviliter cedentes in errorem labantur. Authoritati Ecclesiæ cedendum est quia errare unquam nequit ; At verò humanæ authoritati cæcum obsequium nunquam præstandum

standum est, quia ubique & semper possunt errare. Quod Ecclesia nos docet rationis vires infinitè superat; Quod homines nos docent rationi nostræ subiicitur. Adeò vt si piaculum sit & vanitas intoleranda ratione suâ quærere veritatem in rebus Fidei nullo habito respectû ad Ecclesiæ authoritatem, summa etiam sit levitas & abiecta pusillanimitas authoritati humanæ in rebus à ratione pendentibus cæcum præbere assensum.

Plerique tamen eorum qui apud homines docti audiunt, hanc famam sibi comparasse dici possunt quia duntaxat opiniones Aristotelis, Platonis, Epicuri, & quorundam aliorum Philosophorum memoriâ tenent, quia in ipsorum sententias pedibus eunt, illásque acerrimè tutantur. Vt ad gradus, quos vocant, externosque doctrinæ characteres quis in Academiis seu Universitatibus promoveatur sufficit ipsum quorundam Philosophorum opiniones assequi. Dummodò velit iurare *in verba Magistri* brevi Doctor proclamabitur. Omnes penè Societates doctrinam tenent sibi propriam & peculiarem, quam singulis Societatis membris deserere interdicitur. Quod apud illos verum habetur, apud hos falsum sæpe existimatur; sui ordinis doctrinam contra rationem & experientiam defendere gloriantur, ac veritatem, vel authores suos contorquere tenentur vt hos cum illâ possint conciliare. Quod innumeras parit distinctiones frivolas, quæ veluti per totidem Mæandros in errorem certò deducunt.

Si veritas quæpiam retegatur oportet etiamnum hodie Aristotelem illam vidisse veritatem; sin verò Aristoteles illi repugnet, tum veritas illa recens retecta falsa existimabitur. Philosophum illum alij hoc, alij illo modo loquentem inducunt. Quicunque enim docti cluere gestiunt, ipsi suam affingunt sententiam, nullam ineptiam ipsi non tribuunt, ac nihil recens excogitatur quod in aliquo librorum ipsius recessû ænigmaticè non reperiatur. Uno verbo sibi penè semper adversatur Philosophus, si non in suis ipsius, saltem in sectatorum operibus. Quamvis enim Philosophi ipsius doctrinam se docere asseverent & autument, vix tamen duo reperientur qui circa eius sententiam inter se consentiant: Quoniam revera Aristotelis libri adeò obscuri sunt, tótque scatent terminis vagis & generalibus, vt eorum opiniones quæ ipsi maximè adversantur non sine verisimilitudine possint ipsi tribui. In nonnullis illius operibus quidlibet ipsi adscribere licet, quia in iis nihil penè dicit, quamvis multa magno strepitû deblateret: quemadmodum pueri campanas sonitu suo quidlibet dicere fingunt, quia campanæ ingentem edunt sonum nec quicquam dicunt.

Mentem humanam figere ac sistere in opinionibus quibusdam specialibus æquum equidem videtur, nè extra oleas divagetur. Sed quid? an sistenda est errore & mendacio? seu potiùs quis credat errorem posse mentem sollicitudine liberare? Quàm quæso, rarum est reperire viros cordatos quibus lectione Aristotelis satisfiat, quique postquàm in ipsius libris evoluendis consenuerunt, veram se comparasse scientiam persuadeantur? Certè id manifestò arguit veritatem & evidentiam duntaxat posse sistere mentis agitationem, ac altercationes, odia, errores, & hæreses ipsas pessimâ studiorum instituendorum ratione foveri. Veritas consistit in individuo, omnis varietatis expers est, ac sola ingenia hominum ad unionem revocare potest: mendacium verò & error illa duntaxat dividere & agitare queunt.

Haud equidem me latet non deesse qui bona fide credant illum quem Philosophorum Principem appellant errare non posse, ac in ipsius operibus veram solidámque reperiri Philosophiam. Sunt qui à bis mille annis ex quibus scripsit Aristoteles nullum adhuc in ipsius Libris errorem unquam deprehensum fuisse arbitrentur; ac proinde cùm sit ἀναμάρτητος, se posse illum sine examine amplecti & tanquam infallibilem citare. Verùm homines huiusce commatis non moramur, in eâ enim versantur ignorantiâ quæ contemtum potiùs quàm refutationem meretur. Id unum ab illis efflagitamus; vt nempe, si videamus Aristotelem aut quendam inter ipsius sectatores unquam deduxisse ullam veritatem ex principiis Physices isti Philosopho peculiaribus, aut si ipsi rem confecerint; veritatem illam profiteantur, proferant, explicent & probent; tum Aristotelem nunquam in posterum à nobis sine Elogio nominatum iri quolibet pignore illis spondebimus. Ipsius principia haud amplius inutilia dicemus, quippe quæ uni tandem veritati stabiliendæ inseruierint; sed id sperandi non datur locus. Jamdudum similis provocatio facta fuit, à multis ac inter cæteros à celeberrimo D. Descartes in Meditationibus suis Metaphysicis ante quadraginta annos aut circiter; addita sponsione demonstrandi falsitatem istius veritatis ψευδοκούμ. Nec verisimile est quemquam ausurum esse id quod antagonistæ Cartesij infensissimi, & Aristotelis vindices acerrimi nondum ausi sunt aggredi.

Quum hæc igitur ita se habeant liceat nobis dicere eos qui Aristoteus, Platonis, aut alius cuiuslibet Philosophi authoritati sic cedunt, id per cæcitatem, pudendam pusillanimitatem, ac summam stupiditatem facere; eosque tempus miserè perdere, qui dum illos legunt authores eo tantùm consilio id agunt vt illos retineant; Quin istos non modò tempus terere verùm etiam alijs

ejusdem

ejuſdem jacturæ cauſam eſſe. Liceat dicere cum D. Auguſtino, ſtultam eſſe curioſitatem *filium ſuum in ſcholam mittere, vt quid Magiſter cogitet diſcat*, Philoſophos non poſſe nos erudere authoritate ſuâ, quòd ſi id vellent, iniquè volunt. Illos aliquatenus inſanos & impios eſſe qui ipſorum ſententias defendere ſolemniter iurarunt. Veritatem denique captivam iniquè detineri ab iis qui propter ſui commodum novis Philoſophiæ opinionibus quæ veræ eſſe poſſunt, renituntur, vt eas quæ ab ipſis falſæ aut inutiles ſatis agnoſcuntur, conſervent. *August. de Magistro.*

CAPVT IV.

Pergitur in eadem materiâ. I. Secunda curioſitatis lex explicatur. II. Tertia explicatur.

SEcunda lex quæ obſervanda venit eſt, novitatem à nobis nunquam haberi debere vt argumentum quo credamus res eſſe veras. Homines in errore & in falſis bonis quibus potiuntur acquieſcere non debere, & ipſos evidentiam veritatis, ac verum bonum quod non poſſident quærere, ac proinde ad res ſibi novas & inſolitas ferri par eſſe multoties jam diximus. Sed his ſemper adhæreſcere & opiniones veras eſſe quia ſunt novæ, aut bona eſſe vera quia nondùm illis potiti fuerant ideò credere non debent. Novitas eò tantùm illos adducere debet vt res novas accuratè circunſpiciant. Illas vt pote ſibi ignotas non debent aſpernari, ſed nec illas id quod optant & ſperant in ſe includere temerè credere debent. I. *Secunda lex explicatur.*

Verùm enim verò res hæc vt plurimùm ita ſe habet. Homines examinatis opinionibus veteribus & vulgaribus in iis veritatis lumen non perceperunt. Deguſtatis bonis vulgaribus in iis voluptatem ſolidam quæ poſſeſſionis boni comes eſſe debet non compererunt. Ipſorum igitur ſollicitudines & deſideriâ opinionibus & bonis vulgaribus non expleta ſunt, ſi aliquid novi & inſoliti fando accipiunt, idea novitatis illos in ſpem adducit ibi inveniendi id quod quærunt. Et quia ſibi ipſis naturâ ſuâ indulgent, ac res vulgò tales credunt quales illas eſſe optarent, ſpes invaleſcit quo magis deſideria creſcunt, eâque demum ſpes in perſuaſionem imaginariam convertitur. Dein ideam novitatis ideæ veritatis tam ſtrictè alligant, vt una nunquam ſe ipſis obiiciat ſine altera. Quòdque noviſſimum ipſis ſemper verius & præſtantius

apparet quàm quod vulgare est. Ab illis valdè dissimiles qui præ odio quo prosequuntur hæresin alligatâ ideâ novitatis ideæ falsitatis, omnes novas opiniones falsas esse, & aliquid periculosi includere arbitrantur.

Hæc igitur solita dispositio mentis & cordis hominum respectu eorum omnium quæ novitatis characterem præ se ferunt, inter generaliores errorum causas recenseri potest. Ista enim dispositio illos nunquàm ferè ad veritatem ducit; si quandoque ducat id fortuitò contingit; ac illos denique semper abducit à vero suo bono, ipsos sistendo in multiplici varietate delectationum & falsorum bonorum quibus mundus refertus est, qui error omnium est periculosissimum.

II. *Tertia lex curiositatis.* Tertia regula quibus immoderata novitatis desideria possunt temperari hæc est. Quum aliunde certiores facti fuimus veritates adeò esse abditas vt nullo humano conamine retegi possint, bonáque ita parva & utilia esse vt nos beatos efficere nequeant, novitate quæ in illis occurrit excitari nequaquam debemus.

Omnes fide, ratione, & experientia, omnia bona creata infinitam voluntatis nostræ capacitatē implere non posse norunt. Omnia huiusce mundi nihil esse, præter vanitatem, felicitatémque nostram in honoribus & divitiis positam non esse fide docemur. Cùm penes nos non sit limites præscribere desideriis nostris, cúmque propensione naturali ad omnia bona amanda feramur, nos non posse beatos evadere nisi possessione illius quod omnia in se bona complectitur ratio evincit. Propria experientia nostra nos interno sensu convincit nos non esse beatos in possessione bonorum quibus fruimur, cùm alia adhuc optemus. Denique ingentes opes quibus Principes & Reges etiam potentissimi potiuntur, ipsorum desideria non posse explere immò ipsos maioribus quàm homines vulgi laborare cùris & sollicitudinibus videmus ac ipsos vt pote in editissimo rotæ Fortunæ loco constitutos, ipsius motû longè magis agitari & concuti debere quàm qui infrà subsidentes centro sunt proximi. Etenim nunquam ruunt nisi ex loco præcipiti; nullis unquam nisi gravibus afficiuntur vulneribus; *tolluntur in altum, vt lapsû graviore ruant.* Totáque illa Majestas quæ ipsos comitatur, quamque entitati suæ, vt ita dicam; adstrinxerunt, ipsos inflat & extendit vt plura & graviora vulnera accipere, fortunæque vices faciliùs subire possint.

Cùm igitur fides ratio & experientia nos convincant bona & voluptates terræ quæ non gustavimus, nos beatos non effectura esse, licet ea possideremus. Ex hac lege sedulò cavendum nobis est ne falsâ felicitatis spe lactemur, quæ cum desideriis nostris paulatim

latim invalescens in falsam persuasionem tandem converteretur. Cùm vehementi alicuius boni desiderio flagramus illud semper maximum nobis exhibemus, illiusque possessionem nos beatos effecturam esse sensim persuademur.

Vanis igitur desideriis obsistendum est cum illa implere frustrà tentaremus. Sed potissimùm, cum nosmetipsos istis affectibus permittimus, ac in iis explendis tempus consumimus Deum & omnia cum Deo amittimus. E falsò bono ad aliud falsum bonum transcursitamus. Falsâ spe perpetuò pascimur. Nosmetipsos disiicimus & agitamus mille modis. Obices ubique occurrunt quia eadem bona quæ disquirimus à multis desiderantur, cùm tamen à multis possideri nequeant, ac denique morte occupamur & tum nihil amplius possidemus. Nam, vt nos docet Paulus, *qui divites fieri cupiunt, in tentationem & laqueos Diaboli ac in varia desideria inutilia incidunt, quæ homines in perditionis & damnationis abyssum dant præcipites. Nam cupiditas est radix omnium malorum.* Tim. 6.

Quod si ad bonorum terræ quæ nobis nova & inaudita sunt indagationem ferri non debeamus, quia nos in iis felicitatem quam quærimus nacturos non esse certò scimus; nullo etiam curiositatis motû affici debemus erga opiniones novas circa ingentem quæstionum difficilium numerum, quia aliunde novimus mentem humanam earum solutionem non posse assequi. Pleræque quæstiones quæ in Ethicâ ac præcipuè in Physicâ tractantur, sunt istius generis. Atque hanc ob causam libri qui quotidiè componuntur super his quæstionibus obscurissimis & intricatissimis nobis valde suspecti esse debent. Quamuis enim, absolutè loquendo, quæstiones quas continent solvi possint, tamen tam paucæ adhuc veritates fuerunt compertæ, tótque sunt comperiendæ antequàm veniatur ad eas quæ eorum libris tractantur, vt sine magno dispendio possint non legi.

Eo tamen modo se non gerunt homines, quin ad contrarium omnino abeunt. An id quod ipsis dicitur sit possibile non examinant. Sufficit si quis ipsis extraordinaria, vt *caloris naturalis*, *humidi radicalis*, spirituum *vitalium* reparationem aut alia quæ non intelligunt polliceatur, ad excitandam vanam ipsorum curiositatem & ad ipsos præoccupandos. Ad ipsos perstringendos & pelliciendos ipsis paradoxa proponere, terminis obscuris *influxu qualitatum*, &c. uti, authoritate quorundam authorum incognitorum dicta sua fulcire, aut aliquod experimentum maximè sensibile & extraordinarium, quamuis ad ea quæ proferuntur nullam habeant relationem facere satis est. Vt enim convincantur sufficit si ipsos ingenti strepitû obtundas.

Si Medicus, Chirurgus, Empiricus sententias Græcas & Latinas proferant terminisque novis & inusitatis utantur, tum viri doctrinâ insignes habebuntur, ius vitæ, & mortis in ægros sibi protinus acquirunt. Oraculorum instar auscultantur, ac ipsi supra cæteros longè eminere rerúmq; penetralia cognoscere se arbitrantur. Quod si quis ea sit audaciâ vt testetur sibi nequaquam arridere istam verborum sensu vacuorum farraginem, talem hominem sensû communi carere & prima rerum principia negare autumant. Reverâ prima eiusmodi hominum principia in quinque vel sex vocabulis Latinis alicuius authoris, aut in apophtegmate aliquo Græco, si sint eruditiores, posita sunt.

Immò quandoque necesse est vt periti medici linguam ægrotis ignotam loquantur, vt sibi famam atque confidentiam concilient. Medicus qui nullam præter Latinam calleret linguam ruri posset equidem magni fieri; quia lingua latina rusticis illis hominibus Græcæ aut Arabicæ loco est. At nisi Medicus Græcè saltem legere possit vt aliquem Hippocratis Aphorismum ediscat, non est quòd apud oppidanos quibus lingua Latina familiaris est eruditionis famam sibi conciliare posse speret. Itaque Medici etiam peritiores istam hominum vesaniam non ignorantes vt indocti & fumivenduli loqui sæpè tenentur, nec semper de ipsorum peritia & iudicio, ex iis quæ dum ægros invisunt dicere possunt, iudicandum est.

CAPVT V.

I. De secunda inclinatione naturali, aut de φιλαυτία. II. Dividitur φιλαυτία in amorem τοῦ esse, & τοῦ benè esse, seu in amorem magnitudinis & voluptatis.

I. *De secunda inclinatione naturali, aut de φιλαυτίᾳ.*

Secunda inclinatio quam Author naturæ indesinenter imprimit in voluntate nostrâ, est amor nostri, & propriæ nostri conservationis (quem amorem φιλαυτίαν dicemus.)

Deum omnia opera sua amare, illáque, hoc solo Dei amore conservari, ipsúmque vt omnes mentes eadem ac ipse inclinationem habeant velle iam diximus. Illa igitur omnia opera inclinatione naturali ad sui conservationem propendere, ac seipsa amare vult. Itaque par est vt nosmetipsos amemus, cùm reverà simus amabiles, cum Deus ipse nos amet, cúmque velit vt nosmetipsos amemus. At verò æquum non est vt nosmetipsos suprà Deum amemus,

amemus, cum Deus infinitè sit nobis amabilior. Nostrum ultimum finem in nobis ipsis collocare, ac nosmetipsos non amare relatè ad Deum, iniustum est; cum reverâ nullam bonitatem nullamque subsistentiam per nosmetipsos habentes, sed tantummodò per participationem bonitatis & entis divini, non simus amabiles per nos ipsos, sed solum per relationem ad Deum.

Si Fide & Ratione doceamur Deum solum esse summum bonum, ipsúmque solum posse nos delectationibus cumulare, ipsum ideò amandum esse facilè concipimus, & ad illum amorem facilè impellimur; sed sine gratia Deum semper amamus per φιλαυτίαν duntaxat; Pura puta charitas vires nostras ita excedit, vt tantum absit nos amare posse Deum propter Deum ipsum, quinimmò ratio humana quomodo aliter amare quàm relatè ad nosmetipsos, finemque ultimum à propriâ nostrâ satisfactione diversum habere possimus, facilè non concipit; φιλαυτία igitur sola menti nostræ dominatur ex quo peccatum incepit; atque amor erga Deum & proximum nihil aliud sunt quàm istius φιλαυτίας sequelæ. Quandoquidem nihil amplius amamus, nisi quia illud amando, aliquod speramus commodum, aut aliquam actû percipimus voluptatem.

Ista autem φιλαυτία in duas species dividi potest, nempe, in magnitudinis & voluptatis amorem; seu in amorem nostri esse & perfectionis istius esse nostri, & in amorem τοῦ benè esse nostri aut felicitatis. II. *Φιλαυτία dividitur in amorem τοῦ esse & τοῦ bene esse, seu in amorem magnitudinis & voluptatis.*

Per magnitudinis amorem potentiam, dignitatum possessionem, independentiam, & entis nostri per seipsum subsistentiam affectamus atque ambimus. Ens necessarium in nobis includere aliquatenùs optamus; ac aliquo sensu instar Deorum esse cupimus. Deus enim solus propriè includit in se ens, solúsque necessariò existit. Quicquid enim dependet ab alio non subsistit nisi voluntatem illius à quo dependet, cum igitur homines entis sui necessitatem seu necessariam existentiam exoptent, potestatem eodem tempore & independentiam optant, quæ ipsos ab aliorum dominio vindicent. Sed per amorem voluptatis non modo cupiunt τὸ esse, verùm etiam τὸ benè esse; cùm voluptas sit optimus & menti utilissimus essendi modus.

Animadvertendum enim est magnitudinem, excellentiam, & independentiam creaturæ non esse modos essendi qui ipsam per se reddant feliciorem; sæpe enim contingit vt quò magis ad dignitates quis evehitur eò infelicior evadat; voluptatem verò quòd spectat, ea est modus essendi quo non possumus modificari, quin actû feliciores evadamus. Majestas & independentia sæpiùs non sunt

sunt in nobis, ac plerunque duntaxat sitæ sunt in relatione quam habemus ad res quibus circumdamur. Sed voluptates sunt in ipsâ mente, ipsius sunt modi reales quibus modificatur, quique per naturam suam possunt ipsi satisfacere. Præcellentiam, Magnitudinem, & independentiam consideramus, vt res ad conservandum τὸ esse nostrum idoneas, immò quandoque ad conservandum τὸ benè esse iuxta ordinem naturæ utilissimas. Sed voluptas est semper modificatio mentis quæ per seipsam mentem efficit beatam; adeò vt voluptas sit τὸ benè esse, & amor voluptatis, amor τοῦ benè esse.

Jam autem amor ille τοῦ benè esse tam efficax est vt amori τοῦ esse sæpè prævaleat, immò φιλαυτία eò interdùm nos adducit vt optemus τὸ non esse, quia non habemus τὸ bene esse. Id omnibus damnatis contingit, quibus meliùs foret iuxtà JESU CHRISTI verbum, non esse quàm esse tam miseros. Quippe cùm infortunati illi sint inimici implacabiles illius qui in se omnem complectitur bonitatem quique sola est causa voluptatum & dolorum quæ sentire possumus, fieri nequit vt aliqua requie aut voluptate frui possint. Sunt & erunt in æternum miseri, quia ipsorum voluntas in eadem dispositione & perversitate semper permanebit. Igitur amor suipsius seu φιλαυτία duplicem complectitur amorem, amorem magnitudinis, potestatis, independentiæ, & omnium in genere quæ nobis ad entis nostri conservationem apta videntur; & amorem voluptatis & omnium quæ necessaria sunt vt benè nobis sit, hoc est, vt simus fœlices & beati.

Duplex ille amor multipliciter potest dividi; siue quia ex duabus partibus diversis, mente & corpore, secundùm quas dividi potest ille amor, componimur. Sive quia per varia obiecta conservationi nostræ utilia possunt distingui aut specificari. His tamen non immorabimur, quia cùm Ethicam instituere non sedeat animo, haud opus est nos hîc accuratè investigare & dividere omnia quæ vt bona nostra existimamus. Necesse duntaxat fuit hanc statuere divisionem vt causas errorum nostrorum ordine possemus enumerare.

Primò igitur de erroribus qui ortum ducunt ab inclinatione nostrâ erga magnitudinem & ergà id omne quod ens nostrum ab aliorum dominio liberat. Secundò de erroribus quæ ab inclinatione nostrâ ergà voluptatem, & erga id omne quod enti nostro maximam conciliat perfectionem, seu quod nobis maximam creat voluptatem; agemus.

CAPVT VI.

I. De inclinatione quâ versùs id omne quod nos supra cæteros extollit ferimur. II. De falsis nonnullorum piorum iudiciis. III. De falsis superstitiosorum & hypocritarum iudiciis. IV. De Voëtio Cartesij adversario.

QUæcunque nos aliquatenus suprà cæteros extollunt efficiendo vt simus perfectiores, vt scientia & virtus; aut quæ nobis in alios aliquam concilíant authoritatem efficiendo vt simus potentiores, aliquam ἀνυπευθυνίαν nobis comparare videntur. Ab omnibus inferioribus nostris colimur & formidamur, ad quidlibet nostræ conservationis ergo faciendum semper sunt accincti, nec nobis in desideriis nostris officere aut resistere audent. Homines itaque prærogativas illas quibus supra cæteros eminent adipisci conantur. Etenim non attendunt τὸ esse & τὸ benè esse reverâ à Deo solo pendere, non verò ab hominibus; veramque magnitudinem quæ ipsos in æternum beatos efficiet, non consistere in illo dignitatis ordine in quo (saltem in cæterorum hominum debilium & miserorum æquè ac ipsi sunt imaginatione) constituti sunt; sed in humili submissione voluntati Dei, qui cùm iustus sit, eos proculdubiò remunerabitur, qui ordinem à se præscriptum constanter observant.

I. De inclinatione quâ versùs id omne quod nos supra cæteros extollit ferimur.

Verùm enim verò homines scientiam & virtutem, dignitates & divitias actû possidere non modò cupiunt; totis etiam viribus in id incumbunt vt cæteri homines credant saltem ipsos hæc omnia verè & realiter possidere. Ac si meritò dici possint realem opulentiam magis quærere quàm opulentiæ famam; certè meritò dici possunt minus curare virtutem ipsam quàm virtutis speciem: quippe vt scitè dixit author* sententiarum moralium, *virtutis lentissimus esset progressus nisi ipsi superbia esset comes.*

* *Libelli illius Gallicè titulus est.* Reflexions ou Sentences, & Maximes Morales, *tribuiturque vulgò nobilissimo D. de la Rochefoucaut.*

Opulentiæ eruditionis, & virtutis fama in eorum quibus circundamur aut qui nobis propinqui sunt imaginatione, dispositiones producit nobis utilissimas. Illa enim ipsos ad pedes nostros prosternit, & in nostri gratiam agitat; ipsisque omnes motûs conservationi nostræ & dignitatis incremento idoneos inspirat: homines igitur suam existimationem tanquam bonum quo indigent, vt inter homines vivant commodè, conservant.

Omnes itaque homines ergà virtutem scientiam, dignitates,

divitias, inclinatione feruntur, atque etiam istorum omnium famâ gaudent. Nunc quomodo istæ inclinationes possint ipsos in errorem iniicere aliquot exemplis ostensuri sumus. Ab inclinatione erga virtutem, aut erga virtutis speciem ordiamur.

Qui ad virtutem acquirendam animum seriò appellunt, in aliis rebus quàm in Religione cognoscendâ, bonisque exercendis operibus meditationes suas & tempus rarò collocant. Iuxtà D. Pauli exemplum, nihil præter Iesum Christum crucifixum, unicum adversus corruptionem & morbos naturæ ipsorum remedium scire decernunt. Nullum aliud lumen exoptant quàm quod ipsis necessarium est vt Christianam agant vitam, suáque cognoscant officia; ac posteà nulli alij rei incumbunt quàm præstandis fervidè & accuratè illis officiis.

In vita sic instituta nihil est quod carpamus, immò illam maximi facimus; illius accuratam observationem magnam ducimus felicitatem; atque etiam nos pœnitet illam satis non observasse. Verùm hoc probare non possumus, quòd nempe, cùm certissimè constet dari scientias merè humanas, certissimas tamen, & satis utiles quæ mentem à rebus sensibilibus abstrahunt, illámque veritatibus Evangelicis gustandis, paulatim assuefaciunt seu præparant, reperiantur tamen viri quidam pij, qui scientias illas, quas non examinarunt, æquo liberiùs damnant vt inutiles, vel vt incertas.

II. De falsis virorum quorundam piorum indiciis

Verum equidem est plerasque scientias esse admodùm incertas, & inutiles: ac ij vehementer non falluntur qui in istis scientiis veritates parvi momenti contineri dicunt. Illis nunquam studere licet; & satius est illas omnino adspernari quàm sinere sibi ab illis fucum fieri. Nihilominus tamen dicere possumus perquam necessarium esse quasdam metaphysicas veritates cognoscere. Causæ universalis, aut existentiæ Dei cognitio est prorsùs necessaria, cum ipsa vt ita dicam, certitudo fidei pendeat à cognitione quam ex ratione haurimus circa existentiam Dei. Scire igitur necesse est ipsius voluntate naturam formari & dirigi; vim aut potentiam causarum naturalium nihil aliud esse quam ipsius voluntatem, uno verbo omnia omnimodè à Deo pendere.

Necesse pariter est cognoscere quid sit veritas, quo pactò possit ab errore dignosci, quomodo corpora & mentes distinguantur, quæ ex iis possint deduci consequentiæ, vt immortalitas animæ, & multa alia quæ possunt certò cognosci.

Scientia hominis, aut scientia sui ipsius scientia est quæ legitimè sperni non potest; innumeris referta est quæ scire omninò necesse est vt aliquam iudicij rectitudinem, penetrationémque acquiramus,

quiramus. Ac si dicere possumus hominem rudem & stupidum materia longè præstare, quia ille novit se existere, materia vero nullam existentiæ suæ notitiam habet, dicere etiam possumus eos qui hominem cognoscunt, rudibus & stupidis longè antecellere, quia noverunt quid sint, alij verò non.

Verùm hominis scientia non modò magni fieri debet, quia nos supra cæteros homines extollit, ipsius pretium in eo longè magis elucescit quòd nos coram Deo deprimat & humiliet. Hac scientiâ cognoscimus quantoperè ab ipso in omnibus dependeamus, etiam in actionibus nobis maximè familiaribus; illâ corruptio naturæ nostræ manifestò nobis innotescit; per illam ad id disponimur vt ad eum qui solus nos sanare potest confugiamus, ipsi soli adhæreamus, nobis diffidamus & renunciemus; atque eo pacto multas acquirimus dispositiones ad nos submittendos gratiæ Evangelij.

Mathematicæ & naturæ cognitione, saltem generali, vix omnino carere quis potest. Scientiis illis à iuventute fuit incumbendum: illæ enim mentem à sensibilibus solvunt, impediúntque quominùs emollescat & effæminetur. Non parvum in vitâ sortiuntur usum; immò etiam ad Deum nos deducunt, naturæ cognitio per seipsam, mathematicæ verò per fastidium quod nobis ingignit erga falsas sensuum impressiones.

Viri virtute præditi scientias illas adspernari aut tanquàm incertas & inutiles habere non debent, nisi eas priùs satis expenderint ad solidum de iis ferendum iudicium. Sat multæ aliæ erunt scientiæ quas tutò possunt spernere. Poëtas, & Philosophos Ethnicos, Rabbinos, Historicos quosdam & innumeros Authores in quibus nonnulli eruditi suam constituunt gloriam & eruditionem, igni addicant, per nos licet. At verò ne naturæ cognitionem vt Religioni repugnantem damnent. Quippè cum natura voluntate Dei regatur vera naturæ cognitio, nos in potentiæ, magnitudinis, & sapientiæ divinæ admirationem rapit. Etenim verisimile est universum à Deo conditum fuisse, vt homines in ipsius studio & meditatione defigantur, illóque studio ad cognoscendum & religiosè colendum ipsius Authorem incitentur, adeò vt qui naturæ studium damnant Dei voluntati resistere videantur, nisi mentem humanam ad id studium ineptam ex peccato factam fuisse arbitrentur. Non est etiam quod dicant cognitionem hominis ipsum duntaxat inflare vanitatémque ipsi inspirare; quia ij qui hominem perfectè cognoscere vulgò putantur, quamvis illum pessimè sæpè cognoscant; superbia intolerabili vt plurimùm efferuntur: namque neminem seipsum ritè cognoscere posse, quin eodem tempore suas sentiat infirmitates & miserias, evidenter patet.

III *De falsis superstitiosorum & hypocritarum ingenijs.* Nec certè viri verâ solidáque præditi pietate quæ non intelligunt vituperare solent, sed potiùs superstitiosi & hypocritæ. Superstitiosi timore servili, ac animi demissione & tenuitate, statim atque ingenium vivax & penetrans vident expavescunt. Si exempli gratiâ, ipsis rationibus naturalibus tonitru ipsiúsque effecta explices, protinus Atheus ipsis videberis. At verò hypocritæ diabolicâ malignitate sese in angelos lucis transformant. Veritatum sanctarum & ab omnibus sanctè habitarum specie utuntur, vt veritatibus parum notis & à plerisque neglectis utilitate aliquâ peculiari moti resistant. Veritatem veritatis imagine impugnant, ac dum ea quæ omnes venerantur sæpè apud seipsos rident, existimationem apud homines eò solidiorem, & magis timendam sibi conciliant, quò res quâ abusi sunt sanctior est.

Isti igitur homines vehementissimi, potentissimi, & maximè formidabiles sunt omnium veritatis adversariorum. Rari equidem sunt, sed pauci sufficiunt ad multa invehenda mala; veritatis & virtutis species plus sæpe incommodi afferunt, quàm veritas & virtus ipsa commodi. Unus enim hypocrita vafer, quæcunque multi verè pij & sapientes magno negotio ædificaverunt destruere potest.

IV. *De Voëtio.* D. Descartes, exempli gratiâ, existentiam Dei, immortalitatem animæ, multásque alias quæstiones metaphysicas, & complures quæstiones Physicas demonstrativè probavit, ac de sæculo nostro ob veritates quas retexit optimè meritus est, si quis unquam: surgit tamen homuncio quidam, fervens, vehemensque declamator, ob Religionis suæ zelum apud vulgus magno habitus pretio; Libros contumeliis adversus Philosophum illum plenos conscribit, ipsumque atrocissimorum accusat criminum. Cartesius est Catholicus, sub Jesuitis studia sua instituit, de iis magna cum reverentiâ sæpè loquutus est: id ingenio isti maligno sufficit vt populis Religionis nostræ inimicis ac circa res Religionis provocatû facilibus persuadeat, Cartesium esse Jesuitarum emissarium & aliquid monstri molientem; minimæ enim veritatis species in rebus fidei plus habent efficaciæ in ingenia, quàm veritates reales in rebus Physicis aut Metaphysicis de quibus parùm sollicitum est vulgus hominum. De existentia Dei scripsit Cartesius; satis est isti Sycophantæ vt cacozelum suum exerceat, veritatésque quas defendit ipsius adversarius opprimat. Ipsum arguit esse Atheum, immò callidè & subdolè Atheismum docere; vt famosus ille Atheus nomine *Vanino* Tolosæ olim ignis supplicio affectus, qui pro existentia Dei scribens suam tegebat impietatem & malitiam. Nam inter argumenta quæ profert vt probet Cartesium esse Atheum illud

exstat,

extat, quod nempe, adversus Atheos scribebat vt olim *Vanini* qui impietati velum obducturus adversus atheos scribebat.

Sic veritas ab iis qui falsis nituntur veritatis speciebus, quique ingentem sibi in debiles conciliaverunt authoritatem opprimi solet. Veritas lenitatis & pacis est amica, & quantumlibet valida sit, superbiæ tamen & mendacij veritatis speciebus armati ferocitati nonnunquam cedit. Illa equidem novit errorem adversus ipsam nihil quicquam valere, ac si per aliquod tempus proscripta & obscura delitescat, expectat occasiones opportunas quibus tutò prodire possit; Etenim in ipso oppressionis loco validior sæpe & splendidior quàm usquam elucescit.

Cartesij antagonistam, hominem diversam ab ipso religionem profitentem, ambitiosum, qui famam suam famæ eorum quibus inferior est veluti ruinis superstruere duntaxat conatur, temerarium declamatorem, *Voëtium*, uno verbo, de iis quæ non intelligit quæque intelligere recusat cum contemptû loqui mirum non est. Sed viros nec Cartesio, nec ipsius Religioni infensos; ipsum odio & contemptû prosequutos fuisse, ad id contumelijs quas in libro ab ipsius adversario composito repererunt motos; illud est quod non possumus quin miremur.

Liber istius hæretici inscriptus; *Desperata causa Papatus*, ipsius impudentiam, ignorantiam, violentiam, ac existimationis sibi falsò zelo suo conciliandæ cupiditatem satis arguit. Non est igitur quod huiusce hominis testimonio fidem adhibeamus. Quemadmodum enim omnes Fabulæ quas adversus Religionem nostram in libro suo congessit credendæ non sunt, sic maximæ esset imprudentiæ atroces & contumeliosas criminationes quibus adversarium suum proscindit credere.

Ne igitur viri rationis compotes sibi persuaderi finant Dominum Cartesium esse hominem perniciosum; quia id in aliquo legerunt libro, vel quia id ab hominibus quibusdam quorum pietatem venerantur acceperunt. Haud licet hominibus ex solo ipsorum testimonio credere, dum alios criminum atrocissimorum accusant. Habitus externus hominis alicuius graviter & piè loquentis argumentum non est sufficiens ad aliquid persuadendum. Etenim nonne falsa & inepta eodem modo externo, quo vera & bona dicuntur, proferri possunt; præcipuè si falsa ista & inepta quis incautus altè imbiberit.

Accusationum adversùs Cartesium factarum veritatem aut falsitatem cognoscere difficile non est. Ipsius scripta facilè inveniri possunt, nec ingenti negotio ab iis qui attenti sunt intelliguntur. Ipsius igitur opera sunt legenda vt alia quàm quæ ex incertâ

famâ deducuntur adversus ipsum possint proferri iudicia. Ac postquàm attentè lecta fuerint & seria meditatione excussa, spero fore vt non ampliùs accusetur Atheismi, quin contrà ab iis qui ipsum antea criminabantur ea excipietur veneratione, quâ vir cuius ope non modo existentia Dei & immortalitas animæ, verum etiam innumeræ aliæ veritates hucusque incognitæ, modo simplicissimo & evidentissimo demonstratæ sunt, dignus est.

CAPVT VII.

De scientiæ desiderio ac Doctorum falsò sic dictorum iudicijs.

Mens humana parum admodum habet capacitatis, nec tamen quicquam est quod scire non cupiat. Omnes scientiæ humanæ ipsius desideria non possunt implere, cùm tamen ipsius capacitas adeò angusta sit vt vel unam scientiam specialem capere nequeat. In perpetuâ agitatione perpetuóque plura sciendi desiderio versatur; sive quia id quod quærit se nacturum esse sperat, vt capitibus præcedentibus dictum est, sive quia mentem & ingenium augescere arbitratur vanâ alicuius cognitionis non vulgaris professione. Immoderata felicitatis & magnitudinis cupiditas efficit vt omnibus scientiis studeat, felicitatem se consecuturum in Ethicâ sperans, falsamque illam magnitudinem in scientiis speculativis quærens.

Cur homines reperiuntur qui vitam Rabbinorum opera, aliosque libros idiomatis peregrinis obscuris, corruptis, & ab authoribus sine sale & intelligentiâ conscriptis legendo transigunt, nisi quia sibi persuadent se postquàm didicerint linguas Orientales, iis qui illas ignorant longè superiores evasuros? Quid ipsos in labore improbo, molesto, duro, inutili potest sustentare & corroborare nisi spes alicuius præcellentiæ, & vanæ nescio cuius magnitudinis contemplatio? Reverâ homines raræ eruditionis & non vulgares habentur; splendidis ob eruditionem ornantur elogiis; Lubentiùs audiuntur quàm cæteri homines; Et quamvis plerunque meritò dici possint omnium imprudentissimi ac iudicio maximè destituti, saltem quia totam vitam in labore valdè inutili, quo nec sapientiores nec feliciores possunt evadere, collocarunt; cæteris tamen ingenio & iudicio antecellere creduntur; Quia in dictionum origine

gine aliis sunt doctiores in rerum etiam natura peritissimi existimantur.

Eandem ob causam Astronomi non modo tempus & bona, vt ea accuratè cognoscant quæ cognoscere inutile & impossibile est. insumunt: Exactam in Planetarum cursû regularitatem, quæ non occurrit, reperire, & tabulas Astronomicas ad explicandos effectûs quorum causas non cognoscunt, instituere volunt. Selenographiam, seu Lunæ Geographiam componunt, quasi quis in Luna iter facere vellet. Eam iam iis qui in Astronomia insignes sunt diviserunt; pauci sunt qui in illa Regione aliquam non possideant Provinciam vt mercedem ingentium laborum suorum; nec satis scio an non gloriæ sibi ducant illius meruisse favorem qui hæc regna ipsis tam liberaliter partitus est.

Cur homines ratione præditi huic scientiæ tam anxiè incumbunt, dum in erroribus crassissimis circà veritates sibi utilissimas versantur, nisi quia magnum quid existimant cognoscere ea quæ vertuntur in cælis? Rei minimæ inter eas quæ in cœlesti regione aguntur cognitio, præstantiâ dignior videtur cognitione rerum vilium, abiectarum & corruptibilium, qualia sunt iuxta ipsos corpora sublunaria. Scientiæ nobilitas ex obiecti ipsius nobilitate oritur. Magnum istud principium est! Ergo cognitio motûs corporum inalterabilium & incorruptibilium omnes scientias sublimitate superat. Illa itaque sublimitate & præstantiâ ipsorum ingenij digna videtur.

Sic homines sese perstringi sinunt falsâ magnitudinis ideâ quæ vicundè eos percellit. Statim atque illo phantasmate permota fuit imaginatio, coram illo deprimitur, ipsum veneratur, ac rationem cuius esset iudicium ferre evertit & occæcat. Homines dum de affectuum suorum obiectis iudicant somniare, oculis clausis incedere, ac sensû communi capti esse videntur. Etenim quid, quæso, magni est in cognitione motuum Planetarum, nonne ipsos sat cognoscimus vt mensium & annorum curriculum possimus metiri atque determinare? Quid scire nostra interest an Saturnus annulo aut ingenti parvarum Lunarum numero circundetur, quare circa eam rem in partes imus? Cur gloriam inde aucuparis quod magnitudinem eclipseos maiori successû prædixeris quam quidam alij, in eo fortè felicior, potiùs quàm sapientior? Sunt homines à Principe constituti vt astra observent, ipsorum observationibus contenti simus. Legitima est ipsorum applicatio circa ista, quia id ipsis negotij datum est. In id operam feliciter conferunt, quia omnem artem attentionem, & diligentiam possibilem adhibent, nihil ipsis deest vt prosperè ipsis cedat iste labor. Itaque satis, circà rem quæ

ad.l

ad nos tam leviter attinet nobis esse debet si observationum ab ipsis jam factarum possimus fieri participes.

Multos Anatomiæ operam navare utile est cum istam cognoscere sit utilissimum, cumque ad cognitiones nobis utilissimas consequendas nos adspirare consentaneum sit. Iis quæ aliquid felicitati nostræ conferre; aut infirmitates & ærumnas nostras levare valent, animum adiungere debemus. At verò totas noctes de perspicillis pendêre ad deprehendendum in cœlis aliquam maculam aut novum aliquem planetam, valetudine sua & tempore miserè abuti, ac res suas negligere ad sedulo invisenda astra, & ad mensurandum ipsorum sitûs & magnitudines; quid est nisi penitus oblivisci sortis suæ præsentis & futuræ.

Nec est quòd quis opponat id fieri vt illius qui ingentia hæc formavit objecta magnitudo cognoscatur; minimus culex Dei potentiam & sapientiam iis qui animalculum illud attentè & seposito præiudicio ex illius parvitate nato considerant, luculentiùs manifestat omnibus Astronomorum circà cœlos cognitionibus. Homines tamen ad id conditi non sunt vt culices considerent. Nec probamus illorum laborem qui desudarunt vt nos docerent formam pediculorum, uniuscuiusque speciei animalium, variásque vermium in muscas & papiliones transformationes. His per otium animum oblectare licet, at homines nisi calamitatum suarum sensû destituti, in his tempus terere non debent. Dei & sui ipsorum cognitioni perpetuò incumbere debent; & seriam dare operam vt sese ab erroribus, præiudiciis, affectibus, ad peccatum propensionibus expediant, veritatesque sibi maximè necessarias anxiè disquirere: etenim illi maximo præditi sunt iudicio qui scientias omnium solidissimas accuratiùs quærunt.

Præcipua causa quæ homines in falsa studia coniicit, in eo sita est, quòd ideam Eruditi cognitionibus vanis & inanibus alligaverint, cum contra illam ideam cognitionibus solidis & necessariis alligare debuissent. Ubi enim quis eruditionem ambit, & polymathiæ spiritû agitatur, quænam scientiæ sive vt honestè vivat, sive vt ingenium excolat ipsi necessariæ sint parùm sollicitus est. Ad eos tantùm animum advertit qui apud homines eruditi audiunt, & quo pacto istam consequuti fuerint famam. Cum omnes scientiæ solidissimæ & maximè necessariæ sint satis vulgares, in eos qui illas possident nec admirationem nec venerationem movent; vulgaria enim quantumvis egregia & mirabilia in se sint sine admiratione tamen & sine attentione videntur. Qui igitur docti evadere cupiunt scientiis necessariis recto vitæ regimini & iudicio perficiendo parùm animum adiiciunt. Scientiæ illæ istam scientiarum

rum ideam quam sibi finxerunt in ipsis non excitant. Illæ enim scientiæ non sunt eædem quas in aliis mirati sunt, quasque alios in se mirari cuperent.

Evangelium & Ethica Christiana res sunt nimis familiares & vulgares. Nonnullas voces quæ apud Philosophos antiquos vel Poëtas Græcos occurrunt Criticè expendere malunt. Idiomata ac ea præcipuè quæ apud populares suos inusitata sunt, vt Arabicum & Rabbinicum, ipsis valdè arrident & studio suo digna videntur. Si Scripturam Sacram legant, id eâ mente non faciunt, vt in illâ S.S. Religionem & pietatem discant. Chronologiæ, Geographiæ, & Grammaticæ difficultates ipsos totos occupant. Illarum cognitionem vehementiùs cupiunt cognitione veritatum salutarium Evangelij. Scientiæ quam in aliis stultè mirati sunt, quam stulti in iis sine dubio mirabuntur possessores esse volunt.

Pariter cognitiones naturæ utilissimas parùm quærunt, sed minùs vulgares. Anatomia ipsis exilior videtur, sublimior est Astronomia. Experimenta ordinaria ipsorum applicatione parùm digna videntur, sed experimenta illa rara & admirabilia quibus erudiri non possumus, accuratissimè observant.

Historias ignotissimas & antiquissimas tenere gloriantur. Principum suorum nunc regnantium genealogiam ignorant, dum hominum à quater mille annis defunctorum genealogias curiosè rimantur: historias sui temporis vulgatissimas discere negligunt, dum fabulas & figmenta Poëtarum accuratè scire conantur. Suos ipsorum cognatos non cognoscunt; at si id ab ipsis exigas, multas congerent authoritates quibus probent talem civem Romanum cum Imperatore affinitate iunctum fuisse; & alia similia.

Nomina vestimentorum quæ usum obtinuerunt & nunc obtinent in suo sæculo vix callent, dum in vestimentis quibus olim utebantur Græci & Romani cognoscendis desudant. Animalia in patria sua frequentiora vix norunt, nec tamen multos annos insumere dubitabunt in componendis ingentibus voluminibus de animalibus in Bibliis Sacris designatis, vt terminorum incognitorum significationem se sagaciùs aliis esse assequutos ostendant. Eiusmodi liber authori & doctis à quibus legitur in deliciis est, quippe qui Græcis, Hebraicis, Arabicis, &c. citationibus Rabbinorum aliorumque Authorum obscurorum & inusitatorum vanitati Authoris ipsius & stultæ Lectorum curiositati indulget, qui se quoque aliis doctiores existimabunt, quando sex esse vocabula in scriptura quibus sex aut aliquid simile designetur audacter asserere poterunt.

Ipsorum patriæ aut etiam urbis topographia ipsos fugit, dum

perpetuò in tabulis Geographicis veteris Græciæ, Italiæ, Galliarum Julij Cæsaris tempore, consulendis occupantur, aut anxiè quærunt vicos & plateas veteris Romæ. *Labor stultorum*, inquit sapiēs, *affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere.* Urbis suæ vias ignorant ac circa inutilia se se incassum agitant. Leges & ritûs locorum in quibus degunt ignorant; at verò iuri Antiquo, legibus duodecim tabularum, ritibus Lacedæmoniorum aut Sinensium vel statutis Indorum accuratè cognoscendis anxiè student. Denique omnia rara, extraordinaria, remota & aliis incognita scire volunt, quia præ ingenij perturbatione ideā eruditionis hisce omnibus perperàm alligarunt. Ut doctus quis habeatur, sufficit ipsum nosse quæ alij ignorant; licet veritates pulcherrimæ & maximè necessariæ ipsum fugerent. Verum equidem est cognitionem illorum omnium & aliorum similium, dici scientiam, eruditionem, doctrinam, sic voluit usus; sed scientia quædam est quæ iuxtà Scripturam nihil est præter stultitiam & vanitatem. *Doctrina stultorum fatuitas.* Spiritum Sanctum qui in sacris codicibus tot elogiis ornat scientiam, quicquam in huiusce falsæ scientiæ de quâ suprà loquutus sum, gratiam dixisse nondum animadverti.

CAPVT VIII.

I. De desiderio, quo homines docti videri cupiunt. II. De ψευδωνύμων Doctorum colloquiis. III. De ipsorum operibus.

I. *De desiderio quo homines docti videri cupiunt.*

SI immoderata cupido eruditionem adipiscendi ignaros sæpe efficiat homines, desiderium illud quo docti videri cupiunt ipsos non modò ignaros facit, sed mentem ipsis evertere videtur. Innumeri enim sunt qui sensum communem amittunt: dum suprà illum sese extollere satagunt, quique nihil præter ineptias effutiunt, dum paradoxa duntaxat proferre volunt. Ab omnibus cogitationibus vulgaribus, eo consilio vt ingenij rari & extraordinarij famam consequantur, ita recedunt; vt reverâ ipsorum consilium prosperè cedat, quippe nunquam sine stupore, aut potiùs sine maximo contemptû audiuntur.

Cum admiratione nonnunquam cernuntur, cùm ad aliquam dignitatem quâ veluti inuoluũtur, tantùm genio & eruditione suprà cæteros eminere, quantùm natalibus & dignitate præcellere creduntur,

tur. Sed cum contemptû sæpiùs conspiciuntur, immò insani non rarò habentur, cùm propiùs examinantur, cúmque suâ dignitate hominum oculis non eripiuntur.

Docti falsò sic dicti quid sint in Libris suis & in colloquiis familiaribus manifestò arguunt. Aliquid eâ de re dicere forsan abs re non erit.

Sicut præ superbiâ & cupidine famæ studia sunt amplexi, statim atque alicui colloquio intersunt eos desiderium illud præcellentiæ & ambitio agitat & effert. Sese interdùm ita sublimes ferunt vt aliorum oculis eripiantur, ac ipsi ubi sint sæpiùs nesciant. Supra auditores non eminere eorumque captum non excedere tantâ verentur sollicitudine, vt succéseant si se alios assequi sentiant. Si ab ipsis vt aliquid dilucident flagites stomachantur, & ad minimam objectionem superbæ authoritatis & gravitatis speciem induunt. Denique tam nova & inusitata, sed simul tam absurda proferunt, vt sapientissimi adstantium risum vix tenere possint, dum alij perculsi obstupescunt. II. De colloquiis ouvo-μων Doctorum.

Ubi primus deferbuit æstus si quis eâ præditus fuerit animi constantiâ & fortitudine vt ipsorum dictis non emotus fuerit, eosque errorum suorum moneat; erroribus tamen illis præfractè adhærent. Illorum quos primò obstupefecerunt habitû externo ipsi obstupefiunt, tot approbatorum quos per impressionem persuaserunt conspectus, ipsos veluti repercussu etiam convincit; aut si non convincat, animos saltem satis inflat vt errores suos mordicùs defendere decernant. Superbia ipsos palinodiam cantare vetat. Aliquam rationem quâ se tutentur semper quærunt. Immò tanto impetû tantáque animi contentione nunquam loquuntur quàm quum non habent quid dicant. Iniuriam sibi fieri, ac se susque deque haberi credunt, simul atque aliquid ad ipsorum dicta reponis; immò quo obiectiones validiores & rectiores sunt eò vehementius ipsorum iram & superbiam provocant.

Optima ratio quibus veritas possit adversus eos defendi non est disputatio; etenim satius est ipsis & nobis illos in erroribus relinquere quam ipsorum odium movere. Ipsorum cor non est sauciandum dum mentem volumus sanare, cùm vulnera cordis vulneribus mentis sint periculosiora; præterquam quòd quandóque res est cum viro reverâ Docto qui forsan à nobis ideò duntaxat sperni posset, quia ipsius cogitata non perciperemus. Quapropter ab iis qui sic decisivè loquuntur impetrandum est, vt distinctè, quantùm in ipsis est, mentem suam aperiant; vtque in eadem thesi persistentes à terminis obscuris & æquivocis abstineant.

Tum si verâ sint eruditione ornati ex ipsorum dictis aliquid percipitur emolumenti. At verò si nihil præter ψευδώνυμον sapiant eruditionem ipsi propriis suis verbis sese iugulabunt, nec aliis nisi sibimet culpam istius confusionis imputare meritò poterunt. Immò aliquid fortè utilitatis atque etiam oblectationis ex ipsorum colloquiis percipietur; si demùm aliorum ineptiis delectari liceat dum ipsis remedium afferre contendimus. Verùm quod cæteris longè antiquius est, hoc pacto cavebitur ne debiles qui doctos illos falsò sic dictos prius admirabundi audiebant, ipsorum errori nimia summissione sese mancipent.

Istud enim sedulò animadvertendum est. Cùm stultorum aut eorum qui mechanicè & per sensibilem impressionem aguntur numerus longè maior sit numero eorum quibus ingenium est acre, quique ratione solâ persuaderi sese sinunt; quando aliquis inter istiuscemodi doctos de aliquâ re loquitur, & sententiam profert decisivam, semper longè plures sunt qui in ipsius verba nullo admisso examine iurent, quàm qui ipsi diffidãt, sed quia eiusmodi docti falsò sic dicti à cogitationibus vulgaribus quantùm pote est recedunt, ad id moti tam desiderio reperiendi aliquem antagonistam quem malè excipiant vt gloriæ suæ hoc pacto velificentur, quàm spiritû vertiginis aut etiam animo contradicendi; ipsorum decisiones vt plurimùm sunt falsæ aut obscuræ; & rarò à quoquam audiuntur quin eum statim in aliquem iniiciant errorem.

Jam autem ratio ista aliorum errores aut opinionum soliditatem agnoscendi difficultate non caret. Idque quia non modò falsi docti universalem rerum omnium affectant cognitionem: omnes penè homines isto laborant vitio; ac ij præcipuè qui studio & Authorum lectioni incubuerunt. Qui inter ipsos obsequentissimi sunt atque etiam sapientissimi aliorum sententiam apud seipsos reverâ spernentes specie tenus attentos se tantummodò præbent, dum ex eorũ oculis facilè colligi potest ipsos quodlibet aliud cogitare, ipsorúmque animum iis quæ dicuntur prorsus neglectis, tantùm versari circa ea quæ nobis probanda sibi sumpserunt. Quod mutuas confabulationes sæpè reddit molestas. Quemadmodùm enim nihil suavius nobis videtur, nullóque pacto majori possumus affici honore quàm si quis nostras assequatur rationes, opinionesque probet; ita nihil est quod displiceat magis quàm vbi aliquem eas non capere, immò vt eas capiat nequidem curare videmus. Etenim quis vllam ex colloquio cum statuis voluptatem posset percipere, præcipuè cùm statuæ illæ ideò tantùm sint statuæ respectû nostri quia sunt qui nos non magni faciunt ii, & nobis arridere non curant; famam suam aliorum contemptû stabilire tantùm

tùm follicitì. Certè si homines ritè audire & ritè respondere nossent, colloquia mutua non modò forent iucundissima, verùm etiam utilissima. At viceversâ dum quisque doctus audire gestit, nihil ex colloquiis præter præiudicatas opiniones & logomachias resultat; Charitas interdum læditur, veritas verò nunquam ferè in lucem prodit.

Verùm errores in quos falsi docti inter mutua colloquia incidunt, omni non carent excusatione; in ipsorum gratiam dicere possumus parùm attentionis vt plurimum afferri iis quæ in istis colloquiis familiaribus vltrò citróque dicuntur. Immò viri quibus iudicium est accuratissimum tum ineptias sæpe proferunt; nec omnia sua verba colligenda esse pertendunt, vt Scaligeri & Perronij dicta fuere collecta,

Istæ excusationes sunt equidem legitimæ, nec repugnamus erroribus tum temporis admissis ignosci posse: in istis confabulationibus loquendi necessitas incumbit; atque dies sunt quandoque nefasti quibus benè cogitare penes nos non est; ad id semper non sumus dispositi vt benè cogitemus & benè loquamur; ac sæpè tantæ sunt temporis angustiæ, vt minima nubecula aut brevissima mentis distractio vires ingenij rectissimi in absurditates ridiculas implicet.

Sed si errores quos falsi docti in confabulationibus admittunt excusatione digni videantur; saltem errores quos in libris suis postquàm seriò sunt meditati perpetrant omni carent excusatione; præcipuè si sint frequentes, nulloque salis grano condiantur. Etenim quum quis malum composuit librum, hinc fit vt complures homines in illo legendo tempus malè terant, in eosdem errores in quos author incidit ipsi incidant, ac multos alios ex iis etiam deducant. Quod sine maximo dispendio fieri nequit.

Sed quamvis qui malum, aut solùm inutilem componunt librum gravius peccent quàm vulgò putatur, tamen ob illud peccatum ipsos mercede potius quàm pœnâ affici videas. Sunt enim crimina in quæ homines non animadvertunt, siue quia consuetudine invaluerunt illa crimina, sive quia plerique prædıti non sunt animo satis firmo vt reos quos se peritiores existimant damnare sustineant.

Authores plerunque habentur homines rari & extraordinarij ac suprà cœteros maximè eminentes; reverentiâ igitur non verò contemtû & pœnâ excipiuntur. Itaque verisimile non est homines esse unquam erecturos tribunal ad excutiendos & damnandos libros qui rationi corrumpendæ tantùm inserviunt.

Idcircò nunquam sperandum est Rempublicam literarum prudentiùs regi posse cæteris Rebuspublicis, quia hominibus constat

non secus ac cæteræ. Immò satius est vt ab errore quisque possit faciliùs expediri, majoré concedi libertatem in Republica literarum quàm in ceteris, ubi novitas est semper periculosissima. Si enim iis qui studiis incumbunt libertas tolleretur, sique omnes novitates indiscriminatim exploderentur, hoc pacto homines in suis erroribus confirmarentur.

Ne quis igitur succenseat quòd multa in Reipublicæ literarum regimine reprehendam, quódque ostendere nitor celebres illos viros quos cæteri ob profundam eruditionem toti demirantur, reverâ nihil aliud esse vt plurimùm quam homines vanos, & superbos iudicio & omni verâ scientiâ destitutos. De iis sic loqui teneor ne imposterum quisquam ipsorum iudiciis temerariè assentiatur, & errores sequatur.

III. *De libris falsorum doctorum.*

Vanitatis, levitatis, & ignorantiæ argumenta ex ipsorum operibus manifesta depromuntur. Si enim eo animo illa quis expendat, vt de iis iuxtà sensûs communis lumina iudicet, nullâ erga Authores præoccupatus existimatione; certè nullo negotio comperiet pleraque ipsorum cœpta in studiis esse fructûs vanitatis omni iudicio destitutæ; ipsósque ad id non collimare vt iudicium suum excolant, multò minus vt cordis sui motûs regant & temperent, sed duntaxat vt alios perstringant, ipsisque doctiores habeantur.

Atque hanc ob causam, vt jam dictum est, de rebus insolitis, & extraordinariis tantùm agunt, terminis inusitatis & obsoletis duntaxat utuntur. Linguâ sibi vernaculâ raró loquuntur vtpotè nimis vulgari, nec in Latinitate simplicitatem, claritatem & facilitatem quærunt; non loquuntur enim vt intelligantur, sed vt loquantur & loquendo admirationem sibi concilient. Rebus quæ vitæ rectè instituendæ possunt inservire raró incumbunt; id ipsis vulgare nimis videtur, aliis enim aut etiam sibimetipsis utiles esse non curant, solam eruditionis famam affectantes. Quæ proferunt nullo argumento probant, aut si aliqua proferant, argumenta illa sunt ita ænigmatica ἀκατάληπτα, vt nec ab aliis nec ab ipsis concipi possint. Nullas habent rationes claras; ac si haberent illas non proferrent. Istæ rationes scilicet mentem non obstupefaciunt, simpliciores & usitatiores videntur, eas quisque assequi potest. Authoritates potiùs afferunt quibus opiniones suas probent aut probare fingant, sæpe enim authoritates quibus utuntur nihil probant quoad sensum, probant tantùm quia Græco aut Arabico idiomate leguntur. Sed de ipsorum citationibus loqui forsan abs re non erit, vt faciliùs intelligatur quonam sint iudicio.

Falsam eruditioné ac polymathiæ duntaxat spiritum frequentem citationis

tionis usum qui hactenus viguit atque etiamnum viget apud nonnullos doctos, introducere potuisse evidenter patere mihi videtur. Etenim Authores qui passim longos aliorum authorum locos citent reperire difficile non est, quamvis nullam ipsos citandi legitimam habeant causam; sive quia quæ dicunt ita clara sunt vt nullâ probatione indigeant; sive quia ita abstrusa sunt vt autorum quos citant authoritate probari non possint, quippe quæ ab istis etiam authoribus ignorarentur; sive tandem quia loci quos citant nihil ad ipsorum orationis ornamentum conferre possunt.

Ingentem ex Authore Græco authoritatem quâ aërem esse pellucidum probetur afferre ridiculum est, quia id neminem fugit. Ineptum pariter est authoritate Aristotelis uti ad probandum esse intelligentias quæ cœlos movent, quia scilicet id Aristoteles nosse non poterat. Aut denique linguas exoticas, adagia Arabica & Persica libris Gallicis aut Latinis ad omnium usum comparatis interserere absurdum est; quia eiusmodi citationes istis libris ornamento esse neutiquàm possunt; aut saltem ornamenta illa sunt inepta & intempestiua quæ apud multos ludibrio sunt, & perpaucis utilia esse queunt.

Attamen plerique eorum qui docti habere gestiunt huiuscemodi citationibus ita delectantur, vt nonnullas etiam idiomate quod ipsi non intelligunt proferre non erubescant utque omnem moveant lapidem, quò locum Arabicum quem vix possunt legere, libris assuere possint. Itaque multùm desudant vt propositi à ratione alieni compotes fiant, quia scilicet hoc pacto vanitati suæ faciunt satis, ac stultorum existimationem sibi demerentur.

Aliò insuper vitio haud exiguo laborât; parùm scilicet solliciti sunt si ipsos cum electione quâdam & iudicio legere credas; ipsis sufficit si multos ac præcipuè obscuros vt doctiores existimentur, raros & ingentis pretij, vt ipsis nihil deesse pateat; pravos & impios ac probis exosos libros legisse credantur; eodem ferè ducti animo quo homines illi qui se crimina perpetrasse gloriantur quæ alij perpetrare non audent. Unde fit vt libros carissimos, rarissimos, vetustissimos & obscurissimos citare malint, quàm magis vulgares & intellectû faciliores; librosque de Astrologiâ, de Cabbalâ, & arte Magica agentes quam bonos libros, quia, scilicet, non attendunt lectionem eodem modo se habere quo mutua inter homines colloquia; ipsosque proinde in id studere debere, vt bonos libros & intellectû faciles non verò malos & obscuros legisse videantur.

Quemadmodum enim is mente emotus esse videretur qui hominum

minum quos ſine interprete intelligere non datur, conſortium quæreret, dum alio modo ea quæ ab ipſis docentur accipere poſſet: Ita libros dumtaxat, qui ſine dictionario intelligi nequeunt legere, dum eadem in libris intellectû facilioribus ediſci poſſunt, ridiculum eſt. Ac quemadmodum qui impiorum ſocietatem quæreret manifeſtam animi perturbationem oſtenderet; ita qui malorum librorum lectione gaudet, manifeſtam arguit cordis corruptionem. At non ſine ſuperbia prorsùs intolerabili quis ſe libros legiſſe iactaret quos tamen nunquam legit; quòd quidem non rarò contingit. Sunt enim qui annos triginta nati plus malorum librorum in ſuis operi us citant quàm per multa ſæcula legere potuiſſent, alios tamen a d id inducere vellent vt credant ſe illos libros accuratiſſimè legiſſe. Sed plerorunque Doctorum libri dictionariorum ope duntaxat compoſiti fuerunt; ac ſæpiſſimè nihil aliud legerunt quàm indices librorum quos laudant, aut quoſdam locos communes ex variis authoribus excerptos.

Hæc ſigillatim tractare & exemplis probare non audemus ne homines ſuperciliosos & iracundos quales eſſe ſolent falſi docti ad iram provocemus; iniuriis enim Græcè & Arabicè evomitis non delectamur. Præterquamquòd ſpecialibus argumentis ſupradicta probare & illuſtrare inutile eſt; quia ea eſt hominis indoles vt multa in aliis carpenda facili negotio reperiat; & multis quæ iam dicta ſunt adaptet. Interim ſe ſe vano illo magnitudinis phantaſmate, quantum libuerit, paſcant; ac ſeſe mutuò laudibus quas nos ipſis denegavimus cumulent. Jam forte eis in iſta tam dulci & gratâ conditione plus ſatis moleſti fuimus.

CAPVT IX.

Quomodo propenſio hominum versùs dignitates & divitias eos in errorem iniiciat.

DIgnitatibus ac divitiis non ſecus ac virtute & ſcientiâ de quibus mox, ſupra cæteros præcipuè evehimur. Harum enim poſſeſſione ens noſtrum majus fieri & αὐτεξουσίαν acquirere videtur. Adeò vt amore quo erga noſmet ferimur ad divitias & dignitates diffuſo, pauci ſint qui versùs illas aliquatenùs non propendeant. Jam paucis explicemus quomodò propenſiones iſtæ impediant quominus veritatem inveniamus, noſque in mendacium & errorem iniiciant.

Multùm

Multùm temporis, laboris, assiduitatis & attentionis opus esse ad assequendum veritates complexas, multis difficultatibus intricatas, & à multis principiis dependentes, jam sæpè demonstravi. Hinc iudicare pronum est viros in muniis publicis versantes, qui multis præsunt, magnis impediuntur negotiis, & dignitatum, ac divitiarum desiderio flagrant, parum idoneos esse ad istarum veritatum indagationem, ac circa res omnes difficiles in errorem sæpe cadere, dum de illis iudicare satagunt.

1. Quia parùm temporis ad veritatis investigationem impendere queunt.

2. Istâ investigatione vt plurimùm parum delectantur.

3. Quia ad attentionem oppidò parùm apti sunt; quoniam mentis eorum capacitas innumeris rerum quas optant & quibus etiam inviti detinentur ideis penitùs distringitur.

4. Quia omnia se scire arbitrantur, ac vix credere queunt eos qui ipsis inferiores sunt, ipsis rectiùs sentire. Quædam facta ab iis discere equidem sustinent, at verò veritates solidas & necessarias ab illis edoceri recusant, & si eorum sententiam impugnes vel erroris arguas, stomachantur.

5. Quia in omnibus ipsorum phantasmatibus quantumlibet absurdis ipsis palpari vulgò solent, & quia qui contrariũ sentiunt licèt veritates indubitatas defendant ludibrio esse consueverunt. Népe ob indigna aulicorum & stipatorum blandimenta in erroribus suis & in falsa quâ erga seipsos ducuntur existimatione sese confirmant; ac de omnibus temerè & confidenter iudicandi ius sibi vendicant.

6. Quia solis ferè notionibus sensibilibus, ad colloquia ordinaria & ad hominum existimationem fovendam aptioribus, quàm ideæ puræ & abstractæ mentis quæ inserviunt veritati retegendæ, insistunt.

7. Quia qui aliquam dignitatem ambiunt, aliorum captui, quantùm in ipsis est, sese accommodare conantur, quoniam nihil est quod invidiam & odium hominum magis moveat quàm vbi quis opiniones insolitas habere existimatur. Eos qui fortunæ velificantur veritates abditas posse retegere rarum est; Sed si quas retegant illas sæpè deserunt quia ipsorum commodis officiunt, & quia veritatum illarum propugnatio parùm convenit cum gloriæ cupiditate. Iniustitiæ favendum sæpe est ad Magistratum consequendum, pietas solida & extraordinaria à Beneficiis seu muneribus Ecclesiasticis sæpè arcet; generosusque veritatis amor à Cathedris in quibus sola veritas doceri debet non rarò amovet.

Omnes illæ rationes simul coniunctæ efficiunt vt homines su-

pra cæteros dignitatibus, nobilitate, & divitiis longè eminentes, aut qui ad nihil aliud intendunt quàm ad captanda fortunæ bona, errori maximè obnoxij sint; & ad veritates paulùm occultas parùm idonei. Quippe inter ea quæ ad vitandum errorem in quæstionibus paulò difficilioribus necessaria sunt, duo requiruntur præcipuè, quæ in hominibus de quibus hîc agitur raò admodum occurrunt; nimirum, mentis attentio quâ res penitùs introspiciantur, & ἐποχὴ seu suspensio, ne iudicium temerè feratur. Immò illi etiam qui aliis instituendis præficiuntur, quique ad alium collimare non deberent scopum, quàm ad sibi acquirendam solertiam, & capacitatem in eiusmodi munere requisitam, errori vt plurimùm obnoxij fiunt, statim atque Publico inseruire ceperunt: sive quia attentionem rebus quæ sine attentione intelligi nequeunt præbere iis per otium non liceat; seu quia Doctorum famam avidè aucupantes de omnibus imprudenter & audaciter iudicant; nec nisi iniquo animo quemquam ipsos impugnare & docere patiuntur.

CAPVT X.

De voluptatis amore relatè ad Ethicam. I. Voluptas fugienda est licet nos efficiat felices. II. Voluptas ad honorum sensibilium amorem nos ferre non debet.

TRibus capitibus præcedentibus de inclinatione quâ ad entis nostri conservationem ferimur loquuti fuimus, & quomodo illa nos in plurimos iniiciat errores ostendimus: jam de inclinatione quâ ad τὸ benè esse propendemus, hoc est, ad voluptates & ad ea omnia quæ nos fœliciores efficere possunt, aut quæ saltem ad id conferre posse existimamus, verba faciemus; atque errores ex ista inclinatione oriundos patefacere conabimur.

Sunt Philosophi qui voluptatem non esse bonum, dolorem non esse malum hominibus persuadere nitantur: homines posse felices esse in medio acerrimorum dolorum, & infelices in medio summarum voluptatum. Cùm isti Philosophi sint valdè pathetici & vivâ polleant imaginatione mentes debiles & impressionibus facilè cedentes in suas abripiunt sententias, namque Stoici Phantastici quadantenus sunt, Phantastici autem vehementes cùm sint; aliorum menti

menti falsas quibus præpediti sunt sententias facili negotio imprimũt. Sed quia nihil est quod experiẽtiæ & conscientiæ nostræ seu sensui interno non cedat, omnes istæ rationes quarũ pompâ & magnificentiâ hominum imaginatio percellebatur & perstringebatur, cum omni splendore suo evanescunt statim atque mens voluptate aut dolore sensibili afficitur. Unde fit vt qui anteà falsæ isti persuasioni ex impressione sensibili ortæ incautè fiderunt, minimo vitij insultui cedant omni sapientiâ & robore destituti, túmque se deceptos fuisse & victos esse cognoscant.

Si Philosophi discipulis suis eas non possint impertiri vires quibus affectus suos superent saltem ne iis illudant falsò ipsos persuadentes nullos esse inimicos adversùs quos pugnare debeant. Res vt in se sunt dicere oportet, voluptas semper bonum est; & dolor semper malum; sed voluptate frui non semper expedit, quamvis dolorem pati quandoque expediat.

I. *Fugienda est voluptas quamvis nos reddat felices.*

Sed vt hæc faciliùs intelligantur sciendum est.

1. Deum solum satis potentem esse vt agat in nobis, atque in nobis sensum voluptatis aut doloris creare queat. Cuilibet enim rationem suam consulenti ac sensuum testimonia spernenti, objecta quæ sentimus nequaquam agere in nobis, nec mentem nostram in seipsa voluptatem & dolorem quibus afficitur, eorum occasione creare, evidenter patet.

2. Bonum aliquod dari non deberi, nisi vt ille cui datur illud bonum ad aliquam bonam actionem feratur, vel vt bona quæpiam actio remuneretur: & viceversâ neminem malo affici, nisi vt ab aliquâ actione malâ deterreatur vel vt actio mala jam patrata puniatur; unde illud infertur. Nempe, cùm Deus secundùm ordinem & justitiæ leges semper agat; omnis voluptas nos fert necessariò ad aliquam bonam actionem, aut nos remuneratur; omnis verò dolor, nos ab aliquâ actione malâ deterret, aut nos punit.

3. Esse actiones bonas uno sensû, malas verò altero. Exempli gratiâ, se, Deo id vetante, morti exponere, est mala actio; at verò morti sese exponere, Deo id iubente, est bona actio. Nam omnes actiones nostræ sunt bonæ vel malæ, quia Deus eas aut jussit aut prohibuit, primâ voluntate suâ generali, quæ & ordo est & institutio naturæ, & aliis voluntatibus, seu mandatis specialibus quæ ad naturæ reparationem sunt necessaria.

Dico igitur voluptatem semper esse bonam, sed illam degustare non semper utile esse.

1. Quia cùm nos illi, qui solus eam creare potest, unire de-

beret, ab eo contrà nos disiungit, vt nos iis quæ voluptatem creare falsò videntur uniat. A Deo nos abducit vt vili creaturæ nos uniat. Quamvis enim ij qui veram possident Philosophiam voluptatem ab obiectis externis non oriri quandoque cogitent & illâ cogitatione ad Deum in omnibus agnoscendum & amandum ferri queant, nihilominus ex quo peccatum irrepsit, ratio humana tam debilis est, sensuum & imaginationis in mentem tanta vis est, vt cor hominis facili negotio corrumpant, nisi iuxtà Evangelij monitum, rebus omnibus quæ ad Deum per se ferunt non abstineat. Nam ne præstantissima quidem Philosophia mentem sanare aut malis ex voluptate natis mederi potest.

2. Quia cùm voluptas sit præmium, iniquum est in corpore suo motus producere qui Deum, propter primam ipsius voluntatem cogant, vt ita dicam, ad excitandam in nobis voluptatem, quum illam non meremur, sive quia actio quam facimus est inutilis aut mala, siue quia peccatores cùm simus, nullam ab ipso mercedem petere debemus. Homo ante peccatum in actionibus suis benè temperatis voluptates sensibiles meritò gustare poterat, sed ex quo peccavit nullæ ampliùs sunt voluptates sensibiles omnino innocentes, aut quæ ipsum lædere non possint vbi eas gustat, sæpe enim eas degustare sufficit vt iis sese mancipet,

3. Quia, cùm Deus sit justus, fieri non potest quin vim quæ ipsi infertur, quum ad actiones pravas quæ adversùs ipsum perpetrantur voluptate remunerandas adigitur, aliquandò puniat. Quando mens corpori non ampliùs adhærebit, Deus sensationes quæ pro lege sibi à se ipso impositâ spirituum animalium motibus respondeant in nobis excitare non ampliùs tenebitur; ac justitiæ suæ satisfacere semper tenebitur, atque tunc ipsius vindictæ & iræ tempus erit. Tum ordine naturæ nihil immutato, ac in primâ voluntate immotus semper permanens, doloribus æternis injustas voluptates puniet.

4. Quia certa persuasio quâ hanc justitiam aliquando exercendam esse cognoscimus etiam in hac vita animum acerrimis exagitat anxietatibus, ipsumque ad desperationem quandam adducit, quæ libidinosos in maximis voluptatibus miseros reddit.

5. Quia voluptates innocentissimas importuni conscientiæ morsus & pœnitudines semper comitantur, quoniam nos nullam mereri voluptatem satis superque convincimur, atque gaudio quodam interno quod etiam in pœnitentiæ dolore occurrit, nos privant.

Itaque licet voluptas sit bonum, fatendum tamen est, ipsam degustare ob omnes rationes suprà memoratas semper utile non esse,

esse, atque etiam ob multas alias quas scire est utilissimum, quasque ab his suprà dictis deducere pronum est, dolorem pati ferè semper optimum est, quamvis dolor reapse sit malum.

Nihilominùs omnis voluptas est bonum, illumque à quo gustatur reddit actû felicem eo saltem momento quo illam gustat, & omnis dolor est malum, eúmque qui eo afficitur reddit actû infelicem eo momento quo illum patitur, & quandiù illum patitur. Justi & sancti omnium infelicissimi & maximè miserabiles dici possunt, *si in vita tantùm in Christo speramus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*, inquit Paulus,nam qui flent & ob justitiam persecutionem patiuntur non ideò felices sunt quia persecutionem patiuntur ob justitiam. sed quia regnum cœlorum ad ipsos pertinet, & ingens remuneratio ipsos in cœlis manet, hoc est, *quia beati erunt.* Qui persecutionem patiuntur ob justitiam in eo justi sunt & perfecti & quia ordini à Deo instituto parent, nam perfectio in eo posita est vt illum ordinem sequamur; sed felices non sunt quia patiuntur: aliquandò ampliùs non patientur, ac tum felices non secus ac justi & perfecti erunt. 1. Cor. 1.

Attamen justos spei & fidei virtute, quæ bona futura veluti præsentia menti obijciunt, aliquatenùs etiam in hac vitâ felices esse non nego, nam vbi spes alicuius boni firma & vivida est, certè bonum illud menti appropinquat, ipsique veluti delibandum præbet. Ipsam itaque spes aliquo modo felicem efficit, cùm boni possessione ac voluptate beati fiamus.

Hominibus igitur dicendum non est voluptates sensibiles non esse bonas, nec eos reddere felices qui ipsis fruuntur; quia id verum non est, vt id tentationis tempore suo damno agnoscunt. Iis dicendum est voluptates in se bonas esse, eosque aliquatenùs inde evadere felices; sed illas tamen ab ipsis vitari debere ob rationes suprà allatas aut similes, at verò addendum est propriis naturæ viribus ipsos non posse vitare voluptates, quia inclinatione insuperabili felicitatem exoptant, & inclinationi illi hisce voluptatibus transitoriis quas vitare deberent, aliquo modo satisfit; unde fit vt deflenda pereundi necessitas ipsis incumbat, nisi succurratur. Hæc monendi sunt, vt suâ miseriâ distinctè agnitâ quantopere indigeant liberatore agnoscant.

Cum hominibus loquendum est vt cum ipsis JESUS-CHRISTUS loquutus est, non verò vt Stoici, qui nec naturam nec morbum mentis humanæ cognoscunt. Perpetuò monendi sunt, quemque semetipsum odisse & spernere debere, atque hîc in terris nullam sperandam tutam sedem aut felicitatem; quotidie Crucem suam, seu pœnæ suæ instrumentum ferendum esse, nuncque vitæ iacturam

faciendam esse vt in æternum recuperetur. Denique docendi sunt ipsos res desideriis suis planè contrarias facere teneri, vt suam impotentiam ad bonum agnoscant. Nam homines invicto felicitatis desiderio ardent, & nemo potest esse felix, nisi faciat id quod vult. Forsan quum mala præsentia sentient & mala futura prævidebunt, in terram proni cadent; forsan versùs cœlum clamabunt, mediatorem quærent, objecta sensibilia extimescent, & omnia quæ sensibus & concupiscentiæ blandiuntur cautè horrescent. Spiritum illum supplicationis & pœnitentiæ ad gratiam, sine qua nullum robur, nulla sanitas, nulla salus speranda est, obtinendam tam necessarium, hoc pacto forsan induent.

II. *Voluptas nos non debet ferre ad amorem bonorum sensibilium.*

Voluptatem bonam esse intùs convincimur; atque illa convictio interna falsa non est, quia voluptas reverâ bona est. Voluptatem esse caracterem boni naturâ convincimur, atque illa convictio naturalis verissima est, nam quod voluptatem creat certè optimum est & maximè amabile. At verò objecta sensibilia, aut etiam mentem nostram posse in nobis voluptatem gignere non persuasi sumus, nulla enim ratio est cur id credamus, cùm è contra innumeræ sint cur secus credamus. Objecta itaque sensibilia non sunt bona, non sunt amabilia. Si ad vitæ conservationem utilia sint, ipsis utendum est. Sed cùm in nobis agere nequeant, ipsa amare non debemus. Mens id solum amare debet quod ipsi bonum est, quodque ipsam feliciorem & perfectiorem efficere potest. Id igitur solum quod supra ipsam est amare debet, ipsam enim perfectionem dûtaxat accipere posse ab eo quod ipsâ superius est evidenter patet.

Sed quia rem alicujus effecti causam esse iudicamus, quum res illa semper comitatur illud effectum; objecta sensibilia in nobis agere arbitramur, quia ipsis ad nos admotis novas excipimus sensationes, & quia illum qui istas sensationes reverâ excitat non videmus. Fructum degustamus, & illum degustando dulcedinem sentimus; dulcedinem illam isti fructui tribuimus; illum hanc dulcedinem parere, atque etiam in se complecti iudicamus. Deum non videmus, vt fructum illum videmus & contrectamus. Immò ad Deum, nec forsan ad nosmetipsos animum advertimus. Itaque Deum veram istius dulcedinis causam esse, istámque dulcedinem esse mentis nostræ modificationem non judicamus. Tribuimus causam & effectum fructui quem edimus.

Quæ de moribus ad corpus pertinentibus dicta sunt, de iis etiam quæ ad corpus non pertinent intelligi debent, quales sunt cogitationes seu affectiones quæ occurrunt in puris intelligentiis.

Mens seipsam considerat: nihil felicitati & perfectioni suæ deesse; aut quicquid optat se non possidere videt: Dum felicitatem suam contem-

contemplatur gaudio afficitur; dum infelicitatem suam sentit tristitiâ laborat. Felicitatis contemplationem in ipsa sensum illum gaudij excitare protinùs arbitratur quia sensus ille gaudij, istam felicitatis contemplationem semper comitatur. Pariter infelicitatis suæ cognitionem in ipsa etiam tristitiæ sensum excitare imaginatur; quia sensus ille cognitionem istam semper sequitur. Vera sensuum seu motuum istorum causa, Deus scilicet, ipsi manifestò non apparet. Immò de Deo ne cogitat quidem. Deus enim in nobis agit nobis ipsis insciis.

Deus gaudij sensû nos remuneratur, quum in eo statû in quo nos esse decet, nos actû esse cognoscimus, vt in eo perstemus, vt nostra desinat inquietudo, felicitatémque nostram, capacitate mentis nostræ nulla aliâ re occupatâ, planè & plenè gustemus. Sed tristitiæ sensum in nobis excitat, quum nos in eo statu non esse cognoscimus, in quo esse deberemus, vt ab eo, in quo sumus, desistamus, &perfectionem quæ nobis deest anxiè quæramus. Deus enim nos versùs bonum indesinenter pellit, vbi cognoscimus nos illud non penitùs possidere, & in eo nos firmiter sistit, quum nos illud planè possidere cognoscimus. Itaque affectiones gaudij aut tristitiæ intellectualis, non secus ac affectiones gaudij aut tristitiæ sensibilis nullo modo esse voluntarias mentis productiones evidenter, ni fallor, patet.

Quocircà manum illam invisibilem, quæ nos bonis cumulat, quæque sub speciebus sensibilibus sese menti nostræ subducit, ratione perpetuò agnoscere debemus. Illam adorare, illam amare nos decet: verùm illam etiam timere debemus, quippe quæ si nos bonis cumulet, nos etiam doloribus cruciare possit. Illam amore libero, amore cui ratio affulgeat, amore qui Deo & nobis dignus sit amare debemus. Amor noster dignus est Deo, vbi illum amamus quia ipsum amabilem esse certò cognoscimus, & amor ille nobis dignus est, quia, nos ratione præditos id amare oportet quod ratio nobis ostendit amore nostro dignum esse. Sed sensibilia amamus amore nobis indigno, & quo etiam ipsa sunt indigna. Nam cùm ratione præditi simus, illa amamus sine ullâ ratione quæ nos ad illorum amorem ferat, quia illa esse amabilia clarè non cognoscimus, quin contrà contrarium optimè novimus, sed voluptas nos decipit & ad illorum amorem fert: quippe cæcus & immoderatus voluptatis amor falsorum iudiciorum quæ homines in rebus ad mores pertinentibus ferunt, vera est causa.

CAPVT

CAPVT XI.

De amore voluptatis relatè ad scientias speculativas. I. Quomodo amor ille nos à veritate retegenda arceat. II. Exempla afferuntur.

IMmoderata cupiditas voluptatum sensibilium non modò est origo lethalium errorum in quos circa Ethicam incidimus & morum nostrorum corruptionis causa generalis ; eadem etiam propensio inter causas aberrationum mentis nostræ præcipua est, nosque in errores crassissimos quamquam minùs periculosos circà res merè speculativas sensim inducit : quia propensio illa nos ab attentione ad res illas speculativas intelligendas & accurato iudicio expendendas necessariâ amovet.

De difficultate quam homines, dum rebus paulò abstractioribus incumbere volunt, experiuntur, jam multoties diximus, quia res de quâ tum agebatur id postulabat. De illa circa res abstractas difficultate, sub finem primi libri dictum est, dum ostendebamus mentem modis externis magis quàm rebus ipsis sæpè attendere, quia ideæ sensibiles ipsam magis afficiunt, quàm ideæ puræ mentis. Eadem de re etiam secundo libro dictum est, quia agendo de tenuitate fibrarum cerebri, demonstrare oportuit, unde quorundam ingeniorum effeminatorum mollities oriretur. Denique de hoc dictum est tertio libro, inter loquendum de attentione mentis, vbi ostendendum fuit mentem nostram rebus merè speculativis parùm, illis verò quibus vividè afficitur, quæque in ipsâ voluptatem aut dolorem excitant multam attentionem præbere.

Errores nostri multas penè semper habent causas quibus originem debent : adeò vt adversùs ordinem peccari credendum non sit quoties res eædem recurrunt, eorundémque errorum multæ in multis locis afferuntur causæ. Id enim fit quia eorum reverâ multæ sunt, semper de causis occasionalibus loquor : sæpè enim diximus solam veram & realem causam errorum nostrorum esse malum libertatis nostræ usum, quâ benè non utimur vel in eo uno quod eâ quantum possumus non utimur, vt id ab istius operis initio explanavimus.

Ne quis ergò miretur, si, vt clarè & plenè explicaremus, quomodo, exempli gratia, modi externi & sensibiles sub quibus res sæpè delitescunt, nos deludant & in errorem injiciant, si, inquam

quam vt hæc explicarentur velut in antecessum præmonere necesse fuit in aliis libris, nos versùs voluptates inclinare; quod ad istum librum qui de inclinationibus naturalibus agit reservandum esse videbatur, & sic de aliis quibusdam locis. Ex eo saltem id fructûs colligetur, quòd scilicet hic supersedere poterimus à multis dicendis quæ hic necessariò dicenda essent, nisi alibi jam dicta fuissent.

Quicquid est in homine tam firmo vinculo nexum est, & à se invicem ita pendet, vt numero rerum quæ eodem tempore dicenda sunt is sæpè obruatur, qui res omnes accuratè & penitùs explicare aggreditur. Sæpè necessitas postulat vt ea quæ à naturâ inter se invicem juncta fuere non separentur, vtque eo pacto adversùs ordinem anteà propositum procedatur, quum ordo ille nihil præter confusionem potest afferre; vt interdùm necessariò contingit. Sed quicquid fiat nemo unquam potest ea omnia exprimere & clarè explicare quæ cogitat. Hoc duntaxat vt plurimum licet sperare: Nempe, alios eò adducere vt soli possint cum voluptate & facilitate retegere & excogitare, quæ à nobis difficili negotio retecta fuerunt & excogitata. Et quia sine attentione quicquam intelligere impossibile est, in id præcipuè incumbendum est vt attentionem aliorum possimus nobis conciliare. Id equidem hîc sumus conati, quamquam nos rem infeliciter gessisse fateamur. Et eò libentiùs id quod à parte nostrâ defuit profitemur, quòd ista confessio lectorem ad id debeat incitare, vt se attentum reddat quò defectui nostro possit mederi, & res quæ sanè penitùs introspici meretur, penitùs introspicere queat.

Errores in quos inclinatione nostrâ versùs voluptates & in genere versùs ea omnia quæ nos afficiunt incidimus, sunt infiniti: quia inclinatio illa mentis visum disiicit & dissipat, ipsum ideis sensuum & imaginationis confusis perpetuò applicat, nosque eò impellit vt de omnibus præcipitanter & duntaxat relatè ad nos iudicemus.

I. Quomodo amor voluptatis nos à veritate retegenda amoveat.

Veritas non cernitur, nisi vbi res vt in se sunt conspiciuntur, nec unquam vt in se sunt conspiciuntur, nisi videantur in eo qui res omnes in se modo intelligibili complectitur. Quum res in nobismet ipsis videmus, illas imperfectè admodùm videmus, seu potiùs nihil videmus præter sensationes nostras, non verò res quas videre optamus, quas nos reverâ videre falsò credimus.

Vt res quales in se sunt videantur attentione opus est; quia nunc Deo non unimur sine labore & conanime. Sed vt res in nobis videamus, nullâ attentione opus est; quia etiam inuiti sentimus ea quæ nos afficiunt. Nullâ voluptate naturaliter prævertimur in

vnione nostrâ cum Deo, ideæ puræ rerum nos nequaquam percellunt. Itaque propensio nostra versùs voluptatem nos Deo nec applicat nec vnit: quin potiùs ab eo nos indesinenter seiungit atque amovet. Illa enim propensio nos perpetuò fert ad res considerandas secundùm ideas ipsarum sensibiles, quia ideæ illæ falsæ & impuræ nos afficiunt. Voluptatis igitur amor, & vsus actualis voluptatis quæ ipsius amorem excitat & corroborat, nos perpetuò à veritate in errorem abducit.

Qui itaque ad veritatem vt ipsius lumine potiantur accedere volunt, à voluptatis privatione ordiri debent. Ea omnia quæ mentem viuidè afficiunt & iucundè occupant & distrahunt sedulò vitare debent. Sensus & affectus silere oportet, vt veritatis vox exaudiri possit: quippe secessus ab hominum consortio, & eorum omnium sensibilium contemtus necessarius est & ad mentis perfectionem & ad cordis conversionem.

Ubi voluptates nostræ sunt maximæ, & sensationes vividæ, ad veritates etiam simplicissimas inepti sumus nec notiones communes attingimus, nisi aliquid sensibilis includant. Ubi voluptates aut aliæ sensationes sunt temperatæ, aliquas veritates simplices & faciles possumus equidem intelligere; Sed si fieri posset vt voluptatibus & sensationibus planè liberaremur, tum veritates omnium maximè abstractas & difficillimas possemus assequi. Quippe quò magis ab iis quæ Deus non sunt recedimus, eò magis ad Deum accedimus, quò magis errorem vitamus eò citiùs veritatem comperimus. Sed ex quo peccatum obtinuit, ex quo amor voluptatis prævenientis immoderatus, imperium in mentem nostram usurpavit, mens illa ita debilis facta est, vt in his penetrare non valeat; ita materialis, & à sensibus dependens, vt res abstractas quæ ipsam non tangunt, attingere nequeat. Immò notiones communes nonnisi ægrè percipit; ac ipsas attentione deficiente falsas & obscuras esse sæpè iudicat. Rerum veritatem ab ipsarum vtilitate, relationem quam inter se habent à relatione quam habent cum ipsâ discernere nequit; ac eas sæpè verissimas iudicat, quæ utilissimæ, iucundissimæ & maximè sensibiles sunt. Denique inclinatio illa omnes perceptiones quas de obiectis sensibilibus habemus, ac proinde omnia iudicia quæ de ipsis ferimus inficit & turbat. En tibi aliquot exempla.

II. *Exempla aliquot.* Notione communi constat virtutem vitio antecellere; præstare esse sobrium & castum, quàm intemperantem, & voluptati addictum. Sed inclinatio versùs voluptatem ideam illam ita nonnunquàm perturbat vt illam quandoque non nisi obscurè ac veluti per transennam videamus, nec ab eâ consequentias ad vitam

ritè

ritè instituendam necessarias elicere possimus. Mens voluptatibus quas sperat ita occupatur, vt eas innocentes esse supponat, & solas ipsis potiendi rationes quærat.

Omnes norunt, præstare iustum esse, quàm divitem, justitiâ hominem magis extolli quàm superborum ædificiorum possessione, quæ sæpè illius qui ea ædificari curavit magnitudinem non tam arguunt, quàm ingentem iniustitiarum & facinorum numerum. Sed voluptas quam homines nihili ex vanâ falsæ magnitudinis ostentatione percipiunt, arctam ipsorum mentis capacitatem satis implent vt veritatem adeò evidentem obscuret & ipsorum oculis surripiat. Se viros magnos esse stultè imaginantur quià ampla possident ædificia.

Analysis aut Algebra speciosa haud dubiè omnium scientiarum pulcherrima, hoc est, fecundissima & certissima est. Sine illâ mens nec penetrationem nec vastam habet capacitatem, & eius ope quæcunque certò & evidenter sciri queunt, assequi potest. Licèt hæc scientia hactenùs satis imperfecta fuerit, eos tamen qui in ea eruditi fuerunt eáque ritè usi sunt celeberrimos reddidit, ipsius ope veritates ceteris hominibus imperceptas retexerunt. Menti humanæ ita accommodata est, vt ipsius capacitate nullo modo distracta ad res ad institutum inutiles, ipsam ad scopum rectà & certò ducat. Uno verbo scientia est universalis, & veluti cæterarum scientiarum clavis. Attamen quantumvis in se existimatione digna sit, nihil tamen habet quod homines pelliciat, quia duntaxat nihil habet quod sub sensus cadat per multa sæcula penitùs neglecta fuit. Non pauci adhuc sunt qui vel ipsius nomen non cognoscunt; & inter mille homines vix unum reperias qui aliquatenus illam scientiam calleat. Doctissimi viri qui illam nostro sæculo renovarunt, parum in ea progressi sunt, nec illam ordine & claritate quâ par erat tractaverunt; vt potè homines quemadmodum ceteri, & qui veritates illas quas voluptas sensibilis non comitatur tandem fastidiverunt. Uoluntatis ipsorum peccato corruptæ inquietudo, mentis ab agitatione & sanguinis circulatione pendentis levitas, diutius non sinit vt magnis, vastis, & fecundis veritatibus quæ omnium veritatum mutabilium, quæ exactè cognosci possunt, normæ sunt immutabiles & universales, nutrirentur.

Metaphysica pariter est scientia abstracta, quæ sensibus non blanditur, & in cuius studio mens nullam percipit voluptatem; atque hanc etiam ob causam ista scientia summoperè negligitur; ac sæpè occurrunt homines satis stupidi vt notiones communes audacter negent. Sunt qui negent id de aliqua re asseri posse & debere quod includitur clarè & distinctè in idea istius rei. Nihilum

nullas habere proprietates ; rem quampiam non posse in nihilum redigi sine miraculo ; nullum corpus posse moveri propriis suis viribus ; Corpus motum non posse communicare corporibus sibi obviis plus motûs quàm ipse habet ; & alia similia. Hæc axiomata visu satis fixo & distincto nunquàm contemplati sunt, vt eorum veritatem clarè percipere possent, & quandoque quædam fecerunt experimenta quibus falsò convicti fuerunt quædam inter illa axiomata non esse vera, viderunt certis casibus duo corpora visibilia sibi mutuò occurrere ac post mutuam collisionem vtrumque à motû desistere. In aliis verò casibus viderunt corpora pulsata plus habere motûs corporibus visibilibus à quibus pulsata fuerant ; jam autem visus ille quorundam experimentorum quorum rationes non assequuntur, ipsos ad id adducit vt de rebus decidant adversùs principia certa, quæque apud omnes attentos pro notionibus communibus habentur. Nonne considerare deberent motus posse transferri à corporibus visibilibus ad invisibilia quum corpora mollia sese mutuò pulsant, aut à corporibus invisibilibus ad visibilia in aliis casibus. Quum corpus aliquod de fune pendet, forfices quibus funis abscinditur, corpori illi non indunt motum sed materia quædam invisibilis. Quum carbo in pulveris pyrij cumulum iniicitur, non motus carbonis, sed materia quædam invisibilis omnes partes pulveris segregat, ipsisque tantum indit motum vt domum possit subruere. Mille modis incognitis materia invisibilis potest communicare motum suum corporibus crassis & visibilibus. Saltem id fieri non posse evidens non est, quemadmodum evidens est, vim moventem corporum non posse augeri nec minui viribus ordinariis naturæ.

Sic homines vident lignum quod in ignem iniicitur, desinere esse id quod est, omnesque qualitates sensibiles quæ in illo deprehendebantur interire ; & ideò se meritò credere arbitrantur posse fieri vt res in nihilum vnde educta est redeat. Lignum videre desinunt, & nihil ampliùs cernunt præter cineres, atque hinc iudicant maximam ligni partem perire, quasi lignum non posset redigi in partes quas oculis percipere nequeunt. Saltem id fieri non posse tam evidens non est, quàm evidens est vim quæ omnibus dat esse mutationi non esse obnoxiam, & viribus ordinariis naturæ, quod est in nihilum redigi non posse, sicut quod non existit, existere non potest iisdem viribus ordinariis naturæ. Sed plerique homines eò non possunt adduci vt in se descendant ad audiendam veritatis vocem, iuxtà quam de omnibus iudicare debent. Solis oculis de omnibus iudicium ferunt. Judicant provt sentiunt non verò provt intelligunt, quia scilicet cum voluptate sentiunt, sed cum labore intelligunt.

Si omnes omninò homines roges an extra erroris aleam possit asseri, totum esse majus sua parte; neminem fore opinor qui non protinùs respondeat quod respondendum est. Si posteà ipsos roges num sine erroris periculo possit pariter asseri de aliqua re id quod clarè concipitur includi in idea illius rei; paucos certè videbis qui id strenuè ac sine hæsitatione fateantur; plures qui id negent, plerosque qui nesciant quid respondeant, attamen axioma illud Metaphysicæ; posse asseri de aliquâ re id quod clarè concipitur includi in ideâ quæ rem illam repræsentat evidentius est axiomate quô asseritur totum esse majus sua parte; quia postremum istud axioma, non est axioma, sed tantùm conclusio respectû prioris. Potest probari totum esse majus suâ parte per prius illud axioma, sed prius per nullum aliud probari potest. Omnium cognitionum clararum & evidentium fundamentum est absolutè primum. Unde igitur fit vt nemo circa conclusionem hæreat, & multi de principio unde deducitur dubitent; nisi quia ideæ *totius* & *partium* sunt sensibiles, & quia oculis, vt ita dicam, suis unusquisque videt totum majus esse suâ parte; sed primi omnium scientiarum axiomatis veritas oculis non cernitur.

Cùm in hoc axiomate, nihil sit quod naturâ suâ mentem sistat eiusque attentionem eliciat, vt veritas ipsius evidenter agnoscatur, oportet velle illud considerare & quidem voluntate constanti & firmâ. Tenax voluntatis propositum illecebræ externæ quæ isti axiomati deest vicem supplet. Sed obiectorum quæ sensibus non blandiunt, meditatio hominum mentem non subit, aut si subeat, in id nullo nisû contendunt.

Nam, vt idem persequar exemplum, totum esse majus suâ parte, montem marmoreum esse possibilem, & montem sine valle esse impossibilem evidenter vident, sed eâdem cum evidentiâ Deum existere non iudicant. Tamen evidentia in his omnibus par dici potest; cùm à primo principio hæc omnia æqualiter distent.

En primum principium. Rei tribuendum est id quod clarè concipitur includi in ideâ quæ rem illam repræsentat: clarè concipimus plus esse magnitudinis in ideâ totius quàm in ideâ partis: existentiam possibilem contineri in ideâ montis marmorei; existentiam verò impossibilem in ideâ montis sine valle, & existentiam necessariam in ideâ Dei, hoc est, entis infinitè perfecti. Ergo totum est majus suâ parte; Ergò mons marmoreus existere potest: Ergò mons sine valle existere nequit: Ergò Deus, seu ens infinitè perfectum necessariò existit. Hasce omnes conclusiones à primo omnium scientiarum principio æqualiter distare manifestum est.

Ergò in se æqualiter evidentes sunt. Ergò æquè evidens est Deum existere, ac evidens est totum esse majus sua parte. Sed quia ideæ infiniti, perfectionum, existentiæ necessariæ sensibiles non sunt vt ideæ totius & partis, ea nos non percipere imaginamur quæ non sentimus, & quamvis omnes istæ conclusiones in se æquè evidentes sint, ab omnibus tamen æqualiter non admittuntur.

Sunt qui persuadere conentur se non habere ideam entis infinitè perfecti. Sed nescio quomodo positivè respondere possint, dum quis ab illis quæsit an ens infinitè perfectum sit rotundum an verò quadratum, aut aliquid simile. Nam respondere deberent se id nescire, si verè nullam entis infinitè perfecti habeant ideam.

Sunt alij qui fateantur eos benè ratiocinari, qui concludunt Deum non esse ens impossibile, ex eo quòd vident ideam Dei nullam involvere contradictionem aut non includere existentiam impossibilem; & tamen nolunt pari ratione concludi Deum necessariò existere, ex eo quòd existentia necessaria in idea Dei clarè concipitur.

Denique alij sunt qui hoc argumentum pro existentia Dei merum esse sophisma autument. Argumentumque illud nihil concludere nisi positò quòd verum sit Deum existere; quasi id non probaretur, hæc est probatio nostra. Rei tribuendum est id quod clarè concipitur includi in idea quæ rem illam repræsentat. Illud est principium generale omnium scientiarum. Existentia necessaria includitur in idea quæ repræsentat ens infinitè perfectum. Id ab ipsis conceditur, atque ideò dicendum est ens infinitè perfectum existere; maximè, inquiunt, positò quòd existat.

Sed argumentum ejuscemodi responsò ejusdemmodi excipiamus, vt de istius responsi soliditate iudicium fieri possit. En argumentum simile. Rei tribuendum est id quod clarè concipitur includi in idea quæ rem illam repræsentat; hoc est principium: Clarè concipiuntur quatuor anguli inclusi in idea quæ repræsentat quadratum; aut clarè concipitur existentia possibilis includi in ideâ turris marmoreæ: Ergò quadratum habet quatuor angulos: Ergò turris marmorea possibilis est. Dico conclusiones istas veras esse, positò quòd quadratum habeat quatuor angulos, & turris marmorea possibilis sit; quemadmodum respondent Deum existere, positò quòd existat: hoc est, uno verbo conclusiones istarum demonstrationum esse veras, positò quòd sint veræ.

Si equidem istud formarem argumentum; tribuendum est rei id quod clarè concipitur includi in ideâ quæ rem illam repræsentat; iam autem clarè concipitur existentia necessaria includi in ideâ corporis infinitè perfecti, ergò corpus infinitè perfectum existit,

existit. Si, inquam, sic argumentarer, fateor mihi responderi posse istud argumentum non concludere existentiam actualem corporis infinitè perfecti; sed tantùm positó quòd detur tale corpus, suam existentiam per se habiturum esse. Atque huius rei ratio est, quòd idea corporis infinitè perfecti est mentis figmentum, aut idea composita, & quæ per consequens potest esse falsa aut contradictoria, vt reipsa est: nam corpus infinitè perfectum clarè concipi nequit; cum ens singulare & finitum quale est corpus concipi nequeat universale & infinitum.

Sed idea Dei aut entis in genere, entis sine restrictione, entis infiniti, non est mentis figmentum. Non est idea composita quæ aliquam involvat contradictionem. Eâ nihil est simplicius quamvis quicquid existit aut existere potest, complectatur. Jam autem idea illa simplex & naturalis entis, aut infiniti, existentiam necessariam includit: Nam evidens est ens (non dico *ens peculiare*) habere existentiam suam per se; & ens non posse non esse actû; cùm impossibile & contradictorium sit vt verum ens sit sine existentia. Fieri potest corpora non esse, quia corpora sunt *talia entia*, quæ de ente participant & ab eo dependent. Sed ens sine restrictione necessarium est; independens est; id quod est à se ipso duntaxat habet. Quicquid est, ab ipsó oritur, si aliquid existat, illud ens necessariò existit: cùm quicquid est ab illo oriatur. Sed licèt nihil singulare esset, esset tamen ens: quia est per se, nec clarè concipi potest vt non existens, nisi quis illud sibi repræsentet vt *ens singulare* & sic ideam ab ipsius ideâ prorsus diversam consideret. Qui enim non vident Deum esse, ens vt plurimum non considerant, sed *ens singulare*, atque ideò quod esse aut non esse potest.

Interim vt illud existentiæ Dei argumentum distinctiùs concipiatur, ac nonnullis obiectionibus quibus urgeri posset clariùs respondeatur, recordandum est; quum videmus creaturam; Illam nec in se, nec per se nos videre. Illam enim, vt *tertio libro* probatum est, non videmus nisi ex quarundam perfectionum quæ in Deo sunt, & quibus illa repræsentatur, contemplatione. Ita istius creaturæ essentiam, ipsius existentia non positâ, notare possumus. In Deo id quod ipsam repræsentat cerni potest, licèt illa non existat. Hanc ob causam existentia necessaria non includitur in idea quæ illam repræsentat, cùm necessarium non sit ipsam esse vt videatur, sed res eodem modo non se habet de ente infinitè perfecto; non potest videri nisi in se ipso; nam nihil est finiti, quod posset repræsentare infinitum. Deus igitur videri nequit nisi existat. Non potest videri essentia entis infinitè perfecti, nisi ipsius existentia videatur. Non potest videri simpliciter ut ens possibile:

bile : nullâ re capitur : sique de eo cogitare possumus ; oportet necessariò vt existat.

Sed hasce demonstrationes hominibus vulgi proponere inutile est; istæ demonstrationes *ad hominem* dici possunt quia omnes in genere homines non convincunt. Si ipsos convincere velis, proponendæ sunt demonstrationes sensibus magis accommodatæ, quæ sanè non desunt, nulla enim veritas pluribus probatur argumentis quàm existentia Dei. Istud duntaxat attulimus, ostensuri veritates abstractas, vtpotè in sensus nostros nequaquàm ferè agentes illusiones & chimæras sæpè haberi, cùm è contrà veritates sensibiles, palpabiles, quæque mentem ad sui considerationem impressione sensibili cogunt, multùm realitatis habere credantur, quia à peccato in mentem nostram vehementissimè agunt.

Eandem etiam ob causam, sperandi non datur locus vulgus huic demonstrationi unquam assensurum esse ad probandum animalia bruta non sentire; nempe; cùm sint innocentia, vt id apud omnes in confesso est, vtque suppono; si sensûs capacia essent : contingeret vt Deo infinitè iusto & omnipotenti res dirigente, innocens dolore cruciaretur, quamvis dolor sit pœna & peccati punitio, homines istius axiomatis evidentiam vt plurimùm assequi nequeunt. *Sub iusto Deo, quisquam, nisi mereatur, miser esse non potest*; quâ Augustinus sapientissimè utitur adversùs Julianum vt peccatum originale & corruptionē naturæ nostræ probet.

Oper. perf.

In isto axiomate & in quibusdam aliis quibus bestias non sentire evincitur, nullam vim nullamque soliditatem esse arbitrantur; quia, vt jam diximus, hæc axiomata sunt abstracta, nec quicquam sensibilis aut palpabilis includunt, nullamque in sensus impressionem faciunt.

Actiones & motus sensibiles bestiarum ad vitæ suæ conservationem, argumenta sunt, quæ quamvis verosimilia tantùm nos multò magis tamen afficiunt; & quæ ideò nos eò vehementiùs adducunt vt credamus bestias dolorem pati, dum percutiuntur dumque clamitant; quàm ratio illa abstracta mentis puræ, quamvis per se certissima & evidentissima sit. Certò enim constat plerosque aliâ causâ ad id non adduci vt credant bruta prædita esse anima quàm visû sensibili eorum quæ à bestiis ad vitæ suæ conservationem aguntur.

Id vel ex eo patet quòd plerique animam in ovo esse non arbitrentur, quamvis transformatio ovi in pullum longè difficilior sit ipsa pulli omninò formati conservatione. Quemadmodum maior requiritur solertia ad conficiendum horologium ex data ferri portione, quàm in dirigendis istius horologij semel instructi motibus;

Iuxta opinionem vulgarē pullum ex ovo formari, licèt forsan tantū nutriatur, liquor.

motibus; potius admittenda esset anima in ovo ut ex eo formetur pullus, quàm ut pullus ille omnino formatus conservetur. Verùm homines sensibus non percipiunt modum admirabilem quo formatur pullus quemadmodum semper percipiunt sensibus quomodo ad vitam conservandam necessaria quærit. Sic nullâ impressione sensibili ex motibus ad transformationem ovorum in pullos necessariis natâ ad id impelluntur ut credant animas esse in ovis, sed animalibus tribuunt animas propter impressionem sensibilem actionum externarum quas istæc animalia edunt ad vitæ suæ conservationem; quamvis ratione jam allatâ animæ ovis potius tribui possent quàm pullis.

Secunda hæc ratio, materiam scilicet sensûs & desiderii incapacem esse posset procul dubio haberi demonstratio adversus eos qui bruta sentire censent, quamvis ipsorum animæ sint corporeæ. Verùm homines rationes istas perpetuò potiùs confundent & obscurabunt quàm ad id adducentur ut rem argumentis tantummodò verisimilibus, sed maximè sensibilibus tamen & vividissimis contrariam pro verâ agnoscant. Nec poterunt penitùs convinci nisi argumenta sensibilia argumentis sensibilibus quæ afferunt, opponantur, ipsisque sensibili ratione demonstretur quomodo omnes animalium partes nihil aliud sint quàm meræ machinæ; & quomodo possint moveri sine animâ, sola objectorum impressione, & constitutione quadam speciali, ut *Cartesius* id demonstrare incepit in Tractatu suo *de homine*. Omnes enim rationes certissimæ & evidentissimæ ex puro intellectu petitæ ipsos ab argumentis obscuris quæ à sensibus sint petita nunquam dimovebunt immò & ingeniis superficiariis ludibrium deberet qui probare aggrederetur ratiociniis paulò sublimioribus animalia non sentire. Maneat igitur altâ mente repostum, vehementem propensionem quâ versùs oblectationes, voluptates, ac in genere versùs ea omnia quibus afficimur, nos in quamplurimos errores injicere: quia cum mentis nostræ capacitas sit finita, ista propensio nos indesinenter dimovet ab attentione ad ideas claras & distinctas intellectûs puri, ad veritatem inveniendam aptas, ut nos adjungat ideis falsis, obscuris & fallacibus sensuum nostrorum; quæ voluntatem spe boni & voluptatis magis movent, quàm mentem lumine & evidentia illuminant ac erudiunt.

CAPVT XII.

De effectis quæ bonorum & malorum futurorum cogitatio in mente edere potest.

SI tenuissimas voluptates levissimosque dolores quos actû sentimus, aut etiam quos sentire tantùm speramus imaginationem nostram

mirum in modum perturbare sæpe contingat, nósque impediant quominùs de rebus juxtà veras ipsarum ideas judicare possimus; arbitrandum non est æternitatis expectationem in nos non agere. Verùm animadvertendum quid illa exspectatio in mentem nostram producere valeat.

Ante omnia observandum est spem æternarum voluptatum non tantopere in mentem agere, quàm metum æternorum cruciatuum. Quia, nempe, homines non æquè amant voluptatem ac oderunt dolorem. Præthereà suæ corruptionis conscientiâ adducti norunt, se dignos esse inferno; cum è contrà nihil videant in se quod mereatur mercedem tantam ut Divinæ felicitatis fiant participes. Quotiescunque volunt, immò sæpissimè cùm nollent, severissimis pœnis potiùs quàm ullâ mercede dignos se esse sentiunt; namque ipsorum conscientia ipsos nunquam deserit. At eadem evidentiâ perpetuò non convincuntur Deum velle exercere misericordiam suam erga peccatores postquàm justitiam suam in proprium filium exercuit. Itaque ipsi justi æternitatem cruciatuum vividiùs formidant quàm æternitatem voluptatum sperant: consideratio ergò pœnæ fortiùs agit ideâ mercedis. Hoc autem ferè, non sola equidem, sed ut causa præcipua, producere potest ea pœnæ consideratio.

Innumeros scrupulos in mentem injicit, quos ita confirmat ut exui nequeant. Fidem ad præjudicia usque, ut ita dicam, extendit, cultumque soli Deo debitum, in potestates imaginarias transfert. Mentem in superstitionibus vanis aut periculosis sistit; homines ad id impellit ut traditiones humanas, actiones ad salutem inutiles, pietatem Judaicam & Pharisaicam quam solus timor servilis excogitavit, maximo cum zelo & ardore amplectantur, ac eos denique eò nonnunquam cæcitatis adducant, ut ad desperationem redigantur; adeò ut mortem veluti nihilum quoddam confusè spectent mortem suam stultè accelerent, ut ex sollicitudinibus quibus anguntur & terrentur emergant.

Scrupulosis æquè ac superstitiosis plus sæpè charitatis inest quàm philautiæ; sed in iis qui ad desperationem adducuntur viget sola philautia, nam ut dicam quod res est, is sanè se vehementer amat, qui mavult non esse, quàm esse malè. Mulieres, juvenes, ingenia debilia, scrupulis & superstitionibus maximè obnoxia sunt, at viri ad desperationem faciliùs rediguntur.

Horum omnium causas reperire difficile non est; Etenim cum idea æternitatis omnium idearum quæ mentem stupefacere imaginationemque percellere possunt maxima sit atque etiam maximè terribilis, ipsam longâ idearum adventitiarum serie stipari necesse est; quæ omnes simul non leve in mentem edant effectum, propter relationem quam habent ad ingentem illam & terribilem æternitatis ideam.

Quicquid ad infinitum aliquatenùs refertur parvum esse nequit

aut si in se parvum sit, saltem per illam relationem magnitudinem sortitur nullis limitibus circumscriptam, quæque cum illo omni quod finitum est conferri nequit. Ita, quicquid aliquam habet, aut quod saltem aliquam habere imaginamur relationem ad alterutrum illud quod necessarium est, hoc est, ad æternitatem cruciatuum, aut ad æternitatem deliciarum nobis propositam, omnes animos qui planè stupidi non sunt terrere necessariò debet.

Cùm fœminæ, juvenilis ætas, & ii quibus ingenium est debile, fibras cerebri, ut jam dictum est, molles & flexiles habeant, imaginationis vi, ex illorum alterutro, nempe ex cruciatibus aut ex deliciis æternis sibi propositis vestigia accipiunt altissima. Cùmque spiritûs ipsis affatim suppetant, ita ut sensûs quàm cogitationis capaciores sint, imaginationis vi, maximo falsorum vestigiorum falsarumque idearum adventitiarum, quæ nullam cum ideâ principali naturalem habent relationem numero obruuntur. Intereà tamen, relatio illa, quamvis imaginaria, fovet & corroborat falsa hæc vestigia, falsasque ideas adventitias quæ ab eâ originem suam ducebant.

Cùm litigatores momentoso implicantur negotio, nec litium sunt periti; vanis identidem terrentur formidinibus; quia scilicet, metuunt ne quædam ipsorum causæ officiant ad quæ ipsi judices animũ ne advertunt quidem; quæque jurisperiti nequaquàm formidarent. Negotium istud ipsis est tanti momenti, ut commotio in ipsorum cerebro inde orta, ad vestigia remota quæ nullam ad id habent relationem transmittatur. Res eodem modo se habet de scrupulosis; causas timoris & sollicitudinis gratis sibi fingunt. Et cùm voluntatem Dei in sacrâ scripturâ examinare; eosque quibus integra est imaginatio consulere deberent; ad legem imaginariam ipsorum cerebro motibus inordinatis inscriptam, indesinenter attendunt. Et quamvis debilitatis suæ intus convincantur, Deumque ab ipsis quædam officia quæ ipsi sibi præscribunt non exigere certò sciant; cùm ista à vero Dei cultu eos avertant; non possunt tamen quin imaginationem suam menti anteponant; ac quibusdam sensationibus confusis quibus terrentur & in errorem injiciuntur potiùs cedant, quàm evidentiæ rationis quæ ipsos firmat & in veram salutis viam revocat.

Multùm sæpè virtutis & charitatis occurrit in iis qui scrupulis quibusdam detinentur: at in iis qui superstitionibus addicti sunt, quique totam pietatem in ritibus Judaicis & Pharisaicis collocant, charitas & virtus longè rarior est. Deus in spiritu & veritate adorari vult, ficto atque ad pietatem composito vultu, externisque officiis contentus non est, nec coram ipso genua flectere ipsiusque laudes labiorum nescio quo murmure, à quo cor alienum est, dicere, sufficit. Homines hisce externis symbolis ideò tantùm contenti sunt quia cor scrutari nequeunt: Ipsi enim homines in spiritu & veritate adorari vellent. Deus igitur mentem nostram & cor expetit. Utrumque

fecit propter se, & propter se duntaxat utrumque conservat. Sed multi Deo res in quas summum jus habet perperam audent eripere. In corde ipsorum idola sunt, quæ in spiritu & veritate adorant, & quibus se totos devovent. Sed quia verum numen ipsis in intimo conscientiæ æternos minatur cruciatûs ob infandum ipsorum ingrati animi crimen, nec tamen ab idololatriâ suâ desistere volunt; bona quædam opera externè tantùm patrare decernunt; jejunant aliorum more; eleemosynas erogant; preces fundunt; ac in ejusmodi exercitiis aliquandiù persistunt; quia verò iis quibus charitas deest molesta videntur ab iis plerumque desistunt, ut quibusdam minutis ritibus aut facilibus *devotionis* actionibus sese dedant, quæ cum philautia consonantes totam Ethicam Christianam necessariò quamvis sensim, evertunt. Hasce traditiones humanas quas perutiles esse ab hominibus imperitis acceperunt, quasque terribilis æternitatis idea ipsis indesinenter ingerit acriter tuentur, utpotè ad salutem planè necessarias.

De Justis res secùs se habet, ipsi etiam Dei sui minas, quemadmodùm & impii, intùs exaudiunt. Sed affectuum tumultus non impedit quominus ipsius consilia percipere queant. Falsis traditionum humanarum splendoribus ita non perstringuntur, ut lumen veritatis non sentiant: Jesu Christi promissis fidunt, ipsiusque consilia sequuntur; quippe qui persuasum habeant promissa hominum non secùs ac ipsorum consilia vana esse. Nihilominùs tamen timor ille, æternitatis ideâ ipsorum menti incussus, eorum imaginationem nonnunquàm tantopere commovet, ut hasce traditiones omnino damnare non audeant, easque sæpè exemplo suo approbent, quia scilicet, *aliqua* in istarum traditionum *superstitione & falsâ humilitate apparet sapientiæ species,* ut in traditionibus illis Pharisaïcis, de quibus Paulus.

At verò quod hic præcipuè animadvertendum venit, quodque non tam morum pravitatem quam mentis perturbationem sapit, hoc est: timor, scilicet, ille, de quo jam suprà, fidem æquè ac zelum eorum qui illo timore semel perculsi fuerunt, ad res etiam falsas ac Religionis nostræ sanctitate indignas sæpè extendit. Multi sunt qui credant, sed fide immotâ & pertinaci, terram in centro mundi immobilem stare, bruta realem sentire dolorem; qualitates sensibiles in ipsis objectis diffusas; formas dari aut accidentia realiter distincta à materiâ, cum multis aliis opinionibus falsis aut incertis, quia eas negando fidei se adversari existimaverunt; Scripturæ sacræ formulis loquendi terrentur, quæ ut ab omnibus intelligi possit familiariter loquitur, ac per consequens phrasibus apud vulgus usitatis utitur Physicam nos docere non sollicita. Non modò spiritûs sancti dogmatibus & præceptis, verùm etiam Judæorum opinionibus fidem adhibent. Nec animadvertunt Josuam, exempli gratiâ, milites

ſuos alloquutum fuiſſe, ut ipſe Copernicus, Galilæus, & Carteſius vulgus hominum alloquerentur. Certè licet Joſua in eadem ac iſti Philoſophi fuiſſet ſententiâ terram ſtare nequaquam juſſiſſet; quia ſcilicet ejuſmodi verbis inuſitatis miraculum à Deo in populi gratiam editum, exercitui patefacere non potuiſſet. Qui ſolem immotum eſſe credunt, nonne, dum famulos,amicos, ac eos etiam qui in eadem cum ipſis ſunt ſententia familiariter alloquuntur, ſolem oriri aut occidere dicunt. An dum de philoſophando non agitur, ſermone incognito & non vulgari uterentur? Prætereà an ipſe Joſue perfectè callebat Aſtronomiam? aut ſi iſtius ſcientiæ peritus eſſet, an ipſius milites perindè? aut ſi ipſe & milites Aſtronomiæ periti erant, quis dicat ipſos philoſophari voluiſſe dùm decertare duntaxat animo ſedebat? Joſua igitur ut loquutus eſt loqui debuit, etiamſi ipſe cum militibus eaſdem habuiſſet opiniones quas nunc habent celeberrimi inter Aſtronomos. Iſtius tamen inclyti Ducis verba, *Siſte Sol propè Gabaon*, & quod ſequitur, ſolem ſcilicet ad ipſius imperium ſtetiſſe, eò multos adducunt ut credant hypotheſin quâ mobilitas terræ ſtabilitur, non modò periculoſam, ſed etiam ita hæreticam eſſe ut ſine fidei diſpendio defendi nequeat, nonnullos viros pietate graves & venerabiles ſanè hanc opinionem damnare audiverunt, quid doctiſſimo ſæculi noſtri Aſtronomo circa id rei contigerit confusè norunt; atque id ſufficit ut fidem ad opinionem iſtam uſque extendi pertinaciter credant: ſenſus quidam confuſus motu quodam timoris quem ipſi non percipiunt, excitatus & ſuſtentatus eos in ſuſpicionem injicit adversùs eos qui rationem in rebus quæ rationis ſunt ſequuntur. Illos tanquam hæreticos habent nec ſine ſollicitudine & mentis anxietate ipſos audiunt loquentes. Ac ejuſmodi arcanæ formidines eorum menti eandem inſpirant venerationem & ſummiſſionem ergà iſtas opiniones vulgares & ergà multas alias merè Philoſophicas, ac ergà veritates fidei.

CAPUT XIII.

I. De tertia propensione naturali, nempe de amicitiâ quâ cæteros homines prosequimur. II. Ista propensio eò nos fert ut amicorum nostrorum cogitationes probemus eósque falsis laudibus decipiamus.

I. *De tertiâ inclinatione naturali, quæ est amicitia, quâ cæteros homines prosequimur.*

EX omnibus inclinationibus in genere, & eo sensu quo primo capite explicui, sumptis, illa duntaxat superest quâ versùs illos quicum vivimus, & versùs omnia objecta quibus circumcingimur, propendemus. Sed de illâ inclinatione seu propensione pauca duntaxat dicam, quia id Ethicam & Politicam potius spectat quàm institutum nostrum. Quoniam ista propensio cum animi affectibus semper conjuncta est, satius forsan foret illam in librum sequentem transmittere: Verùm ordo hac in re non est tanti momenti.

Ut istius inclinationis naturalis causam & effecta clarè intelligere possimus; tenendum est Deum omnia opera sua amare, illaque inter se arctè unire ut sese mutuò conservent. Cùm enim opera sua indesinenter amet, quippe quæ amore ipsius producantur; amorem etiam erga opera sua cordi nostro indesinenter imprimit, cùm amorem ipsius amori similem in corde nostro indesinenter excitet. Ne autem amor naturalis quo nosmet ipsos prosequimur destruat aut nimis debilitet amorem quo erga ea quæ sunt extrà nos tenemur, utque contrà duo isti amores quos Deus nobis indit sese mutuò foveant & corroborent; Deus cum rebus quibus circumcingimur ac præcipuè cum entibus ejusdem speciei tam firmo vinculo nos univit; ut ipsorum malis naturaliter contristemur, ob ipsorum gaudia ipsi etiam gaudio afficiamur, ac eorum elevatione aut demissione, nos etiam elevari aut deprimi videamur. Novæ cognatorum & amicorum dignitates, noveorum qui ad nos proximè attinent quæsita, bellao parta & victoriæ à Principe nostro reportatæ, immò terræ in orbe novo recens cognitæ, substantiæ nostræ aliquid addere videntur. Quoniam enim cum his omnibus vinculo quodam uniti sumus, illorum magnitudine & progressu gaudemus: Istum mundum infinitum esse vellemus, ac istorum Philosophorum qui opera Dei nullis circumscribi limitibus censent, cogitatio, non modò digna Deo verum etiam homini cui nihil pulchrius videtur, quàm infiniti partem facere, gratissima est; quia utut in se ipso parvus sit, se tamen veluti infinitum eva-

dere censet, sese per entia infinita sibi circumjacentia diffundendo.

Unio equidem nostra cum omnibus corporibus quæ per ingentia hæc spatia volvuntur, non est admodùm arcta, ac proinde plerosque homines fugit: nec desunt qui ea quæ in cœlis reteguntur ita negligunt, ut iis ipsos naturâ nequaquàm uniri meritò credas, nisi aliunde notum foret, istam negligentiam vel ex ignorantia oriri vel ex eo quod aliis rebus nimis adhærescunt.

Mens quamvis corpori suo unita, omnes tamen qui in eo excitantur motûs non semper percipit, aut si eos percipiat, ad eos semper non attendit. Cùm affectus quo agitatur sæpè vehementior sit sensatione quâ afficitur, objecto affectûs sui magis adhærere videtur quàm corpori suo. Namque per passiones præsertim, mens in externa objecta sese diffundit, & se reapse cum iis omnibus quibus circundatur colligari sentit. Non secùs ac præcipuè sensationis ope per corpus diffunditur & agnoscit se unitam esse omnibus ipsius partibus. Sed quemadmodum ex eo quod quis aliquo affectu vehementer percitus sese ultrò morti objiceret; vitæ suæ prodigus, inferri legitimè non posset ipsius mentem corpori non uniri; ita arbitrandum non est nos naturâ omnibus non adhærere, quia quædam sunt quæ negligere videmur.

Ut, exempli gratiâ, cognoscas an homines Principi suo & patriç adhæreant, ii examinandi sunt qui res eorum norunt, quique nullis privatis negotiis detinentur: tum comperies quanto ardore quid novi afferatur disquirent; quam sollicitè de præliorum eventu percontabuntur; quàm alacriter victorias de hostibus reportatas sibi nuntiari audient, quantâ verò mœstitiâ ob clades afficientur. Tunc homines Principibus suis & Patriæ strictè uniri clarè intelliges.

Pariter, ut cognoscas an homines Sinarum & Japoniæ regnis, Planetis & stellis fixis aliquo vinculo connectantur; oculos conjice in eos qui altâ in patriâ & familiâ suâ fruantur pace, nullis agitentur affectibus sibi peculiaribus, quique unionem quâ cum rebus nobis cœlo propioribus uniuntur actu non sentiant; atque agnosces, eos, si naturæ & magnitudinis istorum astrorum periti sint, non sine gaudio audituros esse quædam recens retecta fuisse; ea cum voluptate incredibili contemplabuntur, sique satis Astronomiæ periti sint, eorum motûs observare & dimetiri cum summo labore non dubitabunt.

Qui multis implicantur negotiis, an Cometes appareat an verò sit Eclipsis parùm solliciti sunt: qui verò à rebus sibi proximis tantoperè non dependent, ad ejusmodi eventûs attenti sunt. Quia reipsâ nihil est cui aliquo vinculo non adhæreamus, licèt unionem illam semper non sentiamus; quemadmodum semper non sentimus mentem nostram uniri, non modò brachio aut manui, verùm etiam cordi & cerebro.

Arctissima unio naturalis quam Deus inter nos & opera sua in-

ſtituerit, ea eſt quâ cum hominibus quicum degimus unimur. Illos non ſecus ac noſmet ipſos amare Deus nos juſſit, utque amor ex liberâ voluntatis electione natus tenax ſit & perennis, illum Deus fovet & corroborat amore naturali quem nobis imprimit. Quocirca quædam nobis indidit vincula inviſibilia quibus ad eos amandos neceſſariò adigimur. Ita ut eorundem vinculorum ope ipſorum conſervationi non ſecùs ac noſtræ conſulamus: ipſos habeamus ut partes eſſentiales totius quod componimus, ac ſine quo ſubſiſtere nequimus.

Iſtis convenientis naturalibus, quæ inter inclinationes hominum, inter ipſorum corporis motûs, & inter iſtas inclinationes, iſtoſque motus ad ſe invicem occurrunt mirabilius nihil eſt. Arcana illa concatenatio miraculum eſt omni admiratione majus, quodque nemo unquam mente aſſequi poterit. Ad alicujus doloris ſubitò nati quemque propriis noſtris viribus ſuperare non poſſemus ſenſum; ingentem, exempli gratiâ, clamorem edimus. Clamor ſæpè ex improviſo & ſola machinæ diſpoſitione ortus aures eorum pervadit qui in tantâ non ſunt diſtantiâ, ut auxilium tum temporis neceſſarium præbere non poſſint; ipſos cujuſcunque tandem ſint gentis aut conditionis penetrat, & attentos efficit; namque ejuſmodi clamor omnibus linguis & conditionibus communis eſſe debet, & eſt actu. Cerebrum agitat totamque uno inſtanti eorum qui iſto clamore perculſi ſunt corporis diſpoſitionem immutat. Immò ad auxilium ferendum vel incogitantes inducit. At verò non diù durat iſte clamor quin agat in ipſorum mentem ipſiſque deſiderium inſpiret opis ei ferendæ qui prece iſta naturali uſus eſt. Dummodò tamen ſupplicatio iſta naturalis ſeu potius urgens illud imperium, ſit juſtum & ſocietatis legibus conforme. Nam clamor temerarius, gratis & ex vano terrore ortus, indignationem & ludibrium pro miſericordia apud adſtantes parit, quia qui ſine cauſa clamat, rebus à naturâ ad noſtri conſervationem inſtitutis, abutitur. Clamor iſte temerarius averſationem naturaliter gignit & compellit ad ulciſcendam injuriam naturæ, hoc eſt, rerum ordini, factam, ſi ſaltem de induſtriâ editus fuerit: ſed nihil præter *riſum* commiſeratione aliquâ admixtum movere debet, ſine averſatione ac ſine vindictæ deſiderio; ſi clamor ille à quopiam vano terrore & falsâ periculi ſpecie perculſo, editus fuerit, ut enim à terrore liberetur & impoſterum à clamando ſine causâ deſueſcat, *ridendus* eſt; ſed miſericordia opus eſt ut ipſi quatenùs infirmo ſuccurratur, nihil ordini magis conſentaneum concipi poteſt.

Hic quænam organa quaſve convenientias author naturæ in hominum & cæterorum animalium cerebro poſuit ad fovendam concordiam & unionem ipſorum conſervationi neceſſariam ullo exemplo explicare non aggredior; quædam tantùm ſuper hiſce organis animadvertere contentus, ut alii poſteà ſedulò meditentur & ſcrutentur;

tur; non quomodo organa illa moveantur, nec quomodo ipſorum motus, per aërem, per lucem, & per omnia corpuſcula quæ nos circumdant communicentur; id enim captum ferè ſuperat, nec neceſſarium eſt; ſed ſaltem ut illorum organorum effecta noſcantur, variis obſervationibus vincula quibus mutuò unimur cognoſci poſſunt; ſed quo pacto hæc omnia fiunt, illud demum eſt quod accuratè ſciri nequit. Horologium horas indicare nullo negotio percipimus, ſed tempore opus eſt ut ſcire valeamus quibus id fiat rationibus: jam verò tot varia ſunt organa in cerebro minimi animalium, ut in machinis arte factis & maximo elaterum numero conſtantibus, nihil ſimile reperiatur.

Si organa machinæ noſtræ omnino noſci nequeant, nulla etiam eſt ea accuratè cognoſcendi abſoluta neceſſitas; at verò ut rectum obſervetur vitæ regimen effecta quæ in nobis edere valent perfectè cognoſcere neceſſe eſt. Quomodo horologium compactum ſit ut illo uti poſſimus tenere neceſſe non eſt; ſed ut illius ope tempus noſtrum metiri queamus, illud horas indicare neceſſariò ſaltem cognoſcere debemus. Attamen ſunt homines ad meditationem adeò inepti, ut illos machinis ſenſu deſtitutis haud immeritò ſimiles eſſe dixeris. Apud ſe ipſos nequaquàm ſentiunt organa moveri, ad objectorum præſentiam ſæpè agitantur, dum vix motuum ſuorum conſcii ſunt; ſervi ſunt, nec ſentiunt vincula. Innumeris denique variis rationibus ducuntur, quamvis manum quâ reguntur non noſcant, putant ſe omnium motuum quibus percelluntur autores eſſe: Nec quod in ipſis actu libero voluntatis ſuæ, ab eo quod corporum adjacentium impreſſione agitur, diſtinguentes, arbitrantur ſe proprios ſui duces eſſe, eodem ipſo tempore quo alio ducuntur. Sed iſtorum explicandorum hìc non eſt locus.

Convenientiæ quas Author naturæ inter inclinationes noſtras naturales inſtituit, ut mutuo inter nos vinculo uniremur, attentione & ſcrutationibus noſtris, iis quæ inter corpora, aut inter ſpiritûs relatè ad corpora ſunt, digniores videntur. Omnia enim ita ordinata fuere, ut inclinationes quæ ſocietati maximè repugnare videntur ipſi tamen utiliores ſint, dummodo ſint temperatæ.

Cupiditas, exempli gratiâ, quâ cuncti homines flagrant dignitates poſſidendi, tendit per ſe ad ſocietatis deſtructionem. Nihilominus cupiditas illa ordine naturæ ità temperatur ut Reipublicæ longè utilior ſit multis aliis inclinationibus moderatioribus. Etenim, æmulationem movet, ad virtutem incitat, & eorum animum qui de Patria benè merentur, ſuſtentat; nec tot reportarentur victoriæ, niſi milites ac præcipuè duces, ad gloriam & munia collimarent. Itaque ſingula exercitûs membra, dum ſibimet ipſis tantùm conſulunt, bono tamen Patriæ conferunt: unde patet, publicæ utilitatis eſſe omnes homines ſecreto gloriæ deſiderio moveri, dummodò deſiderium illud ſit temperatum.

Verùm, si singuli privati mentem suam sincerè aperirent, si coram aliis se ad id tendere ut corporis cujus sunt membra præcipuę partes fiant, nec ultimum unquàm locum obtinere velle, ingenuè profiterentur, hoc pacto societatem nunquam inirent. Omnia ejusdem corporis membra non possunt caput & cor esse; in eo etiam pedes, manus, magni non secus ac parvi, qui obediant non secus ac qui imperent esse debent, si unusquisque se semper dominari nunquam verò obedire velle palàm diceret ut id unusquisque optat naturâ suâ, omnia corpora politica hoc pacto interirent, confusio & injustitia ubique grassarentur.

Necesse igitur fuit eos qui ingenio perspicaciori præditi sunt, qui ad id aptiores nati sunt ut nobiliores hujusce corporis partes essent, cæterisque imperarent, naturâ urbanos & comes esse. Hoc est, inclinatione quadam secretâ ad id ferri, ut in verbis & agendi rationibus comitatem & urbanitatem præ se ferentes aliis testarentur se omni existimatione indignos esse, ac tenuitatis conscios in eâ esse opinione ut se infirmum inter homines locum occupare credant; Eos verò quos alloquuntur quibuslibet honoribus dignos esse, ac eos se maxima existimatione & veneratione colere. Denique, deficiente charitate & ordinis amore, necesse fuit superiores callere artem fallendi inferiores fictâ humilitate, in solâ specie externâ, in verbis scilicet duntaxat positâ; ut istâ quæ in omnibus societatibus civilibus necessaria est præcellentiâ sine invidia frui possent. Quippe hoc pacto, cuncti homines gloriam quam cupiunt aliquatenùs possident. Magnates realiter, * parvi verò & tenues imaginariè; scilicet aliorum blandimentis decepti, se pluris æstimari quàm fert ipsorum conditio, hoc est se non in infimo ordine collocari, sibi persuadent.

*Secundùm hominem loquor, nam vera hujusce mundi magnitudo à solâ imatione pendet.

Hinc obiter colligere est eos qui de se sæpè loquuntur, præcipuè si id quod de se dicunt aliquâ laude dignum sit, adversus civilitatem vehementer peccare, licèt quibuslibet animi virtutibus reapse forent præditi, quoniam non licet cum iis quorum colloquio uteris ita agere quasi essent infra te positi, nisi in quibusdam casibus, ubi, exempli gratiâ, notis quibusdam externis & sensibilibus suprà illos emines. Etenim contemtus injuriarum est atrocissima: illo præcipuè societatis vinculum rumpitur; nec est quod speremus fore ut homo cui notum esse potuit, se à nobis tanquam inferiorem haberi possit unquam societatem nobiscum jungere, quia homines ferre nequeunt se haberi ultimam partem corporis quod constituunt.

Ista igitur innata hominibus inclinatio utendi verborum lenociniis maximè propensionem quâ ad gloriam feruntur cohibet, & aptissima est ad leniendum dolorem internum quo ii afficiuntur qui ultimas constituunt corporis politici partes. Nec dubium est quin ambæ istæ inclinationes, altera scilicet quâ ad blandimenta, altera verò quâ ad gloriam propendemus simul junctæ ad societatem fovendam sint utilissimæ.

Verùm in hisce inclinationibus non secus ac in amicitiâ, misericordiâ, benevolentiâ & cæteris quæ uniendis hominibus inter se invicem inserviunt incredibilis est corruptio. Quod societatem civilem fovere deberet ipsius exitio sæpè plurimùm confert; ac ne ab argumento recedam id errori stabiliendo & propagando inseruit.

Inter omnes inclinationes ad societatem necessarias, amicitia, favor, grati animi motus, & illæ omnes quibus ad id adducimur ut amicis etiam coram nimias laudes tribuamus, nos maximè in errorem injiciunt.

Amorem nostrum in solis amicis non terminamus, ea omnia etiam amamus quæ ad illos aliquatenùs pertinent; & quia opinionum suarum ut plurimùm sunt acerrimi vindices; eò nos sensim flectunt ut ipsis credamus, ipsorumque opiniones approbemus illasque pertinaciùs & vehementiùs ipsis sæpè tueamur: Quia si opiniones suas nimio impetu defenderent id ipsos sæpè nón deceret. Cùm contrà nemo possit vitio vertere si nos ipsas tutemur; in ipsis id philautiæ, in nobis verò generositati imputetur. II.

Ista inclinatio ad id nos fert ut amicorum cogitationes probemus, ipsosque falsis decipiamus laudibus.

Cæteros homines amore complectimur pluribus de causis, nobis placere & utiles esse multifariam possunt. Ingeniorum, affectuum, & negotiorum conformitate ipsorum specie externa, agendi rationibus, virtutibus, bonis, amore & existimatione quâ nos prosequuntur, officiis quæ ab ipsis accepimus aut speramus & multis aliis causis specialibus ad ipsos amandos determinamur. Si igitur contingat ut quis inter amicos nostros, hoc est, qui iisdem ac nos moveatur affectibus, qui sit eleganti corporis formâ, qui facundè & scitè animi sensa exprimat, quem virtute ornatum vel summo loco ortum credamus, qui amorem & existimationem nobis testetur, qui benè de nobis meritus sit, aut cujus opem aliqua in re speramus, aut quem denique ob aliquam aliam causam amemus; si, inquam, contingat, ut homo ille aliquam proferat propositionem, illam statim, ratione ad examen nequaquam adhibitâ, haurimus. Ipsius opinionem an sit vera necne securi, immò sæpè reluctante conscientiâ, pro obscuritate & confusione mentis nostræ, pro cordis nostri corruptione, & pro utilitate quam ex falsâ generositate nostra speramus, defendimus.

Hujusce rei exempla sigillatim afferre foret inutile; vix enim unquam per unicam horam quis alicui cætui, potest interesse, quin multa ipse experiatur, si saltem attendere velit. Veritati raró plauditur, sed iis sæpè qui amorem adstantium sibi conciliaverunt. Qui loquitur comis est & urbanus; ergò benè ratiocinatus est; sufficit id quod dicit esse duntaxat verisimile, ut verum habeatur. Ac si quæ protulit sint ridicula & absurda, saltem ipsis tribuetur verisimilitudo. Is homo me amat, me existimat, mihi multa præstitit officia, & nunc præstare potest, alias opiniones meas defendit, ingrati animi & imprudentiæ crimen à me non declinaré si ipsius jam opinonibus oblu-

ctarer, imò non assentirer. Sic veritati illuditur, ipsam nostris affectibus subjicimus, & falsas hominum opiniones mutuâ indulgentia amplectimur.

Vir probus succensere non debet quum docetur & eruditur, dummodò juxtà urbanitatis leges id fiat; & cum amici ægrè ferunt se de erroribus suis modestè à nobis moneri; tum sibi ipsis & erroribus suis permittendi sunt, cum id velint, nec ipsis quicquam imperare, aut ipsorum mentem mutare non valeamus.

Sed verus amicus errores amici probare nunquàm debet. Etenim ad id esset attendendum, nos scilicet iis magnopere officere, dum ipsorum opiniones temerariè defendimus. Elogiis nostris cor ipsorum intumescit, & errores mentis roborantur. Eò deveniunt ut resipiscere nequeant; ac denique agunt & decidunt non secùs ac ἀναμάρτητοι facti essent.

Unde quæso, fit ut ditissimi, potentissimi, nobilissimi, ac ii omnes in genere qui supra cæteros eminent sibi tribuant ἀναμαρτησίαν; & eodem se gerant modo, ac si inferioribus essent sapientiores, nisi quia ipsorum cogitationes indiscriminatim & serviliter probantur? Ita assensus quem præbemus amicis illos eò sensim adducit ut credant se præstantiori cæteris pollere ingenio. Quo pacto superbi, audaces, imprudentes, & in crassissimos errores proni fiunt, nec id animadvertunt.

Hanc ob causam inimici nostri sæpè nobis utiliores sunt, ac mentem magis erudiunt suis oppositionibus, quàm amici, suis approbationibus. Quia inimici nostri ad id nos adigunt ut nobis ipsis præcaveamus, rebusque quæ in medium proferimus attendamus; quod sufficit ut errores agnoscamus. At amici nostri nos falsâ sopiunt confidentiâ, quà vani & ignari efficimur. Homines igitur amicos suos admirari, ipsorum sententias amplecti præ amicitia nunquàm debent quemadmodum inimicis præ inimicitiâ ipsos adversari æquum non est. Sed spiritum adulationis aut contradictionis exuere debent ut sinceritatem profiteantur, utque evidentiam & veritatem, ubi ubi sit, approbent.

Id etiam altâ mente repostum manere debet, scilicet, plerosque ad adulationem & lenocinia pronos esse, inclinatione quadam naturali, sive ut ingenio præditi videantur, sive ut benevolentiam captent, sive ut ipsis par referatur, sive denique malignitatis & derisionis animo. Nec iis omnibus quæ nobis dici possunt tutum est fidem incautam adhibere. Nonne videmus quotidie homines sibi invicem ignotos, sese mutuò laudibus ad astra evehere etiam quum primâ vice colloquuntur? Quotidie videas oratorem qui concionem habuerit laudibus hyperbolicis extolli & cum admirationis indiciis ab eodem excipi, qui mos eum exsibilaverat, ac coram iisdem subsannationum testibus. Quotiescunque quis exclamat, præ admi-

ratione pallescit, ac veluti attonibus hæret, is qui loquitur mira se dicere ideò inferre non debet; sed potiùs se coram adulatoribus loqui, se ab amicis temerariè laudari, aut ab inimicis malignè rideri. Vel forsan, admirationem sibi conciliat quia eleganter & aptè ad persuadendum loquitur, quia dives est vel authoritate pollet, vel si mavis, ex eo oritur approbatio quod ea quæ profert notionibus sensuum confusis & obscuris, sed vividis & jucundissimis nitantur, aut quia imaginationis igniculis micat, cùm laudes amicitiæ, divitiis, dignitatibus verisimilitudinibus, sed rarò veritati tribuantur.

Quis fortè speraverit, me, examinatis in genere inclinationibus mentis, transiturum esse ad explicationem singularem omnium motuum specialium quibus afficiuntur mentes ad boni & mali præsentiam, hoc est, me explicaturum naturam amoris, odii, gaudii, tristitiæ, & omnium affectuum intellectualium tam generalium quàm specialium, tam simplicium quàm complexorum. Sed varios quibus mentes agitari possunt motus explicare mihi non propositum est.

Observari duntaxat velim quæcunque hactenus de Inquirenda Veritate scripsi, ea mente à me scripta fuisse, ut homines debilitatis & ignorantiæ suæ convincerent; utque ipsos docerem quantopere errori & peccato omnes obnoxii simus. Id jam dictum repeto iterum atque iterum; forsan memoriæ mandabitur: de mentis naturâ accuratè & penitus tractandi nunquam fuit animus. De ea tamen aliquid perstringere oportuit, ut errores in principio suo, ordine, & clarè possem explicare. Ac si limites mihi primâ fronte præscriptos sum transgressus; id ex eo ortum est quòd nova quædam mente subierint, quæ non levis esse momenti mihi videbantur, quæque non sine voluptate lectum iri arbitrabar. Mea forsan me fefellit opinio, nisi tamen rem sic credidissem vix id à me obtinere possem ut ea scriberem. Quis enim loquatur nisi attentionem ab auditoribus speret? Multa equidem dixi quæ ad institutum minus facere videntur, quàm particularis motuum mentis tractatio; id non diffiteor; sed dum ordinem mihi præscripsi, frœnum tamen ingenio injici nolo. Ordinem mihi præscribo qui me regat, sed id mihi semper concedi volo ut iter faciendo caput identidem deflectam, si quid occurrat memorabile. Immò à viâ nonnunquam secedere mihi licet ut & quiescam modò nunquàm aberrem. Qui mecum quiescere nolunt in itinere possunt pergere; per me licet: vertant folium si lubet; at si diverticula mea ægrè ferant meminerint tamen, non paucos esse, qui locis in quibus requiesco, recreati, alacriùs reliquo itinere defunguntur.



DE

INQUIRENDA VERITATE.

LIBER QVINTVS.

DE AFFECTIBVS.

CAPVT PRIMVM.

De naturâ & origine affectuum in genere.

MEns humana duas habet relationes essentiales aut necessarias, admodum diversas alteram ad Deum, alteram ad corpus suum. Quatenus mens pura, Verbo Divino, sapientiæ & veritati æternæ essentialiter unitur; hac enim solâ unione cogitationis est capax; ut Libro tertio explanatum fuit. Quatenùs mens humana, relationem habet necessariam ad corpus suum; nam quia isti unitur corpori sentit & im ginatur, ut primo & secundo Libro demonstratum fuit. Mens nomine *sensûs* aut *imaginationis* indigitatur, quum corpus ipsius cogitationum causa est naturalis & occasionalis; Et eadem mens *intellectûs* nomine designatur, quum agit per seipsam; seu potiùs quum Deus agit in ipsâ, quumque lumen divinum ipsi affulget sine ulla relatione necessariâ ad ea quæ in corpore aguntur.

De voluntate res eodem planè modo se habet. Quatenus voluntas ἁπλῶς, ab amore quo Deus seipsum complectitur, à lege æternâ, uno verbo à voluntate Dei essentialiter pendet. Aliquid amamus, duntaxat quia Deus seipsum amat; ac nisi Deus seipsum amaret, aut

nisi in mente humanâ amorem suo similem, hoc est, motum illum amoris quo erga bonum in genere afficimur indesinenter imprimeret nihil amaremus, nihil vellemus, ac ideò sine voluntate essemus; Primo libro cùm voluntas nihil aliud sit quàm impressio naturæ, quâ versùs bonum in genere ferimur, ut multoties jam dictum est.

Sed voluntas, quatenus voluntas hominis, à corpore essentialiter pendet; nam propter solos sanguinis & spirituum motus, commotionibus sensibilibus agitatur. Igitur, *inclinationes naturales* nuncupavi, omnes mentis motûs nobiscum puris intelligentiis communes; & Libro præcedenti nonnullos explicavi ex iis quæ corpus valdè afficiunt, quamvis illorum causam finis non sit nisi indirectè: Hic verò *affectûs* seu * *passiones* voco, omnes commotiones quibus mens agitatur * Gall. Passions. occasione motuum extraordinariorum spirituum & sanguinis. De ejuscemodi commotionibus sensibilibus hoc Libro agetur,

Licèt passiones ab inclinationibus separari nequeant, nec homines alicujus amoris aut alicujus odii sensibilis sint capaces, nisi quia amoris & odii spiritualis capaces sunt. Illas tamen seorsim tractandas esse duximus, ordinis ergo. Qui passiones multo vehementiores & vividiores esse inclinationibus naturalibus, illasque ut plurimùm in alia objecta ferri, ac semper produci ab aliis causis, attenderit; is agnoscet me non immeritò separasse res naturâ suâ inseparabiles.

Homines sensationum & imaginationum non sunt capaces nisi quia purarum intellectionum sunt capaces; cum sensûs & imaginatio à mente sint inseparabiles, nemo tamen est qui hasce facultates seorsim tractari non probet, quamvis naturâ suâ sint inseparabiles.

Denique sensûs & imaginatio ab intellectu puro non magis differunt, quam passiones ab inclinationibus. Itaque has duas posteriores facultates separare oportuit quemadmodùm tres priores separare solemus. Ut melius discernere possimus quid mens ab Authore suo relatè ad corpus recipiat, ab eo quod habet ab illo sine ulla relatione ad corpus.

Hoc solum ex istâ rerum naturâ suâ conjunctarum separatione orietur incommodum nempe, ut fieri solet in ejusmodi casibus, multa ex iis quæ jam diximus repetere cogemur.

Homo unus est quamvis constet ex multis partibus, atque istarum partium ita arcta est unio ut nulla in parte possit tangi quin totus moveatur. Omnes ipsius facultates à se invicem ita dependent, & ita subordinantur, ut una explicari non possit quin de cæteris aliquid delibetur. Sic dum ordinem confusionis evitandæ gratiâ nobis præscribimus, multa repetendi incumbit necessitas, sed præstat repetere quàm confundere, quia claritati studendum est. Res commodiùs transigi nequit in hac repetendi necessitate quàm si ita repetamus ut repetitiones fastidium non creent.

Passiones animi sunt impressiones Authoris naturæ, quæ ad id nos

ferunt ut corpus nostrum & quicquid ipsius conservationi utile esse potest amemus, non secùs ac inclinationes naturales sunt impressiones authoris naturæ quibus ad ipsum amandum ut summum bonum præcipuè ferimur.

Causa naturalis vel occasionalis harum impressionum est motus spirituum animalium, qui per corpus diffunduntur, ut in eo dispositionem objecto quod percipitur congruam producant, & foveant, adeò ut mens & corpus sibi in hac occasione mutuam ferant opem. Hic enim ordo à Deo fuit institutus, ut voluntates nostras motus corporis ad illas executioni mandandas apti, sequantur; utque motûs corporis nostri alicujus objecti præsentiâ in nobis mechanicè excitatos affectus animi comitetur, qui eò nos inflectat, ut velimus ea quæ tunc sunt utilia corpori nostro. Hæc est impressio perpetua voluntatis Divinæ in nobis, quâ certæ cuidam portioni materiæ tam arctè unimur; sique ista impressio voluntatis Divinæ per unicum cessaret momentum, ab illo ipso momento, ab illa liberaremur dependentiâ in qua versamur ab omnibus quæ corpori nostro contingunt mutationibus.

Quippe satis assequi non possumus quomodo nonnulli autument esse connexionem omnino necessariam inter motûs spirituum & sanguinis, & commotiones mentis. Quædam bilis particulæ in cerebro vehementer moventur; ergo mentem aliqua passione agitari istamque passionem potius esse iram quàm amorem, necesse est. Quænam concipi potest analogia inter ideam vitiorum inimici cujuspiam, inter contemtûs & odii affectum, & motum corporeum partium sanguinis qui in quasdam cerebri partes irrumpunt? Quis potest imaginari hos motus ab illis pendere? Unionemque duorum æquè diversorum & incompatibilium ac sunt mens & corpus, posse produci & foveri aliter quàm voluntate perpetuâ & omnipotenti authoris naturæ.

Qui corpora motum suum, ubi concurrunt, necessario & per se sibi invicem communicare existimant, saltem aliquid verisimile cogitant. Etenim ista opinio aliquo fundamento niti videtur. Corpora cum corporibus essentialem analogiam habere videntur: sed mentes & corpora sunt duo genera entium adeò diversa, ut qui mentis commotiones cum motibus spirituum & sanguinis necessariò conjungi arbitrantur, rem omni verisimilitudine destitutam cogitent. Certè solâ experientiâ quâ istius unionis inter duo hæc entia apud nos conscii sumus, & solâ perpetuarum Dei operationum in suas creaturas ignorantiâ, ad id ferimur, ut unionem mentis cum corpore alii tribuamus causæ quàm voluntati Divinæ.

Decidere difficile est an convenientia illa, seu connexio cogitationum mentis cum motibus corporis sit pœna peccati, an verò sit naturæ donum; nec desunt qui credant eos esse temerarios qui alterutram istarum opinionum eligunt. Nemo est qui nesciat hominem ante peccatum

peccatum non fuiſſe ſervum, ſed affectuum ſuorum dominum, agitationemque ſanguinis quâ producuntur nullo negotio voluntate ſuâ ſtitiſſe. Sed ægrè crediderim, corpus non ſollicitaſſe mentem primi hominis, ad eorum inveſtigationem, quæ vitæ conſervationi erant idonea. Haud facilè mihi perſuaſerim Adamum ante peccatum fructûs viſui jucundos & palato ſuaves non judicaſſe, ſaltem ſi ſcripturæ teſtimonio fidem adhibeam, nec poſſum ad id adduci ut credam œconomiam tam juſtam,tam admirabilem ſenſuum & paſſionum ad corporis conſervationem, eſſe potius naturæ corruptionem quàm ipſius inſtitutionem.

Natura equidem nunc eſt corrupta; id extrà omne dubium eſt; corpus in mentem æquo vehementiùs agit, cum ipſi ſuas neceſſitates ſummiſsè repræſentare deberet; illam tyrannicè habet & Deo eripit cui inſolubili vinculo uniri deberet; illamque ad rerum ſenſibilium, quæ conſervationi ſuæ utiles eſſe poſſunt, indagationem perpetuò appellit. Mens veluti materialis & terreſtris peccato facta eſt. Analogia& unio eſſentialis quam cum Deo habebat interiit; ſcilicet Deus ab ipsâ ſeceſſit, id tamen ita fecit ut penitus illam non perdiderit & annihilaverit. Ab illius abſentia ſeu remotione qui ipſam in ordine conſervabat innumeræ ortæ ſunt inordinationes, atque ut à longiori ærumnarum noſtrarum enumeratione abſtineam, hominem ex quo lapſus eſt in omnibus partibus ſuis corruptum eſſe fateor.

Verùm enimverò lapſus iſte opus Dei non deſtruxit; Quod Deus primùm homini dedit, in eo ſemper agnoſcitur; Et voluntas Dei immutabilis, quæ uniuſcujuſque rei naturam conſtituit, inconſtantiâ & levitate voluntatis Adami, non fuit immutata. Quicquid Deus voluit id vult adhuc; & quia voluntas ipſius eſt efficax, efficit quicquid vult: Peccatum hominis equidem occaſio fuit iſtius voluntatis Divinæ, quæ conſtituit ordinem gratiæ; ſed gratia non eſt contraria naturæ. Altera non deſtruit alteram. Quia Deus adversùs ſeipſum non pugnat, ipſum nunquam pœnitet; & cùm ipſius ſapientia careat limitibus, opera ipſius fine etiam carebunt.

Igitur, voluntas Dei,quæ gratiæ ordinem efficit,additur voluntati quæ efficit ordinem naturæ,ut eam reparet, non verò ut eam mutet. Nihil in Deo eſt præter duas illas voluntates generales: Et quicquid eſt benè ordinati in terris, ab alterutrâ harum voluntatum pendet. Paſſiones optimè ordinatas eſſe, ſi duntaxat conſiderentur relatè ad corpus,infrà patebit,quamvis nos fallant in quibuſdam caſibus raris & peculiaribus, quibus cauſa univerſalis mederi noluit. Concludendum igitur eſt paſſiones eſſe ordinis naturæ, cùm non poſſint eſſe ordinis gratiæ.

Si equidem attendamus peccatum primi hominis nos auxilio Dei ſemper præſenti & ad noſtri defenſionem ſemper parato privaſſe, dicere poſſumus hoc ſenſu peccatum eſſe cauſam unionis noſtræ cum

rebus sensibilibus, quia peccatum à Deo nos sejunxit, per quem solum à servitute possumus liberari.

Sed missâ inquisitione primæ Passionum nostrarum causæ, illarum extensionem, naturam, finem, usum, vitia, & quicquid complectuntur, expendamus.

CAPUT II.

De unione mentis cum rebus sensibilibus, vel de vi & extensione affectuum in genere.

QUi ad hujusce Operis lectionem sese accingunt si iis quæ apud seipsos sentiunt tantillùm attendere vellent; non opus esset me ostendere nos ab omnibus objectis sensibilibus per dère. Hîc nihil possum dicere quod omnes sibi notum esse non sentiant, dummodò attendere velint. Quapropter de iis nihil quicquam dicere enixè optarem. Sed cùm experientiâ mihi constet, homines sæpè ita supinè sui ipsorum oblivisci, ut ad ea quæ sentiunt nequidem animum advertant, utque eorum quæ in mente aguntur causam nequidem quærant; haud abs re fore existimo si quædam hic prælibem quæ ipsos eò adducant ut ad ea animum advertant. Immò spero fore ut ii quibus ea quæ dicturus sum jam nota sunt hanc lectionem iniquo non ferant animo. Nam etiamsi eorum quæ scimus sola repetitione non delectemur, ex eorum tamen quæ & scimus & sentimus eodem tempore aliquam voluptatem possumus percipere.

Tunc beatũ esse te judica cum tibi ex eo gaudium omne nascetur, cùm in his quæ homines eripiunt, optant, custodiunt, nihil inveneris, non dico quod malis sed quod velis.

Spectatissima Philosophorum secta, cujus etiamnum hodie placitis non pauci gloriantur, eò nos vellet adducere ut credamus felicitatem nostram penes nos esse. Stoici nobis perpetuò occinunt homines à seipsis solis pendere debere: honoris, bonorum, amicorum, cognatorum jacturam ægrè non esse ferendam; æquam semper servandam esse mentem, & ab omni sollicitudine vacuam, quicquid contingere possit. Exilium, injurias, probra, morbos, & mortem ipsam non esse mala, nec formidanda esse. Innumera denique nobis propinant ejusce commatis, quibus assensum non ægrè præbemus, tum quia præ superbiâ cordis nostri αὐτάρκειαν amamus, tum quia ratio nos docet pleraque mala quibus reapse affligimur, non posse nos dolore afficere, si omnia in ordine starent.

Sed Deus nobis corpus dedit & per illud corpus nos omnibus sensibilibus univit. Peccatum corpori isti nos mancipavit, & per corpus effecit ut ab omnibus sensibilibus penderemus. Hic est ordo naturæ, hæc est Creatoris voluntas ut omnia entia quæ condidit inter se invicem connectantur. Sic nos omnibus rebus unimur, & peccatum nos mancipavit omnibus entibus, quibus Deus nos duntaxat univerat. Itaque nemo nunc est qui non uniatur & subjiciatur simul corpori, & per corpus Parentibus, amicis, civitati, Principi, pa-

triæ, veſtimento, ædibus, agro, equo, cani, toti telluri, ſoli, ſtellis, & omnibus cœlis.

Ridiculum ergo eſt hominibus dicere per ipſos ſtare, ut ſint felices, ſapientes, liberi; ac ipſos monere ut ægrè non ferant amicorum aut bonorum jacturam, nihil aliud eſt quàm ipſos ridere, Quemadmodùm ridiculum eſt homines monere ne ſentiant dolorem dum vapulant, aut ne afficiantur voluptate dum fami cibo grato ſatisfaciunt. Ita dum Stoici nos hortantur moleſtè non ferre patris obitum, bonorum jacturam, exilium, carcerem & ſimilia, nec gaudere proſpero rerum noſtrarum ſucceſſu, certè aut à ratione abludunt, aut nos rident. Nam Patriæ, bonis, cognatis, &c. unimur, unione naturali, quæque nunc à voluntate noſtrâ nequaquàm pendet.

Fateor equidem rationem nos docere exilium à nobis tolerari debere ſine mœſtitiâ; ſed eadem ratione docemur nos pati debere brachium nobis truncari ſine dolore. Mens eſt ſuprà corpus, & ſecundùm rationis lumen ipſius felicitas aut infelicitas pendere non debet à corpore; verùm experientiâ ſatis liquet res non ſe habere ut ratio nos docet eas eſſe debere, & adversùs experientiam philoſophari ridiculum eſt.

Chriſtiani ſic non philoſophantur. Dolorem eſſe malum non negant; fatentur iis nos non ſine dolore avelli quibuſcum à naturâ fuimus uniti; & difficile eſſe ſeſe à ſervitute liberare in quam peccatum nos conjecit. Mentem à corpore pendere contrà ordinem eſſe agnoſcunt, ſed ipſam tamen ab eo pendere norunt, ita ut non poſſit liberari ab ipſius imperio niſi per gratiam Jeſu Chriſti. *Sentio*, inquit Paulus, *legem in corpore meo adverſus legem mentis meæ luctantem, ac me legi peccati quæ eſt in membris meis mancipantem. Heu me miſerum! quis me liberabit de corpore mortis hujus. Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Filius Dei, Apoſtoli, & omnes veri ipſius diſcipuli patientiam ante omnia commendant, quia, ſcilicet, ei miſeriam eſſe perpetiendam norunt qui voluerit vitam degere ſanctam. Denique veri Chriſtiani, aut veri Philoſophi nihil proferunt quod rationi & experientiæ conforme non ſit. Verùm tota natura, Stoicorum opinioni, aut ſuperbiæ indeſinenter reſiſtit.

Chriſtiani, ut ſeſe à ſervitute ſuâ poſſint expedire, ſibi in id incumbendum eſſe norunt, ut, ſcilicet, ab iis omnibus abſtineant quibus ſine voluptate potiri, & ſine dolore carere, nequeunt; hâc ſolâ ratione ſe pacem & libertatem, gratiâ liberatoris, ſibi partam conſervare poſſe compertum habent, Stoici contra falſas ſequendo Philoſophiæ ſuæ chimæricæ ideas, ſapientiam & felicitatem ſibi arrogant, & ut ſint virtute prædìti & ſervitutis immunes, ſufficere credunt ſi de virtute & *ἀνεπιθυμία* ſæpè cogitent.

Ratione & experientiâ certò docemur, nullâ potiori ratione nos poſſe vitare dolorem è punctione ortum, quàm cavendo ne pungamur. Sed Stoici dicunt; punge modò, & animi mei fortitudine non ſecus

ac Philosophiæ auxilio, me à corpore meo ita abstraham, ut quæ in illo agentur nullâ me afficiant sollicitudine; dolorem non esse malum ita certò scio ut demonstrationes non sint certiores; & externo oris habitu, firmoque totius corporis situ, Philosophiâ meâ me invulnerabilem evasisse comperies.

Animus ipsorum superbiâ firmatur: sed superbia non impedit quominus dolorem iniquo & sollicito ferant animo & sint reverâ miseri. Itaque unio mentis cum corpore in ipsis non destruitur, nec ipsorum dolor dissipatur; sed unio ipsorum cum cæteris hominibus, desiderio captandæ ipsorum existimationis roborata, unioni cum corpore aliquo modo resistit; nempe, visus sensibilis eorum à quibus spectantur & quibus uniuntur spirituum cursum qui dolorem comitatur sistit, & in ipsorum facie delet impressionem quam in ea primum dolor fecerat: nam si nemo eos intueretur simulata illa animi constantiæ & libertatis species illicò evanesceret. Itaque dum Stoïci unioni cum suo corpore resistunt, cæteris hominibus quibus gloriæ desiderio uniuntur sese eo magis mancipant: omnes igitur homines rebus sensibilibus & naturâ & concupiscentiâ unitis esse certò constat. Id experientia patet, quamvis ratio contrarium sentire videatur, & omnes penè hominum actiones id argumentis sensibilibus & invictis demonstrent.

Hæc unio quæ inter omnes homines in genere deprehenditur; in omnibus tamen non æquè latè patet nec eandem in omnibus habet vim. Namque, cum mentis cognitionem sequatur, dicere possumus nos actu non uniri objectis quæ non cognoscimus. Rusticus in casâ gloriam Principis & Patriæ non participat, sed tantum gloriam vici sui & circumjacentium, quia cognitio ipsius longiùs non extenditur.

2. Unio cum objectis sensibilibus quæ à nobis visa sunt firmior est unione cum objectis quæ imaginatione tantùm à nobis percepta fuere, & de quibus aliquid duntaxat audivimus. Sensu rebus sensibilibus arctiùs unimur. Nam sensus vestigia multò majora in cerebro format, & motum in mente excitat longè vehementiorem, quàm simplex imaginatio.

3. Hæc unio debilior est in iis qui illam indesinenter impugnant ut mentis bonis adhærescant, quàm in iis qui sese affectuum motibus permittunt & mancipant. Nam illa unio cupiditate augetur & roboratur.

Denique varia munera obeunda, variæ conditiones, non secùs ac variæ ingenii dispositiones, ingentem efficiunt differentiam in unione sensibili quâ homines bonis terræ adhærescunt. Magnates à pluribus pendent quàm cæteri, ipsorum servitus latiùs patet. Exercitûs Imperator omnibus militibus suis unione aliquâ devincitur, quia ab omnibus militibus maximo studio colitur. In istâ servitute sæpe consistit ipsius generositas. Et cupiditas sibi conciliandæ existima-

tionis apud eos omnes quorum oculos in se convertit eum sæpè ad id adigit ut alia desideria magis sensibilia aut rationi consentanea huic postponat. Circa eos qui in potestate sunt constituti, vel gratiâ inter populares suos valent, res non secus se habet; eorum virtus ambitione sæpè sustentatur; quia amor gloriæ amori veritatis ut plurimùm antecellit. Hic de amore gloriæ loquor, non ut de simplici inclinatione, sed ut de affectu; quia reverâ amor ille potest esse sensibilis & cum spirituum commotionibus satis vividis & violentis sæpè conjunctus est.

Variæ ætates & varii sexûs sunt etiam causæ præcipuæ discriminis quod intercedit inter affectûs hominum. Infantes eadem non amant quæ viri aut senes, aut ea saltem non amant æquè fortiter & constanter. Mulieres soli familiæ & viciniæ, sed viri toti patriæ adhærent; ipsorum est eam tueri; egregia munera, dignitates, imperia adamant.

Tanta est in muneribus, & in variis hominum rebus atque conditionibus varietas, ut eam explicare nemo possit. Ingenium hominis conjugati eodem modo affectum non est ac cælibis. Familiæ cura illum sæpe totum habet. Religiosi ordinis Sectatores mente & corde aliter dispositi sunt quàm mundani, & etiam quàm Ecclesiastici, paucioribus uniuntur, sed iis fortiùs adhærent; sic in genere possumus judicare de variis hominum sortibus; sed varia vincula sensibilia, in unoquoque individuo penè diversa explicari nequeunt, non raró enim contingit ut homines quibusdam rebus peculiari quadam unione restringantur, quibus tamen si ipsorum conditionem respicias adstringi non deberent: sed quamvis varii virorum, ac mulierum, senum & juvenum, divitum ac pauperum, doctorum, & indoctorum, denique variorum sexuum, & variarum ætatum, ingenii characteres possint in genere exprimi; hæc tamen iis qui in mundo vivunt, & ea quæ in eo vident tantillùm attendunt, notiora sunt, quàm ut iis hoc volumen augeatur. Qui hæc jucundè & solidè doceri cupient aperiant duntaxat oculos. Qui verò hæc græcè legere malunt, quàm ex iis quæ oculis quotidie usurpant addiscere, secundum librum Rhethoricæ Aristotelis legere possunt. Istud ni fallor omnium hujusce Philosophi operum optimum est, quia ibi pauca dicit in quibus sit periculum errandi, & quia ea quæ profert probare raró nititur.

Unionem igitur illam sensibilem mentis hominum cum iis omnibus quæ ad ipsorum vitæ aut societatis cujus partem constituunt, conservationem, aliquam habeat relationem, esse divisam in diversis hominibus, manifestum est, quia, nempe, latiùs patet in iis qui plura cognoscunt, quibus est sors nobilior, qui munia obeunt graviora, quique imaginatione pollent fecundiori, & quia arctior & firmior est in iis qui sensibus magis addicti sunt, qui imaginationem habent vividiorem, quique affectuum motûs cæco impetu sequuntur.

Ad modos quibus homines objectis sensibilibus uniuntur propè infinitos sæpè attendere, utilissimum est; nec potiori ratione horum idoneam cognitionem assequi possumus, quàm nosmet ipsos scrutando & accuratè explorando. Eorum quæ apud nosmet ipsos sentimus experientiâ, omnes aliorum hominum inclinationes, & plerosque quibus obnoxii sunt affectûs certò & accuratè cognoscere possumus. Si his experimentis adjungamus cognitionem variorum vinculorum peculiarium quibus quodammodo detinentur, & cognitionem judiciorum unicuique affectui peculiarium, de quibus infrà sumus acturi, faciliori fortè negotio poterimus prævidere & prædicere ipsorum actiones, quàm astronomi Eclipses. Quamvis enim homines sint liberi, rarò tamen libertate suâ utuntur, renitentibus ipsorum inclinationibus naturalibus & affectibus violentis.

Priusquàm huic capiti finem imponam necesse est præterea moneam hanc esse unam ex legibus unionis mentis cum corpore, ut omnes inclinationes mentis, illæ etiam quibus fertur versùs bona quæ nullam ad corpus habent relationem, sint comitatæ, commotionibus spirituũ animalium, quæ illas inclinationes reddant sensibiles: quia cum homo non sit mens pura fieri nequit ut ullam habeat inclinationem puram sine admistione alicujus affectûs vehementis aut temperati. Ita, amorem veritatis, justitiæ, virtutis, & Dei ipsius semper comitantur motûs quidam spirituum, quibus amor ille sensibilis evadit, etsi id fiat modo impercepto, quia plerumque aliis sensationibus vividioribus afficimur, quemadmodum cognitionem rerum spiritualium quædam cerebri vestigia, quibus illa cognitio fit vividior, sed ut plurimum magis confusa, semper comitantur. Sæpè equidem nos imaginari non cognoscimus, eodem tempore quo veritatem aliquam abstractam concipimus, atque hujusce rei ratio hæc est. Nempe, veritates illæ nullas habent imagines, seu nulla vestigia à naturâ in eum finem instituta, ut iis veritates illæ repræsententur; & omnia vestigia quæ illas in mente excitant, nullam aliam cum iis relationem habent quàm relationem ab hominum arbitrio aut à casu fortuito pendentem. Nam Arithmetici, & ipsi Analystæ, qui nihil præter res abstractas contemplantur, imaginatione valdè utuntur, ut mentem suam in ideis defigant. Notæ arithmeticæ, litteræ alphabethicæ, & aliæ figuræ quas videre aut imaginari possunt, semper alligantur ideis quas habent de rebus; quamvis vestigia quæ ex iis characteribus formantur nullam habeant ad ideas illas relationem, & eas proinde non reddant falsas aut confusas; unde fit ut notarum arithmeticarum & litterarum usu benè instituto, veritates difficillimas, & sine his nunquam retegendas, retegant.

Cùm igitur ideæ rerum, quæ percipi nequeunt nisi intellectu puro possint colligari cum vestigiis cerebri; cumque præsentia objectorum quæ amamus, odio habemus, timemus inclinatione naturali possit cõjungi cum motu spirituum; hinc manifestò patet æternitatis cogita-

tionem, inferni formidinem, felicitatis æternæ spem, quamvis objecta illa sensûs non afficiant, posse tamen in nobis excitare affectûs vehementes.

Itaque nos modo sensibili non tantùm rebus omnibus uniri quæ ad vitę conservationem referuntur; verùm etiam rebus spiritualibus, quibus mens per se immediatè unitur, dicere possumus. Immò sæpè fit ut Fides, Charitas, & philautia istam unionem cum rebus spiritualibus reddant firmiorem, unione quâ omnibus sensibilibus adhærescimus. Verorum Martyrum mens Deo quàm corpori suo arctiùs unitur, & qui falsæ Religionis, quam tamen veram existimant, tuendæ causâ moriuntur, satis ostendunt inferni terrorem in eos vehementiùs agere mortis formidine. In bellis Religionis ergò susceptis, & in superstitionum propugnatione, tantus animorum æstus tantaq; pertinacia utrinque erumpit; ut in iis affectum seu passionem inesse dubium non sit. Immò affectus ille cæteris longè vehementior & constantior est, quia rationis specie nititur, in iis qui falluntur non secùs ac in aliis.

Igitur, per affectûs nostros iis omnibus unimur quæ bonum aut malum mentis æquè ac iis quæ bonum aut malum corporis esse nobis videntur. Nihil aliquam ad nos relationem habere cognoscimus, quod nos agitare non possit. Jam autem rerum omnium quas cognoscimus nulla est quæ ad nos aliquatenùs non referatur. Veritatibus etiam maximè abstractis aliquo modo afficimur, ubi eas cognoscimus, quoniam illa saltem inter eas & mentem nostram est relatio quod illas cognoscimus. Nostræ sunt, ut ita dicam, quia eas cognoscimus. Quum quis eas impugnat lædimur, si autem lædimur, certè agitamur, & sollicitudine afficimur. Itaque affectuum imperium adeò latè patet, ut nihil quicquam concipi possit, cujus respectu asserere possimus, omnes homines, ab isto affectuum imperio esse liberos. Sed jam videamus quænam sit illorum (affectuum) natura, & omnia quæ in se includunt scrutemur.

CAPUT III.

Explicatio peculiaris omnium mutationum quæ menti & corpori à perturbationibus seu affectibus afferuntur.

SEptem in unoquoque affectu possunt distinctè observari; si ab iis excipias admirationem, quæ reverâ non est affectus nisi admodùm imperfectus.

Primum, est judicium ab intellectu latum de objecto, seu potiùs, perceptio confusa, vel distincta relationis quæ est inter objectum aliquod, & nos.

Secundum, est nova motûs voluntatis determinatio versùs illud objectum, posito quòd bonum sit, vel saltem videatur. Ante illam perceptionem, motus naturalis mentis, aut erat indeterminatus, hoc est, versùs bonum in genere ferebatur, aut cognitione aliûs alicujus objecti specialis aliorsùm determinabatur Sed statim atque mens percipit relationem istius novi objecti ad seipsam, motus ille generalis voluntatis illicò determinatur modo mentis perceptioni consentaneo. Mens ad illud objectum amore suo accedit, ut illud degustet, & in eo bonum suum agnoscat, suavitatis sensu quem Autor naturæ in ipsa excitat ut remunerationem inclinationis ipsius versùs bonum. Istud objectum bonum esse ratione quadam abstractâ & quâ non afficiebatur, anteà judicabat, nunc verò ipsius bonitatis convincitur sensationis efficaciâ; quò autem ista sensatio efficacior est eò arctiùs adhæret bono quod illam produxisse ipsi videtur.

At verò, si objectum istud peculiare ut malum consideratur, vel ad id aptum natum sit ut nos aliquo bono possit privare, nulla nova accedit voluntatis motui determinatio; sed solum ipsius motus versùs bonum oppositum objecto quod malum apparet augetur, illud autem motûs incrementum eo majus est, quo malum formidabilius videtur. Reverà non odimus, nisi quia amamus, & malum quod est extrà nos, malum non judicatur, nisi relatè ad bonum quo nos privat. Cum itaque malum consideretur ut privatio boni, malum fugere, nihil aliud est quàm fugere privationem boni, hoc est, tendere versùs bonum. Nulla igitur nova in motu naturali voluntatis accedit determinatio ad præsentiam objecti nobis displicentis, sed tantùm sensus doloris, fastidii, aut amaritudinis, quem author naturæ imprimit in mente ut pœnam naturalem quam ipsi infligit quia bono privatur. * Ratio sola non sufficiebat ut mens ad bonum ferretur, isto prætereà molesto & duro sensu ipsam excitari opus erat. Itaque in omnibus affectibus omnes mentis motûs versùs bonum, nihil aliud sunt præter amoris motûs. Sed quia variis sensationbus juxtà varias circumstantias quæ boni perceptionem & motum mentis versùs bonum comitantur, afficimur; sensationes cum mentis commotionibus confundimus, & totidem in affectibus varios motûs imaginamur, quot sunt variæ sensationes.

* Ante peccatum sensus iste non erat pœna; sed tantùm admonitio quædam; quia ut jam dixi, Adam poterat quotiescunque volebat sistere motû spiritum animalium, qui doloré gignebant. Ita si dolorem sentiret illum sentiebat, quia volebat, aut potiùs nullum sentiebat dolorem quia nolebat sentire.

Jam autem hic observandum est dolorem esse malum reale & verum, nec magis esse privationem voluptatis, quàm voluptas est privatio doloris; nam ingens est discrimen inter nullam sentire voluptatem, aut sensu voluptatis privari, & dolorem actu pati. Itaque omne

omne malum præcisè tale non est quia nos privat bono: sed tantùm, ut rem explicui, malum quod est extrà nos, quodque non est modus essendi qui sit in nobis. Nihilominus quia per bona & mala, vulgò intelliguntur res bonæ & malæ, non verò sensationes voluptatis & doloris, quibus potiùs velut indiciis mens discernit bonum à malo; dicere, nî fallor, possumus sine ulla æquivocatione, malum nihil aliud esse quàm privationem boni, & motum naturalem mentis, quo à malo arcetur, eundem esse cum motu quo versùs bonum fertur. Etenim omnis motus naturalis cùm sit impressio Authoris naturæ qui non agit nisi propter seipsum, quique nos flectere nequit nisi versùs se, verus motus mentis semper essentialiter est amor boni, & non est fuga mali, nisi per accidens.

Dolor equidem potest considerari ut malum; & eo sensu motus affectuum quem excitat non est realis, etenim dolorem nemo est qui velit; ac dum positivè volumus dolorem non esse, volumus positivè conservationem aut perfectionem entis nostri.

Tertium quod in singulis affectibus observandum venit, est sensus qui illos comitatur; sensus amoris, sensus odii, desiderii, gaudii, tristitiæ. Isti sensûs semper diversi sunt in diversis affectibus.

Quartum, est nova determinatio cursûs spirituum & sanguinis versùs partes externas corporis & versùs internas, ante perceptionem objecti quod movit affectum, spiritûs animales per totum corpus diffundebantur, ut omnes ipsius partes in genere conservarent, sed ad istius novi objecti præsentiam tota ista turbatur œconomia. Plerique spiritus in brachiorum, crurum, faciei, & cæterarum externarum corporis partium musculos mittuntur, ut corpus disponant accommodatè ad affectum dominantem; utque habitum ejus externum componât, & motum necessarium ad acquisitionem boni, vel ad fugam mali præsentis ei subministrent. Quod si propriæ vires quantùm opus est non sufficiant, iidem spiritus eo modo distribuuntur ut mechanicè quasdam proferat voces, & quosdam edat clamores, utque per ipsius faciem & cæteras corporis partes nescio quem externum efforment habitum, quo alii eodem affectu possint agitari, quo ipse agitatur. Nam, cum homines ut & cætera animalia inter se auribus & oculis uniantur; quum quis agitatur omnes inspicientes & audientes necessariò commovet, & in ipsorum imaginationem facit naturaliter impressionem quâ turbantur, & ad id feruntur ut illius qui primus agitatus fuerat conservationi consulant.

Cæteri verò spiritus animales in cor, pulmones, jecur, lienem, & alia viscera cum impetu descendunt, ut has omnes partes suppetias ferre, & brevi tempore spiritus suppeditare cogant, necessarios ad conservandum corpus in actione extraordinaria in quâ tùm esse debet.

Quintum est commotio sensibilis mentis quæ istâ spirituum nec

upina inundatione agitatur. Hæc ſenſibilis mentis commotio ſemper comitatur iſtum ſpirituum motum, ut quæcunque corpus ſpectant participet; non ſecus ac motus ſpirituum excitatur in corpore ſtatim atque mens versùs aliquod objectum fertur. Cùm enim mens uniatur corpori; & corpus menti; utriuſque motus debent reciprocari.

Sextum ſunt varii ſensûs, amoris, averſationis, gaudii, deſiderii, triſtitiæ, nati non ea perceptione intellectuali boni aut mali, ut ii de quibus ſupra, ſed ex variis commotionibus in cerebro ortis, ſpirituum animalium ope.

Septimum eſt ſenſus quidam gaudii ſeu potiùs ſuavitatis internæ, qui mentem ſiſtit in affectu, quique ipſi teſtatur ipſam in eo eſſe ſtatu in quo par eſt eſſe, relatè ad objectum quod contemplatur. Suavitas illa interna omnes in genere affectûs, qui ex perceptione mali, æquè ac qui ex perceptione boni naſcuntur, triſtitiam ut gaudium æqualiter comitatur. Hæc ſuavitas omnes noſtros affectûs nobis efficit jucundos, eoque nos impellit ut iis aſſentiamur, noſque permittamus. Denique hæc ſuavitas nobis ſuperanda eſt gratiæ ſuavitate, ac fidei & rationis gaudio. Nam, quemadmodùm gaudium ex certâ aut evidenti cognitione nos in optimo ſtatu relatè ad ea quæ percipimus verſari, ſemper naſcitur, ita affectuum ſuavitas ſequitur naturaliter ex ſenſu confuſo quo credimus nos in optimo eſſe ſtatu relatè ad ea quæ ſentimus. Jam autem gaudio mentis, & gratiæ ſuavitate, vincenda eſt falſa affectuum ſuavitas quâ bonis ſenſibilibus mancipamur.

Ea omnia de quibus ſupra, in omnibus affectibus concurrunt, niſi quum ſenſibus quibuſdam confuſis excitantur, & mens nullum percipit bonum aut malum ex quo poſſint naſci, tunc enim tria priora in iis non occurrere patet.

Pariter hæc omnia non eſſe libera, & in nobis ſine nobis, vel etiam nobis invitis eſſe, ex quo peccatum irrepſit, ſolumque voluntatis noſtræ conſenſum à nobis reverâ pendere, nemo non videt. Sed hæc fuſiùs explicare, & exemplis illuſtrare, operæ pretium videtur.

Supponamus igitur hominem quempiam contumeliâ actu affici, aut eundem, quia forti & vividâ, vel aliquo caſu, ut exempli gratiâ, morbo, ſeu melancholiâ, agitatâ pollet imaginatione, in muſæo ſeclusum, in animum ſibi inducere, hominem aliquem, qui de ipſo forſan nequidem cogitat; velle tamen ipſi nocere, & ad id actu eſſe accinctum. Viſus ſenſibilis, aut imaginatio relationis quæ eſt inter actiones inimici & ſua conſilia, prima erit cauſa; affectûſque ille quem ſuppoſuimus, movebitur.

Immò, nequidem eum actu contumeliam pati, vel etiam eum credere ſe contumeliâ affectum omninò neceſſe eſt, ut motus ipſius

voluntatis novam aliquam accipiat determinationem; Sufficit ut intellectu puro sine ullâ corporis participatione rem illam cogitet. Sed hæc nova determinatio non esset determinatio ex affectu orta, sed mera inclinatio debilissima & languidissima, hominem illum vehementem consiliis suis oppositionem actu experiri, aut sibi futuram imaginari supponere præstat, quàm alium qui solâ mente sine sensuum ac imaginationis subsidio sibi injuriam inferri putaret.

Quod secundum in istius hominis affectu considerandum venit est incrementum motûs voluntatis versùs bonum, à cujus possessione arceri ab inimico reali, vel imaginatio timet. Et illud incrementum eo majus est quo oppositio fortior ipsi videtur. Inimicum suum primâ fronte non odit, nisi quia bonum amat, & quo amor major est, eo vehementius est odium; quia motus ipsius voluntatis in odio aliud reverà nihil est quàm motus amoris, cùm motus mentis versùs bonum non differat à motu quo ipsius boni privationem fugimus, ut jam dictum est.

Tertium est sensus affectui consentaneus, jam autem in hoc affectu est sensus odii; motus odii idem est ac motus amoris, sed sensus odii omninò differt à sensu amoris, id propriâ experientiâ apud unumquemque constare debet. Motûs sunt actiones voluntatis: sensûs sunt modificationes mentis. Motûs volũtatis sunt causæ naturales sensuum mentis, & vicissim isti sensûs mentis voluntatis motûs in sua determinatione conservant, sensûs odii in illo homine, est naturalis sequela motûs voluntatis, mali præsentiâ excitati, ac deinde motus ille à sensu cujus causa est fovetur.

Quod de isto homine diximus ipsi posset convenire, licet corpus non haberet. Sed quia ex duabus partibus à naturâ unitis constat; motûs mentis corpori, & motus corporis menti communicantur. Itaque, nova determinatio, vel incrementum motûs voluntatis, naturaliter producit novam determinationem in motu spirituum animalium, quæ semper diversa est in omnibus affectibus, quamvis motus mentis penè idem semper sit.

Spiritûs igitur in brachia, crura, & faciem vehementer pelluntur ut in corpore eam informent dispositionem quæ affectui necessariò competit. Utque faciei eum aspergant habitum, eamque speciem quæ hominem injuriâ læsum exprimat, relatè ad omnes circumstantias injuriæ illatæ, & ad conditionem & vires lædentis & læsi. Jam autem ista spirituum effusio eò vehementior, copiosior, & velocior est, quo bonum majus, opositio fortior, & cerebrum vividiùs affectum est.

Si igitur homo ille de quo sermo est per imaginationem tantùm injuriam accipiat, aut si realis ipsi inferatur, sed levis, quæque ingentem non efficiat in cerebro commotionem; spirituum animalium effusio futura est debilis & languida, ac fortè debilior quàm ut dispoſi-

tionem corporis ordinariam & naturalem possit immutare. At si injuria sit atrox, & imaginatio incalescat, ingens in cerebro fiet commotio, & spiritûs tantâ vi diffundentur, ut in facie & in corpore eam speciem eúmq; habitũ sint formaturi qui affectui dominanti congruat, si ipsi vires ad vincendum suppetant, ipsius habitus minax & ferax erit. Si debilis sit, nec malo ipsi ingruenti possit resistere, habitus erit humilis & supplex. Ejus gemitûs & lachrymæ in adstantium, & ipsius hostis animum motûs misericordiæ excitabunt; hoc modo auxilium obtinebit quod propriis viribus sibi ipsi ferre non valebat. At si adstantium, & illius qui misero isti adversatur spiritus animales & fibræ cerebri jam commota sint motû violento, ac isti motui contrario, quo menti ingignitur commiseratio gemitûs illius cui injuria fuit illata, motum illum ipsi contrarium in inimico augebunt, ac nulla ipsi superesset auxilii & salutis spes; si in eodem habitu & situ ipse perstaret. Verùm huic malo obviam ivit natura; namque ubi ingentis alicujus boni jactura imminet, quædam rabiei, & desperationis indicia tam vivida, tamq; insolentia faciei naturaliter imprimuntur, ut vehementissimis percitos animi motibus mitigent ac veluti immobiles efficiant. Adspectus ille terribilis & inopinatus imaginis mortis in facie istius miseri à natura depictæ in ipso inimico cuius oculos illa imago feriit spirituum & sanguinis motum, quo ad vindictam ferebatur, sistit. Ac eo favoris & attentionis ad miseriam instanti, naturâ habitum humilem & summissum iterum imprimente faciei istius miseri. Cui jam spes quædam affulget ob mutationem in inimici habitu & specie factum; inimici illius spiritus animales determinationem priùs impossibilem accipiunt; adeò ut infensus ille inimicus misericordiæ motûs mechanicè suscipiat, quibus ipsius mens ad id naturaliter fertur, ut charitatis & misericordiæ rationibus obsecundet.

Vir vehementi animi motu percitus, cùm in cerebro imaginem infortunii sui satis vividam sine ingenti spirituum copia producere & conservare non possit, nec commotionem satis violentam, ut in corpore formet habitum aut situm coactum & extraordinarium; nervi qui internis istius hominis afflicti corporis partibus respondent, ad alicujus mali præsentiam commotiones & agitationes ad id necessarias recipiunt, ut per omnia vasa quæ cordi communicantur transfundant humores idoneos ad producendos spiritûs quos postulat præsens animi motus. Nam spiritus effusi per nervos qui ad jecur, lienem, & pancreas atque omnia viscera tendunt, nervos illos excutiunt ac commovent, ut ex iis exprimant eos humores qui in partibus illis conservant, ut machinæ corporis laboranti subveniant.

At si humores isti eodem semper modo in corde diffluerent, parémque diversis temporibus fermentationem in eo acciperent, in affectuum motibus mutationes tam subitæ non deprehenderentur. Ma-

gistratûs adspectus, exempli gratiâ, furiosi ad vindictam prorumpentis impetum protinus non sisteret; ipsiusque facies sanguine & spiritibus modò fervens, pallida ac, præ supplicii timore, exanimata repentè non fieret.

Itaque, ne humores illi sanguini admixti, eodem modo semper in cor transeant, sunt nervi quidam quibus ipsius orificia circundantur, quique sese constringendo & remittendo impressione ex objecti præsentiâ & imaginationis vi ortâ, istis humoribus iter præcludunt & aperiunt. Atque ne iidem humores similem diversis temporibus recipiant agitationem, similemque in corde fermentationem; alii sunt nervi qui ipsius efficiunt palpitationes; cùmque illi nervi in diversis spirituum motibus æqualiter non agitentur, hinc fit ut eâdem vi sanguinem in arterias non pulsent. Alii nervi in pulmone diffusi aërem in corde distribuunt, constringendo, & remittendo ramos canalis respirationi inservientis, & hoc pacto sanguinis fermentationem relatè ad circumstantias affectûs dominantis regunt.

Denique ut spirituum cursus accuratiùs & promptiùs regatur, sunt nervi qui arterias tam eas quæ ad cerebrum ascendunt, quàm quæ sanguinem perducunt ad cæteras omnes corporis partes, circumdant. Adeò ut commotio cerebri, quæ comitatur visum inopinatum alicujus circumstantiæ, ob quam omnes affectûs mutare opus est, subitò determinet cursum spirituum versùs nervos quibus arteriæ illæ circundantur, ut earum contractione præcludat transitum sanguini versùs cerebrum adscendentis; ipsarúmque remissione iter aperiat sanguini qui per cæteros omnes corporis partes diffunditur.

Cùm arteriæ illæ quæ sanguinem versùs cerebrum vehunt liberæ sint, & ab omni vinculo solutæ, illæ verò quæ sanguinem per cæteras corporis partes diffundunt his nervis arctè constringantur, caput sanguini refertum esse debet, facies illo repleta. Sed aliquâ circumstantiâ immutante commotionem cerebri, quæ illam in istis nervis efficiebat dispositionem, arteriæ ligatæ religantur, aliæ verò contrà arctissimè constringuntur. Itaque, caput sanguine vacuum fit, pallor faciem invadit, ac parva sanguinis copia è corde effusa, quamque nervi de quibus fuit mentio in illud intermittunt vitæ conservandæ gratiâ, in partes corporis inferiores tota penè descendit, cerebro desunt spiritûs animales, ac reliquum corpus tremor & debilitas invadunt.

Ut quæ hîc à nobis dicta sunt sigillatim explicarentur, & probarentur, operæ pretium foret generalem Physicæ, & specialem corporis humani cognitionem tradere. Verùm illæ duæ scientiæ sunt adhuc imperfectiores, quàm ut earum ope, eâ quam optarem diligentiâ, rem explanare possim. Adde quòd si in his ulteriùs pergerem, extrà institutum nimis divagarer; sufficit enim hîc ideam rudem & generalem tradere de affectibus, dummodò idea illa falsa non sit.

Commotiones illæ cerebri, & motus ſanguinis & ſpirituum quartò occurrunt in unoquoque affectu, & quod quintum occurrit producunt, nempe commotionem ſenſibilem mentis.

Statim atque ſpiritûs animales è cerebro in reliquum corpus pelluntur, ut in eo excitent motus idoneos ad fovendum affectum, mens verſus bonum perceptum pellitur; idque eò vehementiùs quo ſpiritûs è cerebro vehementiùs egrediuntur, quia eadem commotio cerebri agitat mentem & ſpiritûs animales.

Motus menits versùs bonum eò vehementior eſt, quò boni perceptio ſenſibilior; & motus ſpirituum qui è cerebro exeunt ut per reliquum corpus diffundantur, eò violentior eſt, quò commotio fibrarum ex impreſſione objecti aut ex imaginatione orta violentior eſt. Itaque cùm eadem iſta commotio perceptionem boni reddat ſenſibiliorem, commotionem mentis in affectibus eadem proportione qua ſpirituum motus augeſcere neceſſe eſt.

Iſtæ mentis commotiones ab iis quæ ex intellectuali perceptione boni, de quibus jam fuit ſermo, immediatè oriuntur, non differunt: Tantummodò ſunt vehementiores & vividiores propter unionem mentis cum corpore, & quia iſta perceptio ex qua oriuntur, eſt ſenſibilis.

Sextum quod occurrit, eſt ſenſus ex affectu ortus, ſenſus amoris, odii, gaudii, triſtitiæ. Ab illo de quo jam loquuti ſumus iſte ſenſus non differt; vividior eſt duntaxat, quia in eo producendo corpus plurimum confert. Sed ſemper conjungitur cum quodam ſenſu jucundo, quo omnes noſtri affectûs nobis grati efficiuntur. Atque iſtud poſtremum eſt quod occurrit in unoquoque affectu, ut jam dictum eſt.

Hujuſce ultimi ſenſûs hæc eſt cauſa; ad præſentiam objecti quod affectum movet, aut novâ aliquâ circumſtantiâ eveniente, quædam ſpirituum animaliũ pars à capite versùs externas corporis partes pellitur, ut corpus eum ſortiatur habitum quem poſtulat affectus; & quidam alii ſpiritus in cor, pulmones, & viſcera cum impetu deſcendunt, ut inde auxilia neceſſaria contrahant; quod jam ſatis explicuimus. Jam autem, quotieſcunque corpus in eo eſt ſtatu in quo par eſt ipſum eſſe, mens ob id ſemper maximo afficitur gaudio, contrà quotieſcunque corpus in ſtatu ipſius bono & conſervationi noxio eſt, mens ob id maximo afficitur dolore. Itaque, cum affectuum motûs ſequimur, nec ſpirituum curſum ſiſtimus, quem perceptio objecti affectûs efficit in corpore noſtro, ut in eo conſtituatur ſtatu in quo eſſe debet relatè ad illud objectum, mens legibus naturæ ſenſum illum ſuavitatis & voluptatis internæ experitur, quia corpus in eo eſt ſtatu in quo eſſe debet. Vice verſâ cùm mens juxtà rationis præſcriptum, curſum ſpirituum ſiſtit & affectui reluctatur, ex eo patitur dolorem pro proportione mali quod indè ad corpus redundare poſſet.

Nam quemadmodum reflectio mentis in seipsam necessario conjungitur cum gaudio aut cum tristitia intellectûs, ac deinde cum gaudio aut tristitia sensuum; quum officii sui memor & Dei præceptis morem gerens, agnoscit se esse in eo statu in quo esse debet, aut quum sese affectibus permittens conscientiæ morsibus agitatur, quibus se in perversâ dispositione esse docetur. Ita cursus spirituum ad corporis bonum excitatus conjungitur cum gaudio, aut tristitiâ sensibili, & deinceps gaudio aut mœstitiâ spirituali: prout cursus iste spirituum animalium cohibetur aut promovetur à voluntate.

At hoc est discrimen & quidem non parvum inter gaudium spirituale quod cognitionem claram boni mentis statûs comitari solet, & voluptatem sensibilem quæ comitatur sensum bonæ dispositionis corporis; quòd scilicet gaudium intellectuale solidum est, ἀμετάμελητον, & immutabile non secùs ac veritas quæ illud parit gaudium: cùm è contrà gaudium sensibile semper conjungatur cum tristitiâ mentis aut cum conscientiæ morsu, sollicitum est, & mutabile, non secùs ac affectus aut agitatio sanguinis ex quâ nascitur. Denique prius maximo sensuum gaudio semper comitatur, quotiescunque nascitur ex cognitione ingentis boni quod mens possidet; posterius verò nunquam ferè comitatur ullo mentis gaudio, quamvis ex magno oriatur bono, quod corpori tantùm obtingit, menti verò officit.

Verum tamen est, sine gratiâ JESU CHRISTI, suavitatem quam mens degustat sese permittendo affectibus, jucundiorem esse, suavitate quam experitur legibus rationis adhærendo. Atque ista suavitas est origo omnium malorum ex peccato oriundorum, nosque omnes affectibus nostris manciparet, nisi Filius Dei ab eorum servitute nos delectatione gratiæ liberaret. Etenim quæ hîc dixi pro gaudio mentis adversùs gaudium sensuum vera sunt duntaxat inter Christianos, & omnino falsa erant in ore Senecæ, Epicuri ipsius, omnium denique Philosophorum à ratione minus abludentium, quia jugum Iesu Christi dulce non est nisi ijs qui ipsius sunt, & quia ipsius onus nobis leve non videtur, nisi quum illud ipsius gratia nobiscum fert.

CAPVT IV.

Voluptates, & motûs affectuum nos in errorem aspectu boni injicere, ipsis indesinenter esse resistendum. Ratio impugnandi Libertinismum.

QUæ jam de affectibus in genere exposuimus libera non sunt; sunt in nobis sine nobis, solusque voluntatis assensus à nobis absolutè dependet. Perceptio boni naturaliter conjungitur cum motu amoris, cum sensu amoris, cum commotione cerebri, & motu spirituum, cum novâ mentis commotione quæ auget primum amoris motum, cum novo mentis sensu, qui auget primum amoris sensum, ac denique cum sensu suavitatis qui mentem remuneratur, quòd corpus sit in statu quo esse debet. Hæc omnia in mente & corpore aguntur naturaliter & mechanicè; hoc est, sine ullâ ipsius participatione, ac solus noster assensus à nobis verè dependet. Atque hic assensus nobis est moderandus, cohibendus, & ab affectuum impetu ac servitute in libertatem vindicandus. Soli Deo libertas nostra summittenda est. Soli autoris naturæ voci, evidentiæ internæ, & secretis rationis exprobrationibus obsequendum est. Nunquàm assentiendum est nisi cùm clarè videmus, nos libertate nostrâ perperam esse usuros, nisi assentiamur. Hic præcipuus canon observandus est erroris evitandi causâ.

Deus solus nobis evidenter demonstrat obsequendum esse ipsius mandatis, ipsi igitur soli serviendum est. In affectuum lenociniis & blandimentis, minis & formidinibus nulla est evidentia, in iis nihil est præter sensûs confusos & obscuros quibus resistendum est. Lucem puriorem nobis affulgere, falsos affectuum splendores dissipari, ac Deum nos alloqui, expectandum est. Intra nosmet ipsos nos colligere, ac in nobis eum qui nos nunquàm diserit, nobisque semper illuc-scit quærere debemus. Summissâ, sed clarâ & distinctâ voce loquitur; Parvum quidem, sed purum ejus lumen est. Quid parvum dico? Æquè vividum est ac purum. Quid summissam vocem loquor? æquè magna est ac distincta. Sed affectûs nostri nos semper extrà nosmet ipsos abripiunt, suis tenebris & tumultu impediunt quominus vocem ipsius exaudiamus, & lumen videamus. Eos etiam qui ipsum non interrogant alloquitur; ac ii etiam qui affectuum impetu longius abrepti fuere, quædam tamen verba ab ipso audiunt. Sed verba tonantia, minitantia, formidabilia, gladio δισόμῳ acutiora, intimos mentis recessus penetranti, cogitationesque & motus cordis scrutanti.

ſcrutanti. Omnia enim coram ipſo nuda patent; nec peccatorum crimina cernere poteſt, quin ea ipſis intùs vividè exprobret. Nos igitur apud noſmet ipſos recipere, & ad eum accedere par eſt. Ipſi interrogato, & audito obediendum eſt. Si enim ipſum ſemper audiamus, nunquam fallemur; ſi ipſi ſemper obediamus, affectuum inconſtantiæ & miſeriis, quæ peccatum commeruit nunquam mancipabimur.

Haud arbitrandum eſt ut quidam præfracti ingenii homines qui ſibi ſapientes videntur, quos ſuperbia ad brutorum conditionem demittit, quique diù ſpretâ lege Divinâ, nullam tandem aliam audiunt quam vocem turpium affectuum ſuorum; cum iis, inquam, hominibus carnalibus arbitrandum non eſt, ipſos Deum ſequi & voci autoris naturæ obedire, qui affectuum ſuorum motûs ſequuntur & ſecretis deſideriis morem gerunt. Ii ſanè ſummè aberrant: Et in hoc ipſo juxtà Divum Paulum, impietatis & idololatriæ, hoc eſt, graviſſimorum criminum, pœnam patiuntur. Reverâ iſta pœna eò major eſt, quòd cùm iram Divinam deberet placare, non ſecus ac aliæ pœnæ hominibus inflictæ; illam contrà indeſinenter provocat & auget; uſque ad diem illum terribilem quo juſta Dei ira in peccatores erumpet. Rom. 1.

Illorum tamen ratiocinia non carent veriſimilitudine; ſenſui communi admodum conformia eſſe videntur; affectuum favore adjuvantur, totaque Zenonis Philoſophia ipſa infringere proculdubio nequit. Bonum amare decet, ajunt; voluptas eſt character quod natura bono impreſſit; & eo charactere qui fallax eſſe nequit, utpotè divinitùs impreſſo, bonum à malo diſcernimus. Malum fugere convenit, ajunt prætereà; dolor eſt character malo proprius, & iſto charactere qui fallax eſſe non poteſt, utpotè à Deo impreſſo, malum à bono dignoſcimus. Qui ſeſe affectibus permittunt voluptate, qui verò iis reſiſtunt moleſtiâ & dolore afficiuntur. Ergò Author naturę nos affectibus obtemperare iiſque nunquàm reſiſtere vult; cùm voluptas & dolor quibus ex ipſius inſtituto tùm afficimur, ipſius erga nos voluntatem ſint argumenta certiſſima. Ergo, qui cordis deſideria implet Deum ſequitur; & qui iſti naturæ inſtinctui, quo ad indulgendum ſenſibus & affectibus ferimur, cedit, ipſius voci obſequitur. Sic ratiocinantur, & ſeſe in turpibus opinionibus confirmant; ſic intimas rationis exprobrationes eludere conantur, ac Deus, in ipſorum flagitiorum pœnam, ſinit ipſos falſis hiſce luminibus perſtringi & decipi. Fallacia lumina,, quibus cum illuminari deberent, occæcantur! Sed ita occæcantur ut cæcitatem ſuam nec cognoſcant, nec curari cupiant. Eos Deus ſenſui reprobo tradit, cordis deſideriis, affectibus ſordidis, actionibus homine indignis, ut loquitur ſcriptura remittit, ut libidine ſuâ veluti pinguefacti, Deo irato in æternum immolentur.

Verùm ſolvendus eſt difficultatis nodus. Zenonis ſecta cùm il-

lum solvere non posset, abscidit, negando voluptatem esse bonum, dolorem verò esse malum. Audax effugium & Philosophorum gravitate indignum! Certè haud facilè crediderim illos qui experientiâ convincuntur dolorem esse maximum malum, ob id sententiam esse mutaturos. Itaque Zeno totaque Ethnica Philosophia difficultatem ab Epicureis propositam solvere nequit; ad Philosophiam solidiorem & saniorem confugiendum est.

Voluptatem esse bonam, dolorem verò malum verum est; voluptatem & dolorem ab authore naturæ usui quarundam rerum alligata fuisse; ut judicemus an malæ sint an verò bonæ; nos bonis semper uti, malas verò fugere, ac motûs affectuum ferè semper sequi debere. Ita omnia vera sunt, sed solum corpus spectant: affectibus & desideriis penè semper obtemperandum est ad corpus conservandum, vitamque brutorum vitæ similem producendam. Sensûs & affectûs nobis ad corporis bonum duntaxat donantur. Voluptas sensibilis est character quem natura alligavit usui quarundam rerum, ut sine difficili & molesto rationis examine, iis possimus uti ad conservationem corporis, non verò ut ipsas amaremus. Nihil enim amare debemus nisi id quod certissimè ratione agnoscimus esse bonum nostrum.

Ratione sumus præditi, nec Deo qui est bonum nostrum, acceptus esset amor cæcus, amor instinctûs, amor veluti coactus: sed amor ex liberâ electione natus, amor cui prævia rationis lux affulgeat, amor qui ei mentem & cor nostrum subjiciat. Nos ad ipsum amandum fert, lumine quod gratiæ ipsius delectationem comitatur nos docendo, ipsum esse bonum nostrum: at verò ad bonum corporis, instinctu solo & sensu voluptatis confuso duntaxat nos fert, quia bonum corporis, mentis applicatione rationisque attentione indignum est.

Sed prætereà, corpus nostrum nos totos non componit; res est equidem ad nos pertinens, sed sine qua, absolutè loquendo, existere possumus; bonum corporis non est ergo bonum nostrum. Corpora non possunt esse bonum nisi corporum. Iis possumus uti ad corporis nostri utilitatem, sed iis adhærescere non debemus. Mens nostra suum etiam habet bonum, nempe bonum illud solum quod suprà ipsam est, quod solum ipsam conservat, quodque solum in ipsâ voluptatis aut doloris sensum gignit. Etenim omnia sensuum nostrorum objecta per se sentiri nequeunt, Deusque solus nos monet ipsa esse præsentia, sensationibus quas nobis imprimit. Atque illud est quod Philosophi Ethnici non capiebant.

Id amare, fateor, possumus & debemus quod voluptatem in nobis parere potest; sed ideò Deum solum amare debemus; quia Deus solus potest agere in mente nostrâ, nec objecta sensibilia quicquam aliud agere possunt quàm movere organa sensuum nostrorũ.

At, quid refert, inquies, unde oriantur illæ sensationes jucundæ? Illas degustare volo. Hem, ingrate, agnosce manum quæ te bonis cumulat. A Deo justo mercedem injustam exigis. Vis eum te mercede afficere ob crimina in ipsum perpetrata, & eo momento quo illa perpetras. Ipsius voluntate immutabili, quæ est ordo & lex naturæ, uteris, ut ab illo gratias immeritas extorqueas, namque in corpore tuo dexteritate flagitiosâ motûs excitas qui ipsum ad id adigunt ut omne voluptatam genus in te producat. Sed mors istud corpus corrumpet; ac Deus quem ad injusta tua desideria implenda adegisti, justam suam in te convertens iram, te, suâ vice, ridebit.

Dolendum quidem est possessionem boni corporis conjunctam esse cum voluptate, possessionem verò boni mentis sæpè conjungi cum molestiâ & dolore. Id summæ inordinationi imputari meritò potest hac ratione; nempe, cum voluptas sit character boni, dolor verò character mali, in amore Dei longè plus voluptatis sentire deberemus, quàm in usu rerum sensibilium, cùm Deus sit verum seu potiùs unicum mentis bonum. Id sanè sic aliquando futurum est; atque ante peccatum fuisse verisimile est; saltem hominem ante peccatum nullum in officii sui exercitio sensisse dolorem, constat.

Sed Deus à nobis, à primi hominis peccato recessit. Is bonum nostrum non est ampliùs naturâ; sed gratiâ duntaxat; suavitatem enim in ipsius amore naturaliter non ampliùs sentimus, ac tantùm abest ut nos ad ipsum amandum ferat, quin potiùs nos à se amovet. Si ipsum sequamur, nos repellit. Si ad ipsum currentes properemus, nos verberat: si in eo insequendo pertinaciter perstemus, nos malè excipere pergit, doloresque vividissimos in nobis excitat. At verò postquàm in duris & arduis virtutis semitis, nulla voluptate degustatâ, nulloque alimento jucundo recreati, defessi sumus, & ad bona sensibilia nos convertimus ut iis pascamur, Deus iis nos veluti devincit voluptatis gustu. Nos ob id remunerari videtur quod ipsi terga damus, dum ad falsa bona transfugimus. Denique, à peccato, Deus à nobis ampliùs amari, atque ut unicum bonum nostrum haberi nolle videtur. Solâ Mediatoris nostri Jesu Christi gratiâ Deum esse bonum nostrum sentimus. Cùm enim voluptas sit character sensibilis boni, Deum esse bonum nostrum sentimus, quoniam, Jesu Christi gratiâ, Deum amamus cum voluptate.

Itaque mens bonum suum neque visu neque sensu, sine gratiâ Jesu Christi, agnoscens, bonum corporis pro suo proprio bono accipit: illud amat, illique voluntate arctiùs etiam adhæret, quàm primâ naturæ institutione adhærebat. Nam cùm bonum corporis solum superstiterit, quod se præbeat sentiendum, in hominem vehementiùs necessariò agit. Cerebrum illo vividius afficitur, ac proinde mens illud vividiùs sentit & imaginatur. Spiritûs anima-

les eò vehementiùs agitantur, ac ideò voluntas illud majori cum ardore & voluptate amat.

Mens ante peccatum imaginem boni corporis vividiorem è cerebro poterat delere, ac voluptatem ſenſibilem diſſipare, quæ iſtam imaginem comitabatur. Corpore menti ſubmiſſo, mens momenti ſpatio poterat ſiſtere commotionem fibrarum cerebri, & agitationem ſpirituum, ſolâ officii ſui conſideratione. Sed poſt peccatum id penes ipſum ampliùs non eſt. Hæc veſtigia imaginationis, hique ſpirituum motûs non ampliùs pendent ab ipsâ, & ſequelâ neceſſariâ, voluptas ordine naturæ alligata his veſtigiis & motibus, ſola cordi dominatur. Homo propriis ſuis viribus huic voluptati diù reſiſtere nequit, gratia ſola poteſt illam vincere; ratio ſola non valet. Quia uno verbo Deus ut Author gratiæ, ſeipſum ſolus vincere poteſt ut authorem naturæ, ſeu potiùs ipſe ſolus poteſt ſeipſum pacare & flectere ut ultorem tranſgreſſionis Adami.

Vid. quintum Dialogum in colloquiis Christianorum sub finem.

Stoici qui mala ex peccato originali orta nonniſi confusè noverant, Epicureis reſpondere nequibant; Nam ipſorum fœlicitas nihil erat præter inanem ideam, cùm nulla ſit felicitas ſine voluptate, nec poſſent voluptatem guſtare in actionibus ſolidæ virtutis. Quoddam equidem ſentiebant gaudium virtutis ſuæ imaginariæ leges ſequendo, quia gaudium ſequitur neceſſariò & naturaliter cognitionem mentis, cùm videt ſe eſſe in optimo ſtatu in quo eſſe queat. Gaudium illud mentis animum ipſorum ad tempus poterat ſuſtentare, ſed ſatis non habebat efficacitatis ut illius ope dolori reſiſtere & voluptatem vincere poſſent. Secreta ſuperbia, non verò gaudium, lætitiam quandam Philoſophorum iſtorum vultui aſpergebat; ubi verò ab hominum conſpectu abierant, ſapientiæ & virtuti prorſus valedicebant, ut Reges illi ſcenici, qui totam unico momento deponunt Majeſtatem ſuam.

De Chriſtianis qui leges Evangelii ad amuſſim ſequuntur, res ſecùs ſe habet. Ipſorum gaudium ſolidum eſt, quia certiſſimè norunt ſe in optimo verſari ſtatu in quo queant eſſe. Gaudium ipſorum ingens eſt, quia bonum fide & ſpe deguſtatum, infinitum eſt. Nam ſpes ingentis boni cum ingenti gaudio ſemper conjungitur, & illud gaudium eò vividius eſt quò ſpes firmior: quia ſpes firma, bonum veluti præſens imaginationi repræſentans gaudium, immò voluptatem ſenſibilem quæ boni præſentiam ſemper comitatur, neceſſariò parit. Ipſorum gaudium nullâ admiſcetur ſollicitudine, quia promiſſis Dei nititur, ſanguine filii ipſius confirmatur, pace internâ & indicibili charitatis quâ ſpiritus ſanctus cor eorum perfundit ſuavitate fovetur. A vero ipſorum bono eos nihil ſeparare poteſt, ubi illud guſtant, & eo delectantur, delectatione gratiæ. Voluptates ex bonis corporis ortæ iis inferiores ſunt quas in amore Dei ſentiunt. Contemtum & dolorem amant; opprobriis aluntur; & voluptas quam

in perpessionibus experiuntur, seu potiùs voluptas quam in Deo nanciscuntur, dum cætera ut ipsi soli adhæreant derelinquunt, adeò violenta est, ut ipsos abripiat, ut novam ipsis suggerat linguam, utque etiam in miseriis & doloribus exantlatis, Apostolorum exemplo, glorientur. *At Apostoli*, inquit Scriptura, *è Concilio egressi sunt, gaudio pleni quòd digni judicati fuissent, qui opprobria propter Christi nomen paterentur.* Act. V. 41.
Talis est dispositio verorum Christianorum, ubi veritatem defendendo extremis probris obnoxii facti fuere.

Cùm JESUS CHRISTUS venerit ut restitueret ordinem peccato turbatum; cùmque ordo postulet ut maxima bona cum solidissimis conjungantur voluptatibus, res sic ut dictum est manifestò se habere debent. Sed rationi accedit experientia. Nam statim atque quis apud se tantummodò decernit omnia propter Deum derelinquere, ut plurimùm voluptate aut gaudio interno afficitur, quo æquè vividè sentit Deum esse ipsius bonum, ac id clarè antea cognoscebat.

Veri Christiani nobis quotidie asserunt gaudium quod percipiunt ex eo quod Deum solum ament & colant, exprimi non posse, sanè ipsis circa ea quorum intùs conscii sunt credere æquum est. Impii contrà in perpetuis versantur anxietatibus; ac ii qui inter mundum & Deum diversi aguntur, gaudium etiam justorum, & anxietates impiorum participant. Miserias suas queruntur, ac ipsorum querimonias gratis non fieri credere etiam par est. Deus homines in intimo corde sauciat, cùm aliud amant quàm ipsum. Atque in hoc vulnere posita est vera miseria. Gaudium summum cùm sibi soli adhærent, ipsorum cordibus affundit, atque in isto gaudio consistit solida felicitas. Divitiarum copia, dignitatum possessio sunt res extrà nos; non possunt nos sanare cùm Deus nos lædit. Paupertas & contemtus sunt quoque extrà nos, nec possunt nos lædere, ubi Deus nos tuetur.

Ex suprà dictis patet bonum nostrum in objecto affectuum nostrorum positum non esse, ipsorum motûs sequendos nobis non esse, nisi ad conservationem vitæ nostræ; voluptatem sensibilem esse respectu boni nostri, id quod sensationes nostræ sunt respectu veritatis; ac quemadmodum sensûs nostri nos fallunt circa veritatem, affectûs nostros nos fallere circà bonum nostrum: Delectationi gratiæ cedendum esse, quia nos cum evidentiâ fert ad amorem veri boni, quia secretis rationis objurgationibus obnoxia non est, ut instinctus cæcus, & voluptas confusa affectuum, & quia cum secreto gaudio statui in quo versamur maximè congruo semper conjungitur: Denique, cùm Deus solus possit agere in mentem hominis, hominem non posse invenire felicitatem extrà Deum, nisi quis supponat, aut Deum inobedientiam remunerari, aut ipsum jubere id quod minùs amabile est, magis tamen amari. Quod involuit contradictionem.

CAPVT V.

Perfectionem mentis consistere in ipsius unione cum Deo per cognitionem veritatis & per amorem virtutis, & contrà ejus imperfectionem oriri ex corporis in ipsam imperio, propter inordinationem ipsius sensuum & affectuum.

Bonum mentis necessariò esse aliquid spirituale vel minimâ animi intentione agnoscere possumus. Corpora longè inferiora sunt mente. In ipsam propriis suis viribus agere nequeunt: ei immediatè uniri nequidem possunt: denique per se non sunt intelligibilia. Ergo mentis bonum esse nequeunt. Contrà spiritualia sunt intelligibilia, naturâ suâ, possunt menti uniri; possunt ergo esse ipsius bonum, dum sint supra ipsam. Namque ut aliquid possit esse bonum mentis, non sufficit id esse spirituale, ut est mens; oportet præthereà esse suprà mentem, posse agere in eam, eandemque lumine perfundere, & præmio afficere; alioqui res illa mentem nec potest perfectiorem reddere, nec feliciorem, ac ideò ipsius bonum esse nequit. Ex intelligibilibus aut spiritualibus Deus solus hoc modo in mentem agere potest: unde sequitur Deum solum esse, & esse posse verum bonum nostrum. Ergo nec perfectiores, nec feliciores fieri possumus nisi possessione Dei.

Cognitione veritatis, & amore virtutis mentem reddi perfectiorem; & cæcitate, ac cordis corruptione fieri imperfectiorem apud omnes in confesso est. Cognitio ergo veritatis, & amor virtutis, nihil aliud esse possunt præter unionem mentis cum Deo, & quandam, ut ita loquar, Dei possessionem: & contrà cæcitas mentis, affectuumq; depravatio nihil aliud esse possunt præter separationem mentis à Deo, atque unionem mentis cum aliqua re infra ipsam posita, id est, cum corpore, quandoquidem eâ solâ unione & imperfecta & misera evadere potest. Itaque cognitio veritatis, seu rerum juxta veritatem, non differt ab ipsius Dei cognitione; & Deum amat quicunque virtutem amat, vel res prout sunt amore dignæ seu juxta virtutis leges diligit.

Mens veluti sita est inter Deum & corpora, inter bonum & malum, inter lucem & tenebras, inter ea quibus in ordine continetur, vel extra ordinem abducitur, inter ea denique quorum opere perfecta ac felix & ea quorum ope imperfecta ac misera evadere potest. Quum veritatem aliquam retegit, aut res ut in se sunt videt; illas in ideis Dei videt, hoc est, visu claro & distincto ejus rei quæ in Deo est,

quâ istæ repręsentantur ideæ. Namq;, ut jam dictum est, mens humana non includit in se perfectiones aut ideas omnium entium quæ videre potest : non est ens universale. Itaque in se non videt res à se distinctas, seipsam consulendo non eruditur & illuminatur; sibi ipsi enim non est perfectio & lumen : hoc lumine immenso veritatis internæ indiget ut illuminetur. Itaque cùm cognoscit veritatem Deo unitur, ipsumque aliquo modo cognoscit & possidet.

Sed mens quæ veritatem cognoscit non modò dici potest cognoscere Deum qui ipsam in se includit; dici etiam potest aliquatenùs cognoscere res ut eas Deus cognoscit. Ac reverâ mens illa diversas rerum relationes cognoscit, Deus pariter : Illas cognoscit in perceptione seu in contemplatione perfectionum Divinarum, nec etiam alio modo cognoscuntur à Deo. Deus enim nec sentit nec imaginatur: In se ut in mundo intelligibili videt mundum materialem & sensibilem quem creavit. De mente quæ veritatem cognoscit res eodem se habet modo. Illam nec sentit nec imaginatur : sensationes & phantasmata nihil menti nisi falsas repræsentant relationes : & quicunque veritatem assequitur illam assequi nequit nisi in mundo intelligibili cui unitur, & in quo Deus ipse illam videt, namque iste mundus materialis & sensibilis non est intelligibilis per se. Mens igitur videt in lumine Dei, sicut Deus ipse, quæcunque clarè videt; quamvis illa non videat nisi modo valdè imperfecto ; & in hoc modo quo Deus illa videt longè diverso. Itaque cùm mens veritatem videt non modò unitur Deo, ipsumque possidet, verùm etiam aliquo sensu videt veritatem, eodem modo quo Deus.

Pariter quum amamus secundum virtutis leges, Deum amamus. Nam quum amamus secundùm istas leges, impressio amoris quam Deus in corde nostro ut versus ipsum convertamur indesinenter producit à libero arbitrio non deflectitur, nec in philautiam transmutatur. Mens tùm liberè duntaxat sequitur impressionem ipsi à Deo datam; cùm autem Deus ipsi nullam det impressionem quæ versùs ipsum non tendat, quoniam propter se solum agere potest ; amare juxta leges virtutis idem esse ac amare Deum, evidenter patet.

Sed id non modò est amare Deum, est præstereà amare, ut Deus amat: opera sua non amat nisi quia aliquam habet analogiam cum perfectionibus suis ; & illa amat juxta proportionem relationis quam habent cum istis perfectionibus. Denique idem amor est quo Deus amat seipsum & omnia quæ fecit. Amare secundùm leges virtutis, est Deum unicè amare; ipsum in omnibus amare, ac res amare prout bonitatem & perfectiones Dei participant, hoc est, ipsas amare prout sunt amabiles, uno verbo est amare per impressionem ejusdem amoris quo Deus seipsum amat ; namque amore quo Deus seipsum amat, & omnia relatè ad se, movemur, quum amamus ut par est. Tunc igitur amamus ut Deus amat.

Igitur, omnem perfectionem nostram à cognitione veritatis & legitimo virtutis amore oriri evidens est; cùm ista veritatis cognitio, isteque virtutis amor ex unione nostrâ cum Deo ordinariè sequantur, ipsiusque Dei possessionem nobis concilient, quantùm id fieri potest in hac vitâ. Ex cæcitate mentis, vice versâ, & cordis corruptione oritur tota imperfectio nostra;atque hæc duo ex unione mentis nostræ cum corpore oriuntur, ut id in multis locis ostendi, ubi demonstravi nos nunquam veritatem cognoscere, verúmque bonum amare, dum sequimur sensuum, imaginationis, & affectuum nostrorum impressiones.

Hæc sunt evidentia. Homines tamen qui entis sui perfectionem omnes ardenter cupiunt, unionem cum Deo augere non satagunt, & ad unionem cum rebus sensibilibus fovendam & augendam perpetuò adlaborant. Tanti mali causa nunquàm satis explicari potest.

Possessio boni duo effecta in ipsius possessore naturaliter edere debet, ipsum nempe perfectiorem, & eodem tempore feliciorem reddere. Sed id non semper evenit. Fateor equidem mentem non posse actu aliquod bonum possidere, quin actu fiat perfectior; sed potest quandoque actu possidere aliquod bonum, nec tamen esse actu felicior. Qui veritatem meliùs cognoscunt, & bona amabiliora magis amant, semper actu perfectiores sunt iis qui in cæcitate & corruptione versantur, sed non semper actu sunt feliciores: De malo res eodem se habet modo; imperfectum, simul & infelicem reddere debet: sed quamvis homines semper reddat imperfectiores; ipsos tamen non semper reddit infeliciores; aut illos non reddit infelices eâ proportione qua illos reddit imperfectos. Virtus sæpè dura est & amara, vitium verò dulce & jucundum. Ac probi potissimùm fide & spe verè felices sunt, dum mali voluptatibus ex deliciis actu utuntur. Id equidem sic se habere non deberet, sic tamen se habet. Illud malum à peccato ortum est, ut dixi in capite præcedenti. Atque istud non modò totius cordis nostri pravitatis, verùm etiam cæcitatis & ignorantiæ mentis nostræ præcipua causa est.

Hæc inordinatio imaginationi nostræ persuadet corpora posse esse bonum mentis, nam voluptas, ut sæpe dixi, est character aut indicium sensibile boni. Jam autem ex omnibus voluptatibus quibus hic in terris patimur maximè sensibiles illæ sunt quas per corpora percipere existimamus. Ergò sine magno examine corpora esse posse, aut etiam actu esse bonum nostrum judicamus. Adversùs naturæ instinctum obniti, & argumentis à sensu deductis resistere difficillimum est. Id nequidem mentem nostram subit. De inordinatione ex peccato orta neutiquàm cogitamus. Corpora non posse agere in mentem nisi ut causæ occasionales mentem non posse immediatè aut per se aliquid corporei possidere, nec ulli objecto uniri, nisi per ipsius cognitionem & amorem. Deum solum supra ipsam esse, ipsamque

ipſamque ab eo duntaxat ſenſationibus voluptatis, aut doloris remunerari, aut puniri, illuminari & moveri, uno verbo affici poſſe, quocunque tandem ſit modo, non attendimus. Iſtæ veritates quamquam ingeniis attentis evidentiſſimæ, ad nos convincendos eandem vim non habent, ac fallax impreſſionis ſenſibilis experientia.

Quum aliquid ut noſtri partem, aut quùm nos ut partem iſtius rei conſideramus; tum unionem noſtram cum illâ re bonum noſtrum eſſe judicamus; illam amore proſequimur, & amor iſte eò major eſt quò res cui nos utpotè, unitos conſideramus, nobis videtur pars præſtantior totius quod cum ipſa conſtituimus. Jam autem duo ſunt argumenta quibus rem eſſe partem noſtri perſuademur: inſtinctus à ſenſu ortus; & evidentia rationis.

Sensûs inſtinctu mentem meam corpori meo uniri, aut corpus meum conſtituere alteram partem entis mei perſuadeor; illud evidentiâ mihi non conſtat. Id lumine rationis non cognoſco; ſed dolore, aut voluptate quam ſentio, dum objecta me feriunt, manus mea pungitur; & ex punctione dolorem patior; ergo manus mea entis mei partem conſtituit. Veſtis mea laceratur, & ex laceratione nihil patior, ergo veſtis mea non eſt pars mei: capilli mei ſine dolore mihi abſcinduntur, licèt cum dolore vellantur; id Philoſophos tenet ambiguos; quid decidant neſciunt. Sed ex ipſorum circa id dubio liquet, etiam ſapientiſſimos inſtinctu ſensûs potiùs quàm lumine rationis judicare hæc vel illa efficere aut non efficere partem ſui. Si enim hac de re per rationis evidentiam & lumen judicarent, nullo negotio cognoſcerent mentem & corpus eſſe duo genera entis omninò oppoſita; mentem corpori non poſſe uniri per ſe; ſed ſolâ unione quam habemus cum Deo, mentem lædi cùm corpus percutitur, ut alibi dixi. Itaque, ſolo inſtinctu ſensûs corpus noſtrum, & omnia ſenſibilia quibus unimur, ut partes noſtri conſideramus, hoc eſt ut partes illius quod in nobis cogitat, & ſentit: quia reverâ id quod non exiſtit per evidentiam rationis agnoſci nequit, cum evidentia veritatem ſolam videat.

At de rebus intelligibilibus res planè ſecùs ſe habet; nam lumine rationis agnoſcimus relationem quam habemus cum ipſis. Claro mentis viſu nos Deo uniri, modo longè ſtrictiori, & magis eſſentiali quàm corporibus, ſine Deo nos nihil eſſe, nihil poſſe, nihil cognoſcere, nihil ſentire; ipſum eſſe totum quod ſumus, noſque cum ipſo, ſi id ita dici poſſit, partem perquàm minimam duntaxat conſtituere percipimus. Lumen rationis innumera nobis proponit motiva ad Deum unicè amandum, & corpora ſpernenda, utpotè indigna amore noſtro. Sed unionem noſtram cum Deo naturaliter non ſentimus. Inſtinctu ſensûs Deum eſſe nobis inſtar omnium non cognoſcimus, niſi per gratiam Jeſu Chriſti, quæ in quibuſdam hunc ſenſum pro-

Vu

ducit, ut illo possint faciliùs vincere sensum contrarium, quo corporibus uniuntur. Namque Deus ut author naturę mentes fert ad sui amorem lumine rationis, non verò instinctûs cognitione. Ac verisimile est ipsum duntaxat ex quo peccatum irrepsit addidisse, quasi authorem gratiæ, instinctum lumini, quia lumen, utpotè nunc debilissimum ad Deum nos ferre nequit, & quia voluptatis, aut instinctûs contrarii,impetu perpetuò debilitatur & inefficax redditur.

Nos igitur Deo & mundo intelligibili quem in se includit uniri mentis lumine cognoscimus: at corpori nostro, ac per corpus nostrum mundo materiali & sensibili quem Deus creavit nos uniri sensu convincimur. Sed quia perceptiones ex sensibus ortæ, sunt vividiores, efficaciores, frequentiores, & diutiùs durant, quàm perceptiones ex lumine rationis ortæ; sensationes nostras nos agitare, & amorem nostrum erga omnia sensibilia excitare, lumina verò rationis dissipari, ac nullo in nobis erga veritatem ingenito ardore evanescere,non mirum est.

Non pauci equidem Deum esse verum ipsorum bonum persuasum habent, ipsum amant ut totum ipsorũ,&unionem suam cum ipso augere & roborare enixè cupiunt. Sed pauci admodùm sunt, quibus notum sit, nos per cognitionem veritatis Deo uniri unione naturali; veras rerum ideas contemplando, nos aliquo modo Deum possidere; & perceptiones istas abstractas quarundam veritatum generalium & immutabilium, quibus veritates speciales nituntur, esse conatûs mentis quæ Deo adhærescit, & à corporibus recedit.Metaphysica, Mathematicæ puræ, & omnes scientiæ universales, quibus scientiæ speciales fundantur & includuntur, ut ens universale includit omnia entia specialia, omnibus penè hominibus, probis æquè ac iis qui nullo ducuntur veritatis amore, futiles videntur. Adeò ut applicationem ad istas scientias esse purissimam, & perfectissimam applicationem mentis ad Deum,vix dicere ausim, & in contemplatione mundi intelligibilis qui ipsarum objectum constituit, Deum ipsum cognoscere & producere mundum istum sensibilem, à quo corpora accipiunt vitam, ut ex altero mentes alimentum recipiunt.

Qui sensuum impressiones, & affectuum motûs duntaxat sequuntur, veritatem non possunt degustare, quia iis illa non adblanditur. Probi verò qui affectibus perpetuò obluctantur, illis, falsa bona sibi offerentibus, semper non resistunt, cùm veritatem ipsorum oculis subducunt, aut illam ipsis despicabilem præbent: Quia probi esse possumus, quamvis valdè eruditi & perspicaces non simus. Ut Deo accepti simus necesse non est accuratè scire, sensûs nostros, imaginationem, & affectûs nobis semper res aliter repræsentare quàm reverâ sunt: Etenim Jesum Christum, nec Apostolos à multis erroribus, quos Cartesius circa hanc materiam retexit, nos expedire voluisse non patet.

Inter fidem,& intelligentiam, Evangelium & Philosophiam,mul-

tùm intereſt diſcriminis. Craſſiſſimi homines fidei capaces ſunt, quamvis pauciſſimi puræ cognitionis veritatum evidentium ſint capaces. Fides Deum ſimplicibus repræſentat ut Creatorem cœli & terræ; atque id ſufficit ut ad ipſum amandum & colendum ferantur. Ratio illum non modò conſiderat in operibus ſuis; erat enim id quod eſt, antequàm mundum creaſſet; illum in ſeipſo contemplari conatur, aut per ingentem illam,& vaſtam ideam Entis infinitè perfecti quam in ſe includit. Filius Dei, qui eſt ſapientia Patris, aut veritas æterna, humanam induit naturam, & factus eſt ſenſibilis, ut hominibus carnalibus & craſſis innoteſceret. Illos inſtituere voluit per id quod ipſos occœcabat, ſcilicet per ſensûs ad ipſum amandum ferre, & à bonis ſenſibilibus avertere ipſos voluit, per res ipſas quibus mancipabantur. Cum ſtultis acturus, quadam ſtultitiæ ſpecie, ut eos redderet ſapientes uſus eſt. Itaque probi, ac qui majore præditi ſunt fide non ſemper majori præditi ſunt intelligentiâ. Deum per fidem cognoſcere ipſumque auxilio gratiæ amare poſſunt, quamvis ipſum omnia in omnibus,& totum in ipſis non intelligant, ut id Philoſophi intelligere valent, & quamvis non cogitent cognitionem abſtractam veritatis eſſe unionem cum Deo. Mirum igitur non eſt tam paucos in id incumbere ut ſuam unionem naturalem cum Deo per veritatis cognitionem augeant; cùm ad id adverſus ſenſuum & affectuum impreſſiones pugnandum ſit, modo longè diverſo ab eo quo Viri piiſſimi adverſus ſenſus & affectûs pugnare ſolent. Nam probiſſimi viri, sensûs & affectûs eo modo eſſe fallaces quo explicuimus libris præcedentibus, non ſemper perſuadentur.

Solæ ſenſationes aut cogitationes quarum corpus particeps eſt, immediatè gignunt affectûs, quia ſola fibrarum cerebri commotio excitat aliquam agitationem ſpecialem in ſpiritibus animalibus. Itaque, ſolæ ſenſuum perceptiones nos convincunt modo ſenſibili, nos quibuſdam rebus uniri erga quas iſtæ perceptiones ſenſibiles amorem in nobis excitant. Jam autem unionem quam habemus cum Deo,dum veritatem cognoſcimus, ſenſu non percipimus; immò de ipſo nequidem cogitamus, nam in nobis modo ita arcano & impercepto in eſt & operatur, ut illum nequaquam deprehendamus. Unio igitur quam naturaliter cum Deo habemus amorem noſtrum erga ipſum non excitat. Sed de unione quam habemus, cum rebus ſenſibilibus res ſecùs ſe habet. Omnes ſenſationes noſtræ iſtam nobis probant unionem. Corpora quum in nobis agunt viſum noſtrum feriunt, ipſorum actio nihil habet occulti. Immò corpus noſtrum nobis propiùs adeſt mente, illudque ut potiorem noſtri partem conſideramus. Itaque unio quam cum corpore noſtro habemus, & per corpus noſtrū cum omnibus objectis ſenſibilibus excitat in nobis amorem violentum,quo iſta unio augetur, & à rebus nobis longe inferioribus dependentes efficimur.

CAPVT VI.

De erroribus generalioribus affectuum, Quædam exempla ſpecialia afferuntur.

OMnes errores ſpeciales in quos circa bonum ab affectibus noſtris injicimur, retegere; amores immoderatos, & inordinatos impugnare; cordis integritatem reſtituere & mores regere, Ethicæ eſt. Sed propoſitum noſtrum præcipuè poſtulat ut mentem dirigamus, & cauſas errorum noſtrorum circa veritatem patefaciamus. Mentem ſolam conſiderandam habemus, ſi verò obiter de corde agamus, id fit quia cor menti dominatur. Veritatem in ſeipsâ ſine ulla relatione ad nos quærimus, & relationem quam habet nobiſcum conſideramus, quia illa relatio efficit ut philautia illam (veritatem) nobis abſcondat, & diſſimulet. Nam de omnibus juxta affectûs noſtros judicamus, ac per conſequens in omnibus fallimur: quippe judicia affectuum cum veritate nunquam conveniunt.

Id nos docet D. Bernardus his verbis. *Amor ſicut odium, veritatis*
Joan. 5. 30. *judicium neſcit. Vis judicium veritatis audire?* Sicut audio, ſic judico: *non*
Joan. 19. 7. *ſicut odi, non ſicut amo, non ſicut timeo. Eſt judicium odii, ut illud:* Nos legem habemus & ſecundùm legem noſtram debet mori. *Eſt & timoris,*
Joan. 11. 48. *ut illud:* Si dimittimus eum venient Romani, & tollent noſtrum locum & gentem. *Judicium verò amoris, ut David de filio parricidâ.* Par-
2. Reg. 18. 5. cite, inquit, puero Abſalom: Bernard. *De grad. humilitatis.* Amorem & odium ſequendo falsò ſemper judicamus; purum veritatis lumen nos ſolùm illuminat; diſtinctam noſtri omnium Magiſtri vocem audiendo, duntaxat ſolida ferre poſſumus judicia; dummodò de iis tantùm quæ nos docet, ac prout docet, judicemus. *Sicut audio, judico.* Sed quo pacto nos decipiant affectus, videamus, ut iis reſiſtere faciliùs poſſimus.

Affectus tantam cum ſenſibus habent relationem, ut quomodo illi in errorem nos injiciant, poſt ea quæ de his Primo Libro diximus, explicare, difficile non ſit. Generales enim affectuum errores, generalibus ſenſuum erroribus planè ſimiles ſunt.

Errores ſenſuum, ut primo Libro diximus, ex eo potiſſimùm in genere oriuntur, quod objectis externis, aut corpori noſtro tribuimus ſenſationes menti ſoli proprias, quod colores ſuperficiei corporum alligamus; lucem, ſonos, odores in aëre diffundi credimus: quodque titillationem & dolorem in partibus corporis noſtri, quibus mutationes quædam per motum corporum obviorum contingunt, ineſſe exiſtimamus.

De affectibus idem penè ferendum est judicium. Omnes corporis nostri dispositiones, bonitatem, lenitatem, malignitatem, asperitatem nostram, omnesque animi affectus, objectis quæ ipsos movent aut movere videntur imprudenter tribuimus. Objectum quod in nobis aliquem affectum excitat, id quod in nobis excitat, dùm de illo cogitamus, in se includere aliquo modo nobis videtur; quemadmodùm objecta sensibilia sensationes quas in nobis præsentiâ suâ excitant, in se includere videntur. Quum aliquem amamus, ad id naturaliter ferimur ut credamus nos etiam ab ipso amari; ipsumque nobis nocere aut desideriis obstare velle ægrè possumus suspicari. At si odium amori succedat, illum hominem erga nos benevolo animo ferri credere non possumus: omnes ipsius actiones in malam partem accipimus. Ab ipso nobis perpetuò cavemus, quamquam aut de nobis ne quidem cogitat, aut nobis prodesse duntaxat intendit. Omnes denique cordis nostri dispositiones, illi immeritò tribuimus à quo in nobis excitatur affectus quipiam; non secus ac sensuum objectis omnes mentis sensationes imprudenter affingimus.

Præstereà eâdem ratione quâ omnes homines iisdem ac nos affici sensationibus eorundem objectorum occasione, existimamus; eadem pariter ratione, omnes homines iisdem ac nos moveri affectibus ob easdem res credimus. Quod amamus ab aliis etiam amari, quod desideramus ab aliis desiderari, arbitramur. Atque hinc oriuntur invidiæ, secreta odia; si bonum quod prosequimur à multis totum possideri nequeat; Nam si multi illud indivisum possidere queant, ut summum bonum, scientiam, virtutem, &c. res secus se habet. Eadem etiam quæ nos, ab aliis odio haberi, refugi, & timeri credimus; atque hinc mutuæ uniones, conspirationes arcanæ, aut manifestæ, secundùm naturam & statum rei exosæ, quia hoc pacto è miseriis emergere confidimus.

Igitur, objectis affectuum commotiones quas in nobis edunt tribuimus, & alios homines ac quandoque etiam bruta iis etiam agitari censemus, sed præstereà causam affectuum quæ sæpè imaginaria est, realiter in aliquo objecto esse, temerariè judicamus.

Quum aliquem vehementi prosequimur amore, omnia in ipso amore digna judicamus. Si sit ore contorto id venustatis aliquid habere nobis videtur; ipsius deformitas non displicet; motus irregulares & gestûs malè compositi justi, aut saltem naturæ accommodati videntur, si nunquam loquitur, sapit. Si semper, mirifico præditus est ingenio; si de rebus omnibus, est ad omnia paratus; si alios dum loquuntur perpetuò interrumpat, id ipsius ingenii vivacitati imputabitur. Si primas ubique tenere ambiat, primo loco dignus est. Sic affectus omnia amicorum vitia tegit & incrustat, mediocresque virtutes extollit.

At si ejusmodi amicitia sanguinis & spirituum animalium agita-

tione, ut cæteri affectus, duntaxat freta, deficientibus spiritibus refrigescat, aut si aliquis alius affectus interveniens sycophantæ alicujus maledicentia cerebri dispositionem immutet; tùm odium amori succedens imaginationem nostram ita inflectet, ut in objecto affectûs nostri omnia sibi repræsentet vitia quæ legitimam parere possunt aversationem. In eodem homine dispositiones videbimus iis quæ in ipso anteà videramus prorsùs contrarias. Ipsum amasse nos pudebit: ac affectus nunc dominans sibi ipsi patrocinabitur, & affectum priorem ridiculum reddet.

Affectuum imperium, & injustitia ulteriùs longè excedunt, affectûs præcipuum objectum suum nobis non modò fucant ac ipsi veluti pallium obducunt, sed omnia etiam quæ cum ipso aliquam habent relationem. Non solùm omnes amicorum affectiones amore dignas nobis inducunt, sed etiam plerasque affectiones quas in amicorum amicis deprehendimus. Ulteriùs etiam progrediuntur in iis qui imaginatione vastâ & vividâ pollent. Ipsorum enim affectûs tanto in mentem potiuntur imperio, ut ipsius limites designare difficile sit.

Ex his tot errores, præjudicia, injustitiæ oriuntur, ut omnem numerum excedant. Pleræque veritates seu potius errores, qui in quibusdam locis, temporibus, societatibus, familiis vigent, ex iis generalibus & fœcundis ducuntur principiis. Quod in Hispaniâ verum est, in Gallia falsum habetur. Quod Parisiis admittitur, Romæ rejicitur, quod apud Franciscanos certum est, apud Dominicanos damnatur ut error, & vice versâ. Dominicani à D. Thomæ partibus stant, quare verò? Quia Sanctus ille Doctor ex ipsorum ordine erat. Hi verò Scoti doctrinam amplectuntur, quia Scotus erat Franciscanus.

Sunt etiam veritates & errores quorundam temporum. Ante bis mille annos terra movebatur; hactenus immobilis manserat; jam denuò moveri incipit. Aristotelis libri olim cremati fuere; & Concilium Provinciale à Papâ probatum ipsius Physicam doceri prudentissimè interdixerat. (Conc. Angl. Spelmann. ann. 1287.) Abhinc omnium admirationem movit. Nunc contemtui esse incipit. In scholis opiniones nunc admittuntur quæ ut hæreses olim repudiatæ fuerunt, & qui illas defendebant ut hæretici à nonnullis Episcopis excommunicati. Quia cum ex affectibus, partium studia oriantur, hinc nascuntur ejusmodi veritates aut errores æquè instabiles ac causa à quâ nascuntur. Exempli gratiâ homines per se sunt adiaphori circa stabilitatem terræ, & formam *corporeitatis*; at verò ipsorum circa istas opiniones adiaphoria definit, ubi ab iis quos odio habent defenduntur. Itaque odium confuso quodam pietatis sensu admixtum ac veluti fotum, zelum temerarium parit, qui paulatim effervescens, eventus illos producit qui hominibus stupendi non videntur nisi diù postquam evenerunt.

Affectum eò usque extendi vix credibile est; sed affectûs ad ea

omnia extendi, quibus ipsis potest satisfieri, sciendum est. Aman toti populo Judæo forsan non succensebat, verùm quia Mardochæus, gente Judæus, ipsum non salutat, totam gentem Judæam perdere decernit; ut ultio sit memorabilior.

Litigatores de fundo quopiam litigant. Ut lis dirimeretur, titulos suos duntaxat proferre, & id solum quod ad rem pertinet, causæque prodesse valet, dicere deberent; attamen sese mutuò maledictis lacessere, sibi invicem contradicere, querelas & accusationes inutiles movere, ac litem innumeris rebus adventitiis, ac ut ajunt, accessoriis quæ summam rei confundunt intermiscere non desinunt: omnes denique affectûs æquè latè patent ac acies ingenii eorum qui ipsis moventur. Quippe, nihil ad objectum affectuum aliquam habere relationem existimamus, ad quod protinus motus affectuum illorum non extendatur, idque hoc modo.

Objectorum vestigia inter se invicem in cerebro ita colligantur, ut cursus spirituum aliquod ex illis vestigiis excitare nequeant, quin multa eodem tempore aperiantur. Præcipua igitur idea rei de qua cogitamus necessario cunjungitur cum pluribus ideis adventitiis, quæ eò magis augentur, quò spirituum animalium impressio violentior est. Jam autem ista spirituum impressio non potest quin sit violenta in affectibus, quia affectus in cerebrum affatim & magno impetu perpetuò mittunt spiritûs ad id aptos ut vestigia idearum quæ objectum suum repræsentant conserventur. Itaque motus amoris & odii non modò extenditur ad præcipuum objectum affectûs, sed etiam ad ea omnia quæ cum illo objecto aliquam relationem habere videntur. Quia motus affectu excitatus sequitur perceptionem mentis; quemadmodùm motus spirituum animalium in cerebro sequitur vestigia cerebri, tum ea quæ ideam præcipuam objecti affectûs excitant, tum alia quæ ad illud referuntur.

Homines igitur iram & odium tam longè ferre, & actiones tam ridiculas & stupendas patrare, mirum non est. Horum omnium effectuum ratio quædam est specialis; etsi illam non cognoscimus. Ipsorum ideæ adventitiæ seu accessoriæ nostris semper similes non sunt; ipsasque cognoscere nequimus. Itaque semper quædam est ratio, ob quam ita absurdè agere nobis videntur.

CAPVT VII.

De affectibus speciatim, & primò de admiratione & pravis ipsius effectis.

DE affectibus in genere hactenus duntaxat actum est, sed inde consequentias speciales elicere non est difficile, dummodò ad ea quæ in nobis aguntur, & ad cæterorum hominum actiones, animus advertatur. Quippe hoc pacto uno intuitu plures retegentur veritates, quæ nonnisi longo temporis spatio possent explicari. Sed homines intra seipsos tam rarò se recipiunt, ac id tantopere refugiunt, ut in specialem hîc explicationem descendere operæ pretium sit, ad ipsorum attentionem excitandam.

Dum nosmet ipsos palpamus, ac percutimus sensu destituti penè nobis videmur. Verùm cùm ab aliis duntaxat tangimur, satis vividè afficimur, ut attentio nostra excitetur. Uno verbo, nosmet ipsos non titillamus, id nequidem mentem nostram subit, ac forsan frustrà tentaretur. Res eodem fermè modo se habet de mente. Mens seipsam explorare ac scrutari non aggreditur, ejusmodi scrutinium ipsi displicet & fastidium parit, ac omnes mentis proprietates & affectiones non agnoscit & sentit nisi ubi ab aliis monetur & excitatur. Itaque ut nonnullis, cognitio sui facilior fiat, affectûs paulò specialiùs sunt explicandi, ut ipsos tangendo & movendo, omnes mentis affectiones meliùs doceri possint.

Eos tamen qui infrà dicenda legent monitos velim, ne mirentur, si iis quæ sum dicturus semper non afficiantur, nec se affectibus & erroribus de quibus loquar obnoxios agnoscant, quippe omnes affectus speciales iidem semper non sunt in omnibus hominibus.

Omnes homines easdem habent inclinationes naturales, quæ nullam ad corpus relationem habent. Easdem etiam omnes habent quæ ad corpus referuntur, quum benè dispositum est. Sed varia corporum temperamenta ipsorumque frequentes mutationes infinitam in affectibus specialibus varietatem pariunt: quod si varietati constitutionis corporum addatur diversitas objectorum quæ in eos qui eadem non obeunt munera, vitamque eodem modo non instituunt suam, impressiones planè diversas agunt; evidenter patebit, homines iisdem rebus æqualiter non affici. Itaque maximum esset erroris periculum, si quid alii sentire debeant, per id quod nos sentimus, semper judicaremus.

Haud credo me hallucinari, dum assero omnes homines velle esse beatos.

beatos. Certò enim mihi constat Sinenses & Tartaros; Angelos, & ipsos Dæmonas, omnes denique spiritûs felicitatem optare. Immò notum est mihi nullam unquam mentem à Deo creari posse sine illo desiderio. Id me non docuit experientia: Nec Sinensem nec Tartarum unquàm vidi. Id mihi conscientia intùs non testatur; interno enim illo conscientiæ testimonio tantùm comperio me velle esse beatum. Deus solus potest me convincere cæteros omnes homines Angelos, & Dæmones velle esse felices. Ipse solus potest me certiorem facere, mentem à se nunquam creatum iri quæ erga felicitatem sit adiaphora. Quis enim præter ipsum positivè docere me posset ea quæ facit, aut etiam quæ cogitat? Quia verò nunquàm me fallere potest, quæ ipse me docet in dubium revocare nequeo. Certò igitur scio omnes homines velle esse felices, quia ista inclinatio naturalis est, nec pendet à corpore.

De specialibus affectibus res eodem modo non se habet. Si musicam, choream, venationem præ cæteris adamo, si saporibus dulcibus, aut acutis delector, hinc quicquam certi circa cæteros homines concludere non mihi licet. Voluptas sanè dulcis & grata est omnibus hominibus, sed omnes ex iisdem rebus non percipiunt voluptatem. Amor voluptatis est inclinatio naturalis, nec pendet à corpore: igitur communis est omnibus hominibus. Sed musica, venationis, aut saltationis amor, non est generalis; quia dispositio corporis à quo pendet cùm sit diversa in omnibus hominibus, omnes affectûs qui ab eo pendent iidem semper non sunt.

Affectûs generales, ut desiderium, gaudium & tristitia, inter inclinationes naturales & affectûs seu passiones speciales medium locum obtinent, generales sunt non secus ac inclinationes, sed æquè vehementes non sunt; quia causa ex quâ oriuntur & foventur æqualiter non agit in omnibus. In gradibus agitationis spirituum animalium, in ipsorum copia & paucitate, soliditate aut tenuitate, & in relatione fibrarum cum his spiritibus varietas est infinita.

Itaque sæpè contingit ut de quibusdam affectibus specialibus loquendo alios nequaquam, ac ut ita dicam in nulla mentis parte tangas; at verò si semel de affectibus specialibus loquendo illos tetigeris, tùm vehementer moventur. De affectibus generalibus,& inclinationibus res planè secùs se habet, dum enim de illis loqueris, omnes quidem afficiuntur, sed modo debilissimo, ac veluti imperceptο. Hæc præmitto, ne quis de sententiæ meæ veritate judicet, per ea quæ dictorum meorum occasione jam sensit, aut imposterum ex dicendis sentiet, sed considerando naturam affectuum de quibus sermo est.

Si de omnibus affectibus specialibus agere aggrederemur aut si illos per objecta quibus excitantur distingueremus, nullus esset dicendi finis,& eadem semper dicenda recurrerent;tum quia affectuum objecta sunt infinita, tum etiam quia de eodem argumento semper

ageretur. Speciales ergà Poesin, Historiam, Mathematicas Disciplinas, Venationem, Saltationem, affectûs, nihil sunt præter eundem affectum generalem. Quippe, exempli gratiâ, desiderii, aut gaudii affectûs circa omnia quæ nobis arrident inter se non differunt, quamvis singula objecta quæ arrident inter se discrepent.

Numerus igitur affectuum non est multiplicandus, juxta numerum objectorum quæ infinita propemodùm sunt; sed duntaxat juxtà præcipuas relationes quas nobiscum habere possunt. Atque hoc pacto patebit amorem & odium esse principia omnium affectuum; ab illis alios non gigni affectûs generales quam desiderium, gaudium, & tristitiam: affectûs speciales ex his tribus primitivis derivari; ac eo magis esse complexos, quò idea principalis boni aut mali quæ excitantur majori numero idearum adventitiarum, vel quò bonum & malum pluribus circunstantiis ad nos relativis comitatur; ut inferiùs explicabitur.

Si ea quæ de idearum connexione dicta sunt in memoriam revocentur, & attendamus in vehementibus affectibus spiritus animales utpotè valdè agitatos, excitare in cerebro omnia vestigia quæ cum objecto quo exagitamur relationem habent. Facilè agnoscemus varios & multifòrmes esse affectûs quæ nomine peculiari & proprio carent, ac proinde explicari nequeunt.

Si affectûs primitivi, ex quorum combinatione alii gignuntur, magis & minus recipere nequirent, omnium affectuum numerus nullo negotio determinaretur. Sed numerus affectuum ex aliorum combinatione ortus infinitus esse necessariò debet; quippe cùm idem affectus innumeros habeat gradus, sese cum aliis jungendo, potest combinari innumeris diversis modis. Adeò ut duos fortè nunquàm reperias, homines eodem affectu motos; si per eundem affectum intelligas omnium motuum æqualium & sensationum similium quæ in nobis excitantur, occasione alicujus objecti, connexionem.

Sed magis & minus cùm non mutent speciem, numerus affectuum infinitus dici nequit, quia circumstantiæ, quæ bonum & malum comitantur non sunt infinitæ. Sed ad affectuum specialium explicationem deveniamus.

Quum primùm quid videmus, aut, jam multoties visum denuò cernimus, aliis indutum circumstantiis, tùm obstupescimus, & rem illam miramur. Itaque nova idea, vel nova connexio pristinarum idearum affectum imperfectum in nobis gignit, qui omnium primus est, quemque admirationem vocamus. Istum affectum imperfectum dico, quia ideâ, aut sensu boni non excitatur.

Cerebro tùm in quibusdam locis agitato, ubi nunquam fuerat agitatum, aut modo planè novo & insolenti, mens agitatione illâ vehementer afficitur, ac proinde istius objecti novitati enixè incumbit: eâdem ratione quâ simplex titillatio in plantâ pedum, novitate po-

tiùs quàm vehementiâ impressionis excitat in mente sensationem maximè vividam. Multæ adhuc sunt causæ cur mens rebus novis adjungatur quæ quando de inclinationibus naturalibus actum fuit, explicui. Mens hîc duntaxat consideratur relatè ad corpus, & secundũ illam relationem, commotio spirituum est causa naturalis ipsius applicationis ad res novas.

In admiratione, quâ tali, res non considerantur nisi ut in se sunt, vel prout nobis videntur: illas nec relatè ad nos, nec ut bonas, aut malas, consideramus. Atque hanc ob causam spiritus in musculos non diffunduntur, ut in corpore dispositionem forment aptam ad prosequendum bonum, vel fugiendum malum, nec nervos, ad cor, aut viscera pertinentes agitant, ut sanguinis fermentationem & motum accelerent, aut morentur; ut fieri solet in cæteris affectibus. Omnes spiritus versùs cerebrum tendunt ut in eo forment imaginem vividam & distinctam objecti quod stupefecit, ut illud mens contempletur, & agnoscat: sed reliquum corpus veluti immobile & in eodem situ remanet. Sicut nulla est in mente commotio, nullus pariter est in corpore motus.

Si magna nobis videntur quæ miramur, admirationem semper sequitur existimatio, & nonnunquàm veneratio. At contrà si parva videntur, admirationem semper sequitur contemtus & sæpenumerò fastidium.

Magnitudinis idea, ingentem excitat in cerebro spirituum motum; & vestigium quo repræsentatur diutissimè conservatur. Ingens pariter spirituum motus magnitudinis ideam in mente excitat, ipsamque istius ideæ contemplationi diu applicat.

Parvitatis idea parvum in cerebro excitat spirituum motum, & vestigium quo repręsentatur diù non durat, Exiguus spirituum motus, parvitatis ideam etiam in mente excitat ac mens istius ideæ contemplationi tantisper appellitur. Hæc attentione dignissima sunt.

Quum nosmet ipsos consideramus, aut aliquid nobis unitum, admiratio nostra nunquàm subsistit in nobis sine aliquo affectu. Sed agitatio nostra est in sola mente, & in spiritibus qui ad cor deferuntur; cùm enim nullum bonum sit prosequendum, aut malum fugiendum, spiritus in musculos non diffunduntur ut corpus ad aliquam actionem disponant.

Consideratio perfectionis entis nostri, aut alicujus rei quæ ad illam perfectionem pertineat, superbiam, aut nostri existimationem, aliorum contemtum, gaudium, & quosdam alios affectus naturaliter parit, propriæ nostræ magnitudinis contemplatio, ὑπερηφανίαν gignit. Roboris nostri cognitio generositatem, aut audaciam, & consideratio alius cujuspiam prærogativæ, alium affectum, superbiæ quàm proximum, producet.

Contrà verò consideratio alicujus imperfectionis entis nostri, aut

alicujus rei ad nos pertinentis, humilitatem, nostri contemtum, ergà alios venerationem, tristitiam, & alios quosdam affectûs movet. Parvitatis nostræ cognitio humilitatem, debilitatis conscientia, timiditatem, & alicujus vitii nobis innati consideratio alium producet affectum, humilitati valdè propinquum. Sed ista humilitas non secùs ac superbia, propriè loquendo, nec vitium, nec virtus est. Utrumque nihil aliud est præter affectûs, aut commotiones involuntarias, societati civili tamen utilissimas; immò in quibusdam casibus ad vitæ, aut bonorum conservationem omninò necessarias.

Humilitas, exempli gratiâ, & timiditas necessariæ sunt, immò istam mentis dispositionem habitu modesto & venerabundo, testari necesse est, ubi adstamus coram viro nobili, vel feroci, & potenti: nam penè semper utile est bono corporis, ut imaginatio deprimatur ad conspectum magnitudinis sensibilis, ac summissionis & internæ venerationis, externa præbeat testimonia. Verùm id fit naturæ ductu, & mechanicè, sine ulla voluntatis participatione; immò sæpè ipsâ reluctante. Ipsa bruta, exempli gratiâ canes, quibus necesse est eos quibuscum vivunt demulcere, machinam ut plurimùm ita habent dispositam, ut eum induant habitum externum, qui relatè ad eos quibus circumdantur sit consentaneus: id enim ad illorum conservationem planè necessum est. Si verò aves aut quædam alia animalia dispositionem corporis aptam non habeant ad inducendum illum habitum; id fit quia non opus est, ut eos pacent quorum iram fugâ vitare possunt, aut quibus ad vitæ conservationem non indigent.

Nunquam satis attendere possumus omnes affectûs in nobis, præsentiâ alicujus rei extrà nos positæ, excitatos, in facie nostrâ imprimere mechanicè habitum affectui consentaneum, hoc est, habitum, qui impressione suâ, omnes adstantes mechanicè disponat ad affectûs & motûs utiles societati. Ipsa admiratio, quum in nobis duntaxat excitatur, visû alicujus rei quæ sit extrà nos, quamque alii possint considerare, in facie nostrâ producit habitum qui in aliis admirationem mechanicè imprimit; & in ipsorum cerebro ita agit, ut spiritus in eo contenti, in musculos faciei mittantur, ut in eo habitum nostro similem forment.

Ista affectuum mentis & motuum spirituum communicatio animalium ut homines, inter se uniantur relatè ad bonum, & malum, utque sibi invicem prorsùs similes fiant, non modò dispositione mentis, verùm etiam situ corporis, eò major est, & faciliùs deprehendi potest, quò affectûs sunt vehementiores quia tum spiritus animales velociùs agitantur. Jam autem id sic se habere debet, quia quum bona & mala sunt majora & propinquiora, iis animus magis appellendus est, ac homines arctiùs inter se uniri debent, ut illa vel prosequi, vel fugere queant. Ubi verò affectûs sunt moderati, ut solet esse admiratio, vix modo sensibili communicantur; nec habitum quo commu-

nicari ſolent, penè imprimunt. Quia nihil eſt quod urgeat, ipſos in aliorum imaginationem impetum facere, & à negotiis iſtorum affectuum conſideratione forſan utilioribus dimovere, neceſſe non eſt.

Hac affectuum noſtrorum œconomiâ, & corporis diſpoſitione relatè ad objecta quibus circumcingimur, mirabilius nihil eſt. Quicquid in nobis mechanicè agitur ſapientiâ authoris noſtri digniſſimum eſt. Cumque Deus affectuum quibus agitamur eo fine nos reddiderit capaces, ut præcipuè cum rebus omnibus ſenſibilibus nos uniret, ad ſocietatis & entis noſtri ſenſibilis conſervationem, ipſius hac in re conſilium, tam fidelem, & accuratam ſortitur executionem ut operis iſtius artem & varia quibus conſtruitur organa ſatis & mirari non poſſimus.

Attamen affectus noſtri & omnia illa vincula impercepta, quibus cum rebus omnibus nobis circumjacentibus unimur, noſtrâ culpâ ſæpè fiunt errorum & peccatorum cauſæ. Affectibus enim non utimur ut par eſt: omnia ipſis permittimus nec vel limites quibus à nobis circumſcribi debent novimus. Unde fit ut affectus per ſe debiliſſimi qualis eſt admiratio, nos ſæpe tamen injiciant in errorem. Rem aliquot exemplis illuſtro.

Quum homines, ac ii præcipuè quibus eſt imaginatio vaſt a, ſeſe conſiderant per illam partem quæ ipſis præſtantior videtur, tùm ipſi ſibimet valdè arrident & internus ille applauſus augeſcit, quotieſcunque ſeſe comparant cum aliis quorum imaginatio minùs agitatur. Prætereà tot hominum admirationem movent, & tam pauci ſunt qui ipſis cum ſucceſſu & approbatione reſiſtant, (quis enim unquàm rationi, coram homine, imaginatione forti, & vivida prædito plaudere aggrediatur?) Denique in auditorum facie, habitus ſummiſſionis & venerationis ita ſenſibilis, & indicia admirationis ita manifeſta formantur, quotieſcunque novum aliquod proferunt verbum, ut ſeipſos etiam mirentur, & imaginatio quæ ipſorum prærogativas auget, ipſis maximam ſui exiſtimationem injiciat. Si enim hominem affectu aliquo permotum videre non poſſimus, quin ipſius affectûs impreſſionem in nobis recipiamus, ipſiuſque ſententiam amplectamur; quomodo fieri poſſet ut qui ingenti admiratorum cohorte ſtipantur, affectum philautiæ tam ſuaviter indulgentem, non induerent?

Jam autem exiſtimatio illa, quâ homines imaginatione forti & vividâ præditi ſeſe & virtutes ſuas proſequuntur, ipſorum animum inflat, & habitum ita imperioſum imprimit, ut de omnibus decidere audeant. Alios nonniſi aſpernabundi audiunt: ipſis cavillando duntaxat reſpondent: nihil niſi relatè ad ſe cogitant. Et mentis attentionem, veritati inveniendæ adeò neceſſariam, veluti ſervitutem quandam habentes, quicquam ampliùs diſcendi prorſùs incapaces fiunt. Superbia, ignorantia, & cæcitas unâ ſemper procedunt.

Homines illi qui ingenii fortitudinem affectant, vel potius homines vani,& superbi,veritatis discipuli esse nolunt, apud seipsos se non recipiunt nisi ut sese contemplentur,& admirentur.Itaq;qui superbis resistit, in ipsorum tenebris equidem lucet, sed tenebræ non discutiuntur.

Contrà, quædam est dispositio in spiritibus animalibus & sanguine, quæ nos nimis dejicit efficitque ut de nobis humiliùs æquo sentiamus. Inopia, tarditas, & tenuitas spirituum animalium, conjuncta cum crassitudine fibrarum cerebri imaginationem nostram efficiunt debilem,& languentem. Atque istius debilitatis & languoris imaginationis nostræ cognitio confusa nos in quandam adducit humilitatem vitiosam, quæ animi dejectio dici potest.

Omnes homines veritatis capaces sunt, sed eum qui solus ipsos eam docere potest, non adeunt. Superbi ad seipsos sese convertunt, aliosque audire recusant; & humiles illi falsò sic dicti ad superbos confugiunt, ac sese illorum decisionibus mancipant. Utrique, homines duntaxat audiunt. Ingenium superborum fermentationi sanguinis, hoc est propriæ imaginationi morem gerit. Ingenium falsorum humilium dominanti superborum habitui cedit. Et sic utrique vanitati & mendacio mancipantur. Superbus dives est & potens, ingenti stipatur famulantium caterva, & magnitudinem suam juxtà potentiam, divitias,& dignitates quibus suprà alios eminet metitur; Humilis verò, falsò sic dictus, eodem quidem spiritu ducitur, sed quoniam, miser est, egenus, debilis, & languidus, se nihil esse arbitratur, quia nihil possidet. Attamen divitiæ, dignitates, & cætera ejusmodi externa, nobis sunt merè accidentalia; in his nequaquàm consistit essentia nostra; ac tantùm abest ut copia sanguinis & spirituum, imaginationis vigor & impetus, ad veritatem nos ducant, quin contrà ab ea nullâ aliâ re magis abducimur. Ingenia obtusa,ut ita loquar, frigida, & languida, veritates solidissimas & abstrusissimas meliùs apprehendere & veritatem ipsos in intimo rationis recessu docentem silentibus affectibus faciliùs audire possunt; sed ipsius verbis attentionem præbere nequeunt. Sine ullo sensibili fulgore, & summissâ voce loquitur, jam verò illi solo tumultu excitantur. Id solum quod micat, magnumque, & magnificum sensuum judicio videtur ipsos convincere potest. Splendore ipsos perstringente gaudent. Philosophos phantasmata & somnia ipsis obtrudentes,ac Pseudoprophetarum exemplo falsò gloriantes se à veritate eruditos fuisse, ipsi veritati reapse loquenti, anteponunt. Ante quater mille annos superbia ingenii humani ipsis non renuentibus illudit: immò istius superbiæ mendacia tanquàm traditiones Sanctas & Divinas venerantur & conservant. Deum veritatis ab ipsis discessisse diceres: de ipso non ampliùs cogitant; ipsum non ampliùs consulunt: non ampliùs meditantur, suamque pigritiam & socordiam falsis humilitatis speciebus tegunt.

Veritatem propriis viribus nostris nos non posse deprehendere equidem concedo: sed, Deo nos illuminante, id possumus quod omnium omninò hominum auxilio fieri unquàm nequiret. Immò qui veritatem certius cognovere, illam nos docere non possunt, nisi eum interrogemus, quem ipsi interrogavere, ac nisi pariter attentioni nostræ respondeat. Hominibus igitur credendum non est, quia ipsi loquuti sunt, nam omnis homo fallax est; sed quia Deus qui fallere unquàm nequit, nos alloquutus est, ipsum indesinenter interrogare debemus. Iis qui aures duntaxat alloquuntur, corpus solùm instituunt, & in solam imaginationem agunt credere non debemus. Sed eum qui mentem alloquitur, rationem instituit, ac in intimo hominis interni penetrans, ipsum illuminare, & corroborare potest adversus hominem externum & sensibilem, à quo perpetuò decipitur attentè auscultare debemus. Hæc utpotè maximâ animi attentione digna sæpiùs repeto. Deus solus colendus est. Ipse solus lumen nobis effundere potest, ut solus etiam potest voluptates in nobis excitare.

In spiritibus animalibus, & in reliquo corpore, quædam nonnunquam inest dispositio quâ ad venationem, choream, cursum, & in genere ad omnia exercitia, in quibus corporis robur & dexteritas exeruntur, excitamur. Hæc dispositio juvenibus ac ijs præcipuè quorum corpus nondùm omnino formatum est, inesse solet. Pueri in eodem loco perstare diu nequeunt, in perpetuâ versantur actione, quum indoli suæ sese permittunt. Cùm ipsorum musculi perfectum nondum attigerint robur, nec sint omninò conformati; Deus utpote Author naturæ voluptates mentis corporis bono adtemperans, efficit ut exercitiis corporeis delectentur ad corroborandum corpus. Itaque, dum carnes & fibræ nervorum adhuc molles sunt, viæ per quas spiritus animales necessariò emitti debent ad producendos quoslibet motûs sternuntur & conservantur, nullique coacervantur humores quibus istæ viæ præcludantur, vel quorum putrefactione pars aliqua corrumpatur.

Plerique juvenes corporis sui dispositionem confuso quodam modo sentiunt, ac ideò ipsius robur & agilitatem cum voluptate vident. Sese dum, ipsius motus moderari, aut illud novo quodam modo movere possunt, demirantur. Ab alijs spectari & laudem accipere gestiunt. Atque hoc pacto amorem suum erga omnia corporis exercitia fovent & adaugent; ac iste amor inter præcipuas ignorantiæ & ferocitatis hominum causas ultimum non obtinet locum. Præterquam quod enim multum temporis in ejusmodi exercitijs teritur, infrequens ac penè nullus rationis usus efficit, ut pars præcipua cerebri, in cujus flexibilitate consistit vis & vivacitas ingenij, inflexilis prorsus fiat, & spiritus animales facilè non diffundantur in cerebrum modo idoneo ad excitandas rerum quarumlibet cogitationes, prout casus postulat.

Hinc fit ut plerique rebus bellicis occupati, & nobiles, omnis attentionis incapaces sint. De omnibus perfunctoriè ac leviter ratiocinantur. Ac si ipsis quod audire recusant oggerere audeas, quid sint responsuri neutiquam cogitant, sed ipsorum spiritus animales in musculos quibus brachium attollitur sensim feruntur. Ac penè incogitantes, aliquo ictû vel gestû minaci respondent. Quia spiritûs verbis quæ proferuntur agitati, in loca exercitio magis trita transeunt. Et quia corporis sui robur sensu cognoscunt in hisce petulantibus agendi modis confirmantur; adstantiumque habitus summissus &c. ut ita dicam, venerabundus ipsis inspirat audaciam ineptias superbe & ferociter proferendi. Immò se egregia quædam esse loquutos arbitrantur, quia præ prudentiâ, & timore ab alijs non fuerunt explosi.

Cuipiam studio incumbere, aut scientiam aliquam actû profiteri nemo potest, quin id cognoscat; Nullus se Authorem, vel Doctorem esse, immemor fieri potest. Verùm cognitio & recordatio ista in multorum animo tot vitia gignit, ut ipsis utile foret si titulis quibus gloriantur destituerentur. Quia in titulo illo seu, ut ajunt, *Qualitate* maximum sui decus constituunt, illam semper cum voluptate considerant; illiusque alios mira cum solertia commonefaciunt, ac propter illam sibi jus arrogant de omnibus sine examine judicandi. Si quis imprudens ipsis audeat obniti, tum lenitatem & charitatem præ se ferentes, quid sint, in memoriam revocare conantur, ac sibi decidendi jus esse insinuant. At si deinde quis adeo sit audax ut ipsis obsistere pergat, nec sit quid respondeant, tum palam faciunt & quid de se, & quid de illis qui ipsis præfractè resistunt, cogitent.

Sensus internus seu conscientia alicujus prærogativæ animum semper inflare solet. Eques generoso insidens equo, & armatus, cui sanguis & spiritûs affatim suppetunt, nihil non potest aggredi. Hæc dispositio generosum & audacem ipsum efficit. De viro literarum studijs addicto, cujus ingenium cordis superbiâ corruptum fuit, res non secus se habet, adversus veritatem strenuus & audax evadit. Illam quandoque nondum cognitam temerariè impugnat interdum verò illam agnitam prodit, ac falsa eruditione fretus, affirmativam, aut negativam defendere semper paratus est, prout spiritu contradictionis movetur.

De ijs qui eruditionis fastum non affectant res aliter se habet; De rebus non decidunt. Raro loquuntur, nisi ubi casus & res necessario postulat. Ac sæpe contingit ut taceant etiam quum loqui deberent. Famam istam, & characteres eruditionis externos, quibus plerique ad id adiguntur ut loquantur quid dicant nescij, sustinendos non habent. Tacere ipsis licet at doctos silere pudet. Norunt enim se contemtui futuros esse si sileant, etiam ubi ipsis non est quod dicant;

dicant; ac contemtum ſæpè evitaturos, licet meras proferant ineptias, dummodò illas modo *ſcientifico* proferant.

Quod homines cogitandi capaces efficit, id ipſum illos veritatis capaces reddit. Atqui nec honoribus, nec opibus, nec dignitatibus, nec falsâ eruditione, homines cogitandi capaces fiunt, ſed naturâ ſuâ. Ad cogitandum apti nati ſunt, quia ad veritatem poſſidendam deſtinati fuere. Inmò proſpera corporis valetudine bene cogitandi capaces non efficiuntur; id duntaxat poteſt efficere, ut ad id tanto non ſit obſtaculo quàm adverſa valetudo. Corpore noſtro ad ſentiendum & imaginandum aliquomodo adjuvamur, ad cogitandum nequaquam. Quamvis enim ſine auxilio corporis non poſſimus meditando figere ac determinare ideas noſtras, adverſus impetum perpetuum ſenſuum & affectuum, quibus ideæ noſtræ indeſinenter turbantur & delentur, quia nunc corpus vincere nequimus niſi corporis ope; attamen corpus mentem illuminare, ac in ipsâ intelligentiam producere non poſſe evidens eſt: Omnis enim idea quâ veritas retegitur à veritate ipsâ procedit. Quicquid mens accipit à corpore, corporis uſu duntaxat inſervit, ac dum ſeſe versùs phantaſmata convertit, nihil præter illuſiones & phantaſmata videt; hoc, eſt res ut in ſe ſunt non videt, ſed tantum relatè ad corpus.

Si idea magnitudinis aut parvitatis ſecundum quam noſmet ipſos conſideramus, errandi occaſionem ſæpè nobis præbeat, idea quam de rebus extrà nos poſitis, quæque aliquâ relatione ad nos pertinent, habemus, leviorem non efficit impreſſionem. Ideam magnitudinis, ingenti ſpirituum motû ſemper comitatam eſſe, ingentemque motum cum idea magnitudinis ſemper conjunctum eſſe, ac contra ideam parvitatis exiguum ſpirituum motum ſemper excitare, parvumque motum ſpirituum cum parvitatis ideâ conjungi mox vidimus. Ex hoc principio colligere eſt, ea quæ in nobis ingentes excitant ſpirituum motûs; majori cum magnitudine, hoc eſt, majori cum vi, realitate, perfectione apparere debere, quàm cætera; namque hæc omnia & multa alia intelligo per magnitudinem. Itaque bona ſenſibilia majora & ſolidiora nobis videri debent, ijs quæ ſenſûs non feriunt, ſi de eorum ſoliditate per motum ſpirituum, non verò per puram veritatis ideam, judicemus. Ædes ſuperbæ, magnifica Miniſtrorum cohors, ampla ſupellex, munera egregia, dignitates, divitiæ plus realitatis & magnitudinis habere videntur, quam virtus, & juſtitia.

Ubi viſu mentis claro virtutem cum divitijs conferimus, tum illis virtutem anteponimus. At verò ubi ſolis oculis & imaginatione utimur, ac de rebus, ſpirituum commotione duntaxat, judicamus, tum proculdubio divitiæ virtuti à nobis præferuntur.

Hoc adducti principio, ſpiritualia quæ ſub ſenſûs non cadunt, nihil penè eſſe, autumamus: ideas mentis noſtræ objectis quæ illis re-

præſentantur inferiores eſſe; in aere minus eſſe realitatis & ſubſtantiæ, quàm in metallis, in aquâ quàm in glacie: ſpatia à terra uſque ad firmamentum eſſe vacua, aut corpora, quæ in illis continentur ſpatiis, tantùm non habere realitatis & ſoliditatis quàm Solem & Stellas. Denique omnes in quos circa rerum naturam incidimus errores, ex hoc principio ducuntur.

Cùm ingens ſpirituum motus; ac ideò vehemens affectus ſemper comitetur ideam magnitudinis ſenſibilem; Parvus verò ſpirituum motus, ac proinde debilis affectus ideam pariter parvitatis ſenſibilem ſequatur, hinc fit ut enixè incumbamus & nimium temporis inſumamus ſtudio eorum omnium quæ ideam ſenſibilem magnitudinis in nobis excitant, ea verò omnia negligamus quæ ideam ſenſibilem parvitatis in nobis duntaxat gignunt. Ingentia, exempli gratiâ, illa corpora capitibus noſtris imminentia, altas ab omni tempore in animos ediderunt impreſſiones: Propter ideam ſenſibilem ipſorum magnitudinis & ſplendoris primâ fronte adorata fuere; Quædam ingenia audaciora ipſorum motus examinaverunt, & hinc factum eſt illa aſtra plurimorum in omnibus ſæculis aut ſtudium, aut venerationem moverint. Immò non immeritò forſan crederemus, vanum illorum influxuum metum, quo adhuc aſtrologi & puſillanimi percelluntur, eſſe ſpeciem quandam adorationis, quam imaginatio ſerviliter demiſſa præſtat ideæ magnitudinis quæ corpora cæleſtia repræſentat.

At verò corpus humanum Jove, Saturno, & cæteris omnibus Planetis longe mirabilius & præſtantius, vix notum eſt. Idea ſenſibilis partium carnis diſſectæ, nihil magni præ ſe fert, immò horrorem quendam & faſtidium parit; hinc fit ut ab aliquot duntaxat annis, Anatomia virorum cordatorum applicatione digna habeatur. Principes & Reges Aſtronomiæ Studio gloriati ſunt. Aſtrorum magnitudo cum ipſorum dignitatis magnitudine conſonare ipſis videbatur. At non credam ullos Principes unquam fuiſſe qui Anatomiam callere, & cor vel cerebrum peritè diſſecare, gloriæ duxerint. De multis alijs ſcientijs idem eſto judicium.

Rara & extraordinaria motûs vehementiores & ſenſibiliores in ſpiritibus excitant, quàm res quas quotidie oculis noſtris uſurpamus: Illa miramur, ac per conſequens aliquam magnitudinis ideam ijs alligamus, & ſic affectus exiſtimationis & venerationis in animos injiciunt. Atque id multorum rationem evertit. Quàmplurimi tanta ducuntur veneratione & curioſitate erga antiqua, extranea, rara, & extraordinaria, ut ipſorum mens ijs ſeſe quaſi mancipet, namque mens de ijs quæ veneratur judicare; aut ſeſe ſupra illa erigere non audet.

Veritati equidem magnopere non officit ſtudium nonnullorum ergà numiſmata, arma, & veſtimenta priſcorum aut Sinenſium, &

Barbarorum, Veteris Romæ Chorographiam, aut iter à Tomquin ad Nanquin ducens, cognoſcere plane inutile non eſt, quamvis utilius ſit viam qua Pariſijs ad *S. Germain*, aut *Verſailles*, itur, callere. Denique nemini vitio vertere licet, quòd nonnulli veram bellorum inter Græcos & Perſas, aut Tartaros & Sinenſes hiſtoriam addiſcere velint, ac Thucididem & Xenophontem aut quemlibet alium exoſculentur. At ſtupidam antiquitatis admirationem rationi dominari; ingenio ſuo uti ad examinandas veterum ſententias nefas eſſe; ac eos qui illarum opinionum falſitatem deprehendunt & demonſtrant haberi ſuperbos & temerarios; illud eſt quod viri cordati ferre nullatenus poſſunt.

Veritas omnis eſt temporis. Si Ariſtoteles quaſdam veritates retexit, quidni etiam hodie, retegi poterunt. Iſtius Authoris opiniones rationibus quæ nunc poſſint admitti ſunt probandæ; namque ſi opinione iſtæ, Ariſtotelis ætate ſanæ erant, ſanæ pariter nunc eſſe debent. Veritates naturæ authoritatibus humanis probare ridiculum eſt. Quid circa nonnullas quæſtiones ſenſerit Ariſtoteles forſan hoc pacto probari poterit; at verò ij opera miſerè abutuntur qui Ariſtotelem, aut quemlibet alium Authorem aſſiduè legendo eo tantùm conſilio deſudant, ut illius opiniones tantummodò hiſtoricè addiſcant, illáſque alios doceant.

Quis non ſtupeat videndo, quaſdam Univerſitates ad Veritatis inveſtigationem & defenſionem duntaxat inſtitutas, in quaſdam ſectas evaſiſſe, & quorundam hominum ſententijs gloriari, iiſque præfractè adhæreſcere? Quis ab ira temperaret legendo libros à Philoſophis & Medicis quotidie in lucem editos, in quibus loca Authorum ita frequenter citantur, ut eos potius diceres eſſe Theologorum & Canoniſtarum ſcripta, quàm tractatus Phyſici aut Medici? Quis enim placita Ariſtotelis, Platonis, Epicuri, aut cujuſlibet aliùs Philoſophi rationi & experientiæ anteponi ægrè non ferret.

Attamen qui ſic ſe gerunt ob iſtam agendi rationem forſan ipſi obſtupeſcerent; niſi ipſorum intereſſet ad eum modum ſe gerere, hoc eſt, niſi adverſus veritatem quæ ſola eſſet retinenda, pugnarent. Verùm admiratio quâ veterum deliria proſequuntur ijs falſum adverſus veritates recens retectas zelum inſpirat: Illas quamquam ſibi non notas exſibilant & impugnant; ac vi imaginationis ſectatores & admiratores in eadem ferunt judicia.

Cùm de veritatibus recens inventis duntaxat judicent ex ipſarum inventoribus, iſti verò inventores ij ſaltem quorum conſpectu & familiaritate uſi ſunt, cum præ ſe non ferant extraordinarium habitum quem imaginatio authoribus antiquis alligavit, illos magnifacere nequeunt. Idea enim hominum noſtri ſæculi, ut pote cum motibus extraordinarijs & ſenſibilibus non conjuncta, contemtum duntaxat apud vulgus excitat.

Pictores & Sculptores, Philosophos antiquos ut cæteros homines nunquam exhibent? ipsos cum prætumido capite, largâ & elata fronte, barbâ oblonga & venerabili depingunt; Id satis arguit vulgus hominum hanc de illis sibi efformare ideam: namque Pictores motus naturales imaginationis, pingendo, sequuntur. Itaque Antiqui ut homines extraordinarij considerari solent: At contra imaginatio homines sæculi nostri ijs repræsentat similes quos quot die videmus; adeò ut cùm nullum in spiritibus excitet motum extraordinarium, in mente nil nisi contemtum pariat.

Cartesium vidi, ajebat quidam inter Doctos istos qui solam demirantur antiquitatem, cum ipso multa habui colloquia; erat equidem vir probus, ingenio prædítus, at in ipso nihil extraordinarij à me unquam fuit observatum. Scilicet, homo iste Cartesij Philosophiam parvi pendebat, quia cum illius Authore per aliquot horas confabulatus, nihil magni & extraordinarij, quod imaginationem exagitaret in externo ipsius habitu observaverat. Immò rationibus istius Philosophi difficilioribus satis se respondisse arbitrabatur, si audenter diceret, istum Philosophum sibi olim notum fuisse. Utinam ejusmodi homines Aristotelem qualis reapse erat dum in terris degebat videre, & cum ipso per aliquot horas sermones conserere possent, dummodò ipsos non Græcè, sed Gallicè alloqueretur, nomenque suum ipsis non declararet, nisi postquàm judicium tulissent.

Quæ novitatis characterem præ se ferunt, sive in se nova sint, sive in novo ordine aut novo sitû constituta, nos vehementer agitant; namque cerebrum movent in locis eò sensibilioribus, quo cursui spirituum minùs obnoxij sunt. Ijs quæ sensibilem gerunt magnitudinis characterem vehementer quoque agitamur; namque ingentem spirituum motum in nobis excitant. Sed quæ simul magnitudinis, & novitatis habent indicia non modo nos agitant, violentis commotionibus nos commovent, rapiunt, & perstringunt.

Qui, exempli gratia, nihil nisi paradoxa proferunt admirationem apud ingenia debilia sibi conciliant; quæcunque enim dicunt novitatis habent characterem. Qui nonnisi sententiosè loquuntur, & elegantibus, politis, ac magnificis loquendi formulis duntaxat utuntur, venerationem sibi conciliant, quippe magnum quid proferre videntur. Qui vero sublime novo, magnum extraordinario adjungunt, licèt meras effutirent ineptias, vulgus tamen hominum proculdubio rapient, & obstupefacient. Magnifica ista verborum moles, insani Declamatorum fulgores, ingenio debiles penè semper perstringunt. In ipsorum imaginationem tam vividè & altè agunt, ut stupidi, & attoniti, potentiam illam quâ dejiciuntur & occæcantur, summâ prosequantur veneratione, & sensationes confusas, ut veritates claras admirentur.

CAPUT VIII.

Tractatur eadem materia. De recto admirationis, & cæterorum affectuum usu.

EX omnibus affectibus duo consequuntur effecta valdè memorabilia; mentem scilicet applicant, & cor devincunt. Ac in eo quod mentem applicant ad veritatis cognitionem utilissimæ esse possunt, dummodò ijs ritè utamur: namque applicatio lumen, lumen verò veritatem producit. At in eo quod cor devincunt malum semper edunt effectum; quoniam cor non devincunt nisi rationem corrumpendo, ipsique res, non ut in se sunt, aut secundùm veritatem repræsentando, sed juxta relationem quam habent nobiscum.

Inter omnes affectus qui minus attingit cor, est admiratio. Namque rerum, quatenùs bonæ aut malæ sunt, conspectû agitamur; conspectus verò rerum, quatenùs magnæ aut parvæ sunt, sine ulla alia relatione ad nos, nos nonnisi mediocriter afficit. Itaque admiratio quæ cognitionem magnitudinis aut parvitatis rerum novarum quas consideramus comitari solet, rationem longè minùs corrumpit quàm cæteri affectus: immò ad veritatis cognitionem utilissima esse potest; dummodò sedulò caveamus ne ipsam cæteri affectus comitentur, ut penè semper contingit.

In admiratione spiritus animales pelluntur versùs loca cerebri, quæ objectum novum prout in se est repræsentant: Vestigia distincta & satis alta ut diu permaneant in eo excitant; ac proinde mens istius objecti claram habet ideam, ac ejus facilè recordatur. Itaque cùm admiratio mentem applicet & illuminet, dubium non est quin ad scientias sit utilissima. De alijs affectibus res secus se habet; mentem applicant, quia spiritus animales excitant; at illam non illuminant nisi falso splendore, & fallaci luce, quia istos spiritus ita pellunt, ut objecta nobis non repræsentent, nisi relatè ad nos, non verò prout sunt in se.

Rei cuipiam diù incumbere difficillimum est, ubi illam non admiramur, quia tum spiritus animales facilè non feruntur in loca necessaria ad rem illam nobis repræsentandam. Frustra ad attentionem præbendam sollicitamur; attendere diù saltem nequimus; quamvis tamen persuadeamur persuasione abstractâ, quâ spiritus nequaquam agitantur, rem de quâ agitur attentione nostrâ maximè dignam esse. Imaginatio nostra fallenda nobis est ad excitandos spiritus nostros, ac materia circa quam meditari volumus novo quo-

dam modo nobis eſt repræſentanda, ut aliquem admirationis motum in nobis excitemus.

Quotidie videas ingenia quibus ſtudium faſtidio eſt. Mentis attentione nihil magis laborioſum ipſis videtur. Ipſis incumbit neceſſitas meditandi & ſtudendi circa quaſdam quæſtiones, & in id omnem movent lapidem; Verùm ipſorum conamina inutilia ſunt, magnos non edunt progreſſus, ac illicò fatigati deſiſtunt. Spiritus equidem animales voluntatis imperio obtemperant, ac rebus attendimus ubi attendere optamus; ſed ubi voluntas imperans eſt voluntas puræ rationis, nullo affectu freta, attentio noſtra ita debilis & languida eſt, ut ideæ noſtræ ſimiles ſint phantaſmatibus quæ confusè tantùm videmus quæque eodem momento evaneſcunt. Spiritus animales tam variè & arcanè ab affectibus excitantur, tantamque à naturâ & habitû accepere facilitatem ad illa affectuum imperia exequenda, ut nullo negotio divertantur à vijs illis novis & difficilibus in quas voluntas ipſos injicere volebat. Ac ſanè potiſſimùm in hiſce caſibus gratiâ ſpeciali ad cognoſcendam veritatem indigemus, quia proprijs noſtris viribus corporis ponderi mentem opprimenti diu reſiſtere non valemus; aut ſi poſſimus, nunquam facimus id quod poſſumus.

Verùm ubi aliquis admirationis motus nos excitat, ſpiritus animales versùs objecta iſtius admirationis naturaliter diffunduntur, ac omnia in cerebro aguntur quæ ad producendum lumen & evidentiam neceſſaria ſunt, ſine ullo voluntatis ad ſpiritus invitè pellendos labore. Qui itaque ad admirationem proni ſunt ad ſtudia longè aptiſſimi ſunt ijs qui admirationis ſunt incapaces; illi enim ſunt ingenioſi, hi verò ſtupidi.

Attamen ubi admiratio modum excedit, & ad ſtuporem ac pavorem uſque excurrit, vel denique ad legitimam non fert curioſitatem, tum valdè noxia eſt. Tunc enim ſpiritus animales toti detinentur in repræſentando objecto admirationis per unicum ex ipſius, ut ita dicam, lateribus. Ad alia, juxta quæ illud objectum conſiderari poteſt, ne cogitamus quidem. Spiritus animales in corporis partes, ut ſua obire poſſint munera, nequidem diffunduntur: Sed veſtigia adeò alta imprimunt de objecto quod repræſentant, tot fibras in cerebro frangunt, ut idea quam excitarunt non poſſit ampliùs deleri.

Nos admiratione attentos fieri non ſufficit, illâ etiam curioſi effici debemus. Unam partem alicujus objecti nos conſideraſſe ſatis non eſt ad illud plenè cognoſcendum, ſingulas examinare debemus, ut de illo ſolidum ferre queamus judicium. Itaque, ubi admiratio nos non fert ad res, quàm accuratiſſimè fieri poteſt, examinandas, vel ubi nos ab illo examine amovet, tum ad veritatis cognitionem planè inutilis eſt; mentem veriſimilitudinibus & probabilitatibus tantum implet, & nos ad temeraria ferenda judicia impellit.

Sola admiratio per se inutilis est, utilis est duntaxat quatenùs eò nos adducit ut res facilius admirari queamus. Spiritus animales qui in admiratione naturaliter excitantur, menti sese offerunt, ut ijs utatur ad objectum distinctiùs sibi repræsentandum, & accuratiùs cognoscendum. Ista est naturæ institutio: nam admiratio ad curiositatem, & curiositas ad veritatis cognitionem ducere debet. Verùm mens viribus suis ritè non utitur: quendam suavitatis sensum quem ex illâ spirituum copia percipit, cognitioni objecti quod spiritûs illos excitat, anteponit: Copiâ illâ spirituum frui mavult, quàm illos usu diffundere; similis avaris qui opes possidere malunt, quàm illis ubi casus postulat uti.

Homines ijs omnibus in genere delectantur quæ aliquem affectum excitant; non modo tristitiæ in repræsentatione tragœdiæ, verùm etiam admirationis, in spectandis Circulatorum præstigijs sensum, argento emunt: nam ipsos ejusmodi præstigiatoribus pecuniam solvere, eo consilio ut ab ijs decipiantur, credendum non est. Iste igitur suavitatis internæ sensus quo per admirationem afficimur, est præcipua causa ob quam in admiratione subsistimus, misso usu quem ratio & natura nobis præscribunt. Nam ob istum suavitatis sensum admiratores in admirationis objecto tam assiduè defiguntur, ut ab ira temperare nequeant, ubi istius objecti vanitatem quis ipsis demonstrare aggreditur. Cùm quis calamitate prorsus ex mœstitiæ sensu voluptatem percipit, succenset si ipsum exhilarare velis. De admiratoribus res non secus se habet. Injuriam sibi fieri putant, cùm quis ijs ostendere conatur ipsos immeritò admirari: quia voluptatem internam quam ex affectû præsenti percipiunt eo magis minui sentiunt, quo idea quæ istam pariebat voluptatem debilior evadit.

Affectus sese excusare semper conantur; ac meritò ipsis obtemperari sensim persuadent. Suavitas & voluptas, quam gignunt in mente, cujus est de ipsis judicare, illam in sui gratiam corrumpunt. Unde fit ut mens propemodùm sic ratiocinetur. De rebus judicare non debemus nisi juxta ideas quas de ipsis habemus: jam autem ex omnibus ideis nostris quæ maximè sensibiles sunt, sunt etiam omnium maximè reales, cùm in nos agant omnium vehementissimè; ergò juxta illas potissimùm judicare debemus. Atque objectum quod demiror ideam sensibilem magnitudinis includit; ergo de illo juxta hanc ideam judicare debeo, quippe magnitudinem existimatione, & amore complecti par est. Itaque huic objecto merito adhæresco, & in illo contemplando detineor. Reverâ voluptas quam ego percipio & præsentia ideæ qua illud objectum repræsentatur, manifestò arguit istius objecti contemplationem mihi utilem esse, etenim major jam factus mihi videor, ex quo de illo objecto cogitavi, ac mens plus capacitatis habere mihi videtur dùm tantum amplectitur ideam,

Mens desinit esse ubi nihil cogitat : si hæc idea evanesceret, mens cum ipsa pariter evanesceret aut saltem augustior fieret, si minori adhæreret ideæ. Conservatio igitur magnæ istius ideæ est conservatio magnitudinis & perfectionis entis mei : Meritò igitur admirer. Immò alij me admirari deberent, si de me ut par est judicarent. Revera relatio quam ego cum magnis rebus habeo, efficit ut ipse magnum quid evadam. Admiratio quâ erga illas detineor mihi possessionis loco est, me in quandam illas possidendi spem injicit. Cœteri homines eadem quâ ego potitentur felicitate, si cognitâ magnitudine meâ, ipsius causæ etiam adhæresceren t : Verùm ea sunt cæcitate ut magna & grandia non cognoscant, nec sese extollere & insignire valeant.

Mentem ad ejusmodi ratiocinia naturaliter ferri dicere possumus ubi sese fallis affectuum luminibus permittit. Hæc equidem ratiocinia aliquam habent verisimilitudinem, sed ipsa omni soliditate carere evidens est. Attamen verisimilitudo quam præ se ferunt, tantùm valet in mentem, ut nisi cautè rem prospiciamus, nobis fucum sit factura.

Poësis, exempli gratia, Historia, Chymia, aut quælibet alia Scientia humana, juvenem quempiam rapuit in admirationem : nisi à motibus in imaginatione tunc excitatis sibi prudenter caveat ; ejusmodi scientiarum utilitatem sedulo inspiciat ; laborem in ijs addiscendis tolerandum cum fructu percipiendo conferat, denique nisi eam induat curiositatem quæ necessaria est ad tutum ferendum judicium ; timendum est ne admiratio quâ primùm fuit occupatus ipsi scientias illas quales in se sunt non offerens, sed tantum à parte jucundissima, ipsum decipiat & in errorem injiciat. Immò eò forsan discriminis adducetur, ut ab errore desistere non possit, & si illum agnoscat ; quia vestigia cerebro altè impressa frequenti admiratione deleri non poterunt. Hanc ob causam imaginationis puritati perpetuò studendum est, & à periculosis istis vestigijs quibus mens & cor corrumpuntur cavendum. Atque in hac cautione hac ratione, quâ non modo admirationis sed & cæterorum affectuum malis occurretur, procedendum est.

Ubi motus spirituum animalium fat violentus est ad imprimenda in cerebro alta vestigia quæ corrumpant imaginationem ; semper conjunctus est cum aliquâ mentis commotione. Cùm itaque mens commoveri non possit quin id sentiat, hac commotione satis monetur ut sibi consulat, & examinet an ipsi utile sit hæc vestigia confirmari & augescere, an verò secus. At verò, quia ipso commotionis momento, mens eâ non fruitur libertate qua possit judicare de utilitate istorum vestigiorum ; quoniam commotio ipsam decipit & ad id fert ut illis faveat vestigijs ; in id enixè laborandum est ut hæc commotio sistatur,

ſtatur, vel ut motus ſpirituum qui illam excitat aliorſum deflectatur: ac interim judicium neceſſariò eſt ſuſtinendum.

Verùm enim verò arbitrandum non eſt mentem poſſe ſemper ſolâ ſuâ voluntate, illum ſiſtere curſum ſpirituum qui obſtat quominus juxtà rationem agere poſſit. Ipſius vires ordinariæ non ſufficiunt ad cohibendos motûs quos non excitavit. Adeò ut cautè ſe gerere debeat ne ab inimico tam ſubdolè cum ipſo agente imprudens occupetur.

Quemadmodùm motus ſpirituum quaſdam in mente excitat cogitationes; pariter cogitationes noſtræ in cerebro quoſdam excitant motûs. Itaque ubi aliquem ſpirituum motum in nobis excitatum ſiſtere volumus, non ſufficit nos velle, ut deſinat ille motus; ſed hoc artificio utendum eſt; nempe aliquid nobis repræſentandum eſt planè contrarium rei quæ illum motum in nobis excitaverat & fovebat, atque hoc pacto fiet *revulſio*. Si verò motum ſpirituum jam excitatum aliorſum duntaxat velimus determinare, tum ad res contrarias cogitare non debemus, ſed tantùm ad res diverſas ab ijs quæ illum produxerunt motum, & hoc pacto fiet *diverſio*.

Quia verò diverſio & revulſio magna erit aut parva, prout novæ cogitationes noſtræ conjungentur cum magno aut parvo ſpirituum motû; accuratè advertendum eſt quibus cogitationibus vehementiſſimè agitemur, ut ubi urgebit caſus, illas imaginationi noſtræ repræſentare poſſimus; atque huic rationi impugnandorum affectuum ita aſſueſcere debemus, ut nullo amplius ſubitaneo, & improviſo mens occupetur motû.

Si æternitatis aut alius cujuſpiam ſolidi boni cogitationem motibus extraordinarijs qui in nobis excitantur alligare ſtudeamus; nulli amplius violenti & extraordinarij excitabuntur impoſterum motus, qui hanc ideam illico non gignant, ac proinde non ſuppeditent arma quibus ipſis reſiſtatur. Hæc tum experientiâ, tum rationibus Capite de *idearum connexione* allatis comprobantur: Arbitrandum igitur non eſt affectûs ſtudio & arte vinci nequaquàm poſſe, ubi id ſeriò & conſtanter volumus.

Hoc tamen reſiſtendi modo nos impeccabiles & ab omni errore alienos fieri poſſe, non eſt quod autumemus. Nam primò, iſtum alligandi motibus extraordinarijs ideas quaſdam, quibus impugnentur, habitum, contrahere & conſervare perquàm difficillimum eſt. Secundò, licèt iſtum habitum acquiſiviſſemus, continget ut iſti ſpirituum motus directè excitent ideas impugnandas, indirectè verò duntaxat ideas quibus illæ impugnari debent. Unde fiet ut malæ ideæ utpotè præcipuè plus habituræ ſint virtutis, quàm bonæ quæ tantum indirectæ, & acceſſoriæ erunt, & voluntatem reſiſtere ſic neceſſe ſemper erit. Tertiò, iſti ſpirituum motus adeò violenti eſſe poſſunt, ut totam mentis capacitatem impleant, adeò ut in ipſa non

superfit locus, ad recipiendam ideam accessoriam faciendæ in spiritibus revulsioni idoneam; aut saltem ad illam ita recipiendam ut cum attentione possit considerari. Denique tot sunt circumstantiæ speciales quæ illud remedium inutile reddere possunt, ut plus æquo illi fidere tutum non sit, quamvis negligi non debeat. Auxilium Dei perpetuò implorandum est ut nobis, ubi periculum imminebit, adesse dignetur; ac interim veritas aliqua adeo solida & efficax in mentem nobis est inducenda, ut hoc pacto de affectibus violentissimis victoriam reportare queamus. Hic enim obiter monitum velim, non paucos viros pios in eosdem sæpius errores relabi, quia mentem plurimis replent veritatibus quibus plus fulgoris inest quàm soliditatis, & quæ ad animum in diversa agendum aptiores sunt, quam ad ipsum adversus tentationes corroborandum: cum è contra homines rudes & ignari in officio fideliter persistent; quia veritatem aliquam magnam & solidam, qua in omnibus casibus sustinentur, familiarem sibi reddiderunt.

CAPUT IX.

De amore & odio, variisque utriusque speciebus.

Amor & odium admirationi proximè succedunt. Objectum quodpiam diu non consideramus quin relationes quas nobiscum habet, aut cum re aliqua quam amemus, eodem tempore comperiamus. Cùm objectum quod amamus cuique per consequens amore nostro unimur, nobis semper præsens sit, æquè ac objectum quod actu miramur; mens nullo negotio objecta illa ita inter se facili negotio confert, ut mutuas illorum relationes deprehendat; aut istarum relationum monetur sensationibus voluptatis & doloris quæ ipsam præveniunt. Tunc verò motus amoris quo erga nos & objectum quod amamus ducimur, extenditur usque ad rem quam miramur, si relatio quam immediatè habet nobiscum aut cum aliquâ re quæ nobis uniatur, nobis vel cognitione vel sensu utilis appareat. Jam autem novus ille mentis motus, seu potius iste mentis motus recens determinatus, ubi conjungitur cum motû spirituum animalium, & cum sensû qui comitatur novam dispositionem, quam novus ille spirituum motus producit, est affectus dictus *Amor.*

Contrà verò si dolore aliquo sentiamus, aut cognitione clara & evidenti deprehendamus, unionem seu relationem objecti quod admiramur, nobis, aut rei alicui nobis unitæ noxiam esse: tum motus

amoris quo nosmet ipsos aut rem nobis unitam complectimur, in nobis terminatur, aut versus rem illam fertur; motus non sequitur visum mentis, nec versùs objectum admirationis nostræ extenditur, sed cùm motus versus bonum in genere, quem Author naturæ indesinenter imprimit in mentem, illam ferat versùs id omne quod cognoscimus aut sentimus, quia quicquid sentimus aut cognoscimus est bonum in se; dicere possumus pugnam mentis adversus istum naturalem motum quo abripitur, esse speciem quandam motus voluntarij, cujus terminus est τὸ nihil. Jam autem motus ille voluntarius mentis junctus cum motû spirituum & sanguinis & cum sensû qui comitatur novam dispositionem quam motus ille spirituum producit in cerebro, est affectus hic *odium.* dictus.

Affectus ille amori est planè contrarius, sed nunquam extat sine amore. Contrarius est amori, quia sejungit; amor verò unit; pro objecto penè semper habet τὸ nihil; amor verò τὸ ens; motui naturali resistit, illumque reddit inutilem; amor verò isti motui se permittit illumque efficacem reddit. At iste tamen affectus sine amore nunquam existit. Namque, si malum quod est ipsius objectum, accipiatur pro privatione boni, fugere malum est fugere privationem boni, hoc est tendere versùs bonum; itaque fuga privationis boni est ipse amor boni. At si malum accipiatur pro dolore, aversatio seu fuga doloris, non est fuga privationis voluptatis; quoniam cùm dolor sit sensus æque realis ac voluptas, non est privatio. Sed cùm aversatio seu fuga doloris sit fuga miseriæ alicujus internæ, ista non laboraremus aversatione, nisi nosmet ipsos amaremus. Denique malum accipi potest, pro eo quod gignit in nobis dolorem, aut nos privat bono: & tum odium pendet ab amore nostri, aut ab amore alicujus rei cum qua nos uniri optamus. Amor & odium sunt igitur duo affectus primarij, inter se oppositi: at verò amor primus, præcipuus, & maxime universalis est.

Ne quis hallucinetur, circa id quod hic appello motum voluntariũ operæ pretium est leg. 1 Illust. ad 1. cap obscuritatis vitãdæ causa hic non dico quæcunq; super hac re dici possent ad satisfaciendum ijs qui demonstrationibus tãtũ cedunt.

Cùm, ex quo peccavimus, à Deo tanto intervallo distemus, ac τὸ esse nostrum habeamus ut præcipuam partem rerum quibus unimur; aliquo sensu dicere possumus motum amoris quo erga omnia ducimur, non aliunde oriri quam ex philautiâ. Honores amamus quia eorum ope extollimur; divitias, quia nos tutantur, & conservant; parentes, Principem, patriam quia ex ipsorum conservatione pendet tranquillitas nostra. Motus amoris quo nosmet prosequimur ad omnia extenditur quæ aliquam nobiscum habent relationem & unionem; immò hoc ipso ergà nos amoris motû istis rebus unimur; ita ut ens nostrum in omnia, ut ita dicam, entia diffundatur quæ nos ambiunt, prout deprehendimus ratione aut sensû, unionem cum ipsis nobis utilem esse.

Itaque credendum non est philautiam, ex quo peccatum irrepsit, esse duntaxat causam & normam cæterorum amoris generum, sed

potiùs omnes penè amores esse species quasdam philautiæ. Quum enim dicimus hominem novi alicujus objecti amore teneri, novum in illo homine amoris motum produci existimandum non est. Sed potiùs quia cognoscit istud objectum aliquam secum relationem aut unionem habere, ipse se amat in illo objecto & quidem motû amoris ipsi coætaneo. Etenim sine *gratiâ* in homine nihil est præter philautiam. Amor veritatis, justitiæ, Dei ipsius, & cæteri amores in nobis primâ naturæ institutione formati, totidem sunt, ex quo peccavimus, philautiæ victimæ.

Nihilominus dubium non est quin homines sceleratissimi, & barbari, immò idololatræ & Athei cum Deo uniantur amore naturali, cujusque per consequens philautia non est causa. Illi uniuntur veritatis amore, propter justitiam, & virtutem. Probos laudant & existimant; non equidem duntaxat quia non secus ac ipsi homines sunt; sed quia in ijs virtutes deprehendunt quas non possunt quin ament; quia non possunt quin illas mirentur, & amabiles reverâ esse fateantur. Itaque aliud quidem à nobis ipsis diversum amamus. Sed philautia tamen cæteris dominatur amoribus. Homines propter tenuia sua commoda deserunt veritatem, & justitiam: Quòd si contingat ut proprijs viribus suis bona & vitam exponant ad propugnandam innocentiam oppressam, aut propter aliam aliquam legitimam causam, certè id raрò ex alio oritur motivo quàm ex vanitate, vel ut falsâ quadam virtutis specie, cujus magna est apud homines reverentia, sese insigniant. Veritatem & justitiam amant equidem, sed ubi ipsorum commodis non adversantur. Illas possunt amare propter se, non verò adversùs se nam sine *gratia* minimam nequeunt de philautia reportare victoriam.

Multi sunt adhuc alij amores naturales: Principem, patriam, parentes, eos quorum indoles nostræ conformis est, quibus eadem sunt consilia, & eadem negotia, naturâ amamus. Verùm omnes isti amores maximè debiles sunt, non secus ac amor veritatis, & justitiæ: & philautia cum sit omnium amorum violentissimus, cæteros facili negotio superat.

Corpora quæ sese invicem pulsant tantùm de motû suo deperdunt quantùm corporibus obvijs communicant; ac tandem ubi multa alia agitarunt corpora, possunt totum suum amittere motum. De philautiâ res secus se habet. Cæteros amores determinat impressione quàm ipsis communicat; Verùm ipsius motus non minuitur: novas contra vires novis victorijs sibi comparat; ac quia ipsius motus ex hominis corde non egreditur ipsum non amittit, quamvis perpetuò communicet.

Philautia est igitur amor dominans & universalis; cum ubique occurrat, & dominetur. Itaque cum cæteri omnes affectus nullum alium habeant motum præter philautiæ motum; dicere meritò possu-

mus philautiam omnium esse vehementissimum, & latissimè patere. Nam quemadmodum omnes virtutes nihil aliud sunt præter species quasdam primæ illius virtutis quæ dicitur charitas, ut à D. Augustino demonstratum est; pariter omnia vitia omnesque affectus nihil aliud sunt quàm emanationes seu species quædam philautiæ, aut vitij istius generalis quod dicitur concupiscentia.

In Ethicâ virtutes, aut diversæ charitatis species per objectorum diversitatem sæpè distinguuntur. Sed hoc pacto vera sæpe confunditur virtutis idea, quæ à motivo potiùs pendet quàm ab omni alia re. Hanc igitur methodum circa affectus non sequemur. Illos per objecta hic non distinguemus, quia idem objectum omnes affectus potest excitare, cùm è contra decies mille objecta unum eundemque possint duntaxat excitare affectum. Quamvis enim objecta in se reverâ differant, semper tamen non differunt relatè ad nos, nec in nobis diversos excitant affectûs. *Marescalli Baculus* promissus, exempli gratiâ, differt à *Pontificali lituo* promisso; attamen hæc duo honoris insignia quamvis diversa, eundem prope in ambitiosis excitant affectum, quia eandem boni ideam in mente excitant. Sed *Marescalli Baculus* promissus, concessus, actû traditus, posteà ademtus, affectûs inter se planè diversos excitat, quia in mente diversas boni producit ideas.

Affectus igitur non sunt multiplicandi pro varijs objectis quæ ipsos gignunt: Sed totidem sunt admittendi quot sunt ideæ adventitiæ quæ principalem boni aut mali ideam comitantur, & in illa memorabilem relatè ad nos pariunt mutationem. Namque, idea generalis boni, aut sensatio voluptatis, quæ illam degustanti bonum est, mentem & spiritûs animales agitans, generalem amoris affectum producit: & ideæ adventitiæ istius boni agitationem mentis generalem & cursum spirituum animalium modo quodam speciali ita determinant, ut mens & corpus in statû constituantur consentaneo relatè ad bonum perceptum, & omnes affectus speciales producant.

Itaque idea generalis boni amorem indeterminatum, qui nihil aliud est præter philautiæ extensionem, gignit.

Idea boni quod possidemus actû, amorem gaudij parit.

Idea boni quod non possidemus, sed speramus tamen nos aliquando possessuros, hoc est quod existimamus à nobis posse possideri, amorem desiderij excitat.

Denique idea boni, quod nec possidemus, nec possidere speramus; seu quod idem est, idea boni cujus possessionem non speramus, nisi per jacturam alicujus alius boni, vel quod possessum conservare nequimus, amorem tristitiæ producit. Hi sunt tres affectus simplices, aut primarij, qui bonum habent pro objecto; nam spes quæ efficit gaudium, non est commotio mentis, sed simplex judicium.

Sed obſervandum eſt hominesens ſuum, ſeu eſſe ſuum in ſeipſis non terminare, illudque ad omnia quorum unionem ſecum ducunt utilem, extendere. Itaque bonum aliquo modo poſſidere exiſtimandi ſunt, cùm illo ipſorum amici potiuntur, quamvis illud ipſi immediatè non poſſideant. Quum igitur dico ex boni poſſeſſione gaudium oriri, id non duntaxat intelligo de poſſeſſione aut unione immediatâ ſed de qualibet aliâ; quippe ſic à naturâ ſumus comparati ut gaudium ſentiamus, ubi aliquid proſperecedit amicis.

Malum, ut jam dictum eſt, triplici modo accipi poteſt, vel pro privatione boni, vel pro dolore, vel denique pro ipsâ re quæ privationem boni efficit, aut dolorem producit.

Primo ſenſu, cùm idea mali eadem ſit ac idea boni quod non poſſidemus, hanc ideam triſtitiam aut deſiderium vel etiam gaudium parere evidens eſt: nam gaudium ſemper excitatur ubi ſentimus nos privatione boni privari, hoc eſt, ubi bonum poſſidemus. Adeò ut affectûs circa malum, hoc ſenſu acceptum, iidem ſint ac affectûs circa bonum orti, quia reapſe bonum etiam habent pro objecto.

Si verò per malum intelligatur dolor, qui ſolus ſemper eſt malum reale dolorem patienti, tempore quo illo, actû, afficitur: tum ſenſus iſtius mali, affectus triſtitiæ, deſiderij, & gaudij, qui ſpecies quædam ſunt odij ſeu averſationis, non verò amoris, producit. Nam ipſorum motus planè contrarius eſt motui qui boni perceptionem comitari ſolet; cùm iſte motus nihil aliud ſit quàm oppoſitio mentis reſiſtentis impreſſioni naturali.

Actualis ſenſus doloris triſtitiæ odium parit. Dolor quem non patimur, ſed pati metuimus deſiderij odium gignit.

Denique dolor, quem nec patimur, nec pati timemus; vel quod idem eſt, quem pati ſine ingenti aliquâ mercede non metuimus, ſeu dolor quo nos ſentimus liberatos, odium gaudij producit. Hi ſunt tres affectus ſimplices aut primarij qui malum habent pro objecto; namque metus ex quo oritur triſtitia non eſt commotio mentis, ſed ſimplex judicium.

Tandem, ſi per malum intelligatur res per quam bono privamur, aut dolorem patimur, idea mali producit in nobis motum amoris & odij ſimul, vel ſimpliciter motum amoris. Idea mali producit motum amoris & odij ſeu averſationis ſimul, ubi malum eſt illud cujus ope bono privamur: eodem enim motû tendimus verſus bonum, & ab eo recedimus quod illius poſſeſſionem à nobis arcere poſſet. At verò illa idea motum averſationis duntaxat gignit, ubi de malo agitur quo dolorem patimur, quia eodem odij motu & dolorem odimus, & illum per quem patimur dolorem.

Itaque tres ſunt affectus ſimplices, ſeu primarij ad bonum ſpectantes, totidem verò ad dolorem, aut ad eum qui doloris cauſa eſt;

Nempe gaudium, desiderium, & tristitia. Gaudio enim afficimur, ubi bonum præsens adest, vel ubi malum præterjit; tristitiam sentimus, ubi bonum præterjit, malum verò præsens est,& desiderio movemur, ubi bonum & malum futura sunt.

Affectus ad bonum spectantes sunt speciales determinationes motûs quem Deus nobis indit erga bonum in genere: atque hanc ob causam ipsorum objectum reale est; cæteri verò affectus quorum motûs Deus non est causa, pro termino duntaxat habent τὸ nihil.

CAPVT X.

De affectibus speciatim, & in genere de ratione illos explicandi, & agnoscendi errores ex iis oriundos.

SI quâ ratione affectûs oriantur animadvertamus, ipsorum numerum determinari non posse, nec ad omnes exprimendos verba nobis sufficere, manifestò patebit. Affectuum varietas non modò ex variâ trium primariorum combinatione oritur, nam hoc pacto pauci admodum essent, verùm illorum differentia oritur etiam ex varijs perceptionibus, diversisque judicijs quæ ipsos gignunt aut comitantur. Diversa istæc judicia quæ mens fert circa bona & mala, diversos in spiritibus animalibus motûs edunt, ad ritè disponendum corpus relatè ad objectum; ac proinde in mente sensationes excitant inter se non prorsùs similes: unde fit ut, diversitas deprehendatur in quibusdam affectibus, quorum commotiones non sunt diversæ.

Cùm tamen commotio mentis inter ea quæ in singulis affectibus deprehendi solent præcipuum obtineat locum; ad tres primarios affectûs in quibus istæ commotiones admodùm diversæ sunt, cæteros omnes referre multò satiùs est, quàm de illis confusè & absque ordine agere, relatè ad varias perceptiones quas de bonis aut de malis ex quibus illi oriuntur affectus, habere possumus. Tot enim varias habere possumus objectorum perceptiones, relatè ad tempora, ad nosmet ipsos, ad ea quæ nobis attinent, ad res & ad homines quibus aut naturâ aut liberâ voluntatis optione unimur, ut accuratè enumerari nequeant.

Ubi mens bonum quo frui potest, percipit, illud sperare forsan dici potest, quamvis illud non cupiat; at ipsius spem non esse affectum seu passionem, sed simplex judicium, evidenter patet. Itaque commotio quæ comitatur ideam boni, cujus possessionem possibilem esse judicamus efficit ut spes sit verus affectus. Ubi spes in securitatem convertitur res eodem se habet modo. Illa securitas non est affectus

nisi propter commotionem gaudij, quæ tum conjungitur cum commotione desiderij: namque judicium mentis considerantis bonum aliquod sibi certò adventurum, non est affectus nisi quia prægustatione (venia sit verbo) boni agitamur. Denique ubi spes minuitur desperatio verò ipsi succedit, hanc desperationem non esse affectum, nisi propter tristitiæ commotionem, quæ cum desiderij commotione conjungitur, manifestum est: namque judicium mentis considerantis bonum aliquod sibi nunquam adventurum, non est affectus, nisi isto judicio agitemur.

Quia verò mens nullum unquàm bonum aut malum sine aliquâ commotione, immò sine aliquâ in corpore immutatione, considerat, judicio affectum producenti sæpè tribuitur nomen affectûs ipsius; quia quod in mente & in corpore agitur ad conspectum alicujus boni, aut alicujus mali semper confundimus. Namque, istis terminis, spe, metû, audaciâ, pudore, irâ, commiseratione, derisione, mœrore, uno verbo nominibus singulorum affectuum uti solemus ut formulis quibusdam loquendi compendiosis, quibus quicquid in affectibus agitur, explicamus.

Per hanc vocem (*affectus, seu passio*) intelligimus perceptionem relationis quam res quæpiam habet nobiscum, commotionem & sensationem mentis, agitationem cerebri & motum spirituum; novam commotionem & novam sensationem mentis, ac denique novum suavitatis sensum qui passiones comitari solet, illasque efficit jucundas: hæc omnia per passionem intelligi solent. Quandoque verò per nomen alicujus passionis duntaxat intelligitur, vel judicium quod illam passionem excitat, vel sola mentis commotio, vel solus spirituum & sanguinis motus, vel denique aliquid aliud quod mentis commotionem comitatur.

Veritatis cognitioni utilissimum est abbreviare ideas, & terminos quibus ideæ exprimuntur. Id tamen sæpè erroris causa est, præcipuè cùm usû vulgari istæ ideæ abbreviantur. Ideæ enim nunquam sunt abbreviandæ, nisi postquam ingenti mentis attentione clarissimæ & distinctissimæ factæ sunt; non verò, ut fieri solet circa affectûs, & omnia sensibilia, postquam sensationibus, & solâ fallaci imaginationis actione, nobis familiares redditæ sunt.

Ideæ puræ intellectûs, & sensationes seu commotiones mentis multùm inter se differunt. Ideæ puræ sunt claræ & distinctæ, sed nonnisi difficulter familiares redduntur. Vice verò versâ sensationes & commotiones mentis sunt per quàm familiares at clarè & distinctè cognosci nequeunt. Numeri, extensio, illorumque proprietates clarè quidem cognoscuntur, sed nisi quibusdam characteribus sensibilia facta fuerint, illa sibi repræsentare difficile est; quicquid enim abstractum est nos non afficit. Contrà sensationes & commotiones mentis sese facile nobis offerunt, quamvis illas confusè, &

in

inadæquatè tantùm cognoſcamus, ac omnes quibus exprimuntur termini mentem vividè tangunt & attentam reddunt. Hinc fit ut orationes prorſus obſcuras, & incomprehenſibiles clariſsimè nos intelligere ſæpè arbitremur: Atque ubi quaſdam affectuum & motuum mentis deſcriptiones legimus, illas à nobis clariſſimè intelligi putamus, quia ijs vividè afficimur, omnibuſque terminis quibus oculi feriuntur, mens pariter agitatur. Statim atque terminos pudoris, deſperationis, impudentiæ, &c. proferri audimus, quædam cõfuſa idea, & ſenſatio obſcura in mente noſtrâ excitatur quâ vehementer afficimur; quia verò ejuſmodi ſenſatio nobis eſt valdè familiaris, ac nullo negotio nobis offertur, credimus illam eſſe clariſſimam & diſtinctiſſimam. Hi tamen termini ſunt nomina affectuum complexorum, ac ideò ſunt termini compendioſi multarum idearum uſû vulgari contractarum.

Quia terminis uſû probatis uti tenemur nemini mirum eſſe debet ſi in ijs quæ à nobis dicuntur quædam deprehendatur obſcuritas, immò contradictionis ſpecies. Ac ſi lectores animadvertere velint ſenſationes & commotiones mentis, quæ reſpondent terminis noſtris, eaſdem planè non eſſe in omnibus hominibus, propter varias mentis diſpoſitiones; nos non damnabunt quotieſcunque noſtræ opiniones ipſis non ſatis probabuntur. Cæterùm hæc non tam dico ut objectiones nonnullas declinem, quàm ut affectuum naturam doceam, & quid de tractatibus qui circa hanc materiam componuntur cogitandum ſit.

His in anteceſſum poſitis; jam, nî fallor, dicere poſſum omnes affectus poſſe referri ad tres primarios, nempe, ad deſiderium, gaudium, & triſtitiam; ac affectus qui ad eundem primarium referuntur, inter ſe præcipuè differre, per varia judicia quæ mens fert de bonis & malis.

Poſſum etiam dicere, ſpem, metum, & indeterminationem ſeu ſuſpenſionem quæ inter hæc duo medium occupat; eſſe deſiderij ſpecies: Audaciam, fortitudinem, æmulationem, &c. ad ſpem magis referri quàm ad cæteros affectus: & pavorem, ſocordiam, invidiam, &c. eſſe metûs ſpecies.

Prætereà dicere poſſum alacritatem, & gloriam, favorem, & gratitudinem eſſe ſpecies quaſdam gaudij nati ex perceptione boni quod deprehendimus in nobis, vel in ijs quibus unimur; ſicut riſus & irriſio eſt ſpecies quædam gaudij quod in nobis excitari ſolet, ex perceptione mali quod accidit inimicis noſtris. Denique faſtidium, tædium, mœrorem, commiſerationem & indignationem eſſe ſpecies quaſdam triſtitiæ ortæ ex perceptione alicujus rei nobis non arridentis.

Verùm præter hos affectus & plurimos alios quos hìc non recenſeo, qui ſpeciatim ad aliquem ex affectibus primitivis referuntur, *Plures ſunt* *affectus qui*

termini quibus possint exprimi.

multi adhuc alij sunt quorum commotio æqualiter ferè constat vel ex affectibus desiderij & gaudij, ut sunt impudentia, ira, & vindicta; vel ex affectibus desiderij, & tristitiæ; ut pudor, mœror, indignatio; vel ex tribus affectibus primarijs simul, quum gaudij & tristitiæ motiva simul juncta occurrunt: sed quamvis hi postremi affectus careant nominibus specialibus; sunt tamen omnium maximè ordinarij: Quia dum in hisce terris degimus, nullum ferè unquam bonum gustamus, quin aliquid mali ipsi sit admixtum; nec ullum penè unquam patimur malum, quin ab eo liberationem & alicujus boni possessionem speremus. Quamvis autem gaudium tristitiæ sit planè contrarium, illam tamen admittit; immò gaudium & tristitia simul occupant capacitatem quam mens habet volendi, uti visus boni & mali simul etiam occupant capacitatem quam mens habet percipiendi.

Omnes igitur affectus sunt species quædam desiderij, gaudij, & tristitiæ. Ac præcipuum discrimen quod interest inter affectus ejusdem speciei, oritur ex varijs perceptionibus, aut ex varijs judiciis quæ illos affectus excitant, aut comitantur. Qui itaque in affectuum cognitione periti evadere, & illos accuratè enumerare cupiunt, necessariò investigare debent varia judicia quæ circa bona & mala ferri possunt. Quia verò errorum nostrorum causas hîc præcipuè inquirimus, judicia quæ affectus antecedere & gignere solent non tam nobis sunt examinanda, quàm judicia quæ illos sequuntur, quæque mens format de rebus ubi aliquo affectû agitatur; hæc enim postrema judicia errori sunt potissimum obnoxia.

Judicia quæ affectus præcedunt & gignunt penè semper falsa sunt in aliqua re: quia penè semper nituntur perceptionibus mentis quatenùs considerat objecta relatè ad se ipsam; non vero prout sunt in se. Sed judicia quæ sequuntur affectus, sunt falsa omnibus modis. Nam judicia quæ à solis formantur affectibus, duntaxat nituntur perceptionibus quas mens habet de objectis relatè ad seipsam, vel potius relatè ad commotionem suam.

In judicijs quæ præcedunt affectus; verum & falsum simul conjunguntur: ubi verò mens agitatur, & juxta affectûs inspirationem judicat, verum evanescit, falsumque conservatur, unde eò plures falsæ eliciuntur conclusiones quò affectus vehementior est.

Omnes affectus sese excusant: menti indesinenter repræsentant objectum quo agitatur, modo aptissimo ad conservandam & augendam ipsius agitationem. Judicium seu perceptio unde oritur affectus cum ipso crescit, & affectus eò magis augetur quò judicium unde natus est magis corroboratur. Falsa judicia, & affectus mutuæ suæ conservationi perpetuò consulunt. Si itaque cor nunquam desineret spiritus suppeditare idoneos ad fovenda vestigia cerebri, & ad fovendam distributionem eorundem spirituum, quæ duo necessaria sunt ad conservandum sensum & commotionem mentis quæ cum af-

fectibus conjungi solent; affectus perpetuò augerentur, erroresque nostros nunquam cognosceremus. Sed cùm omnes affectus pendeant à sanguinis fermentatione & circulatione, cor verò non possit semper administrare spiritus aptos ad illarum conservationem, necesse est ut affectus desinant, ubi spiritus minuuntur sanguisque refrigescit.

Quamvis admodum facile sit judicia quæ ab affectibus ferri solent cognoscere, illa tamen cognitio non est negligenda. Ejusmodi cura inter cæteras maximè digna est viris qui veritatem investigant, corporis jugum excutere conantur, & de rebus juxta veras earum ideas judicare volunt.

Istam autem cognitionem bifariam possumus assequi: Vel ratione purâ, vel sensû interno quem de nobis habemus, ubi aliquo agitamur affectu. Exempli gratiâ, propriâ experientiâ nobis constat nos ad id ferri ut de ijs quos non amamus malè judicemus; ita ut totam, si fas sit ita loqui, odij nostri malignitatem in objectum exosum aspergamus. Pura etiam ratione cognoscimus, cùm nihil possimus odisse nisi id quod malum est, necesse esse, quò odium conservari possit, ut mens sibi repræsentet objectum secundùm partem pessimam. Etenim sufficit nos supponere omnes affectus sese excusare, imaginationemque, ac deinde mentem inflectere modo apto ad conservandam agitationem suam, ut concludamus ad quænam judicia, affectuum inspiratione, ferenda impellamur.

Qui pollent imaginatione forti & vividâ, sensibusque sunt maximè addicti, & affectuum motibus sæpè percelluntur, hæc optimè cognoscunt utpote qui sint conscij, eorum quæ in ipsis aguntur, ac de ijs sæpè elegantiùs & penitiùs loquuntur, quàm ij qui majori pollent ratione quàm imaginatione. Arbitrandum enim non est eos qui philautiæ strophas maximâ retegunt industriâ, quique intimos cordis recessus maximâ dexteritate rimantur & aperiunt, semper esse omnium peritissimos. Id equidem sæpè arguit, ipsos esse ingenio vivaci, imaginatione egregiâ, & cæteris maligniores.

At verò qui non consultâ conscientiâ, seu sensû interno, ratione solâ utuntur ad disquirendam affectuum naturam, quidque producere possint, quamvis non sint ita perspicaces, cæteros tamen judicio antecellunt, ac errori minùs obnoxij sunt. Nam judicant de rebus ut in se sunt. Vident quid ij qui aliquo affectû perculsi sunt factitare valeant, prout magis vel minus agitantur. Nec de ijs quæ alij facerent vel non facerent in ijsdem occasionibus temerariè judicant, per ea quæ ipsi facerent, si in his versarentur occasionibus; quia norunt omnes homines ijsdem æqualiter non affici, nec commotionibus involuntarijs æqualiter agitari. Itaque consulendæ non sunt sensationes quas affectus in nobis excitant, sed consulenda est ratio, ut peritè loqui possimus de judicijs quæ comitantur affectus; ne, dum naturam affectuum in genere patefacere intendimus, nosmetipsos cognoscendos præbeamus.

CAPUT XI.

Omnes affectus sese excusare : & de judiciis in quæ nos conjiciunt ad suî excusationem seu justificationem.

LOngâ verborum serie non opus est, ad demonstrandum omnes affectus sese excusare. Id ex conscientiâ seu ex sensû interno quem de nobis habemus & ex eorum qui aliquo agitantur animi motû agendi ratione, evidenter satis patet. Istud igitur principium duntaxat exponemus, ut nobis inposterum ab illo caveamus. Mens imaginationi ita mancipata est ut ipsi statim atque incaluit, obsequatur. Ipsi furenti quicquam non audet reponere; quia si resistat malè mulctatur, cùm è contra mercedem aliquam semper consequatur ubi imaginationis imperio obtemperavit. Immò ijs quorum imaginatio ita inordinata est, ut sese in bruta transformatos putent, non desunt rationes quibus ipsis probetur se brutorum ad instar agere debere, quatuor pedibus incedere, herbis Sylvestribus vesci, &c. Plerosque homines juvat vivere juxta affectuum impressiones; ubi ijs resistunt aliquâ pœnâ intùs puniuntur; atque id sufficit ut ratio quæ voluptati ut plurimum obsequitur, utatur ratiocinijs idoneis ad tutandam affectuum causam.

Cùm igitur constet affectus sese excusare, constat pariter desiderium eò nos ferre debere per se, ut in bonam partem judicemus de ipsius objecto, si sit desiderium amoris; in malam verò, si sit desiderium odij, seu aversationis. Desiderium amoris est motus mentis excitatus à spiritibus, qui illam ad id disponunt ut ijs quæ penes ipsam non sunt frui, aut uti velit: namque si etiam desideremus continuationem fruitionis nostræ, id fit quia futura non sunt penes nos. Necesse igitur est ad desiderij excusationem, ut objectum ex quo nascitur judicetur bonum per se, aut relatè ad aliquod aliud objectum: ac judicium contrarium ferendum est de desiderio aversationis.

Haud equidem possumus judicare rem quampiam in se esse bonam vel malam, nisi aliqua id credendi nobis suppetat ratio: Sed nullum est objectum affectuum nostrorum quod non sit bonum aliquo sensû. Et quamvis dicere possimus quædam esse quæ nihil boni in se includant, ac per consequens ut bona à mente purâ judicari nequeant, dicere tamen nequimus illa non posse gustari ut bona, quandoquidem supponamus nos ab illis agitari; jam autem gustus aut sensus sufficit ut mens feratur ad judicandum de objecto in bonam partem.

Si tam facilè judicemus ignem continere in se calorem quem sentimus, & panem saporem quem gustamus, propter sensationem istorum corporum occasione in nobis excitatam, quamvis id mentem omninò fugiat; cùm mens non possit capere calorem, & saporem, esse modificationes corporum; certè si id ita se habeat, nullum est affectuum nostrorum objectum, ut ut vile, & aspernandum, quod ta-

men bonum non judicemus ubi ex ipſius poſſeſſione voluptatem percipimus. Quemadmodùm enim putamus calorem ex igne oriri, ad ipſius præſentiam; ſic perperam credimus objecta affectuum parere voluptatem quam guſtamus, ubi illis objectis fruimur; ac illa eſſe bona, cùm nobis bonum conferre valeant. De affectibus quorum objectum malum eſt, idem eſto judicium.

Verum ut modò dictum eſt, nihil eſt quod per ſe aut per aliquid, ad quod referatur, non ſit dignum amore vel odio; ac ubi affectû aliquo movemur, nullo negotio deprehendimus in ipſius objecto bonum & malum quod ipſi favet aut adverſatur. Itaque ratione facillimè cognoſci poteſt, quænam judicia affectus quibus agitamur forment in nobis.

Si enim amoris deſiderio agitamur, colligere facile eſt, illud deſiderium ad ſui juſtificationem allaturum eſſe bona quæ in objecto judicaverit ineſſe. Illa autem judicia de objecto eò latiùs patebunt, quò deſiderium violentius erit; ac ſæpè plena & abſoluta erunt licèt objectum per unicam tantùm partem eamque minimam, bonum videatur. Iſtæc judicia favorabilia, ut ita loquar, ad ea omnia quæ aliquam cum objecto affectûs habebunt relationem, aut ſaltem habere videbuntur, extenſum iri, facili negotio concipi poteſt; idque eò magis eveniet quò affectus erit vehementior, & imaginatio latiùs patebit. At verò ſi deſiderio odij, ſeu averſationis agitamur, effectum erit planè contrarium, ob rationes captû æquè faciles. Id experientiâ ſatis comprobatur, & in eo experientia equidem cum ratione apprimè conſonat. Sed haſce veritates exemplis illuſtremus.

Omnes homines ſcientiæ deſiderio naturâ tenentur; omnis enim mens ad veritatem poſſidendam eſt comparata: ſed philomathia ſeu deſiderium ſcientiæ, quanquam per ſe juſtum ſit, ſæpè tamen maximè vitioſum ſit propter falſa quæ ipſi adjunguntur judicia. Curioſitas menti ſæpè offert vana objecta meditanda; his objectis falſas magnitudinis ideas ſæpenumerò alligat: Illa fallaci novitatis ſplendore extollit; ac denique tantis circumcincta illecebris obducit; ut ab ijs nimiâ cum voluptate & attentione contemplandis vix poſſis temperare.

Nullæ ſunt nugæ quibus quædam ingenia penitùs non occupentur; ac iſta ipſorum occupatio falſis in quæ à variâ curioſitate conjiciuntur judicijs legitima ipſis ſemper videtur: Qui terminos & vocum apices magnâ curioſitate rimantur in illorum cognitione omnes ſcientias ſitas eſſe, innumeris, quas ingenioſè fingunt, rationibus ſibi perſuadent; inter quas, veneratio quam ipſis homines nonnulli termino obſcuro & incognito ſtupefacti, teſtantur, ultimum non occupat locum, quanquam omnium ſit abſurdiſſima.

Nonnulli ſunt homines qui in id, ut artem loquendi ſibi comparent, per totam vitam ſtudent, qui meliùs facerent ſi per totam vitam ſilerent; eum enim ſilere debere manifeſtum eſt cui nihil eſt quod

dicat: Sed quid facias? Illi artem loquendi non addiſcunt ut ſileant. At ſciant illi ſe nunquam rectè eſſe loquuturos quin priùs rectè cogitent; in id incumbendum eſſe ut ingenium fiat accuratum & rectum; Verum à falſo ſedulò eſſe diſcernendum; ideas claras ab obſcuris ſejungendas; ac ea quæ à mente, ab ijs quæ ab imaginatione procedunt eſſe dignoſcenda. Ij inter egregia & exquiſita ingenia ſeſe annumerant; quia juſtis periodorum numeris aurem titillare, figuris, & motibus jucundis affectus palpare, vivis & ſenſibilibus loquendi formulis imaginationem recreare norunt, quamvis mentem ideis vacuam ſine lumine & intelligentiâ relinquant.

Perpetuum linguæ vernaculæ ſtudium equidem aliquâ, veriſimili ſaltem, ratione nititur, quia illâ per totam vitam utendum nobis eſt, & nonnullis hoc deſiderio agitatis hæc ratio excuſationi eſſe poteſt; at verò non video quo pacto ij ſeſe poſſint excuſare qui omnes linguas indiſcriminatim addiſcendi deſiderio tenentur. Illorum affectus qui Bibliothecam ſibi conflant ex quibuſlibet dictionarijs poteſt excuſari, non ſecus ac illorũ curioſitas qui omnium regionum & temporum numiſmata apud ſe habere ambiunt. Id ipſis aliquando poteſt eſſe utile. Ac ſi ex eo ad ipſos magnus non redeat fructus, ſaltem nihil affert incommodi. Curioſitatum gazam, ut ita loquar, habent quæ ipſis non eſt impedimento; ſecum enim libros, & numiſmata non gerunt. Verùm quo pacto excuſabitur illorum affectus qui memoriam tot vocabulis ſæpè onerant, ut ipſorum caput fiat Bibliotheca quædam dictionariorum? Propria negotia & officia eſſentialia omittunt, & obliviſcuntur, ut voces prorsùs inutiles retineant; linguam vernaculam nonniſi hæſitando loquuntur; terminos aut incognitos aut barbaros in colloquijs interſerunt. Vulgati commercij monetâ nunquam utuntur. Denique ipſorum ratio feliciùs non dirigitur quam lingua. Omnes enim memoriæ receſſus etymologijs ita referti ſunt, ut mens numero vocum propè innumerabili veluti ſuffocata ſit.

Ineptum tamen illud Philologorum deſiderium non caret rationibus quas præ ſe ferat. Quò pacto id fiat? ſi quæras. Audi quæſo judicia quæ falſi iſti docti de linguis ferre ſolent. Vel ſuppone nonnulla axiomata apud ipſos indubitata, & ex ijs conſequentias eliciendas deducito. Suppone, exempli gratiâ, homines qui multas callent linguas, toties eſſe homines quot linguas exoticas loqui poſſunt; quandoquidem homines à brutis loquelâ diſtinguantur. Suppone ignorantiam linguarum eſſe cauſam ignorantiæ in qua verſamur circa res innumeras, quandoquidem veteres Philoſophi, & extranei nobis ſunt doctiores; Suppone, inquam, ejuſmodi principia, ac deinde concludito. Certè ſi ex his principijs rectè concludas, judicia formabis ad id idonea ut te ſubeat deſiderium callendi linguas; atque hæc ſunt judicia quorum ope Philologi ejuſmodi ſtudiorum defendunt utilitatem.

Quælibet ſcientiæ quantumvis aſpernabiles aliquâ tamen ſui

parte imaginationi affulgent, ac mentem, affectû colores ijs adspergente, perstringunt. Equidem splendor ille minuitur, statim atque spiritus & sanguis sedantur, ac veritatis lumen sese conspiciendum præbet: Verùm istud lumen pariter evanescit, ubi imaginatio denuò incalescit; ac tum rationes illas quibus affectus noster impugnari ceperat, per transennam tantùm videmus.

Cæterùm ubi affectus quô agitamur, se ad interitum vergentem sentit, ipsum ante actæ viæ non pœnitet: quin omnia ad id disponit, ut vel cum honore pereat, vel citò reviviscere possit; hoc est, mentem ad id semper disponit ut judicia formet quibus possit defendi. Tunc etiam quandam veluti societatem cum cæteris affectibus init, ut ipsi opitulentur, spiritus & sanguinem sufficiant, atque hoc pacto veluti ex cineribus denuò suscitetur. Affectus enim sibi mutuò auxiliantur. Qui in eodem subjecto unà possunt subsistere opem mutuam sibi fideliter ferunt. Itaque judicia linguarum, aut alîus cujuslibet rei desiderio faventia indesinenter sollicitantur, & planè confirmantur ab omnibus affectibus isti desiderio non contrarijs.

Eruditus ψευδωνυμὸς, seipsum modò stipatum auditoribus venerabundis; modò victorem eorum quos terminis inusitatis & ἀκαταλήπτοις prostravit, ac penè semper supra vulgus hominum longè eminentem imaginationi suæ repræsentat. Laudibus quæ ipsi tribuuntur blandè palpatur. Commodorum sibi propositorum spe sese lactat: ac Sectatorum assiduitate gloriatur: Per omnia sæcula, omnesque regiones perpetuò maximâ cum voluptate diffunditur: in eo mediocribus istis ingenijs qui intra temporis præsentis limites & urbis pomœria circunscribuntur multùm absimilis: Vides igitur quot affectus, ad eum quò erga falsam eruditionem tenetur, accedant, qui omnes simul ad illum affectum defendendum, & ad judicia in ipsius gratiam ferenda enixè contendunt.

Si unusquisque affectus sibi soli consuleret, cæteris neglectis, omnes eodem momento quo excitarentur evanescerent. Ipsis sat falsorum judiciorum non suppeteret ad subsistendum, nec imaginationem rationis lumini semper opponere valerent. Verùm ad affectuum nostrorum mutuam conservationem cuncta mirum in modum sunt ordinata. Sese mutuò corroborant, ac qui inter se sunt maximè dissiti sibi nihilominus mutuam ferunt operam. Ac dummodo aperta inter ipsos non vigeant odia, id sufficit ut omnes inter se accuratissimas Societatis leges observent.

Si affectus desiderij solus existeret, cuncta quæ ab ipso formarentur judicia, eò duntaxat tenderent, ut possessionem boni veluti possibilem repræsentarent; namque desiderium amoris quâ tale est, ab alia non producitur causa quàm à judicio quô judicamus possessionem alicujus boni esse possibilem. Itaque desiderium illud nihil formare posset pręter judicia circa possibilitatem possessionis, cùm judicia quæ

sequuntur, & conservant affectus, prorsus similia sint judicijs quæ ipsos præcedunt, & producunt. Verùm desiderium ab amore animatur; spe corroboratur; gaudio augescit; metû renovatur; ac cum animi fortitudine, ęmulatione, ira, anxietate, & multis alijs affectibus conjungitur, qui invicem judicia infinitè varia ferunt, quę mutuò sibi succedunt, ac desiderium unde orta sunt fovent. Mirum igitur non est desiderium erga rem nihili, vel erga res nobis manifestò inutiles aut etiam noxias, rationi tamen reluctari per multos annos, vel etiam per totam illius qui hoc desiderio agitatur vitam, cùm tot affectus ad ipsius defensionem unà concurrant. Sed paucis explicemus quomodo passiones, seu affectus sese mutuò defendant, res enim semper sunt explicandæ per ideas distinctas.

Quilibet affectus sanguinem & spiritus agitat. Jam verò spiritus agitati visu sensibili objecti, vel vi imaginationis in cerebrum ducuntur, modo ad id idoneo ut vestigia in eo formentur profunda quæ illud objectum repræsentent. Immò quandoque velocitate suâ fibras cerebri flectunt & etiam rumpunt, ita ut imaginatio illa fractione veluti inquinata & corrupta maneat. Hæc enim vestigia rationi non parent, pro ipsius arbitrio non delentur; quin potius ipsi vim inferunt, & ad id illam adigunt, ut indesinenter objecta consideret, ita ut ijs, in gratiam affectuum, agitetur, ac perturbetur. Affectus itaque in imaginationem, imaginatio corrupta in rationem agit, ipsi perpetuò repræsentando res, non ut in se sunt, ut hoc pacto mens posset verum ferre judicium, sed ut sunt relatè ad affectum præsentem, ut ferat judicium quod isti faveat affectui.

Affectus imaginationem & mentem, in sui gratiam & utilitatem non modò corrumpunt, in reliquo prætereà corpore omnes formant dispositiones ad sui conservationem idoneas. Spiritus ab affectibus agitati in cerebro non subsistunt, in cæteras, ut alibi dictum est, corporis partes feruntur. In cor, jecur, lienem, & nervos, qui præcipuas circundant arterias, potissimùm diffunduntur. Denique spiritus illi in omnes quasque partes emittuntur, quæ possunt suppeditare spiritus aptos ad conservationem affectûs dominantis. Jam autem dum isti spiritus per omnes corporis partes ita diffunduntur, quicquid ipsorum cursui resistit paulatim destruunt, & in ijs viam sternunt ita lubricam & rapidam, ut minimo objecto summoperè agitemur, & feramur ad formanda judicia affectibus faventia. Atque sic affectus sese mutuò stabiliunt & defendunt.

Jam si attendamus quænam possit esse fibrarum cerebri constitutio, agitatio & abundantia spirituum & sanguinis in diversis sexibus & ætatibus; non magno negotio subolfaciemus quibusnam affectibus nonnulli sint addicti, ac proinde quænam de objectis ferre soleant judicia. Atque ut id exemplo comprobem; juxta copiam vel inopiam spirituum quæ in nonnullis deprehendentur, cognoscere poteri-

rimus aliquatenus saltem, multos de eadem re tibi æqualiter proposita & explicata formaturos esse judicia spei, & gaudij, dum alij de ipsâ formabunt judicia timoris, & tristitiæ.

Ijs enim quibus magna suppetit sanguinis & spirituum copia, ut usû venit in juvenibus, sanguineis, biliosis, cùm spem facile concipiant, propter secretam quam habent virium suarum cognitionem, credunt nullum fore suis consilijs obstaculum quod facilè non superent, bonum cujus sperant possessionem veluti prægustabunt, & quælibet judicia ad fovendum & justificandum spem, & gaudium formabunt: alij verò quibus spiritus agitati desunt, ut senes, melancholici, & Phlegmatici, cùm ad metum & tristitiam ferantur, quia animo, utpote spiritibus ad exequenda mandata aptis destituto, diffidunt, judicia planè contraria ferent; difficultates insuperabiles ubique imaginabuntur, ut metum suum excusent, atque invidiæ, mœrori, desperationi & quibusdam odij speciebus quibus infirmi potissimùm obnoxij sunt, sese permittent.

CAPUT XII.

Affectûs, seu passiones quibus malum est pro objecto, esse maximè periculosas & injustas; easque quæ cum minimâ conjunguntur cognitione, esse omnium vividissimas, & maximè sensibiles.

Inter affectûs qui judicia ferunt à ratione maximè dissita, quique ideo periculosissimi sunt, omnes odij, seu aversationis species recenseri debent. Nulli sunt affectus qui rationem æquè corrumpant ac odium, & metus; odium præcipuè quidem in biliosis & in ijs quorum spiritus perpetuò agitantur; metus verò in melancholicis, vel in ijs quorum spiritus crassi, & solidi, nec facilè agitantur, nec semel agitati facilè sedantur. At verò ubi odium & metus unà conspirant ad rationem corrumpendam, quod valdè frequens est, tum quęvis judicia, quantumvis injusta & alogá formare & acerrimè defendere valemus.

Atque hujusce rei hęc est ratio. Hujus, scilicet, vitæ mala, mentem nostram longè vividiùs afficiunt quàm bona; Doloris sensus vividior est sensu voluptatis. Injurijs & opprobrijs multò magis lædimur quàm laudibus & applausû delectamur. Et quamvis nonnulli reperiantur qui voluptates quasdam, & honores susque deque habeant, admodùm tamen pauci sunt qui dolorem, & contemtum ægrè non ferant.

Itaque odium, metus, aliæque aversationis species, quibus malum est pro objecto, sunt passiones violentissimæ. Animum de improviso ita concutiunt ut illum stupefaciant & permoveant. Intima mentis adyta brevi subeunt, ac ratione è sede suâ deturbatâ, judicia falsa & iniqua de rebus quibuslibet ferunt, ut suam defendant ineptiam & tyrannidem.

Illi affectus omnium sunt crudelissimi & suspicacissimi, charitati, & societati civili maximè repugnantes, & eodem tempore absurdissimi; judicia enim adeò inepta & ἀσυνάρτητα formant, ut omnium indignationem & risum in se moveant.

Joan c. 11. 47. Hisce affectibus moti in hæc insulsa erumpebant verba Pharisæi. *Quid agimus? ille multa edit miracula. Si illum sinamus pergere, omnes in ipsum credent. Romani venient urbemq; & gentem nostram diruent.* Jesum Christum multa facere miracula equidem fatebantur; Lazari resurrectio erat extra omnem dubitationis aleam. Quænam judicia ipsis suggerebant affectus? Jesum nempe interficere, & Lazarum quem suscitaverat. Sed quibus de causis Jesum interficere? Quia, *si sinamus ipsum pergere, omnes credent in eum; Romani venient, urbemque & gentem nostram diruent.* Cur verò Lazarum interimere? *Quia multi ab iis secedebant propter ipsum, & credebant in Jesum.* Judicia simul crudelia & absurda! crudelia odio, & absurda metû: *Romani venient & diruent urbem, gentemque.*

Joan c. 12. 11

Iisdem affectibus motum fuit synedrium illud in quo adstabant Annas Summus Pontifex, Caiaphas, Johannes, Alexander, & qui erant ex stirpe Sacerdotali, dum hæc dixerunt. *Quid hisce hominibus faciemus? miraculum enim ediderunt toti civitati notum, illud non possumus negare; Verum ne id amplius divulgetur, additis minis ipsis interdicamus amplius docere in nomine Christi.*

Act. 4.

Viri alioqui cordati judicium ferunt injustum & absurdum simul, quia nempe affectibus agitantur, & falso zelo occæcantur. De Apostolis pœnas sumere non audent propter populum, & quia homo miraculosè sanatus jam erat quadragenarius & supra, ac cœtui intererat; Verùm ipsis minantur ne doceant in nomine Jesu. Doctrinam damnandi sibi necessitatem incumbere credunt, quia ipsius authorem interfecerunt. *Vultis*, ajebant ad Apostolos, *istius hominis sanguinem super nos inducere.*

Act. 5.

Ubi falsus zelus cum odio conjungitur, illud adversùs rationis objurgationes munit, illudq; ita legitimũ repræsentat ut ipsius motibus non cedere piaculum videatur. Et quum ignorantia & infirmitas metum comitantur, illum ad innumeras res extendunt, illiusq; commotiones ita corroborant, ut minima suspicio rationem perstringat & perturbet.

Qui falso ducuntur zelo de Deo se benè mereri credunt, ubi affectibus suis obtemperant. Secretas odij sui inspirationes cœco impetu sequuntur, veluti inspirationes veritatis internæ: ac sensationes quæ ipsorum violentiæ velificantur argumentorum loco habentes, in erroribus suis præfractè ac invictè permanent.

Ignari verò & qui ingenio sunt debili, causas metûs vanas & ridiculas sibi fingunt; in eo similes pueris qui sine duce & lumine in tenebris versantes, spectra terribilia sibi imaginantur; perturbantur & vociferantur quasi de ipsis conclamatum esset. Si tantùm ignari sunt, lumine reficiuntur, at verò si debili sint cerebro, ipsorum imaginatio semel læsa, restitui nequit. Simul ac quid vident quod ad pristinum terroris objectum aliquâ similitudine accedit, vestigia de integro aperiuntur ac idem spirituum cursus iteratur. Adeò ut sanari nequeant nisi ad tempus duntaxat.

At cùm falsus zelus conjungitur cum odio & metû in cerebro debili, tot indesinenter formantur judicia adeò iniqua & violenta, ut vel sola illorum cogitatio horrorem pariat. Nec miraculum quo conversus

eft Paulus fufficeret ad mutandum animum fic perculfum;immò fi potentiæ & mifericordiæ Divinæ limites figere liceret,ipfius fanationem diceremus impoffibilem.

Qui in tenebris verfantur luminis præfentiâ lætari folent,hic verò lumen pati nequit; quippe quod affectui quo agitatur refiftendo ipfum lædat. Cùm ipfius metus fit aliquatenus voluntarius utpotè ab odio procedens, metû illo percelli ipfum juvat,quoniam ijs etiam affectibus quibus malum eft pro objecto delectamur, ubi malum eft imaginarium;vel potiùs ubi,ut fieri folet in fpectaculis,certò fcimus nos ab illò lædi non poffe.

Spectra feu phantafmata,quę fibi fingere folent ij qui in tenebris degunt,lumine adveniente evanefcunt. Hujus verò phantafmata lumine veritatis non diffipantur.Illud mentis tenebras facilè penetrare nequit, ipfius imaginationem tantùm irritat, adeò ut dum homo ille affectûs objecto duntaxat intentus eft, lumen reflectatur, & phantafmata feu umbræ verum corpus, feu aliquid realitatis habere ipfi videantur, quia debiles quofdam luminis quô feriuntur radios repellunt.

At,fupponamus iftius ingenijhominibus fatis ineffe docilitatis&attētionis ut rationes ad diffipandos ipforū errores idoneas aufcultare&intelligere poffint, ipforum imaginatio metu ita perturbata eft, & cor odio, & falfo zelo ita corruptum, ut rationes illæ quantumvis in fe folidæ, velocem tamen vehementium affectuum motum diu fiftere non poffent, nec impedire quominus illi argumentis fenfibilibus fibi ipfis non multò poft patrocinarentur.

Obfervandum enim eft affectus quofdam effe qui fine ullo reditū prętereant, alios verò conftantes effe qui diu fubfiftant. Qui nullâ mentis applicatione nituntur, fed tantùm vifu fenfibili alicujus objecti, & fanguinis fermentatione producuntur & corroborantur, diu non perftant, ac eodem ferè tempore nafcuntur & extinguuntur.

Qui verò cum mentis applicatione conjunguntur permanere folent; quia illorum principium mutationi æquè obnoxium non eft ac fanguis & humores. Odium itaque, metus, cæterique affectus qui in nobis mentis cognitione excitantur aut confervantur, non verò visû fenfibili alicujus mali, diu fubfiftere debent. Ifti igitur affectus duratione, violentiâ, & injuftitiâ cæteros fuperant;fed non funt omnium vividiffimi, & maximè fenfibiles, ut infra demonftrabitur.

Perceptio boni, & mali quæ affectus excitat fit trifariam;per fenfus, per imaginationem, & per mentem. Perceptio boni & mali per fenfus, feu boni & mali fenfatio affectus valde promptos & valde fenfibiles producit. Perceptio boni & mali, per folam imaginationem, affectus excitat longè debiliores.Et perceptio boni & mali per mentem folam, veros non producit affectus, nifi quia perceptio ifta boni & mali per mentem, conjungitur femper cum aliquo motû fpirituum animalium.

Affectus ad folam corporis confervationem, ac ut per corpus ceteris

ſenſibilibus uniamur, nobis conceſſi fuere: quamvis enim res ſenſibiles reſpectû mentis nec bonæ nec malæ eſſe queant, bonæ tamen vel malæ ſunt relatè ad corpus cui mens unitur. Cùm itaque ſenſus & imaginatio relationes rerum ſenſibilium cum corpore multò melius cognoſcant quàm mens ipſa; affectûs longè vividiores excitare debent, quàm cognitio clara & evidens. Quia verò cognitiones noſtræ cum aliquo ſpirituum motû ſemper conjunguntur, cognitio clara & evidens ingentis alicujus boni, vel ingentis alicujus mali, quod ſenſus non regunt, arcanum aliquem affectum ſemper excitat.

Nihilominus omnes noſtræ cognitiones claræ & evidentes non ſemper trahunt poſt ſe affectum aliquem ſenſibilem &, ut ita dicam, perceptibilem; quemadmodum omnes affectus noſtri non ſemper conjunguntur cum aliquâ mentis cognitione: ſi enim quandoque contingat ut de bonis & de malis quibuſdam cogitemus ſine ulla commotione, ſæpe etiam aliquo affectû commovemur, non cognitâ tamen, nec, vel ſenſu, perceptâ illius causâ. Cùm quis aerem ſpirat ſalubrem gaudio quodam afficitur cujus cauſam ignorat; bonum ex quo illud oritur gaudium non novit, quamvis illud poſſideat. A corpore quodam inviſibili per ſanguinem ſeſe inſinuante ſi fermentatio impediatur, triſtis eſt, & cauſam triſtitiæ rei cuipiam viſibili ſibi affectûs momento occurrenti forſan tribuet.

Inter omnes affectûs nulli ſunt ſenſibiliores ac velociores, & proinde nulli cum minori mentis cognitione conjunguntur quàm, horror, & antipathia, amor ſeu allubeſcentia, & ſympathia. Evenit nonnunquam ut homo ſub umbroſa arbore dormitans ad muſcæ aculeum vel frondis titillationem ſubitò & de improviſo expergiſcatur, non ſecus ac ſi à ſerpente morderetur. Senſû confuſo rei terribilis qualis eſt mors expaveſcit, & hoc pacto affectu vehementiſſimo & violentiſſimo, deſiderio, ſcilicet, odij ſeu averſationis ſeſe incogitanter agitatum deprehendit. Contra verò ſi eveniat ut homo aliquis egenus fortè fortunâ incidat in puſillum aliquod bonum, cujus dulcedine demulcetur, circa exile iſtud bonum, non ſecus ac circa bonorum maximum, ſenſim & incogitanter occupatur. Id etiam evenit in motibus ſympathiæ & antipathiæ. In ſocietate quapiam videmus forſitan aliquem cujus habitus totaq; externa ſpecies cum præſenti corporis noſtri diſpoſitione arcanis quibuſdam vinculis conſonet; ipſius viſu illicò vehementer permovemur. Ad ipſum amandum, & benevolentiâ proſequendum arcana & dulci quadam vi ferimur. Tò *Neſcio quid*, nobis planè ignotum, ſine ulla rationis participatione, nos agitat. Contrarium evenit de ijs quorum habitus faſtidium, & horrorem, ut ita dicam, aſpergunt. Arcanum tamen illud faſtidium menti ignotum eſt; quippe de pulchritudine, vel deformitate ſenſibili, quæ ejuſmodi affectus excitare ſolent, ſoli ſenſus ritè judicare poſſunt.



DE INQUIRENDA VERITATE.

LIBER SEXTUS, DE METHODO.

CAPUT PRIMUM.

Hujusce libri institutum declaratur, ut & duæ rationes generales conservandæ evidentiæ in investigatione veritatis, quæ hujus libri argumentum constituent.

LIBRIS præcedentibus vidimus hominem errori valdè obnoxium esse; ipsumque sensuum *a* fallacijs imaginationis *b* phantasmatibus,& mentis *c* abstractionibus perpetuò decipi; voluntatis *d* inclinationes, cordis *e* affectus veritatem ipsi penè semper surripere, eamque ipsi nunquam patefacere, nisi falsis indutam coloribus quibus concupiscentiæ indulgetur. Jam vias indicare quibus veritatis, cognitionem assequi possumus, mentemque eâ vi, & industriâ munire quâ has insistere queat sine inutili labore, & erroris periculo, operæ pretium est.

a Lib. I. *b* Lib. II. *c* Lib. III. *d* Lib. IV. *e* Lib. V.

Verùm, ne in hujus postremi Libri lectione incassum quis laboret, imprimis monitum velim, illum in eorum usum qui veritatem per se seriò quærere, & ad id proprijs suis viribus uti volunt, duntaxat compositum fuisse. Ab ipsis postulo ut per aliquod tempus omnes verisimiles contemnant opiniones; violentissimis ne fidant conjecturis; omnium Philosophorum authoritatem susque deque habeant ; ab omni

præjudicio, philautiâ, & affectû vacui quantùm in illis erit huc accedant; Sensibus & imaginationi diffidant; uno verbo eorum penè omnium quæ Libris præcedentibus dicta sunt, accuratè recordentur.

Propositum nobis est in hoc Libro menti omnem quam naturaliter assequi potest perfectionem communicare, ei suppeditando auxilia necessaria, ut ipsius attentio & capacitas augeatur; eique præscribendo canones observandos ut error in investigatione veritatis, vitetur, & ut quæcunque sciri possunt commodè addiscantur.

In hoc instituto, si ad suam perfectionem perduceretur, quod equidem, in hocce specimine non affectamus; certè traderetur scientia universalis, ac qui illo benè uti vellent verè docti dici possent, utpotè qui omnium scientiarum specialium fundamentum essent assequuti, ac illas, prout hac universali scientia uterentur, acquirerent. Hoc enim tractatu conamur mentem ad id idoneam reddere ut de quibuslibet quæstionibus ad ipsius captum accommodatis, judicia certa & vera ferre possit.

Quemadmodum non sufficit ad perfectam Geometriæ cognitionem assequendam, ut quis memoriter teneat omnes demonstrationes Euclidis, Pappi, Archimedis, Apollonij & omnium qui de Geometriâ scripserunt; Ita non sufficit, ut quis peritus habeatur Philosophus, ipsum legisse Platonem, Aristotelem, Cartesium, &c. & ipsorum sententias circa omnes Philosophiæ quæstiones didicisse. Omnium opinionum & judiciorum aliorũ hominũ, sive circa Philosophiam, sive circa Geometriam, cognitio, Historia potiùs est quàm Scientia: nam vera scientia, quæ sola mentem humanam ad perfectionem cujus nunc capax est, adducere potest, consistit in certâ quadam capacitate solidè judicandi de omnibus ipsi accommodatis. At ne temporis fiat jactura, néve judicijs præmaturis quisquam antevertatur, jam rem tanti momenti aggrediamur.

Imprimis in memoriam revocandus est primus canon traditus, & probatus in principio primi Libri, quia fundamentum est, & primum principium eorum omnium quæ sumus infra dicturi. *Plenum*, scilicet, *nunquam præbere assensum nisi propositionibus tam evidenter veris, ut ipsis ille assensus recusari nequeat, sine pœnæ cujusdam internæ sensu, & arcanis rationis objurgationibus; hoc est, ubi assensum recusare nemo potest, quin clarè cognoscat, se libertate sua abuti, nisi velit assentiri.* Quotiescunque verisimilitudinibus assentimur, in certum erroris periculum incurrimus, ac penè semper actû erramus, vel denique si non erremus, id casu fortuito contingit. Itaque perceptio confusa innumerarum verisimilitudinum circa varias res rationem nostram non reddit perfectiorem, ac solâ veritatis clarâ perceptione ipsi perfectio communicari, ipsique satisfieri potest.

Cùm igitur solâ evidentiâ juxta primum nostrum canonem certiores simus nos non errare, hinc concludere est, nos imprimis ad id attendere debere ut hanc in perceptionibus nostris conservemus evi-

dentiam, quæ de omnibus rationi nostræ accommodatis solidè judicare, & omnes veritates, quarum sumus capaces, assequi possimus.

Quæ hanc evidentiam gignere & conservare possunt duplicis sunt generis. Alia sunt in nobis, aut à nobis aliquatenùs pendent, alia à nobis non pendent. Nam quemadmodùm ut objecta visibilia distinctè videamus, necesse est nos pollere visû perspicaci, illumque attentè in his objectis defigere; quæ duo in nobis sunt & à nobis aliquatenùs pendent; sic necesse est recto pollere ingenio, illudque strenuè appellere ad penitùs inspiciendas veritates intelligibiles: quæ duo etiam in nobis sunt, & à nobis aliquatenùs pendent.

Sed, non secus ac oculi opus habent luce ad videndū, istud verò lumen pendet à causis alienis; sic mens eget ideis ad concipiendū, quæ ideæ, ut alibi probatū est, non pendēt à nobis, sed à causâ alienâ illas producente. Si igitur ideæ rerum menti nostræ non adessent, quotiescunq; illa habere optamus, & si Deus, qui mundum illuminat, illas nos latere vellet, huic defectui medêri, ac quicquam cognoscere nequaquam possemus: quemadmodùm quicquam videre impossibile est cui lumen deest. Verùm non est quòd hoc metuamus, quippe præsentia idearum menti nostræ cùm sit naturalis & à generali & immutabili Dei voluntate pendeat, nobis nunquam deest ad res rationi naturaliter subjectas percipiendum. Nam Sol qui illuminat mentes, haud similis est Soli illuminanti corpora: eclipsin nunquam patitur, ac omnia penetrat sine ullâ luminis sui disgregatione.

Cùm igitur ideæ rerum nobis perpetuò adsint, etiam ubi illas attentè non consideramus, quid aliud nobis superest ad conservandam evidentiam in omnibus perceptionibus nostris, nisi ut quæramus media quibus mens attentior & capacior fiat: quemadmodùm ut objecta visibilia nobis adstantia distinctè cernantur, nihil aliud necesse nobis est quàm ut visû perspicaci polleamus, illaque attentè consideremus.

Sed, quia objecta quæ consideramus, plures sæpè habent relationes, quàm ut illas omnes unico mentis appulsû percipere valeamus; indigemus adhuc nonnullis legibus quibus instituamur ad omnes difficultates ita diluendas, ut adjuti auxilijs, quibus mens fiat attentior & capacior, omnes relationes rei quam examinamus evidentissimè percipere possimus.

Hunc igitur Sextum Librum in duas dividemus partes. In primâ agetur de auxilijs quibus mens uti potest ut fiat attentior & capacior; In secundâ canones trademus quos illa sequi debet in investigatione veritatum, ad formanda judicia solida & extra erroris aleam posita.

CAPVT II.

Attentionem esse necessariam ad conservandam evidentiam in cognitionibus nostris. Modificationes mentis illam reddere attentam, sed ipsius capacitatem percipiendi plus æquo distrahere.

A Principio hujusce Operis ostensum est, intellectum duntaxat percipere; ac à parte intellectûs, simplices perceptiones, judicia, & ratiocinia, in eo solo inter se differre, quod judicia, & ratiocinia sunt perceptiones multò complexiores simplicibus perceptionibus; quia non modò plurimas res repræsentant, verùm etiam relationes plurimarum rerum inter se. Nam simplices perceptiones res solas menti repræsentant: sed judicia relationes quæ inter res intercedunt exhibent: sed ratiocinia relationes repræsentant quæ inter relationes rerum sunt; si modò sint simplicia ratiocinia; at si sint ratiocinia composita, repræsentant relationes relationum, seu relationes complexas quæ sunt inter relationes rerum, & sic ad infinitum. Prout enim relationes multiplicantur, ratiocinia quæ menti repræsentant hasce relationes fiunt magis complexa. Sed judicia, ratiocinia simplicia, & ratiocinia complexa, nihil sunt præter meras perceptiones à parte intellectûs, quia intellectus duntaxat percipit; ut jam dictum est.

Cùm judicia & ratiocinia à parte intellectûs nihil sint præter meras perceptiones, intellectum in errorem nunquam labi manifestum est; cùm error in perceptionibus non reperiatur, immò non sit intelligibilis. Nam, sicut jam multoties dictum est, error duntaxat consistit in præcipiti voluntatis assensû, quæ falso quodam lumine decipitur, & cum libertate, quantùm potest, uti debeat, in veritatis specie securè acquiescit.

Nihilominùs, quia sæpè intellectus ideas rerum confusas & imperfectas habet, hinc fit ut sit causa errorum nostrorum, quæ occasionalis dici potest. Quemadmodùm enim visus corporeus sæpè nos injicit in errorem, quia objecta externa confusè & imperfectè nobis repræsentat; confusè, scilicet, ubi nimis dissita sunt, vel ubi lumen deficit: & imperfectè quoniam illa duntaxat rerum latera repræsentat quæ nobis objiciuntur. Ita intellectus cùm sæpè perceptionem rerum duntaxat confusam & imperfectam habeat, quia ipsi satis non sunt præsentes, nec omnes partes illarum percipit; causa est cur voluntas in

in ingentem incidat errorum numerum, faciliùs nimirum cedendo hisce perceptionibus obscuris, & imperfectis.

Necesse igitur est quærere rationes quibus impediatur quominus perceptiones sint confusæ, & imperfectæ. Et quia nullâ aliâ ratione clariores & distinctiores fieri possunt quàm attentione, ut apud quemlibet constat; quærendæ sunt rationes quibus utentes attentiores evadamus. Hoc pacto evidentiam in ratiocinijs nostris conservabimus, & uno intuitû connexionem necessariam inter omnes partes ratiociniorum nostrorum etiam maximè prolixorum, deprehendemus.

Ut istæ inveniantur rationes; altè est imbibendum id quod jam alibi à nobis dictum est; nempe mentem non æqualem rebus omnibus quas percipit præbere attentionem. Ijs enim quæ ipsam afficiunt, modificant, & penetrant longè magis attendit quàm ijs quæ ipsi quidem adsunt, sed ipsam non tangunt, nec ad ipsam pertinent. Uno verbo proprijs suis modificationibus longè magis occupatur, quàm simplicibus objectorum ideis, quæ ideæ aliquid sunt ab ipsa diversum.

Hanc ob causam nonnisi cum fastidio & negligentia ideas abstractas intellectûs puri consideramus: ad res quas imaginamur, præcipuè si imaginatione præditi simus forti, ac alta in cerebro formentur vestigia, animum longè magis appellimus. Denique hanc ob causam, in qualitatum sensibilium consideratione toti detinemur, dum ideis puris mentis, quandiu aliquid jucundi, aut molesti sentimus, ne vel minimam attentionem præbere possumus. Namque, dolor, voluptas, & aliæ sensationes, cùm nihil aliud sint quàm modificationes mentis, fieri nequit quin eas percipiamus, & quin mentis nostræ capacitas ijs occupetur, cùm omnes sensationes nostræ nihil aliud sint quàm perceptiones.

Res verò secùs se habet de ideis puris mentis: possunt enim menti nostræ intimè uniri, nec tamen à nobis ullo modo considerari. Licèt enim Deus nobis quàm intimè uniatur, & in eo reperiantur eorum omnium quæ videmus ideæ; illæ tamen ideæ quanquam nobis præsentes, nos latent, ubi motus spirituum illarum vestigia non excitant; vel ubi voluntas nostra mentem his non applicat; hoc est, ubi non format actus quibus repræsentatio illarum idearum ab Authore naturæ alligatur. Hæc sunt fundamentum eorum quæ sumus infra dicturi circa auxilia quæ mentem nostram possunt præbere attentiorem. Itaque hæc auxilia in ipsa mentis natura erunt fundata; speramus itaque illa inutilia & chimerica non futura, ut plurima alia, quæ mentem magis intricant quàm juvant. Utut sit, quem optamus non sortiantur usum, haud tamen erit inutile quæ de ijs infrà dicturi sumus legere; quia ex his natura mentis meliùs cognoscetur.

Modificationes mentis ex tribus oriuntur causis, ex sensibus, imaginatione, & affectibus. Nemo non expertus est voluptates, dolores, & omnes in genere sensationes tantillùm vehementes; imaginationes

vividas, & violentos affectûs mentem tantoperè occupare, ut attentionis incapax fit, quandiu his omnibus nimis afficitur; quia tum tota ipsius percipiendi facultas his impletur. Sed etiamsi istæ modificationes essent leviores hanc tamen mentis capacitatem aliquatenùs saltem distraherent, adeo ut se totam rerum abstractarum considerationi applicare non posset.

Hinc igitur conclusionem hanc, notatu maximè dignam, elicimus; Eos omnes, scilicet, qui veritatis investigationi serio incumbere volunt, sedulo vitare debere, quantum id fieri potest, omnes sensationes nimis vividas, ut ingentem strepitum, lumen vividius, voluptatem, dolorem, &c. Imaginationis puritati perpetuò ipsis studendum est, ac impediendum quominus in cerebro formentur vestigia profunda, quæ mentem perpetuò lacessunt & dissipant. Denique, sistere imprimis debent affectuum motûs, qui in corpore & in mente tam altas edunt impressiones; ut mens ad aliud cogitare non valeat. Nam, etsi puræ veritatis ideæ, nobis perpetuò præsentes adsint, illas tamen considerare nequimus, ubi capacitas cogitandi hisce modificationibus violentis occupatur.

Quia tamen mens fine affectû, sensatione, aut aliâ quavis modificatione speciali subsistere nequit; necessitati cedendum est, imò ex his ipsis modificationibus auxilia nobis comparare debemus, quibus attentiores fiamus. Sed magnâ industriâ, & cautione opus est in usû illorum auxiliorum. Diligenter examinandum est quatenus ijs indigeamus, nec ijs utendum nisi urgente necessitate.

CAPVT III.

Quomodò utendum sit affectibus & sensibus ad conservandam mentis attentionem.

AFfectus quorum usus nobis necessarius est ut excitemur ad veritatis inquisitionem, ij sunt quorum ope eam vim, eumque animum comparamus, quo laborem superare valeamus quem in attentione præbendâ experiri solemus. Inter illos affectûs alij sunt boni, alij verò mali; boni, quale est desiderium inveniendæ veritatis, acquirendi sat luminis ut possimus nos ipsos regere, proximo utilitatem aliquam afferendi, & alij similes. Mali verò seu periculosi; ut desiderium famam sibi conciliandi, proprijs rebus & commodis suis consulendi, supra æquales sese extollendi, & nonnulli præter hos alij affectus pejores de quibus hic loqui necessarium non est.

In isto in quo versamur misero statû, non rarò contingit ut affe-

ctibus à ratione maximè alienis, vividius ad veritatis investigationem feramur, & ab illis jucundius solatium accipiamus in laboribus ad id exantlandis, quàm affectibus maximè legitimis & rationi consentaneis. Vanitas, exempli gratiâ, nos longè vehementiùs stimulat quàm veritatis amor; ac quotidie videas homines studio perpetim incumbentes, quandiu alios reperiunt quibus communicare possint quæ didicerunt, ab illo verò penitùs desistentes statim atque nemo est qui eos audire velit. Visus confusus gloriolæ cujusdam quâ circundantur, dum suas venditant opiniones, animum ipsorum sustentat & suffulcit in studijs etiam maximè sterilibus & fastidiosis. At si casû fortuito, vel proprijs negotijs id postulantibus, ab illo assentatorum grege discedere cogantur, ipsorum æstus continuò deferbescit; studia etiam solidissima fastidium ipsis creant; ac denique tædio & mœrore confecti cuncta deserunt. Vanitas priùs pigritiam naturalem vicerat, jam verò pigritia veritatis amorem superat; namque vanitas pigritiæ nonnunquam resistit, at pigritia de veritatis amore penè semper triumphat.

Cùm tamen gloriæ cupido ad bonum finem possit referri, quia ad gloriam Dei, & proximi utilitatem famâ nostrâ uti possumus; quibusdam forsan hoc affectû in nonnullis occasionibus, veluti auxilio ad reddendam mentem attentam uti nefas non est. Sed sedulò cavendum est ne illo utamur, nisi, duntaxat, ubi affectus rationi consentanei, de quibus jam dictum est; non sufficiunt, etenim ad id officio nostro tenemur ut rebus arduis ac fastidiosis incumbamus. Jam autem dixi illo affectu utendum non esse, nisi quando alij legitimi non sufficiunt; primò, quia hic affectus conscientiæ perquam noxius est. Secundò, quia in mala studia, quibus plus inest splendoris, quàm utilitatis & veritatis nos sensim injicit. Denique, quia ille affectus moderatu valdè difficilis est, ab ipso sæpe deluderemur, ac dum mentem nostram illuminare illius ope crederemus, concupiscentiam, quæ non modò cor corrumpit, sed menti tenebras nunquam dissipandas affundit, forsan corroboraremus.

Animadvertendum enim est affectum illum augeri, corroborari, & sensim in corde hominis stabiliri; ac, ubi violentior est, tantum abest ut mentem sublevet in veritatis investigatione, quin potius illam mirum in modum occæcet, ac res pro votis se habere falsò ipsi persuadeat.

Tot falsis & imaginarijs inventionibus, quæ sub egregio veritatum recens retectarum nomine, nobis propinantur, non scateret orbis terrarum, nisi homines ardenti flagrarent desiderio haberi auctores, & inventores. Firma enim & obstinata persuasio qua nonnulli laboraverunt, se invenisse, exempli gratiâ, motum perpetuum, & modum æquandi circuli cum quadrato, & duplicandi cubum ope Geometriæ vulgaris, ex eo opinor, orta est, se aliquid effe-

ctum dedisse, quod cæteri inutiliter tentassent, videri vehementer cuperant.

Longè igitur satius est sese excitare ad affectus eò utiliores ad veritatis investigationem, quòd vehementiores sint, & circa illos modum excedere vix ullum sit periculum; qualia sunt desideria benè utendi ingenio nostro; nosmet expediendi à præjudicijs & erroribus; sat acquirendi luminis ad nos in statû in quo versamur rectè regendos; & alij similes affectus, quibus ad studia inutilia, & judicia præmatura non adigimur.

Prælibatâ semel voluptate quæ ex recto mentis usu percipitur, ac utilitate quæ ex illo redit probè cognitâ; abdicatis violentis affectibus, & voluptatibus sensibilibus quæ, dum illis imprudenter nos permittimus, rationi tyrannicè dominantur, cum fastidio rejectis; aliis opus non est affectibus quàm ijs, de quibus mox dictum est, ut attenti simus ad res meditandas.

Verùm plerique homines ab illo statû longè abhorrent. Præter sensibilia nihil delicatè sapiunt. Ipsorum imaginatio numero propè infinito vestigiorum profundorum, quæ falsas tantùm excitant ideas, corrupta est: Omnibus enim quæ sub sensus & imaginationem cadunt toti addicti sunt, ac juxta impressionem quam ex ijs, hoc est, relatè ad se, recipiunt, de ijs semper judicant. Superbia, intemperantia, varia negotia quibus intricantur, sollicita res suas stabiliendi desideria, in hominibus hujus sæculi tam frequentia, veritatis lumen ab ipsis arcent, non secus ac pietatis sensum suffocant; quia his pravis affectibus à Deo, qui solus potest illuminare & regere, sejunguntur. Quippe unionem nostram cum sensibilibus augere non possumus; quin unionem nostram cum veritatibus intelligibilibus minuamus; cùm eodem tempore non possimus uniri rebus adeò diversis & oppositis.

Qui igitur imaginationem habent puram & castam; hoc est, ij quorum cerebrum vestigijs profundis, quæ rebus sensibilibus applicent, refertum non est, cum Deo facilè uniri possunt, & ad veritatem ipsos alloquentem attendere: Affectus legitimi, & rationi consentanei ipsis sufficiunt. Mundani verò, qui que pluribus rebus arctiùs uniuntur, & quorum imaginatio falsis, & obscuris conspurcata est ideis, quas objecta sensibilia in ipsis excitaverunt, ij, inquam, non possunt veritati incumbere, nisi affectû aliquo sustineantur satis vehementi ad deprimendum corporis pondus quod ipsis imminet, & ad formanda in cerebro vestigia quæ possint spirituum animalium cursum divertere. Quia verò quilibet affectus per se duntaxat confundit ideas, ijs uti non debent, nisi uti necessitas postulat; & singuli homines sese explorare debent, ut affectus suos debilitati suæ accommodent.

Rationes, quibus in nobismet ipsis affectus quos optamus possi-

mus excitare facili negotio inveniri queunt. Nec parùm ad id confert unionis corporis & mentis cognitio, libris præcedentibus tradita: namque uno verbo, sufficit nos cogitare attentè ad objecta quæ juxta institutionem naturæ apta sunt ad excitandos affectus. Hoc pacto affectus nobis necessarios in corde nostro penè semper gignere possumus. At verò si illos penè semper possumus excitare, illos pariter non possumus extinguere, & mederi malis quæ in imaginatione produxerunt. Ijs igitur moderatè est utendum.

Imprimis cavendum est ne de rebus juxta affectum judicemus, sed duntaxat claro veritatis visû, quod observatû difficillimum est, ne dicam impossibile, quum affectus sunt tantillum vividi. Affectus ad id tantum conferre debet ut attentionem excitet; Verùm ideas sibi proprias menti semper objicit, & voluntatem ad id vividè impellit ut de rebus per istas ideas, quibus movetur, judicet, potiùs quàm per ideas puras & abstractas veritatis, quibus non movetur. Adeò ut judicia sæpè formemus quæ cum affectu finiunt, quia, scilicet, non visu claro veritatis immutabilis, sed tantùm ope circulationis sanguinis formata fuere.

Verum equidem est esse homines admodum pertinaces in suis erroribus, & eorum errorum plerosque per totam vitam præfractè retinere. Sed errores illi ab alijs oriuntur causis quàm ab affectibus; vel pendent ab affectibus quibusdam constantibus, ex conformatione corporis, ex pleonexiâ, aut ex alia quavis diu subsistente causâ oriundis. Pleonexia, exempli gratia, cùm semper duret, affectum producit nunquam interiturum, & judicia in quæ affectus hic nos injicit, satis sunt durabilia. Cæteræ verò hominum opiniones ex affectibus specialibus pendentes, æquè inconstantes sunt ac fermentatio humorum. Mox hoc, mox illo modo loquuntur, ac sæpè sermones cogitationibus congruunt. Sicut à falso bono ad aliud falsum bonum, affectûs motum sequentes, cursitant, & illud fastidiunt ubi motus cessat; pariter à falso systemate ad aliud falsum systema feruntur. Opinionem falsam alacriter amplectuntur, ubi affectus illam reddit verisimilem; at illam affectu extincto deserunt: affectuum ope quælibet bona degustant, nec tamen quicquam boni reperiunt; per eosdem affectus omnes vident veritates nec tamen quicquam veri retegunt; quamvis affectûs momento quicquid gustant ipsis supremum videatur bonum, & quicquid vident indubitata appareat veritas.

Secundum auxilium quod menti ad attentionem disponendæ inservire valet à sensibus oritur. Sensationes sunt propriæ mentis modificationes; ideæ verò puræ mentis sunt diversum quid. Sensationes igitur attentionem nostram longè vividiùs excitant quàm ideæ puræ. Manifestum itaque est, mentem attentam reddi posse ad ve-

ritates quæ ipsam non afficiunt, si exprimantur per res sensibiles quæ ipsam afficiunt.

Hanc ob causam Geometræ per lineas sensibiles exprimunt proportiones quæ sunt inter magnitudines quas habent considerandas. Lineas illas chartæ inscribendo, ideas quæ ipsis respondent menti veluti insculpunt, eas sibi magis familiares reddunt, quia eas eodem tempore sentiunt & concipiunt. Hoc etiam pacto multa satis difficilia possunt doceri pueri, veritatum abstractarum, ob teneritudinem fibrarum ipsorum cerebri, aliàs incapaces. Oculis nihil vident præter colores, tabulas pictas, imagines, sed mente contemplantur ideas istis objectis sensibilibus respondentes.

Imprimis attendendum est ne objecta quæ considerare vel alijs consideranda præbere volumus tot rebus sensibilibus obruantur, ut mens circa hæc magis occupetur quàm circa ipsam veritatem; in hoc enim sæpissimè, & gravissimè peccatur. Quotidie videas Oratores ijs quæ sensûs afficiunt ita addictos, & mentem suam modo tam sensibili aperientes, ut veritas vanorum falsæ ipsorum eloquentiæ ornamentorum pene suffocetur. Unde fit ut Auditores periodorum numero, & figurarum motibus longè vividiùs affecti, quàm rationibus, sese persuaderi sinant, nescij quo pacto & quâ de re persuadeantur.

Videndum est igitur ut elocutionis sensibilitas ita temperetur, ut eâ mens duntaxat attentior fiat. Veritate nihil est pulchrius, & frustra quis illam coloribus sensibilibus quibus nihil inest solidi, quique per unicum tantùm temporis momentum fucum facere queunt, pulchriorem reddere pertenderet. Fortè ipsi aliquid mollitiei conciliaretur, sed de ipsius vi multum detraheretur. Illa tanto splendore circumdari non debet, ut mens ornamentis attentior sit quàm ipsi veritati. Alioqui de illâ res se haberet ut de hominibus istis qui tanta auri, & margaritarum copiâ onusti sunt, ut ipsi ornamentis suis inferiores evadant. Veritas induenda est ad exemplum Magistratuum Venetorum, qui simplicem togam, cum galerico striato gestare tenentur, in eum duntaxat finem ut ab hominum vulgo distinguantur & veneratione, non ob vestis ornamenta, sed ob dignitatis majestatem, excipiantur. Denique, cavendum est ne veritas tot jucundis rebus stipetur ut mens, dissipatâ attentione illam dignoscere nequeat, ac ne alij cuipiam rei honores ipsi debiti deferantur; ut sæpè evenit Principibus qui dignosci nequeunt inter innumeros aulicos quibus stipantur, quique ijsdem circumfulgent ornamentis ac ipsi Principes.

Verùm ut insignius afferatur exemplum. Dico, veritatem alijs esse exponendam, ut ipsa sese exposuit. Cùm homines, à primi Parentis peccato, visu essent debiliori, quàm ut veritatem in se possent

considerare; suprema illa veritas sensibilem sese reddidit humanam naturam nostram induendo, ut oculos nostros in se converteret, nos illuminaret, & sese nobis amabilem præberet. Illius igitur exemplo, veritates quas aut ipsi capere, aut alios docere volumus, re aliquâ sensibili possumus inducere, ad mentem, quæ sensibilia amat, quæque facilè non devincitur nisi ijs quæ sensibus adblandiuntur, defigendam. Sapientia æterna sese reddidit sensibilem, non verò fulgentem; sese reddidit sensibilem, non ut in sensibilibus acquiesceremus, verùm ut ad intelligibilia extolleremur; sensibilem se reddidit ut in persona sua damnaret, & veluti morti addiceret omnia sensibilia. Itaque in cognitione veritatis uti debemus aliquâ *sensibilitate* quæ tamen cum nimio fulgore conjuncta non sit, quæque in sensibilibus nos nimis non detineat; sed quæ visum mentis in contemplatione veritatum merè intelligibilium possit sustinere; uti debemus aliquâ re sensibili, quam possimus dispellere, annihilare, ac lubentes immolare contemplationi veritatis versùs quam res illa sensibilis nos deduxit. Sapientia æterna extra nos sese modo sensibili obtulit, non ut nos detineret extrà nos; sed ut nos intra nosmet ipsos revocaret, utque illam internè possimus considerare modo intelligibili. Pariter in veritatis investigatione aliquâ re sensibili uti debemus, quæ fulgore suo nos extra nos non detineat; sed quæ ad id nos adigat ut intra nosmet ipsos secedamus, & attenti fiamus, quæque nos uniat veritati æternæ, quæ sola mentis nostræ domina est, illamque, super re qualibet, illuminare potest.


CAPUT IV.


De usû imaginationis ad conservandam mentis attentionem, & de utilitate Geometriæ.


PRudenter admodum procedendum est in optione & in usû auxiliorum quæ hauriri possunt ex sensibus & affectibus, ut attentionî ad veritatem assuefiamus; quia affectus & sensus nostri æquo vividius nos tangunt, & capacitatem mentis ita implent, ut sæpè, dum res in seipsis retexisse arbitratur, nihil videat præter sensationes suas. At verò res secùs se habet de auxilijs quæ hauriri possunt ex imaginatione. Illa auxilia mentem reddunt attentam, nec ipsius capacitatem inutiliter dissipant, atque hoc pacto ad percipienda clarè & distinctè objecta mirum in modum conferunt, adeò ut ea adhibere penè semper utile sit. Verùm id exemplis illustremus.


Notum est, corpus moveri à duabus vel à pluribus causis diver-


sis, versus duas aut plures diversas partes: corpus illud viribus istis pelli æqualiter aut inæqualiter; illas verò vires augeri aut minui indesinenter, secundùm proportionem cognitam, qualemcunque illam assignare libuerit. Jam petitur quam viam illud corpus insistere debeat; quo in loco debeat adesse momento assignato; quâ celeritate debeat procedere ubi pervenit ad talem locum, & alia similia.











A puncto A, unde corpus motum suum incipere supponitur, debent ante omnia describi lineæ indefinitæ AB, AC, quæ efficiunt angulum BAC, si sese mutuò secent: namque AB, & AC, sunt in directum positæ, nec sese secant, quum motus quos exprimunt directè sunt oppositi. Ita distinctè repræsentatur imaginationi, vel, si mavis, sensibus, iter quod sequeretur illud corpus si ab una tantùm ex istis viribus, de quibus supra, impelleretur versùs alterutram partem B, vel C.

2. Si vis quæ illud corpus movet versùs B, æquat vim quæ illud movet versus C, debent secari in lineis AC, & AB, partes 1, 2, 3, 4, & I, II, III, IV, æqualiter dissitæ ab A, Si verò vis movens

movens corpus versus B; duplò major est quam vis illud movens versus C, partes secantur in AB, duplò majores ijs quæ secantur in AC; Si vis illa est subdupla, partes subduplæ secantur. Si vis sit ter major aut ter minor, partes secantur ter majores aut ter minores. Istarum linearum divisiones adhuc exprimunt imaginationi magnitudinem diversarum virium quæ aliquod movent corpus, & eodem tempore spatium quod, illis impellentibus, potest emetiri.

3. Per has divisiones ducuntur lineæ parallelæ rectis AB, & AC, ut habeantur lineæ 1X, 2X, 3X, &c. æquales lineis A1, A11, A111, &c. & 1X, 11X, 111X, æquales lineis A1, A2, A3. quæ exprimunt spatia, quæ corpus, viribus illis impulsum, potest emetiri, & per intersectiones istarum parallelarum ducitur linea AXYE, quæ repræsentat imaginationi; primò veram magnitudinem motûs compositi hujusce corporis, quod concipitur impulsum eodem tempore versus B, & versus C, duabus viribus diversis, secundum talem vel talem proportionem; Secundò viam quam insistere debet: Denique omnia loca in quibus debet esse certo tempore determinato. Adeo ut hæc linea non modò utilis sit ad sustinendum mentis visum, in investigatione omnium veritatum detegendarum circa quæstionem propositam; Verùm etiam modo sensibili, & evincenti, illam resolvit.


Primò hæc linea AXYE, veram exprimit magnitudinem motûs compositi. Nam manifestum fit, quòd si vires quæ illum producunt motum, possint separatim promovere corpus illud ad unius pedis spatium intra unicum momentum seu horæ sexagesimam partem, motus compositus erit duorum pedum intra unicum momentum, si modò motus compositi sint perfectè æquales; tunc enim sufficit addere AB, ad AC. Si verò motus illi non possint omninò æquari; compositus AE, alterutrum componentium AB, vel AC, magnitudine superabit, lineâ YE. Si verò motus illi sint oppositi aliquatenus, compositus alterutro componentium minor erit, lineâ YE. Si verò sint penitus oppositi, nullus erit. *Vid: primam Figuram.*

Secundò hæc linea AXYE, repræsentat imaginationi iter quod sequi debet illud corpus: & sensibile est secundùm quam proportionem ad unam partem magis progrediatur quàm ad aliam. Manifestè etiam fit omnes motus compositos esse rectos, ubi unusquisque componentium semper idem est, quamvis inter se inæquales sint; vel ubi componentes sunt semper æquales inter se, quamvis ijdem semper non sint. Denique manifestum est lineas his motibus descriptas, esse curvas, ubi componentes sunt inæquales inter se, nec semper ijdem sunt.

Denique hæc linea repræsentat imaginationi omnia loca in quibus corpus illud, à duabus viribus diversis versùs

duas partes diverſas, impulſum exiſtere debeat: adeò ut poſſit præcisè aſſignari punctum ubi corpus illud eſſe debet certo momento. Si ſcire cupias ubi, exempli gratiâ, principio quarti momenti eſſe debeat; dividendæ ſunt lineæ A B, vel A C, in partes quæ exprimant ſpatium, quod, viribus illis ſeparatim impellentibus, corpus illud poſſet emetiri intra unum momentum; deinde oportet ſumere tres ex iſtis partibus in alterutrâ ex duabus iſtis lineis; ac poſtea ab initio quartæ partis deſcribere lineam 3X, parallelam rectæ A B, vel 11X, parallelam rectæ A C. Namque evidens eſt punctum X, quod alterutra iſtarum parallelarum determinat in lineâ A X Y E, deſignare locum ubi corpus illud eſſe poterit initio quarti momenti motûs ſui. Itaque hæc ratio examinandi quæſtiones non modò ſuſtinet viſum mentis, verùm etiam illarum ſolutiones oſtendit; & ipſis ſatis affert luminis ut ignota ex paucis cognitis poſſit retegere.

His præmiſſis; ſufficit, exempli gratiâ, duntaxat ſcire, corpus quod erat in A, certo tempore, alio tempore in E, reperiri, & vires diverſas illud impellere per lineas efficientes angulum datum, qualis eſt B A C, id, inquam, ſcire ſufficit; ut lineam ipſius motûs compoſiti deprehendamus, & varios gradus celeritatis motuum ſimplicium: dummodò ſciamus motus iſtos eſſe æquales inter ſe aut uniformes. Ubi enim habentur duo puncta lineæ rectæ, habetur linea integra; & poteſt comparari linea recta A E, ſeu motus compoſitus cognitus cum lineis A B, & A C, hoc eſt, cum motibus ſimplicibus incognitis.



Iterum si supponatur lapis impelli ab A, versus B, per motum uniformem, sed descendere versus C, per motum inæqualem, similem motui secundùm quem corpora gravia vulgò creduntur tendere ad centrum terræ, hoc est, spatia quæ percurrit inter se invicem esse, veluti *quadrata* temporum quæ insumit in illis percurrendis; linea quam describet erit semper *parabola*, & poterit summâ cum exactitudine determinari punctum ubi erit certo momento motûs sui.

Namque si primo isto momento corpus illud, spatio duorum pedum, ab A versus C cadit, secundo momento spatio sex pedum; tertio, decem; quarto, quatuordecim; & impellatur motû uniformi ab A, versus B, quæ linea longa est sexdecim pedibus, manifestum est lineam quam describet fore *parabolam*, cujus *parameter* longus erit

pedibus octo. Nam *quadratum applicatarum*, seu *ordinatarum* diametro, quæ indicant tempora & motum regularem ab A, versus B, æquale erit *rectangulo parametri* per lineas indicantes motus inæquales & *acceleratos*: & *quadrata applicatarum*, hoc est, *quadrata* temporum erunt inter se ut partes diametri inclusæ inter *polum* & *applicatas*.

16. 64: : 2. 8.
64. 144: : 8. 18. &c.


Ut id manifestum evadat sufficiet considerare sextam figuram. Nam semi-circuli ostendunt A 2 esse ad A 4, hoc est, ad *applicatam* 2 X, ipsi æqualem, ut 2 X est ad A 8. A 18 esse ad A 12, hoc est, ad *applicatam* 18 X, ut 18 X est ad A 8, &c. Atque ita *rectangula* A 2 per A 8 & A 18 etiam per A 8, esse æqualia *quadratis* ex 2 X, & 18 X, &c. Ac per consequens ista *quadrata* inter se invicem esse ut ista *rectangula*.

Lineæ parellelæ ad A B & ad AC quæ secantur in punctis X,X.X. manifestò etiam ostendunt quodnam iter corpus illud percurrere debeat. Indicant loca in quibus illud debet esse certo tempore. Oculis denique repræsentant veram magnitudinem motûs compositi & ipsius *accelerationis*, tempore determinato.

Insuper supponendo corpus moveri ab A versus C inæqualiter, ut etiam ab A versus B: si inæqualitas par est principiò & semper, hoc est, si inæqualitas motûs istius corporis versùs C similis est inæqualitati motus versùs B, vel si augetur eadem proportione, linea quam describet erit recta.

Sed si supponas esse inæqualitatem in incremento aut in diminutione motuum simplicium, quamvis inæqualitas illa supponatur pro lubitû, tamen facile erit invenire lineam quæ repræsentet imaginationi motum compositum ex motibus simplicibus; exprimendo per lineas istos motus, & istis lineis describendo lineas parallelas quæ sese mutuò secent. Nam linea quæ per omnes intersectiones istarum parallelarum transibit, repræsentabit motum compositum ex istis motibus inæqualibus, & inæqualiter *acceleratis* aut diminutis.

Exempli gratiâ, si supponamus corpus moveri à duabus viribus æqualibus aut inæqualibus, prout libuerit; unum ex his motibus semper augeri aut minui, secundùm progressionem Geometricam, aut Arithmeticam quamlibet, alterum verò motum augeri aut minui etiam secundùm progressionem Arithmeticam aut Geometricam quamlibet, ut inveniantur puncta per quæ transire debet linea quæ oculis & imaginationi repræsentat motum compositum horum motuum, sic est procedendum.



Ante omnia describendæ sunt, ut jam dictum est, duæ lineæ AB & AC, ad exprimendos duos motus simplices, & dividendæ istæ lineæ secundùm suppositionem *accelerationis* horum motuum. Si motus expressus per lineam AC supponatur augeri aut minui secundùm hanc progressionem Arithmeticam ÷ 1, 2, 3, 4, 5, dividenda est linea in punctis 1, 2, 3, 4, 5, si verò motus designatus per lineam AB supponatur augeri secundùm progressionem duplam ∺ 1, 2, 4, 8, 16, aut minui secundùm progressionem subduplam 4, 2, 1, $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{8}$, dividenda est linea in punctis notatis 1, 2, 4, 8, 16, aut 4, 2, 1, $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{8}$, Deinde per has divisiones ducendæ sunt lineæ parallelæ ad AB, & ad AC; & linea AE, quæ debet exprimere motum compositum quæsitum, transibit necessariò per omnia puncta in quibus istæ lineæ parallelæ sese intersecabunt. Atque ita deprehenditur via, quam illud corpus motum insistere debet.

Si quis exactè cognoscere velit, quantùm temporis elapsum fuerit, ex quo corpus illud incepit moveri, quando ad certum punctum pervenit; lineæ parallelæ ductæ ab isto puncto ad AB, aut ad AC id indicabunt, nam divisiones lineæ AB & AC, denotant tempus. Pariter, si quis scire velit punctũ ad quod corpus illud pervenerit certo tempore; lineæ parallelæ ductæ ex divisionibus linearum AB & AC quæ repræsentant illud tempus, indicabunt intersectione suâ punctum petitum. Ad distantiam loci unde incepit motum suum, quod spectat, ea poterit semper facilè cognosci ducendo lineam ab illo puncto versùs A; nam longitudo istius lineæ cognoscetur per relationem ad AB, vel ad AC cognitas. Sed quod attinet ad longitudi-

nem itineris quod corpus illud emensum fuerit ut perveniret ad istud punctum, difficile erit illam cognoscere, quia cùm linea motûs ipsius, AE, sit curva, non potest referri ad ullam istarum linearum rectarum.

Si quis verò vellet determinare puncta infinita per quæ corpus illud transire debet, hoc est, accuratè describere & per motum continuum lineam AE; comparandus esset circinus cujus pedes accuratè moverentur, juxta conditiones statutas in suppositionibus suprà factis. Quod sæpè inventu difficillimum est, factû impossibile, & satis inutile ad deprehendendas relationes rerum inter se, quoniam non solet esse necessaria cognitio omnium punctorum ex quibus constat illa linea, sed tantùm quorundam quę conferunt ad imaginationem regendam ubi considerat tales motus.

Hæc exempla sufficiunt ut ostendamus plerasque ideas nostras posse imaginationi exprimi & repræsentari per lineas; & Geometriæ, quæ omnes docet comparationes seu collationes necessarias ad cognoscendas relationes linearum, usum longiùs patere quàm vulgò putatur. Etenim Astronomia, Musica, Mechanicæ Artes, & in genere omnes scientiæ quæ agunt de rebus quæ suscipiunt magis & minus, quæque per consequens considerari possunt ut extensæ, hoc est, omnes scientiæ accuratæ, possunt referri ad Geometriam; quia omnes veritates speculativæ, cùm duntaxat consistant in relationibus rerum, & in relationibus relationum, possunt omnes referri ad lineas. Ex ijs multæ consequentiæ possunt Geometricè deduci; & istis consequentijs per lineas quibus repræsentantur, factis sensibilibus, vix ullum est erroris periculum, atque ingentes progresus in scientijs fieri, hoc pacto, facillimè possunt.

Causa, exempli gratiâ, cur in Musicâ distinctè cognoscitur & præcisè notatur octava, quinta, quarta, ex eo est quòd soni exprimantur chordis exactè divisis; & quia notum est chordam quæ sonat octavum tonum esse in proportione duplà ad aliam quâ efficitur octava, quintam esse in proportione sesqui altera, aut duorum ad tria, & sic de cæteris. Namque auris sola de sonis cum præcisione, & exactitudine requisita in scientijs judicare nequit. Peritissimi Musici Practici, qui auri pollent delicatissima & subtilissima, nondum tamen sunt satis sagaces ut agnoscant differentiam quæ intercedit inter quosdam sonos; & nullam esse falsò sibi persuadent, quia de rebus judicant duntaxat per sensum suum. Sunt qui nullam admittunt differentiam inter octavam, & tres *ditonos*. Imò nonnulli arbitrantur tonum majorem à tono minori non differre; adeò ut *comma* quod constituit discrimen, ipsis sit insensibile, & potiori ratione *Schisma* quod est tantùm dimidia pars *commatis*.

Solâ igitur ratione manifestò comperimus, quòd, cùm spatium chordæ quod efficit differentiam inter nonnullos sonos, sit divisibi-

le in plurimas partes, possunt adhuc esse permulti varij soni utiles & inutiles ad Musicam, quos auris discernere nequit. Unde liquidò patet sine Arithmetica & Geometria Musicam accuratam & exactam nobis futuram fuisse ignotam; adeò ut si in hac scientiâ aliquem faceremus progressum id casu fortuito vel imaginationis ope fieret. Sicque Musica non esset amplius scientia demonstrationibus certis innixa; licèt cantilenæ vi imaginationis compositæ dulciores cantilenis juxta leges accuratas factis, videantur.

Pariter, in Mechanicis, gravitas alicujus ponderis, & distantia centri gravitatis hujus ponderis à fulcimento, cùm possit suscipere magis & minus, utraque potest exprimi lineis. Itaque maximus est Geometriæ usus ad retegendas & demonstrandas innumeras machinas vitæ utilissimas, & menti ob evidentiam suam jucundissimas.

Si, exempli gratiâ, pondus datum, ut sex librarum, constituere velis in æquilibrio cum pondere duntaxat trilibri; & pondus illud sex librarum adhæreat jugo trutinæ distanti ab ansa duobus pedibus; dummodo scias principium generale omnium Mechanicarum; scilicet, *Pondera ut maneant in æquilibrio, debere esse in proportione reciprocâ cum ipsorum distantiis ab ansa, seu agina*; Hoc est, pondus unum debere esse ad alterum pondus, ut quod distantia, quæ est inter ultimum pondus & ansam, est ad distantiam primi ponderis ab eadem ansa; facile erit deprehendere per Geometriam quænam debeat esse distantia ponderis trilibris, ut fiat æquilibrium, inveniendo juxta duodecimam propositionem sexti Libri Euclidis quartam lineam proportionalem, quæ habebit quatuor pedes longitudinis. Itaque, si modò teneatur principium fundamentale Mechanicarum, possunt retegi cum evidentia omnes veritates quæ ab ijs pendent, applicando Mechanicæ Geometriam, hoc est, exprimendo per lineas quęcunque in Mechanicis consideranda veniunt.

Lineæ & figuræ Geometricæ sunt igitur aptissimæ ad repræsentandum imaginationi relationes quæ sunt inter magnitudines, vel inter res quæ differunt secundùm magis & minus, ut spatia, tempora, pondera, &c. tum quia sunt objecta simplicissima, tum quia facillimè imaginationem subeunt. Immò id laudis Geometriæ tribui posset, quòd lineæ possunt plura imaginationi repræsentare, quàm mens potest cognoscere; cùm lineæ possint exprimere relationes magnitudinum incommensurabilium, hoc est, magnitudinum quarum relationes non possunt cognosci, quia nullam habent communem mensuram quâ possit fieri comparatio. Verùm ista Geometriæ prærogativa non est magni momenti ad veritatis investigationem, quia istæ expressiones sensibiles magnitudinum incommensurabilium, menti nihil afferunt lucis.

Geometria igitur est utilissima ad reddendam mentem attentam rebus quarum relationes cognoscere volumus. Illam tamen erroris

occaſionem nobis ſæpè præbere fatendum eſt, quia circa demonſtrationes evidentes & jucundas quas illa nobis ſubminiſtrat, ita detinemur, ut naturæ conſiderationem negligamus. Ex hac præcipuè cauſa, oritur infelix plerarumque machinarum quæ quotidie excogitantur, ſucceſſus; Hinc eſt quòd omnes Muſicæ compoſitiones, in quibus proportiones conſonantiarum accuratiſſime obſervantur, non ſunt omnium jucundiſſimæ; & ſupputationes Aſtronomiæ exactiſſimæ quantitatem, & tempus eclipſeon haud accuratè ſæpè prædicunt. Natura nequaquam eſt abſtracta: Vectes, & rotæ Mechanicæ non ſunt lineæ & circuli Mathematici: eodem modo omnes homines non ſentiunt circa Muſicæ modulationes & concentus, immò ijdem homines varijs temporibus variè ſentiunt. Opiniones circa id variæ ſunt pro varietate commotionis ſpirituum. Denique, Aſtronomiam quod ſpectat, nulla eſt perfecta regularitas in Planetarum curſû. Cùm in ingentibus iſtis natent ſpatiis à materiâ illos ambiente irregulariter admodùm abripiuntur. Itaque errores in quos circa Aſtronomiam, Mechanicam, Muſicam, & omnes ſcientias quibus applicari ſolet Geometria, incidimus, ex Geometriâ non oriuntur, hæc ſiquidem ſcientia certiſſima eſt, ſed ex falsâ iſtius ſcientiæ applicatione.

Exempli gratiâ, vulgò ſupponuntur Planetæ deſcribere motibus ſuis circulos & ellipſes perfectè regulares; id verum non eſt. Iſta tamen ſuppoſitio eſt neceſſaria ad ratiocinandum, nec eſt prorsùs illegitima quia parum abeſt, quin id verum ſit: At ſemper recordandum eſt, principium quô nituntur ratiocinia eſſe ſuppoſitionem. Pariter, in Mechanicis ſupponuntur rotæ & vectes, &c. perfectè dura eſſe, & ſimilia lineis & circulis Mathematicis, ſine gravitate, ac ſine confricatione: ſeu potiùs ipſorum gravitas, confricatio, materia, & relatio horum omnium inter ſe ſatis non conſiderantur; non attenditur, duritie, aut magnitudine augeri gravitatem, gravitate augeri confricationem, confricatione diminui vim; ac paulatim rumpi & deſtrui machinam; atque hoc pacto quod penè ſemper in parvis ſuum poteſt ſortiri effectum, in magnis vix unquàm ex voto cedere.

Mirum igitur non eſt ſi toties errent homines, dum juxta principia haud accuratè cognita, ratiocinantur; nec arbitrandum eſt Geometriam eſſe inutilem, quia nos ab omnibus noſtris non expedit erroribus. Suppoſitionibus ſemel factis, illius ope rectas elicere poſſumus conſequentias. Dum illa nos attentioni aſſuefacit ad ea quæ conſideramus, eodem tempore evidentem illorum cognitionem nobis conciliat. Immò ipſius ope dignoſcimus quandonam ſuppoſitiones noſtræ ſint falſæ. Sed ſine Geometria & Arithmetica in ſcientijs accuratis nihil quod paulò difficilius ſit, poteſt retegi, quamvis cæteroquin certis nitamur principijs.

Geo-

Geometria igitur habenda est tanquam species quędam scientiæ universalis, quâ ingenium acuitur, attendum redditur, & eò industriæ adducitur, ut imaginationem temperet, & ex ea auxilium sibi necessarium mutuetur; namque Geometriæ ope mens imaginationis motum temperat, & imaginatio moderata visum & applicationem mentis sustinet.

Verùm ut legitimus Geometriæ admittatur usus, observandum est omnia quæ cadunt sub imaginationem, eadem facilitate non objici imaginationi; omnes enim imagines ęqualiter non implent mentis capacitatem. Solidum difficiliùs imaginationi objicitur quàm planum, & planum difficiliùs quàm simplex linea. Plus enim adhibendum est cogitationis in visû claro solidi, quàm in visû claro plani, & lineæ. De diversis lineis res eodem modo se habet; plus requiritur cogitationis, hoc est, plus capacitatis mentis, ad sibi repręsentandam lineam parabolicam, aut ellipticam, aut quasdam alias magis complexas, quàm ad sibi repręsentandam circuli circumferentiam; & plus ad circumferentiam circuli quàm ad lineam rectam; quia difficiliùs imaginamur lineas descriptas per motus valdè compositos & multas habentes relationes, quàm lineas descriptas per motus simplicissimos, vel pauciores habentes relationes. Cùm enim relationes non possint clarè percipi sine attentione mentis ad plura, eò majori opus est cogitatione ad eas percipiendas quò plures sunt numero. Dantur itaque figuræ adeò complexæ ut mens satis non habeat capacitatis ad eas distinctè imaginandas; sed aliæ etiam sunt quas mens multò faciliùs imaginatur.

Ex tribus angulorum rectilineorum speciebus, nempe acuto, recto, & obtuso; solus rectus excitat in mente ideam distinctam & fixam. Innumeri sunt anguli acuti omnes inter se diversi; de obtusis res non secus se habet. Itaq; quum imaginamur angulum acutum, aut angulum obtusum, nihil exacti & distincti imaginamur. At verò ubi angulum rectum imaginamur nullum est erroris periculum; idea illius est distincta, quin & imago quam de ipso formamus in cerebro, ut plurimùm satis accurata est.

Possumus equidem determinare ideam vagam anguli acuti ad ideam specialem anguli triginta graduum, jam autem idea anguli triginta graduum non minùs accurata est quàm idea anguli 90. graduum, hoc est anguli recti. Sed imago quam de ipso nobis efformare conaremur, esset longè minùs accurata quàm imago anguli recti. Hujus imaginis repræsentationi assuefacti nondùm sumus, nec possumus illam formare nisi cogitando de circulo, aut parte determinatâ circuli divisi in partes æquales. Sed ut imaginemur angulum rectum, cogitatio illius divisionis circuli necessaria non est; sola lineæ perpendicularis idea sufficit imaginationi ut formet imaginem hujus anguli, nec mens ullam patitur difficultatem ut sibi repræsen-

ter perpendiculares, quia omnia stantia, seu erecta, videre assuefacti sumus.

Ut igitur, habeatur objectum simplex, distinctum, fixum, ad id aptum ut facilè imaginationem subeat, ac per consequens ut mentem reddat attentam, & evidentiam in veritatibus quas investigat conservet, ut, inquam, tale habeatur objectum judicare facile est, omnes magnitudines quas consideramus referendas esse ad simplices superficies, lineis, & angulis rectis terminatas, ut sunt quadrata perfecta, & aliæ figuræ rectangulæ, vel ad simplices lineas rectas. Istarum enim figurarum natura faciliùs cognoscitur.

Ceterùm res omnes quarum cognitio investigatur per lineas & figuras Geometricas posse exprimi hîc non pertendimus. Multa sunt quæ huic regulæ nec possunt nec debent adaptari. Exempli gratiâ, cognitio Dei omnipotentis, infinitè justi, à quo omnia omnimodè pendent, qui creaturis suis felicitatem pollicetur, ea lege atque conditione ut ipsius mandatis obediant, hæc, inquam, cognitio principium est totius Ethices; & ex illo innumeræ possunt deduci certæ & indubitatæ consequentiæ; hoc tamen principium istæque consequentiæ lineis & figuris Geometricis exprimi nequeunt. Innumeræ pariter notiones Physicæ quarum ope plurimas veritates evidenter cognoscimus lineis determinari & repræsentari nequaquàm possunt. Attamen permulta hoc Geometrico modo posse & examinari, & addisci fatendum est. Illo itaque uti semper utile est quia usu temperato imaginationis, per hanc methodum, adhibito, mens attentioni assuefit, & quia quæ hac ratione discuntur, clariùs demonstrata videntur, & faciliùs memoriæ tenentur.

Auxilium quod ex Geometriâ petitur ad conservandam mentis attentionem sensibus tribuere potuissem: Verùm Geometriam ad imaginationem potiùs pertinere quàm ad sensus existimavi, quamvis lineæ sint aliquid sensibile. Quibus de causis id egerim hic referre inutile satis foret, id enim nullius usus esset, nisi ut ordinem à me in supradictis observatum lectori approbarem, quod essentiale non est. De Arithmeticâ quoque & de Algebra non sum loquutus, quia numeri, & literæ Alphabeticæ, quibus istæ utuntur scientiæ, non tam conferunt ad attentionem mentis augendam, quàm ad ipsius extendendam capacitatem, ut Capite sequenti sumus explicaturi.

Hæc sunt auxilia generalia quibus mens attentior reddi potest. Nulla alia nobis suppetunt, præter ipsam voluntatem attendendi, de qua hîc sermo non habetur, supponimus enim eos qui student, attendere velle ad ea quæ student.

Multa tamen alia sunt auxilia specialia, propria quibusdam hominibus; ut certa quædam potûs & cibi genera, quædam loca, quædam corporis dispositiones, & alia circa quæ quisque sibi magister

esse debet, propriam consulendo experientiam. Imaginationis dispositio est examinanda post cibum sumptum, & attendendum quęnam conservent, aut dissipent mentis attentionem. Quod circa id generalius dici potest, huc redit, usum, scilicet, moderatum alimentorum quę multos faciunt spiritus animales, esse aptissimum ad augendam attentionem mentis, & vim imaginationis languidę.

CAPUT V.

De modis augendi extensionem & capacitatem mentis. Arithmeticam, & Algebram ad id omninò necessarias esse.

ARbitrandum primâ fronte non est posse unquàm verè augeri capacitatem & extensionem mentis. Mens humana est, ut ita loquar, quantitas determinata, & certa quędam cogitationis portio; mens majorem acquirere nequit extensionem, seu capacitatem eâ quam habet; nec inflatur, nec extenditur, ut liquores, & metalla inflari & extendi creduntur. Denique magis non percipit hoc tempore quàm illo.

Id equidem experientiæ repugnare videtur. Sæpè de multis objectis cogitamus, sæpè verò de unico, immò sæpè nos nihil cogitare dicimus. Attamen si attendatur cogitationem esse menti id quod extensio est corpori, manifestò patebit, quòd quemadmodum corpus non potest esse reverâ magis extensum hoc tempore, quàm illo, ita si res æquâ judicij lance perpendatur, mens nunquam potest plus cogitare uno tempore quàm alio, sive plurima percipiat objecta, sive unicum, immò etiam tempore quò nos nihil cogitare asserimus.

Verùm causa cur credamus nos plus cogitare certo quodam tempore quàm alio, ex eo oritur, quòd satis non distinguamus inter percipere confusè, & percipere distinctè. Certè plus requiritur cogitationis, vel capacitas cogitandi debet esse plenior, ad percipiendas multas res distinctè, quàm ad unicam percipiendam; sed non plus requiritur cogitationis ad percipienda multa confusè, quàm ad unicam rem distinctè percipiendam. Itaque plus non est cogitationis in mente ubi de multis rebus cogitat, quàm ubi de unica: cùm si de unicâ cogitet illam longè clariùs percipiat, quàm quum pluribus intenta est.

Obſervandum enim eſt unicam ſimplicem perceptionem tantum quandoque includere cogitationis, ſeu tantum implere capacitatem mentis, quantùm judicium, immò ratiocinium complexum; quandoquidem experientia docet, perceptionem ſimplicem, ſed vividam, claram, & evidentem unius duntaxat rei, nos æquè applicare & occupare, ac ratiocinium complexum, vel perceptio obſcura, & confuſa multarum relationum inter multas res.

Quamadmodùm enim tantum aut etiam plus eſt ſenſûs in viſû ſenſibili objecti alicujus quod præ manibus habeo, oculis cominus diſpicio, & accuratè examino, quàm in viſû ingentis planitiei quam negligenter & ſecurè oberrans circumſpicio; ita ut claritas & diſtinctio ſenſationis quam habeo de illo objecto oculis meis proximo, compenſet extenſionem ſenſûs confuſi multarum rerum quas in planitie ſecutus video; Pariter, viſus mentis circa unicum objectum interdum adeò vividus, & diſtinctus eſt, ut tantum, aut etiam plus includat cogitationis, quàm viſus relationum quæ ſunt inter multas res.

Equidem quandoque contingit ut cogitare nobis videamur de unicâ re, quam tamen vix poſſumus capere, cùm è contra alio tempore rem illam, multaſque alias cum ipſa quàm facillimè capiamus. Atque his adducti cauſis menti majorem eſſe cogitandi capacitatem certo quodam tempore quàm alio arbitramur. Verùm nos hallucinari evidens eſt. Cauſa cur quibuſdam temporibus res facillimas ægrè tamen concipimus, ex eo non oritur quòd cogitatio mentis, vel ipſius ad cogitandum capacitas ſit imminuta, ſed quia hæc capacitas aliquâ ſenſatione vividâ doloris, aut voluptatis, aut ingenti numero ſenſationum debilium & obſcurarum, quæ ſtuporem quendam gignunt, occupatur; nam ſtupor ut plurimùm aliunde non procedit quàm ex ſenſû confuſo plurimarum rerum.

Quælibet ceræ portio unam quidem figuram valdè diſtinctam poteſt ſuſcipere; ſed duas ſuſcipere nequit quin una ab alterâ confundatur; nam eodem tempore perfectè rotunda, & perfectè quadrata eſſe non poteſt; ſi denique mille recipiat figuras, earum nulla erit diſtincta. Jam autem ſi illa ceræ portio proprias figuras ſuas poſſet cognoſcere, ſcire tamen nequiret quânam terminaretur figurâ, ſi earum numerus æquô major eſſet. De mente noſtrâ res non ſecus ſe habet, cùm ipſius capacitas innumeris impletur modificationibus, eas diſtinctè percipere nequit, quia eas ſeparatim non ſentit. Itaque ſe nihil ſentire autumat. Dolorem, voluptatem, lucem, ſonos, ſapores ſe ſentire dicere nequit; horum omnium nihil diſtinctè ſentit, licèt his omnibus confusè afficiatur.

Sed licèt ſupponeremus mentem non ſubmitti motui confuſo & inordinato ſpirituum animalium; ipſamque à corpore ita abſtrahi, ut ipſius cogitationes à corporis motibus nequaquam penderent;

poſſet tamen evenire ut quædam certò tempore faciliùs caperemus quàm alio, capacitate mentis noſtræ nullatenus tamen imminutâ, vel auctâ. Tunc enim de alijs rebus ſpeciatim, vel in genere de ente indeterminato cogitaremus.

Idea generalis infiniti eſt inſeparabilis à mente, ipſiuſque capacitatem omninò occupat, cùm de re aliqua ſpeciali non cogitat. Dum enim dicimus nos nihil cogitare, hinc concludendum non eſt nos non cogitare ad ideam illam generalem, ſed duntaxat nos ad nihil ſpeciale cogitare.

Certè ſi idea illa mentem noſtram non impleret, de rebus quibuſlibet cogitare non poſſemus, ut id tamen poſſumus; etenim de rebus planè ignotis cogitari nequit. Jam autem ſi idea illa menti præſentior non adeſſet, ubi nihil cogitare nobis videmur, quàm quum de aliquâ re ſpeciatim cogitamus, æquè facilè ad rem quamlibet pro lubitû cogitaremus, ubi veritati cuipiam ſpeciali ſtrenuè incumbimus, quàm quum nulli rei ſpeciatim animum appellimus, quod experientiæ repugnat. Nam, exempli gratiâ, quum Geometricæ propoſitioni fortiter incumbimus, de rebus quibuſlibet eadem facilitate cogitare non poſſumus, ac quando nullâ occupamur ſpeciali cogitatione. Itaque eò magis cogitamus ad ens generale & infinitum, quò minùs cogitamus ad entia ſpecialia & finita; atque ita ſemper tantumdem cogitatur uno tempore quàm alio.

Non poteſt igitur augeri mentis capacitas, illam, ut ita dicam, inflando, ipſique plus realitatis communicando, ſed tantummodò illâ induſtriè utendo; quod apprimè fit Arithmeticæ & Algebræ ope. Iſtæ enim ſcientiæ rationem docent, ita contrahendi ideas, eaſque eo ordine conſiderandi ut mens quamvis parvâ prædita capacitate, iſtarum ſcientiarum ope, veritates maximè complexas, quæque primâ fronte videntur ἀκατάληπτοι, poſſit tamen capere. Sed res à principio ſunt reſumendæ, ut ſolidiùs & clariùs explicentur.

Veritas nihil aliud eſt quàm relatio realis, ſive æqualitatis ſive inæqualitatis. Falſitas nihil aliud eſt quàm *negatio* veritatis, aut relatio falſa & imaginaria. Veritas eſt, *id quod eſt*: falſitas verò non eſt, aut ſi mavis, *eſt id quod non eſt*. Ubi relationes quæ reverâ ſunt videmus, nunquam fallimur; quia ubi videmus veritatem, nunquam fallimur. At cùm judicamus, nos videre quaſdam relationes, quæ tamen non ſunt, tunc fallimur, tunc enim falſitatem videmus, videmus id quod non eſt, ſeu potiùs nihil videmus. Qui videt relationem æqualitatis inter bis duo & quatuor, ille videt veritatem, quia videt æqualitatis relationem, quæ reverâ eſt ſicut illam videt. Pariter quicunque videt relationem inæqualitatis inter bis duo & quinque, videt veritatem, quia videt relationem inæqualitatis quæ reverâ eſt. At qui judicat ſe videre relationem æqualitatis inter bis

2 & 5, ille fallitur, quia videt, vel potiùs quia se videre putat relationem æqualitatis quæ non est. Veritates igitur nihil sunt quàm relationes, & cognitio veritatum nihil est quàm cognitio relationum. Sed falsitates nihil sunt, & cognitio falsitatis, aut cognitio falsa, est cognitio eorum quæ non sunt, si id dici possit; cùm enim id quod non est cognosci nequeat nisi relatè ad id quod est, non cognoscitur error nisi per veritatem.

Tot falsitatum genera possunt distingui quot veritatum. Et sicut relationes sunt triplicis generis, ideæ ad aliam ideam, rei ad ideam suam, aut ideæ ad rem suam, denique rei ad aliam rem, pariter veritates sunt & falsitates trium generum. Sunt inter ideas, inter res & ipsarum ideas, & inter res tantummodò. Verum est bis 2. esse 4. falsum est bis duo esse 5. Hîc sunt veritas & falsitas inter ideas. Verum est unum existere solem, falsum est duos esse: hîc sunt veritas & falsitas inter res & ipsarum ideas; Verum est denique, terram Lunâ esse majorem; & falsum Solem esse terrâ minorem; hic sunt veritas & falsitas inter res tantummodò.

Ex tribus illis veritatum speciebus; quæ sunt inter ideas, æternæ sunt & immutabiles, & propter ipsarum immutabilitatem sunt etiam regulæ & mensuræ cæterarum: omnis enim regula, aut omnis mensura debet esse immutabilis. Et hanc ob causam in Arithmeticâ, Algebrâ & Geometriâ solæ istæ considerantur veritates, quia istæ scientiæ generales includunt omnes scientias particulares & earum sunt regulæ. Omnes relationes, vel omnes veritates quæ sunt inter res creatas, vel inter ideas & res creatas obnoxiæ sunt mutationi cujus omnis creatura capax est. Solæ veritates quæ sunt inter nostras ideas & Ens summum, sunt immutabiles, ut relationes quæ sunt inter solas ideas, quia Deus mutationi obnoxius non est, non secus ac ideæ quas includit.

Hinc est quòd nullas veritates solo mentis exercitio retegere conemur, præter veritates quæ sunt inter ideas. Sensibus enim penè semper utimur ad alias detegendas. Ut rerum existentiæ certiores fiamus manibus & oculis utimur, ut & ad cognoscendas earum relationes æqualitatis aut inæqualitatis. Solarum idearum, mens potest cognoscere relationes sine erroris periculo & sine sensuum usû. Sed non modò est relatio inter ideas, sed etiam inter relationes quæ sunt inter ideas, inter relationes relationum idearum, ac denique inter conjunctiones multarum relationum, & inter relationes conjunctionum illarum relationum & sic in infinitum. Geometræ veritatem simplicem, hoc est, relationem unius ideæ integræ ad aliam, relationem 4. ad 2. vel ad bis 2. vocant *rationem Geometricam* aut simpliciter *rationem*; namque excessus aut defectus ideæ, vel, ut terminis usitatis utar, excessus aut defectus magnitudinis non est propriè ratio, ut nec excessus aut defectus æquales, sunt rationes æquales. Ubi

ideæ aut magnitudines sunt æquales, tunc est ratio æqualitatis; ubi sunt inæquales, ratio est inæqualitatis.

Relatio quæ est inter relationes magnitudinum, hoc est, inter rationes vocatur, *ratio composita*, quia est relatio composita: ratio quæ est inter rationem 6. ad 4. & 3. ad 2. est ratio composita. Et quum rationes componentes sunt æquales, hæc ratio composita dicitur *proportio* seu *ratio duplicata*. Ratio quæ est inter rationem 8. ad 4. & rationem 6. ad 3. est proportio, quia duæ istæ rationes sunt æquales.

Jam autem observandum est omnes relationes aut omnes rationes, tum simplices, tum compositas esse veras magnitudines, & ipsum terminum *magnitudinis* esse terminum relativum qui aliquam relationem necessariò designat. Quippe nihil magnum est per se, & sine relatione ad aliud, præter infinitum aut unitatem. Immò omnes numeri integri æquè sunt relationes & rationes, ac numeri fracti, aut numeri comparati cum alio, vel divisi per alium; quamvis id possit non animadverti, quia isti numeri integri possunt exprimi per unicum numerum arithmeticum; 4, exempli gratiâ, vel $\frac{8}{2}$ est æquè relatio vel ratio ac $\frac{1}{4}$ aut $\frac{2}{8}$ unitas ad quam numerus 4. refertur non exprimitur, sed subintelligitur, nam numerus integer 4. est relatio vel ratio, æquè ac $\frac{4}{1}$ aut $\frac{8}{2}$, cùm numerus 4. æqualis sit istis $\frac{4}{1}$ vel $\frac{8}{2}$ Cùm igitur omnis magnitudo sit relatio, aut omnis relatio magnitudo, omnes relationes numeris arithmeticis exprimi, & signis imaginationi repræsentari posse evidenter patet.

Cùm itaque omnes veritates nihil sint quàm relationes; ut accuratè cognoscamus omnes veritates, tum simplices, tum compositas, sufficit nos accuratè cognoscere omnes earum relationes, tum simplices, tum compositas. Duplicis sunt generis, ut jam dictum est; relationes æqualitatis & relationes inæqualitatis. Omnes relationes æqualitatis similes esse constat; itaque simul ac cognoscimus rem unam esse æqualem alteri cognitæ, illius relatio vel ratio, accuratè cognoscitur. Sed de inæqualitate res secùs se habet; notum est turrim esse majorem decempedâ, & minorem mille decempedis, illius tamen turris magnitudo, & ratio ad unam decempedam accuratè non cognoscitur.

Ut res inter se comparentur, vel potiùs, ut relationes inæqualitatis accuratè possimus metiri, opus est mensurâ justâ & exactâ; opus est ideâ simplici & infinitè intelligibili; mensurâ universali; quæque possit rebus quibuslibet accommodari. Hæc mensura est unitas. Hac omnia exactè possumus metiri, & sine illâ nihil quicquam ac-

curatè cognosci potest. Sed cùm omnes numeri ex unitatibus duntaxat constent, jam evidens est sine ideis numerorum & sine ratione & modo comparandi & metiendi has ideas, hoc est, sine Arithmeticâ nullum posse fieri progressum in cognitione veritatum complexarum.

Idea, seu relationes inter ideas, unô verbô, magnitudines cùm possint esse majores & minores alijs magnitudinibus, non possunt reddi æquales nisi per plus & minus quæ componantur ex unitate toties repetitâ, quoties necesse erit. Itaque per solam additionem aut substractionem unitatis, & partium unitatis (ubi divisa concipitur) possumus accuratè metiri omnes magnitudines, & omnes cognoscere veritates. Jam autem inter omnes scientias Arithmetica & præcipuè Algebra solæ possunt nos ad id instituere ut dexterè, evidenter, & cum miro capacitatis ingenij temperamento istas operationes facere possimus. Istæ igitur duæ scientiæ solæ eam menti communicant perfectionem & extensionem, cujus capax est. Cùm per eas solas omnes retegantur veritates quæ accuratè possunt cognosci.

Nam Geometria vulgaris imaginationis perfectioni magis confert quàm mentis, & veritatibus, quæ hujus scientiæ ope reteguntur, tanta non semper est evidentia quam Geometræ vulgò putant. Existimant, exempli gratiâ, se expressisse quarundam magnitudinum valorem, ubi probaverunt illas magnitudines æquales esse quibusdam lineis, quæ subtenduntur angulis rectis quorum latera accuratè cognita sunt, aut alijs lineis, aliquâ ex sectionibus conicis determinatis. Sed illos hallucinari manifestum est; nam illæ subtensæ, exempli gratiâ, ipsæ sunt incognitæ. Accuratiùs cognoscitur $\sqrt{8}$, vel $\sqrt{20}$. quàm linea quam imaginamur aut quæ describitur super chartâ, ut subtendatur angulo recto, cujus latera singula sunt 2, vel cujus unum latus est 2. alterum verò 4. saltem cognoscimus $\sqrt{8}$ quàm proximè accedere ad 3, & $\sqrt{20}$. esse 4. & $\frac{1}{2}$ circiter: Ac certis quibusdam regulis ad veram illarum magnitudinem in infinitum possumus accedere; quòd si eò pervenire nequeamus, id ex eô fit quòd mens infinitum capere nequeat. Sed confusam tantùm habemus ideam magnitudinis subtensarum, immò ut exprimantur recurrendum est ad $\sqrt{8}$. vel $\sqrt{20}$. Itaque constructiones Geometricæ quibus utuntur ad exprimendos valores quantitatum incognitarum, ad moderandam imaginationem, & ad detegendas relationes aut veritates quæsitas utiliores sunt quàm ad mentem ipsam regendam. Sed quia imaginationis quam mentis usû longè magis delectamur, plerique Geometriam Arithmeticæ & Algebræ anteponunt.

Ut manifesto pateat Arithmeticam & Algebram esse etiam Logicam retegendæ veritati, & extendendæ, quantùm id fieri potest, men-

mentis capacitati utilissimam; Quædam circa istarum scientiarum regulas observare sufficiet. Omnes veritates nihil aliud esse quàm relationes, simplicissimam relationem & accuratissimè cognitam esse relationem æqualitatis; ab eâ incipiendam esse mensuram aliarum relationum ut accuratam inæqualitatis assequamur ideam; mensuram quâ uti debemus, esse unitatem; illamque esse addendam vel tollendam quoties necesse est, ad metiendum excessum aut defectum inæqualitatis harum magnitudinum; modò dictum est.

Hinc liquidò patet omnes operationes, quæ possunt conferre ad deprehendendas relationes æqualitatis, nihil esse præter additiones & subtractiones; additiones magnitudinum ad æquandas magnitudines; additiones relationum ad æquandas relationes; vel ad magnitudines secundùm proportionem disponendas; denique additionem relationum relationum ad æquandas relationes relationum, vel ad magnitudines disponendas secundùm proportionem compositam.

Ut 4. æquentur cum 2. addendum est 2. ad 2. aut tollendum 2. de quatuor, aut denique addenda est unitas ad 2. & tollenda de 4. Id clarum est.

Ut æquetur relatio aut ratio 8. ad 2. rationi 6. ad 3. addendum non est 3. ad 2; nec tollendum 3. ab 8. ita ut excessus unius numeri suprà alium æqualis sit cum 3. qui est excessus numeri 6. supra 3. hoc pacto enim duntaxat adderentur, & æquarentur magnitudines simplices. Primò, videndum est quænam sit quantitas relationis 8. ad 2. vel quid valeat $\frac{8}{2}$ & reperietur dividendo 8. per 2, *exponentem* hujus rationis esse 4. vel $\frac{8}{2}$ æquari numero 4. Pariter videndum est quænam sit quantitas rationis 6. ad 3. & reperitur æqualis numero 2. Hoc pacto liquet hasce duas rationes, $\frac{8}{2}$ æquales esse numero 4. & $\frac{6}{3}$ numero 2, tantùm differre numero 2. ut itaque æquari possint; potest numero $\frac{6}{3}$ adhuc addi numerus $\frac{6}{3}$ æqualis numero 2. Sic enim habebitur $\frac{12}{3}$ quæ erit ratio æqualis rationi $\frac{8}{2}$ vel potest ex ratione $\frac{8}{2}$ tolli ratio $\frac{4}{2}$ æqualis numero 2. sic enim habebitur $\frac{4}{2}$ quæ erit ratio æqualis rationi $\frac{6}{3}$ vel denique addetur unitas numero $\frac{6}{3}$ & tolletur ab $\frac{8}{2}$ sic enim habebitur $\frac{9}{3}$ & $\frac{6}{2}$ quæ sunt relationes æquales, nam 9. est ad 3. sicut 6. ad 2,

Denique, ut cognoscatur quantitas inæqualitatis, inter terationes quæ oriuntur, altera ex ratione compositâ, vel ex ratione rationum 12. ad 3. & 3. ad 1; altera verò ex ratione compositâ, aut ratione rationum 8. ad 2, & 2. ad 1; eâdem insistendum est viâ. Primò, quantitas rationis 12. ad 3. denotatur per 4; vel 4. est exponens rationis 12. ad 3; & 3. est *exponens* rationis 3. ad 1; & exponens rationis quæ est inter exponentes 4. & 3. est $\frac{4}{3}$. Secundò exponens rationis 8. ad 2 est 4. & rationis 2. ad 1. est 2; & exponens exponentium 4. & 2. est 2. Denique inæqualitas inter rationes quæ oriuntur ex rationibus rationum, est differentia inter $\frac{4}{3}$ & 2. hoc est, $\frac{2}{3}$. Ergo $\frac{2}{3}$ si addantur rationi rationum 12. ad 3. & 3. ad 1, vel si tollantur de ratione aliarum rationum 8. ad 2. & 2. ad 1, æquantur istæ rationes rationum, & efficiunt proportionem compositam. Itaque possumus uti additionibus & substractionibus ad æquandas magnitudines & earum rationes, tum simplices, tum complexas, & ad assequendam ideam accuratam quantitatis inæqualitatis quæ est inter ipsas.

Multiplicationum & divisionum, tum simplicium, tum compositarum usus equidem obtinet, sed illæ, nihil aliud sunt quàm *additiones & subtractiones* compositæ. Multiplicando enim 4. per 3, fiunt additiones numeri 4, quot numerus ternarius continet additiones unitatis, vel invenitur numerus qui eandem habet rationem ad 4. quam 3. habet ad unitatem: & dividendo 12. per 4, subtrahuntur 4. ex 12, quoties id fieri potest, hoc est, reperitur numerus cujus ratio ad unitatem æqualis sit rationi 12. ad 4. Nam 3. illius exponens eandem habet rationem ad unitatem quam 12. ad 4; *Extractiones radicum quadratarum, cubicarum, &c.* nihil sunt quàm divisiones per quas una, duæ, vel tres *media proportionales* quæruntur.

Adeò finita est mens hominis, ipsius memoria infidelis, & imaginatio angusta ut absque numerorum arithmeticorum & scriptura usu, & sine industriâ Arithmeticæ ope partâ, nequaquam possint fieri operationes necessariæ ad cognoscendam inæqualitatem magnitudinum & rationum quæ sunt inter ipsas: Ubi essent multi numeri addendi aut subtrahendi, seu, quod idem est, ubi numeri illi sunt magni, nec possunt addi nisi per partes, istarum aliquæ semper omitterentur. Nulla est imaginatio satis vasta ut fractiones paulò majores, exempli gratiâ, $\frac{1723}{4203}$, $\frac{17240123}{124314}$ addere possit, vel unam ab aliâ subtrahere.

Multiplicationes, divisiones & extractiones radicum numerorum integrorum sunt longè difficiliores simplicibus additionibus aut subtractionibus; mens sola sine Arithmeticæ auxilio arctior est & debilior quàm ut eas per se facere possit. Nec his demonstrandis immorari operæ pretium est.

Analysis tamen & Algebra multò præstantior est Arithmeticâ; mentis capacitatem longè minùs dispescit, modô omnium simplicissimo & facillimo ideas contrahit. Quod arithmeticæ ope non nisi magno temporis dispendio fit, Algebræ ope unico temporis momento effectum datur, mente nullomodo turbatâ numerorum varietate & operationum longitudine. Quid plura? Quædam erant scibilia & quorum scientia erat necessaria, quæ tamen per solam Arithmeticam cognosci non poterant, sed non credam esse quicquam utile, quodque accuratè ab hominibus sciri possit, ad cujus cognitionem Arithmeticæ & Algebræ ope pervenire non possint. Itaque istæ duæ scientiæ sunt fundamentum cæterarum omnium, & rationes suppeditant quibus omnes accuratæ scientiæ acquiri queant: nullâ enim aliâ ratione quàm per Arithmeticam & præcipuè per Algebram fit, mentis capacitas meliùs & faciliùs attemperari & dirigi potest.





PARS SECUNDA
DE METHODO.

CAPVT PRIMVM.

De legibus observandis in veritatis investigatione.

EXplicatis, rationibus & medijs quibus mens attentior & amplior, ac proinde perfectior, fieri, hoc est, majorem perspicacitatem acquirere possit, jam veniendum est ad leges necessariò observandas in omnium quæstionum solutione. Hîc diu satis immorabor, & rem multis exemplis illustrare conabor, ut legum illarum necessitas meliùs cognoscatur, & ad eas in praxin redigendas mens faciliùs assuescat. Illarum enim praxis earumdem cognitione difficilior est.

Cæterùm hîc nihil extraordinarij quod mentem perstringat expectandum est: qnin ut istæ leges prodesse possint, oportet eas esse simplices & naturales, paucas numero, intellectû facillimas, & à se invicem pendentes. Unô verbô mentem nostram duntaxat veluti manû ducere debent ac attentionem moderari, illam verò non dissipare & diversam agere. Ex experientiâ enim satis constat Logicam Aristotelis admodùm utilem non esse, quia mentem nimis occupat, illamque ab attentione ad res quas examinat abducit. Qui igitur solis delectantur mysterijs & figmentis extraordinarijs indolem istam ridiculam aliquantisper abdicent, & attendant pro virili, an leges infrà tradendæ sufficiant ad conservandam semper evidentiam in mentis perceptionibus, & ad retegendas veritates abditissimas. Dummodò iniquis non prævertantur judicijs circa hasce regulas ob ipsarum simplicitatem & facilitatem, confido ipsos, usu quem de illis faciendum mox indicabimus, esse agnituros, principia clarissima & simplicissima esse omnium fœcundissima, & res extraordinarias, ac difficiles tantam non semper afferre utilitatem, quantam vana nostra curiositas nobis inducere solet.

Harum omnium legum principium est; *semper conservandam esse evidentiam in ratiocinijs ut veritas sine erroris periculo retegatur.* Ab isto princi-

pio pendet hæc generalis lex, circa ſtudiorum noſtrorum materiam, *nos*, ſcilicet, *non debere ratiocinari niſi de rebus quarum ideas habemus claras*, ac per conſequentiam neceſſariam, *ſemper incipiendum eſſe à rebus ſimpliciſſimis & facillimis, & ijs diutiſſimè immorandum eſſe; antequam veniamus ad inquiſitionem rerum maximè complexarum & difficilium.*

Leges circa rationem quâ procedere debemus ad ſolvendas quæſtiones pendent etiam ab hoc eodem principio; & prima illarum legum eſt. *Statum quæſtionis ſolvendæ eſſe diſtinctiſſimè concipiendum*, præterea ideæ terminorum ſatis diſtinctæ eſſe debent ut poſſint comparari, & relationes quæſitæ cognoſci poſſint.

At ubi relationes rerum inter ſe cognoſci nequeunt, eas immediatè comparando; ſecunda lex eſt: *aliquo mentis conamine unam aut plures ideas medias eſſe inveniendas, quibus uti poſſimus ut menſurâ communi ad agnoſcendas earum ope relationes quæ ſunt inter res illas.* Accuratè ſtudendum eſt ut ideæ illæ ſint claræ & diſtinctæ, prout relationes accuratiores, & plures numero deprehendere conamur.

Quum verò quæſtiones difficiles ſunt & longum requirunt examen; tertia lex eſt; *A materiâ agitandâ ea omnia eſſe amovenda quorum examen non eſt neceſſarium ad retegendam veritatem quæſitam.* Etenim capacitas mentis inutiliter non eſt dividenda, & omnis ipſius acies & vis collocanda eſt duntaxat circa res ex quibus lumen percipere poteſt. Quæ poſſunt eliminari, ea ſunt omnia quæ ad quæſtionem non pertinent, &, quibus eliminatis, quæſtio integra ſubſiſtit.

Ubi quæſtio intra paucos terminos ſic incluſa fuit, quarta regula eſt. *Materiam meditationis eſſe dividendam per partes, illaſque partes ſigillatim eſſe tractandas juxta ordinem naturalem, incipiendo à ſimplicioribus, hoc eſt, ab ijs quæ pauciores includunt relationes; nec ad magis complexas unquam tranſgrediendum, quin ſimpliciores priùs diſtinctè cognitæ, & familiares redditæ fuerint.*

Ubi hæc meditatione familiaria, & nobis veluti ſolennia facta ſunt, quinta regula eſt. *Horum omnium ideas eſſe contrahendas, & in imaginatione diſponendas, vel in chartâ ſcribendas, adeò ut mentis capacitatem ampliùs non impleant.* Quamvis hæc regula ſemper utilis ſit, omninò tamen neceſſaria eſt duntaxat in quæſtionibus difficillimis, quæque magnam mentis capacitatem exigunt, quia illa capacitas non poteſt extendi niſi contrahendo ideas. Iſtius & ſequentium Regularum uſus non cognoſcitur accuratè niſi in Algebrâ. Ubi ideæ omnium neceſſariò conſiderandorum, claræ, familiares, contractæ, in imaginatione ordine digeſtæ, vel in chartâ expreſſæ ſunt; ſexta regula eſt. *Omnia eſſe comparanda, ſeu conferenda juxta combinationum leges, alternatim inter ſe invicem, aut ſolo mentis intuitû, aut motû imaginationis conjuncto cum viſû mentis, aut calculo calami conjuncto cum attentione mentis & imaginationis.*

Si nulla ex omnibus relationibus quæ reſultant ex iſtis omnibus comparationibus, ea ſit quæ inveſtigatur; *Iterum ex omnibus iſtis rela-*

tionibus ea sunt amovenda quæ inutiles sunt ad quæstionis solutionem; aliæ verò familiares reddendæ, contrahendæ, & in imaginatione ordine disponendæ, aut in chartâ exprimendæ; invicem comparandæ juxta leges combinationum; & videndum an relatio composita quæ disquiritur, sit aliqua ex omnibus relationibus compositis quæ resultant ex novis istis comparationibus.

Si nulla ex istis relationibus repertis includat quæstionis solutionem; *ex omnibus istis relationibus eliminandæ sunt inutiles; aliæ familiares sibi reddendæ, &c.* Et hoc pacto pergendo veritas aut relatio quæ disquiritur quantumvis complexa comperietur: dummodò mentis capacitatem sufficienter extendere valeamus, contrahendo ideas, & in omnibus istis operationibus ad terminum nobis attingendum semper attendamus. Nam perpetuus quæstionis intuitus omnibus mentis progressionibus debet præesse, quia quò tendamus scire operæ pretium est.

Imprimis cavendum est ne falso quodam splendore aut verisimilitudine contenti decipiamur, ac comparationes ad veritatem de quâ agitur comperiendam necessariæ toties sunt iterandæ, quousque assensum nostrum cohibere non possimus, quin arcanis excipiamur objurgationibus à Magistro intùs respondente quæstionibus nostris, hoc est, labori, mentis applicationi, & cordis desiderijs. Tunc verò veritate illâ uti poterimus, ut principio certo ad progressus in scientijs edendos.

Leges suprà traditæ necessariæ non sunt ad omnes in genere quæstiones; ubi enim quæstiones sunt facillimæ, prima sufficit; in quibusdam alijs, prima & secunda duntaxat necessariæ sunt. Uno verbo, cùm his legibus utendum sit, donec veritas quæsita, fuerit comperta, eò plures sunt ad praxim adhibendæ quò quæstiones sunt difficiliores.

Istarum legum numerus non est magnus. Omnes à se invicem pendent. Naturales sunt; & ijs ita assuescere possumus, ut sine magno negotio, prout casus postulabit, adhiberi queant. Uno verbo mentis attentionem possunt ita regere ut non dissipetur. Sed per se tam exigui momenti videntur, ut operæ pretium facturus sim eas commendandi gratiâ, si ostendam Philosophos in plurimos incidisse errores ridiculos, quia ne vel duas primas quamquam faciliores & utiliores, observaverunt. Et illis utendo Cartesium ingentes illas & fecundas veritates, quæ in ipsius scriptis videri possunt, retexisse.

CAPUT II.

De lege generali quæ versatur circa materiam studiorum nostrorum. Philosophos Scholasticos illam non observare, quod multorum in Physicâ errorum causa est.

PRimâ istarum legum, quæ versatur circa materiam studiorum nostrorum, docemur nos non debere ratiocinari nisi de rebus quarum ideas claras habemus, vel ratiocinia nostra niti debere ideis claris. Hinc concludendum est, ut ordine studia nostra instituamus, incipiendum esse à rebus simplicissimis & captû facillimis, immò ijs diu insistendum esse antequam pergatur ad investigationem rerum maximè complexarum & difficilium.

Hujusce generalis legis necessitas apud omnes in confesso esse debet; quis enim non videt eum in tenebris versari, qui in ratiocinijs suis nititur ideis obscuris & principijs incertis? Sed forsan mirum videbitur, si asseram eam nunquam penè observari, & plerasque scientias quæ adhuc falsis quibusdam doctis superbiæ occasionem præbent, niti duntaxat ideis, aut nimis confusis, aut generalioribus, quàm ut ad veritatis indagationem utiles esse possint.

Aristoteles, inter Philosophos istius commatis facilè *Princeps*, quia istius Philosophiæ, quam tantô colunt studiô, pater est, nunquam penè ratiocinatur nisi juxta ideas confusas quas sensuum ope percipimus, & juxta alias ideas vagas, generales, & indeterminatas, quæ nihil speciale menti repræsentant. Namque termini isti Philosopho solennes duntaxat idonei sunt ad exprimendas confusè sensibus & imaginationi sensationes confusas quas de rebus sensibilibus habemus; & sermonem, seu orationem conficiunt adeò vagam & indeterminatam ut eâ nihil possit distinctè exprimi. Omnia penè ipsius scripta, ac præcipuè octo libri Physices, quorum tot sunt varij Commentatores, quot sunt Philosophiæ Magistri, nihil sunt quàm mera Logica. In ijs magna verborum est copia, sensûs verò parum. Ille tamen author non est diffusus, sed illam callet artem ut conciso sermone nihil tamen proferat præter verba & voces. In alijs suis operibus adeò frequenter non utitur terminis vagis & generalibus; attamen ijs utitur qui solas sensuum confusas ideas excitant. Per has ideas in problematibus suis & alibi resolvere satagit duobus verbis innumeras quæstiones, de quibus demonstrari potest eas non posse solvi.

Verùm, ut hæc faciliùs intelligantur, recordandum est eorum quæ

alibi à me dicta fuerunt, omnes scilicet terminos qui ideas sensibiles duntaxat excitant, esse æquivocos, sed, quod notatû dignum est, æquivocos ex errore & ignorantiâ, ac ideò innumerorum errorum causam esse.

Ista vox, *Aries*, est æquivoca, significat animal quoddam, & constellationem; sed circa illam raro hallucinamur. Quis enim nisi Astrologiæ spiritû emotus aliquam imaginetur relationem inter hæc duo hoc eodem nomine designata; & credat eos qui sub signo *Arietis* medicinas sumunt illas evomituros esse, quia aries est animal quod ruminatur vel remandit. Terminos, quibus ideæ sensibiles exprimuntur, quod attinet, nemo ferè est qui illorum æquivocationem deprehendat. Aristoteles & Antiqui de illâ nequidem cogitarunt. Qui in ipsorum operibus legent istius rei veritatem nullo negotio comperient, dummodò quâ in re versetur istorum terminorum æquivocatio distinctè teneant. Philosophos enim circa id diversum prorsùs ab eo quod credendum est, credidisse manifestò patebit.

Exempli gratiâ, quum Philosophi dicunt ignem esse calidum, herbam viridem, saccharum dulce, &c. puerorum & plebis adinstar existimant ignem in se continere id quod sentiunt dum calefiunt: herbam esse indutam coloribus quos in eâ se videre arbitrantur: saccharum dulcedinem includere quam edendo sentiunt; & sic de cæteris quæ videmus aut sentimus. Ipsorum scripta legenti res extra omne dubium est. De qualitatibus sensibilibus ut de sensationibus loquuntur; calorem pro motû accipiunt, & hoc pacto, propter terminorum æquivocationem, confundunt modificationes corporum cum modificationibus spirituum.

Duntaxat, ex quô floruit Cartesius, hisce quæstionibus confusis & indeterminatis, an ignis sit calidus? an herba sit viridis? an saccharum sit dulce? &c. respondetur distinguendo æquivocationem terminorum sensibilium quibus illæ quæstiones exprimuntur. Si per calorem, colorem, saporem, intelligas talem vel talem motum partium insensibilium, ignis quidem est calidus, herba viridis, saccharum dulce. At si per calorem & cæteras qualitates intelligas id quod sentio propè ignem, id quod video dum video herbam, &c. certè ignis non est calidus, nec herba viridis, &c. nam calor quem sentimus & colores quos videmus sunt in solâ mente, ut primo Libro probatum fuit. Cùm autem homines existiment id quod sentiunt idem esse ac id quod est in objecto, credunt se meritò judicare de qualitatibus objectorum per sensationes, quas eorum occasione habent. Itaque vix ullum hac de re proferunt verbum quod aliquid falsi non includat, & quicquid dicunt obscurum & confusum est, ob causas sequentes.

1. Quia omnes homines easdem de ijsdem objectis non habent sensationes, immò nec idem homo diversis temporibus, vel quum eadem objecta in diversis corporis partibus sentit. Quod huic dulce; illi amarum

rum videbitur. Quod huic frigidum, alteri calidum erit; Quod homini frigenti calidum videtur, eidem homini calefacto frigidum videtur, vel ubi id sentit in diversis corporis partibus. Aquâ alterâ manû videri potest calida, alterâ verò frigida, vel si aqua admoveatur alicui parti cordi proximæ. Sal linguæ salsum videtur, vulneri verò acre & acutum. Saccharum linguæ dulce est, aloë amarissimum: Sed cæteris sensibus nihil dulce aut amarum est. Itaque quum dicimus rem aliquam esse frigidam, dulcem, amaram, id nihil certi significat.

2. Quia diversa objecta eandem possunt excitare sensationem gypsum, panis, nix, saccharum, sal, &c. eandem excitant coloris sensationem; Illorum tamen albor diversus est, si de ijs aliter judicemus quàm per sensus. Itaque dum dicimus farinam esse albam, nihil distincti dicimus.

3. Quia qualitates corporum quæ excitant in nobis sensationes planè diversas, eædem fermè sunt; Illæ contra quæ easdem penè in nobis efficiunt sensationes, sæpè perquam diversæ sunt. Qualitates dulcedinis & amaritudinis in objectis vix sunt diversæ, quamvis sensationes amaritudinis: & dulcedinis essentialiter differant. Motus qui gignunt dolorem & titillationem, tantùm differunt secundùm magis & minus: licèt sensationes titillationis & doloris essentialiter differant. Contrà verò asperitas fructûs non videtur gustui tam diversa ab amaritudine quàm dulcedo, hæc tamen qualitas ab amaritudine omnium maximè differt; nam necesse est fructum asperum ob immaturitatem, ingentem subire mutationum numerum, antequàm sit amarus, amaritudine, quæ ex putredine, aut ex nimiâ maturitate procedat. Cùm fructus maturi sunt, dulces; at ubi æquò sunt maturiores amari videntur. Amaritudo igitur & dulcedo fructuum non differunt inter se nisi secundùm magis & minus. Et hanc ob causam nonnullis dulces videntur, dum alijs amari; immò non desunt quibus aloë videatur dulce instar mellis. De omnibus ideis sensibilibus res non secùs se habet, Termini dulcis, amari, salsi, acris, acidi, &c. rubri, viridis, flavi, &c. hujus aut illius saporis, odoris, coloris, &c. sunt igitur æquivoci, nec ullam in mente excitant ideam claram & distinctam. Attamen Philosophi Scholastici, & vulgus hominum de omnibus qualitatibus sensibilibus corporum non judicant nisi per sensationes quas de illis recipiunt.

Isti Philosophi de qualitatibus sensibilibus per sensationes quas in ipsis excitant, non modò judicant; immò de rebus ipsis judicia ferunt pro judicijs quæ formaverunt circa qualitates sensibiles. Ex eo enim quòd sensationes recipiunt essentialiter diversas ex quibusdam qualitatibus; judicant dari generationem novarum formarum, quæ producunt imaginarias illas differentias qualitatum; frumentum videtur flavum, durum, &c. farina verò alba, mollis, &c. atque inde

Ggg

concludunt ex oculorum & manuum testimonio hæc corpora essentialiter differre; dummodò non cogitent ad modum quo frumentum in farinam convertitur. Attamen farina nihil aliud est quàm frumentum tritum & molitum; sicut ignis nihil aliud est, quàm lignum divisum & agitatum; sicut cinis nihil aliud est quàm crassior portio ligni divisi, sed non agitati; sicut vitrum nihil aliud est quàm cinis, cujus singulæ partes fuerunt politæ & paulùm rotundatæ, attritione ignis ope factâ, & sic de alijs corporum transmutationibus.

Hinc igitur patet, terminos & ideas sensibiles prorsùs inutiles esse ad distinctè proponendas & clarè solvendas quæstiones, hoc est, ad veritatem retegendam; Attamen nullæ sunt quæstiones quantumvis intricatæ terminis æquivocis sensuum, quas Aristoteles & plerique Philosophi solvere non satagant in Libris suis, licèt distinctionibus suprà traditis non utantur; quia illi termini æquivoci sunt ex errore & ignorantiâ.

Si ij, exempli gratiâ, qui per totam vitam incubuerunt lectioni antiquorum Philosophorum & Medicorum, illorumque opiniones & genium hauserunt, interrogentur; an aqua sit humida, an ignis sit siccus, an vinum sit calidum, an sanguis piscium sit frigidus, an aqua vino sit crudior, an aurum argento vivo sit perfectius, an plantæ & bestiæ præditæ sint animâ, & ipsis innumeræ aliæ quæstiones indeterminatæ proponantur; ad eas imprudenter respondebunt, consultis duntaxat impressionibus quas objecta illa in sensus ediderunt, aut ijs quæ ex lectione memoriæ mandaverunt. Hosce terminos æquivocos esse non animadvertent. Mirabuntur si quis eos definire velit; ac irascentur si quis eos præcipitantiæ insimulet & admoneat ipsos à sensibus decipi. Ipsis non desunt distinctiones ad confundenda ea quæ sunt evidentissima, sed in hisce quæstionibus, in quibus æquivocationem tollere tanti est momenti, nihil vident distinguendum.

Si animadvertamus plerasque quæstiones Philosophorum & Medicorum includere terminos æquivocos ijs similes de quibus suprà, constabit Doctos istos, qui terminos quibus utuntur definire non potuerunt, nihil etiam solidi, in ingentibus quæ composuerunt voluminibus, dicere potuisse; & hoc sufficit ut omnes penè veterum opiniones evertantur. De Cartesio res secus se habet, omnia optimè distinxit, nullam quæstionem per ideas sensibiles solvit; ac si illum attentè legamus videbimus præcipuos naturæ effectus ab ipso clarè & evidenter explicari per solas ideas distinctas extensionis, figuræ & motûs.

Aliud genus terminorum æquivocorum, quo uti solent Philosophi complectitur omnes illos terminos generales Logicæ, quibus omnia, sine ullâ rerum ipsarum cognitione, facilè explicari possunt, Aristoteles eorum maximum admisit usum; his terminis ipsius Libri scatent, ac multi solam sapiunt Logicam. Omnia proponit & solvit egregijs terminis *generis, speciei, actûs, potentiæ, naturæ, formæ, faculta-*

tum, qualitatum, causæ *per se*, causæ *per accidens*; Ipsius Sectatores vix possunt credere istis terminis nihil significari, nec quemquam doctiorem fieri, ubi eos audivit dicentes ignem dissolvere metalla, quia habet facultatem dissolvendi, & hominem non concoquere cibos, quia habet stochachum debilem, vel quia facultas *concoctrix* non benè suas obit functiones.

Attamen qui his duntaxat utuntur terminis & ideis generalibus ad res explicandas, erroribus non sunt æquè obnoxij, ac ij qui utuntur duntaxat terminis qui nihil aliud in mente excitant quàm confusas sensuum ideas. Scholastici Philosophi errori tam obnoxij non sunt quàm quidam Medici qui de omnibus decidunt, verba sua dogmatum instar propinant, & nonnullis experientijs, quarum rationes ignorant, freti, systemata stabiliunt; sed Scholastici terminis adeò generalibus utuntur ut non magnum ipsis ingruat errandi periculum.

Ignis calefacit, siccat, obdurat, emollit quia prædictus est facultate producendi hæc effecta. Senna purgat qualitate purgativâ, atque etiam panis nutrit facultate nutritivâ; istæ propositiones extra erroris periculum sunt positæ. Qualitas est, id quod efficit ut res tali nomine designetur : Id certè Aristoteli negari nequit. Ejusmodi loquendi formulæ, equidem non sunt falsæ, sed reverâ nihil significant. Istæ ideæ vagæ & indeterminatæ in errorem non injiciunt, sed veritati retegendæ inutiles sunt.

Licèt enim sciam esse in igne formam substantialem conjunctam cum innumeris facultatibus similibus facultati calefaciendi, dilatandi, liquefaciendi aurum, argentum & omnia metalla, illuminandi, urendi, coquendi, si tamen hæc difficultas solvenda mihi proponeretur, an, scilicet, ignis possit indurare lutum, an verò possit emollire ceram : ideæ formarum substantialium & facultatum producendi calorem, rarefactionem, fluiditatem, &c. nihil possent conferre ad solvendam difficultatem propositam; cùm nulla sit connexio inter ideas duritiei in luto & mollitiei in cera, & ideas formæ substantialis & qualitatum producendi rarefactionem, fluiditatem, &c. De omnibus ideis generalibus res perinde est; Itaque ad solvendam quamlibet quæstionem prorsùs sunt inutiles.

At verò si sciam ignem nihil aliud esse quàm lignum, cujus partes in perpetuâ versantur agitatione, & hac solâ agitatione in nobis excitari sensationem caloris : Item, si sciam mollitiem luti consistere duntaxat in commistione quâdam terræ & aquæ; cùm ideæ istæ non sint confusæ & generales, sed distinctæ & particulares, haud difficili negotio judicabo calorem ignis debere indurare lutum; quia facile est intelligere, corpus quodpiam posse movere aliud corpus, si hoc agitatum in illud incidat. Cùm calor quem propè ignem stantes sentimus, partium invisibilium quæ in manus impingunt motû

producatur; certè si lutum ignis calori admoveatur; judicare facile est partes aqueas terræ admistas, ut pote tenuiores ac proinde corpusculorum ex igne prosilientium impulsione partibus crassis terræ citiùs agitatas, debere exhalari & terram siccam ac duram relinquere. Pariter evidenter patebit ignem non posse indurare ceram, dummodò sciam partes ex quâ constat, esse ramosas & ejusdem propemodum quantitatis seu molis & crassitudinis. Itaque ideæ speciales ad veritatis investigationem utiles sunt: cùm è contra ideæ vagæ & indeterminatæ ad id nihil possint conferre, immò in errorem sensim conjiciant.

Nam Philosophi terminos generales & ideas vagas quæ his respondeant adhibere contenti non sunt: Volunt præterea hisce terminis significari quædam entia specialia. Existimant quandam dari substantiam à materiâ diversam, quæ sit forma materiæ; & innumera exigua entia distincta realiter à materia & à forma; Et totidem supponere solent, quot diversas habent corporum sensationes, & quot ab istis corporibus diversa in ipsis produci effecta arbitrantus.

Cuilibet tamen attento manifestum est, omnia hæc parva entia ab igne, exempli gratiâ, distincta, quæque in eo contineri supponuntur, ad producendum calorem, lumen, duritiem, fluiditatem, &c. esse mera imaginationis à ratione deficientis figmenta. Ratio enim nullam habet ideas speciales quibus hæc entia ipsi repræsententur. Si à Philosophis roges quænam entitas sit illa facultas illuminandi in igne, hoc solum respondebunt, scilicet, ens esse per quod ignis capax est producendi lumen. Adeò ut idea quam habent de illâ illuminandi facultate, diversa non sit ab ideâ generali causæ & ideæ confusæ effectûs quem vident. Quum igitur illa entia generalia admittunt, nullam eorum quæ dicunt habent ideam claram. Itaque ea proferunt quæ nec ab ipsis, nec ab ullo possunt intelligi.

CAPUT III.

De errore periculosissimo Philosophiæ Veterum.

NOn modò Philosophi ea dicunt quæ non intelligunt, dum effecta naturæ per quædam entia explicant, quorum nullam habent ideam specialem; Verùm etiam principium tradunt ex quo consequentiæ falsissimæ & periculosissimæ directè deduci possunt.

Si enim, juxta illorum opinionem, supponamus esse in corporibus quasdam entitates distinctas à materiâ; cùm illarum entitatum nullam habeamus distinctam ideam, facilè judicare possumus illas

esse veras & præcipuas causas effectuum, quos videmus. Immò hæc est vulgaris Philosophorum opinio: non alio animo existimant esse formas substantiales, qualitates reales, & alias similes entitates, quàm ut explicent hos naturæ effectus. Si posteà attentè consideremus ideam quam habemus de causâ, aut de potentiâ agendi, haud dubiè illa idea nobis repræsentabit aliquid Divinum. Nam idea potentiæ summæ est idea summi Numinis, & idea potentiæ inferioris est idea Divinitatis inferioris, sed veræ tamen Divinitatis, saltem juxta Paganorum mentem, dummodò sit idea potentiæ, aut causæ veræ. Aliquid igitur Divini admittitur in omnibus corporibus quæ nos ambiunt, dum admittuntur formæ, facultates, qualitates, virtutes & entia realia idonea ad producendos quosdam effectus vi naturæ suæ: atque hoc pacto plerique, veneratione quâ colunt Philosophiam Ethnicorum, in ipsorum opiniones sensim revertuntur. Illi equidem fide sustinentur, sed si cor Christianum sit, forsan meritò dicere possumus, mentem esse Paganam.

Præterea, credere difficile est veras potentias & entitates quæ in nos agere, nos aliquo dolore punire, aut aliquâ voluptate remunerari possunt, nec amore, nec timore dignas esse. At verò cùm amor & timor sint vera adoratio, qui hasce admittunt potentias, ab ijs adorandis difficilè arceri queunt. Quicquid in nos ut causa vera & realis agere potest, necessariò est supra nos, juxta D. Augustinum & secundùm rectam rationem; Jam autem juxta eundem Augustinum & eandem rationem, id lege immutabili statutum est ut inferiora superioribus serviant. Has ob causas ille Doctor agnoscit corpus non posse agere in mentem, * & nihil esse posse supra mentem præter Deum.

Ego enim ab animâ hoc corpus animari nō puto, nisi intentione facientis; nec ab isto quicquam illam pati arbitror, sed facere de illo & in illo, tanquā subjecto Divinitùs dominationi suæ. l.6. Muf. c. 5.

* Vid. c. 34. August. *de quantitate animæ.*

In Sacrâ Scripturâ, ubi Deus Israelitis probat, se ab illis adorari, hoc est, amari & timeri debere; præcipuas hujusce mandati rationes deducit ex potentia suâ, quâ illos punire & remunerari potest: Beneficia, quæ in ipsos contulit, mala inflicta, & quæ adhuc infligere potest ipsis repræsentat. Illos vetat adorare Ethnicorum Deos, quia nullâ in ipsos pollent authoritate & potentiâ, nec quicquam boni aut mali ipsis possunt afferre. Sibi soli vult honorem tribui, quia ille solus est vera causa boni & mali, nec ullum in ipsorum urbe evenit, quod, juxta Prophetam, ipse non efficiat: nam causæ naturales non sunt veræ causæ mali quod nobis creare videntur; Et cùm Deus solus agat in ipsis, ille solus in ipsis timendus est & amandus, *Soli Deo honor & gloria.*

Amos. c. 3. 6.

Denique ista notio, id timendum & amandum esse quod est vera causa boni & mali adeò naturalis & legitima videtur, ut exui nequeat. Si itaque falsa hæc Philosophorum opinio quam profligare conamur, supponatur; scilicet corpora quibus circumdamur esse veras causas voluptatum & malorum quæ sentimus; ratio Religio-

ni Ethnicorum favere & universalem, hoc pacto, morum corruptionem probare videtur.

Ratio equidem non docet cæpis, exempli gratiâ, & porris, esse eandem deferendam adorationem ac summo numini, quia illorum possessione summè beati, ut & illorum privatione prorsus infelices evadere non possumus. Ac reverâ Pagani ijs nunquam eundem tribuerunt honorem ac Maximo Jovi, à quo omnes Divinitates pendebant, aut Soli quem sensus nobis repræsentant tanquam causam universalem, quæ vitam & motum omnibus communicat; quemque vix possumus temperare quin habeamus ut summum numen; si cum Philosophis Ethnicis supponamus illum in essentiâ suâ includere veras causas omnium, quæ non modò in nostro corpore & in mente nostrâ, verùm etiam in omnibus entibus quæ nos ambiunt producere videtur.

Verùm si summus honos porris & cepis tribui non debeat, saltem, juxta hanc Philosophiam, aliquâ speciali adoratione, digni esse videntur; circa illa cogitatio potest occupari, possuntque aliquatenus amari, si verum sit nos ab ipsis beatitatem aliquam posse consequi: ijs tribuendus est honos juxta proportionem boni quô nos afficere possunt. Et certè, homines qui sensuum testimonio fidunt, existimant hasce plantas posse ipsis benè facere. Nam Israelitæ, exempli gratiâ, cepas Ægypti in deserto non desiderassent, nec sese illarum privatione infelices existimavissent, nisi illarum fruitione se aliquatenùs felices duxissent. Hi sunt errores in quos, ratione cum principijs Philosophiæ Ethnicæ conjunctâ, ac sensuum impressiones sequente conjicimur.

Ut miseræ istius Philosophiæ falsitas extra omne dubium constituatur, & Principiorum nostrorum soliditas, ac idearum quibus utimur perspicuitas evidenter pateat; veritates clarè oppositas veterum Philosophorum erroribus stabilire, & unicam esse veram causam, quia unicus est Deus; naturam, aut vim uniuscujusque rei nihil aliud esse quàm voluntatem Dei. Omnes causas naturales non esse veras causas, sed tantùm causas occasionales, & alias veritates quæ ab his sequuntur, paucis probare operæ pretium est.

Nulla corpora, magna, parva, prædita esse vi sese movendi evidens est. Mons, domus, lapis, arenæ calculus, denique minimum vel maximum corpus, vim non habet sese movendi. Duplicis duntaxat generis habemus ideas, ideas spirituum, ideas corporum: Cùm autem de ijs tantùm loqui debeamus quæ concipimus, juxta solas hasce duas ideas ratiocinari debemus? Cùm itaque idea quam de omnibus corporibus habemus, nobis ostendat illa non posse sese movere, concludendum est illa à mentibus moveri. Sed quum examinamus ideam quam habemus de omnibus mentibus finitis, nullam videmus connexionem necessariam, inter illarum voluntatem, &

motum ullius corporis; contrà videmus nullam esse nec esse posse ejusmodi connexionem. Ex hoc igitur concludere debemus, saltem si juxtà cognitiones nostras ratiocinari velimus, nullam mentem creatam posse movere ullum corpus, ut causam veram, aut præcipuam, ut diximus nullum corpus posse seipsum movere.

At verò quum attendimus ad ideam Dei, hoc est, entis infinitè perfecti ac ideò Omnipotentis, cognoscimus talem connexionem inter ipsius voluntatem & omnium corporum motum esse, ut nemo concipere possit illum velle aliquod corpus moveri, quin protinus moveatur. Solâ igitur ipsius voluntate corpora moveri dicere debemus; Si res ut eas sentimus, dicere velimus. Vis movens corporum non est igitur in corporibus quæ moventur, cùm vis illa movens nihil aliud sit quàm Dei voluntas. Itaque corpora per se omni actione destituta sunt, & ubi globus motus, alium sibi obvium movet, primus ille globus alteri nihil communicat quod habeat in se; ipse enim non habet impressionem quam communicat. Attamen globus est causa naturalis motûs quem communicat. Causa naturalis non est igitur causa realis & vera, sed tantùm causa occasionalis, quæ determinat Authorem naturæ ad agendum hoc, vel illo modo, hoc vel illo tempore.

Corporum visibilium aut invisibilium motû omnia produci constat; nam experientia nos docet, corpora quorum partes magis agitantur, magis etiam agere & majores in mundo efficere mutationes. Omnes igitur naturæ vires nihil aliud sunt quàm Dei voluntas. Deus creavit mundum, quia id voluit; *Dixit & facta sunt*: Omnia movet, & sic omnes quos videmus effectus producit, quia etiam certas voluit leges secundùm quas motus communicarentur corporibus sibi invicem occurrentibus; quia verò leges illæ sunt efficaces, agunt, corpora verò ipsa non agunt. Nullæ igitur sunt vires, potentiæ, causæ veræ in mundo materiali & sensibili, nec ullæ in eo admittendæ sunt formæ, facultates, & qualitates reales ad producendos effectus, quos corpora nequeunt producere; id enim est partem virtutis & potentiæ Deo soli essentialis corporibus tribuere.

Verùm enim verò, non modò corpora non possunt esse veræ causæ ullius rei; Mentes, etiam nobilissimæ, in eadem versantur impotentia. Nihil possunt cognoscere, nisi Deus ipsas illuminet. Nihil possunt sentire nisi Deus ipsas modificet. Nihil possunt velle, nisi Deus ipsas versùs se moveat. Possunt, equidem determinare impressionem quâ Deus ipsas versùs se inflectit; sed non satis scio an id dici possit potentia. Si posse peccare est potentia, certè est potentia quam Omnipotens non habet, inquit, alicubi Augustinus. Si homines à se haberent potentiam amandi bonum, aliquam potentiam habere dici possent. Sed homines non possunt amare nisi

quia Deus vult ipsos amare, & quoniam Dei voluntas est efficax. Homines non possunt amare, nisi quia Deus illos indesinenter impellit versùs bonum in genere, hoc est, versùs se. Deus enim illos duntaxat creavit propter se, illos nunquam conservat quin eos versùs se impellat; Ipsi igitur sese non movent versùs bonum in genere; à Deo moventur. Duntaxat, hanc impressionem liberrimè sequuntur juxta legem Divinam, vel illam versùs falsa bona determinant juxta legem carnis; sed illam non possunt determinare nisi intuitû boni; cùm enim nihil possint præter id quod Deus vult, nihil possunt amare præter bonum.

Sed licèt supponeremus, quod equidem verum est aliquo sensû, mentes per se habere potentiam cognoscendæ veritatis & amandi boni, si ipsorum cogitationes & voluntates nihil extrinsecùs producerent, meritò dicere possemus illas nihil posse. Jam autem constare mihi videtur voluntatem spirituum vel minimum corpus movere non posse; nam nullam esse connexionem necessariam inter voluntatem nostram, exempli gratiâ, movendi brachium, & motum brachij evidens est. Movetur equidem quando volumus illud moveri; ac proinde sumus causa naturalis motûs brachij nostri. Sed causæ naturales non sunt veræ causæ; nihil sunt quàm causæ occasionales, quæ non agunt nisi vi & efficaciâ voluntatis Divinæ, ut jam dictum est.

Quomodo enim brachium nostrum movere possemus? Ut moveatur opus est spiritibus animalibus, illi spiritus mittendi sunt versùs quosdam nervos, & versùs quosdam musculos, ut inflentur & contrahantur; Sic enim brachium his alligatum movetur, vel juxta nonnullos, nondum satis compertum est quomodò id fiat. Et experientia nos docet homines, qui nequidem sciunt an habeant spiritus, nervos, musculos, movere tamen brachia, immò faciliùs & solertiùs ijs qui optimè callent anatomiam. Hinc igitur concludendum est homines quidem velle movere brachium, sed Deum solum posse & nosse illud movere. Si homo non possit turrim subruere, saltem novit rationes quibus illa possit subrui; Sed nullus est homo cui notum sit quid sit agendum ad movendum unum ex digitis suis ope spirituum animalium. Quò pactò igitur homines possent movere brachium? Hæc omnia mihi, & ijs omnibus quì cogitare & attendere volunt, videntur evidentia, quamvis forsan capi nequeant ab ijs qui duntaxat sentire volunt.

Sed non modò homines non sunt veræ causæ motuum quos edunt in corpore suo, immò contradictorium videtur illos esse causas istorum motuum. Causa vera, est causa inter quam & effectum mens deprehendit necessariam connexionem, rem enim sic intelligo. Jam autem nullum est ens inter cujus voluntatem & effecta, mens deprehendat connexionem necessariam, præter ens infinitè perfectum, Deus

Deus igitur ſolus eſt vera potentia, & ſolus reverâ habet potentiam movendi corpora. Addo, concipi non poſſe, Deum poſſe communicare hominibus, aut Angelis potentiam quam habet movendi corpora; Ac certè qui exiſtimant, potentiam quam habemus movendi brachium, eſſe veram potentiam, debent fateri Deum poſſe etiam communicare mentibus potentiam creandi, annihilandi, faciendi omnia poſſibilia, uno verbo Deum poſſe illos reddere omnipotentes, ut infrà ſum oſtenſurus.

Deus non eget inſtrumentis ad agendum, ſufficit ipſum velle ut res ſit, quia contradictorium eſt ipſum velle, & id quod vult non fieri. Ipſius igitur potentia eſt ipſius voluntas; & ſi ſuam communicaret potentiam, ſuam communicaret voluntatem. Jam verò ſuam communicare voluntatem homini, vel Angelo, nihil aliud ſignificat quàm velle, ut quum homo, vel Angelus volet hoc, vel illud corpus moveri, corpus actû moveatur. Quod ſi ita ſit, video duas voluntates concurrentes ubi Angelus movebit corpus, voluntatem Dei & voluntatem Angeli; Ut igitur cognoſcam utra ſit vera cauſa motûs corporis, ſciendum eſt quænam ſit efficax. Eſt connexio neceſſaria inter Dei voluntatem & effectum quod vult produci. Hoc poſito, Deus vult, ut quotieſcunque Angelus voluerit hoc, vel illud corpus moveri, corpus actû moveatur. Ergo eſt connexio neceſſaria inter voluntatem Divinam & motum illius corporis: Ac per conſequens Deus eſt vera cauſa motûs illius corporis, & voluntas Angeli cauſa occaſionalis duntaxat.

Sed ut id clariùs oſtendatur; ſupponamus Deum velle, ut contrarium eveniat ejus quod quædam mentes vellent evenire, ut id cogitari poteſt de Dæmonibus aut de alijs quibuſdam mentibus eadem pœnâ dignis, tunc Deus non poſſet dici ipſis communicare potentiam ſuam, cùm nihil poſſent efficere eorum quæ vellent. Tamen voluntates iſtarum mentium eſſent cauſæ naturales effectorum quæ producerentur.

Certa quædam corpora ad dextram moverentur, duntaxat quia mentes illæ vellent ea moveri ad ſiniſtram; & deſideria iſtarum mentium determinarent voluntatem Dei ad agendum, ut voluntates noſtræ movendi partes corporis noſtri, determinant primam cauſam ad eas movendas, omnes itaque voluntates mentium nihil ſunt quàm cauſæ occaſionales.

Si quis, his auditis rationibus, vellet tamen adhuc aſſerere voluntatem Angeli quæ moveret corpus aliquod, eſſe veram cauſam, non verò occaſionalem motûs; evidens eſt illum Angelum poſſe pari ratione eſſe veram cauſam creationis & annihilationis omnium. Deus enim poſſet ipſi communicare potentiam ſuam creandi & annihilandi corpora, non ſecùs ac potentiam illa movendi, modò vellet om-

nia creari & annihilari, uno verbo, si vellet omnia fieri secundùm voluntatem Angeli; ut voluit in exemplo suprà allato corpora moveri ad nutum Angeli. Si igitur homo, vel Angelus dicantur verè motores, quia Deus ad ipsorum voluntatem movet corpora; dicendum est pariter Angelum & hominem posse esse verè creatores, cùm Deus possit creare entia quotiescunque volent. Immò & forsan animalia vilissima, aut materia sola dici posset reverâ causa creationis alicujus substantiæ; supponendo cum Philosophis, ad exigentiam materiæ Deum producere formas substantiales. Denique, quia Deus ab æterno decrevit creare certo tempore certas quasdam res, tempora illa etiam dici possent causæ creationis illorum entium: quemadmodum globus in alium impingens globum existimatur vera causa motûs quem ipsi communicat; quia Deus voluntate suâ generali, quæ efficit ordinem naturæ, voluit, ut quum duo corpora sibi invicem occurrerent, talis vel talis fieret motûs communicatio.

Solus igitur Deus est vera causa, nullaque alia est præter illum; nec arbitrandum est id quod præcedit effectum illius veram esse causam. Deus ipse potentiam suam creaturis communicare nequit, si rationis lumina sequamur; non potest efficere ut sint veræ causæ; illas non potest facere Deos. Sed etiamsi id posset, concipere non possumus cur id vellet. Corpora, spiritus, puræ intelligentiæ, hæc omnia nihil possunt. Mentes ab authore suo illuminantur & agitantur. Qui creavit cœlum & terram, utriusque motus regit. Denique Creator noster nostras voluntates exequitur, *semel jussit, semper paret.* Immò brachium nostrum movet, ubi etiam illo utimur adversùs ipsius mandata, ipse enim per Prophetas queritur nos illum eò adducere ut injustis desiderijs nostris obtemperet.

Variæ omnes illæ Ethnicorum Divinitates, & omnes illæ Philosophorum speciales causæ nihil sunt quàm chimæræ à Cacodæmone excogitatæ, ad evertendum veri numinis cultum. Philosophia illa non ex Adamo sed ex serpente ad nos transivit, namque ex quo peccatum irrepsit mens humana tota Ethnica facta est, hujus Philosophiæ cum sensuum erroribus conjunctæ ope, Sol olim fuit adoratus & ex eadem origine fluit ingens mentis depravatio & cordis corruptio quæ inter homines grassatur. Quare, inquiunt actionibus suis & sæpè verbis, quare non amaremus corpora, cùm tot nos afficiant voluptatibus? Et cur ridentur Israelitæ dum desiderabant caules & cepas Egypti; cùm reverâ essent infelices, utpote qui privati essent rebus, ex quibus aliquam poterant consequi beatitatem. Verùm Philosophia, quæ dicitur nova, quæ repræsentatur ut spectrum ad deterrendos debiles animos, quæ contemnitur & damnatur, licèt minimè intellecta; Philosophia, inquam, nova, cùm illam eo velint nomine designare, omnes profanorum rationes destruit maximo ex principijs suis,

quod omninò consentit cum * primo principio Religionis Christianæ; unum, scilicet Deum esse amandum & timendum; quippe qui solus nos beatos reddere possit.

Si enim Religio nos docet unicum esse verum Deum, hæc Philosophia nobis demonstrat unicam esse veram causam. Si Religio nos docet omnes Ethnicorum Divinitates nihil esse quàm lapides & metalla sine vitâ & motû. Hæc Philosophia nobis evincit omnes causas secundas, seu omnes Philosophiæ Divinitates nihil esse quàm materiam & voluntates inefficaces. Denique si Religio nos docet genu non esse flectendum coràm Dijs non Dijs, hæc Philosophia nos pariter docet, imaginationem & mentem nostram non debere demitti coràm magnitudine & potentiâ imaginariâ causarum non causarum; eas nec esse amandas nec timendas: mentem nostram circa eas non occupandam esse; De Deo solo esse cogitandum; Deum in omnibus videndum; Deum in omnibus adorandum; Deum in omnibus amandum & timendum esse.

Verùm hæc non est indoles quorundam Philosophorum, Deum videre nolunt, de Deo cogitare nolunt: nam ex peccato orta est quædam inter homines & Deum repugnantia. Deos pro arbitrio sibi fingunt, & imaginationis figmentorum timore & amore, ut Ethnici operibus manuum suarum, delectantur. Pueris similes, qui coràm sodalibus suis quos ipsi conspurcavere, contremiscere solent. Vel, ut comparatione utamur nobiliori, licèt forsan minùs accommodatâ, similes illustribus Romanis, qui ingenij sui figmenta venerabantur, & Imperatores suos emissâ, in ipsorum apotheosibus aquilâ, ineptè adorabant.

** Hæc est religio Christiana, fratres mei, quæ prædicatur per universum mundum, horrentibus inimicis, & ubi vincuntur murmurantibus, ubi prævalet sævientibus, hæc est Religio Christiana, ut colatur Deus nō multi Dei, quia non facit animam Beatam nisi unus Deus.* Aug. Tr. 23. *in Ioan.*

CAPUT IV.

Explicatio secundæ partis legis generalis. Illam à Philosophis non observari, Cartesium verò illam accuratè observasse.

Suprà observati sunt errores quibus ij obnoxij sunt, qui secundùm ideas sensuum falsas & confusas, & secundùm ideas vagas & indeterminatas meræ Logicæ, ratiocinantur. Hinc non obscurè patet, ad conservandam evidentiam in perceptionibus, necessariò observandam esse legem suprà præscriptam, & examinandum quænam sint ideæ claræ & distinctæ rerum, ut secundùm illas ideas duntaxat ratiocinemur.

In eadem illa lege generali, quæ versatur circa materiam studiorum nostrorum, hæc circumstantia sedulò animadvertenda est; nempe semper incipiendum esse à rebus simplicissimis & facillimis, & ijs diù insistendum, antequam pergamus ad investigationem rerum maximè complexarum & difficilium. Nam si secundùm ideas distinctas duntaxat ratiocinari debeamus ad conservandam evidentiam in perceptionibus nostris; manifestum est nunquam esse transeundum ad investigationem rerum compositarum, quin priùs accuratissimè examinatæ fuerint simplices à quibus pendent, & familiares redditæ: siquidem ideæ rerum complexarum claræ esse non possunt, quando simplicissimæ ex quibus componuntur non nisi confusè & imperfectè innotescunt.

Res imperfectè tantùm cognoscimus, ubi certò nobis non constat an omnes illarum partes consideraverimus; & illas confusè cognoscimus, ubi menti nondum satis sunt familiares, quamvis certi simus nos omnes illarum partes considerasse. Quum res imperfectè duntaxat cognoscimus, ratiocinia quæ de illis habemus, sunt tantùm verisimilitudines. Quum illas confusè percipimus, in ratiocinijs nec ordo est, nec perspicuitas, nec ubi simus, vel quò tendamus sæpè non satis notum est. At verò ubi illas simul imperfectè & confusè cognoscimus, quod solenne est; clarè nunquam scimus quid quæramus, nec rationes quibus illud invenire possimus. Omninò itaque necesse est hunc in studijs accuratè observare ordinem. *Vt, nempe, semper incipiamus à rebus simplicissimis, omnes illarum partes examinemus, illisq; ita assuescamus ut nobis familiares reddantur, antequàm pergamus ad res magis complexas à quibus illæ pendent.*

Verùm hæc regula ab hominum ingenio abhorret, ad id naturâ feruntur, ut facilia aspernentur; & ipsorum mens, utpotè non comparata propter objectum finitum & captû facile, non potest diù subsistere in consideratione istarum idearum simplicium, quæ præ se non ferunt characterem infiniti propter quod creati sunt. Contrà verò, & quidem eandem ob causam, magna, & ad infinitum aliquâ similitudine accedentia, ut & obscura & mysteriosa venerantur & sollicitè quærunt. Tenebras equidem non amant, sed in tenebris sperant se inventuros bonum & veritatem quæ ipsis satisfacere queat.

Superbia etiam multùm confert ad ingenia eò adducenda ut magnum & extraordinarium ambiant; & in illud, falsâ spe decepti, sępè præcipites agantur. Experientiâ constat cognitionem accuratam rerum ordinariarum & usitatarum nullam apud homines conciliare famam; cognitionem verò rerum inusitatarum & insolentium, quantumlibet confusam & imperfectam, existimationem & venerationem captare apud eos qui grandem rerum, quas non intelligunt, sibi efformant ideam. Atque hęc experientia eos omnes qui inani gloriæ magis student quàm veritati, (qui certè numerû

alios ſupetant) ad imprudentem inquiſitionem cognitionum ſpecioſarum & imaginariarum cujuſlibet magni, rari & obſcuri determinat. Quot reperias homines qui Carteſij Philoſophiam rejiciant, hac egregiâ impulſi ratione quod illius principia ſint ſimpliciora & faciliora. Nulli ſunt termini obſcuri & myſterioſi in illa Philoſophia: feminæ, & qui nec Græcè, nec Latinè callent, poſſunt illam addiſcere: Certè id arguit rem exigui momenti, nec æquum eſt magna ingenia illi incumbere. Principia adeò clara & ſimplicia ſatis fecunda ipſis non videntur, ad explicanda naturæ effecta, quam ſupponunt obſcuram & intricatam. Iſtorum principiorum uſum primâ fronte non cognoſcunt, quia ipſis ſimpliciora & faciliora videntur, quàm ut poſſint præbere attentionem neceſſariam ad illorum uſum & amplitudinem cognoſcendam. Malunt igitur explicare effecta, quorum cauſa ipſos latet, per principia quæ nequaquam intelligunt, quæque intelligi nequeunt; quàm per principia ſimplicia & clara. Iſti enim Philoſophi res obſcuras per principia, non modò obſcura, verùm etiam ἀκατάληπτα, explicant.

Quum quis res admodùm obſcuras & arduas per principia clara & omnibus nota explicare aggreditur, facilè eſt deprehendere an rem inceptam benè gerat, quia, ſi quæ dicit à nobis concipiantur, nullo negotio cognoſcimus an vera in medium proferat. Itaque docti falsò ſic dicti, quum principijs claris utuntur, admirationem quam exoptant non conſequuntur; quoniam eorum quæ hiſce claris principijs adſtruere vellent futilitas evidenter agnoſcitur. At verò, ubi principijs incognitis utuntur, ac de rebus valdè complexis, quaſi omnes earum relationes accuratè cognoſcerent, loquuntur, tum admirationem in ſe movent; quia quæ ab ipſis dicuntur omnium captum fugiunt; jam autem à naturâ ita ſumus comparati ut quæcunque captum noſtrum exſuperant veneremur.

Cùm autem obſcura & ἀκατάληπτα inter ſe invicem faciliùs connecti videantur, quàm obſcura cum claris & intellectû facilibus, principia quæ mentis aciem fugiunt multò ſunt commodiora in quæſtionibus compoſitis quàm principia intellectû facilia. Nihil eſt quantumvis difficile, cujus Philoſophi & Medici principiorum ſuorum ope paucis non reddant rationem. Cùm enim ipſorum principia multò difficiliùs intelligantur quàm quælibet quæſtiones quæ ipſis proponi poſſent ubi illa principia certa ſupponuntur, nullâ difficultate poſſunt involvi dum his utuntur.

Hiſce, exempli gratiâ, obſcuris aut indeterminatis quæſtionibus audacter & nullatenus hærentes reſpondent; Cur ſol vapores extollat, cur Quinquina ſiſtat febrim quartanam, cur rhabarbarum bilem expurget, & ſal polychreſtum phlegmata, &c. Et pleriſque ipſorum reſponſis ſatisfit, quia obſcurum & ἀκατάληπτα inter ſe facilè conſentiunt. Verùm principia ignota non poſſunt accommo-

dari quæstionibus clarè expositis & solutû facilibus; quia illorum inanitas evidenter cognoscitur. Philosophi principijs suis explicare nequeunt quomodo equi currum trahant; quomodo pulvis horologij motum sistat: quomodo Samius lapis metalla, & scopæ vestes abstergeant. Omnibus enim ludibrium deberent, si motum attractionis & facultates *attractrices* supponerent, ad explicandum quô pactô currus sequatur equos ipsi junctos, & facultatem *detersivam* in scopis ad detergendas vestes, & sic de ceteris. Ipsorum igitur principia usum duntaxat sortiuntur in quæstionibus obscuris, quia capi nequeunt.

Istis igitur principijs, quæ clarè & evidenter non cognoscuntur, quæque suspicari possumus à nonnullis nationibus non admitti, fidendum non est. Ideæ extensionis, figuræ, motûs localis, & relationes quas inter se invicem habent attentè sunt considerandæ, si ejusmodi ideæ distinctè concipiantur, ac ita claræ videantur ut manifestò pateat illas ab omnibus gentibus omni tempore admissas fuisse, ijs immorandum est & omnes earum relationes sunt examinandæ; si verò obscuræ videantur, tum aliæ sunt inquirendæ, si possint inveniri. Namque si, ut absque erroris periculo ratiocinemur, evidentiam in perceptionibus nostris semper conservare necesse sit, ratiocinandum est duntaxat secundùm ideas claras & relationes clarè cognitas.

Ut extensionis proprietates ordine possint considerari, incipiendum est, exemplô Cartesij, à relationibus simplicissimis, & à simplicissimis ad maximè complexas pergendum, non modò quia hæc methodus est naturalis, & mentem in operationibus suis quamplurimùm juvat; Verùm etiam quia, cùm Deus ordine semper agat & per vias simplicissimas, hac ratione examinandi ideas nostras & earum relationes ipsius opera à nobis faciliùs cognoscentur. Ac reverâ si animadvertamus relationes simplicissimas omnium primas etiam imaginationi offerri ubi non determinatur ad cogitandum potiùs de unâ re quàm de aliâ; hinc patebit sufficere res à nobis attentè & sine præconceptâ opinione expendi ut ordinem illum hic præscriptum assequamur, & veritates maximè compositas possimus retegere, dummodò ex uno ad aliud æquô celeriùs non properemus.

Si igitur attentè extensionem consideremus nullô negotiô concipimus partem unam ab aliâ posse separari, hoc est, motum localem facilè concipimus, & motum illum localem producere figuram in utroque corpore moto. Ex omnibus motibus, simplicissimus & qui imaginationi primus offertur est motus rectus, seu secundùm lineam rectam. Supponamus igitur aliquam extensionis partem moveri motû directo, necesse est partem quæ occupat locum in quem tendit hæc prima extensionis pars, moveri circulariter ut oc-

cupet locum ab aliâ derelictum ; & sic fieri motum circularem. Quòd si concipiamus innumeros motus directos in innumeris similibus partibus hujus immensæ extensionis quam consideramus, iterùm necesse est hæc omnia corpora, quippe quæ sibi mutuò obsint, mutuâ actione suâ, hoc est, mutuâ motuum specialium communicatione, ad id unà conspirare ut motû circulari moveantur.

Prima hæc consideratio relationum simplicissimarum quæ sunt inter ideas nostras, jam nobis ostendit necessitatem vorticum Cartesij; hinc etiam patebit numerum illorum vorticum eò majorem futurum, quò motus recti omnium partium extensionis, utpote sibi invicem magis adversantes, difficiliùs in illo simili motû perseverare potuerint, & horum vorticum illos fore maximos in quibus plures partes in eundem motum conspiraverint, seu quorum partes majore vi præditæ fuerint ad continuandum motum suum secundùm lineam rectam.

Sed cavendum est ne mens dissipetur & fatigetur, inutili applicatione ad numerum infinitum & ad magnitudinem immensam vorticum. Primò aliquandiu insistendum est alicui ex his vorticibus, & investigandi sunt ordine & attentè motus materiæ quam includit, & omnes figuræ quas singulæ partes istius materiæ induere debent.

Cùm solus motus secundùm lineam rectam sit simplex, ille motus est primò considerandus; cum is sit secundùm quem omnia corpora motum suum dirigunt; Siquidem Deus secundùm vias simplicissimas semper agit, & reverâ corpora circulariter non moventur nisi quia in suis motibus directis perpetuas patiuntur oppositiones. Cùm itaque omnia corpora æqualis non sint magnitudinis, & eorum maxima majori prædita sint vi ad motum suum continuandum secundùm lineam rectam quàm alia; facilè concipimus minima corpora ad centrum vorticis esse debere, maxima verò versùs circumferentiam, cùm lineæ quæ describi concipiuntur à motibus corporum quæ sunt ad circumferentiam ad rectam magis accedant, quàm lineæ quas describunt corpora quæ sunt propè centrum.

Denuò si cogitemus unamquamque partem materiæ non potuisse à principio moveri & in motû suo perpetuam pati oppositionem, quin rotundata fuerit & ipsius anguli fracti fuerint, facilè concipiemus totam hanc extensionem ex duplici duntaxat corporum genere constare, ex globulis scilicet circa centrum suum diversimodè actis, quæque præter motum suum specialem motû communi vorticis adhuc abripiuntur; & ex materiâ quadam fluidissimâ & maximè agitatâ, ortâ ex confricatione & attritione globulorum. Præter motum circularem communem omnibus partibus vorticis, hæc materia subtilis specialem adhuc motum habebit secundùm lineam penè rectam à centro vorticis versùs circumferentiam, per intervalla globulorum qui ipsis transeundi copiam faciunt; adeò ut motus,

ex istis motibus compositus secundùm lineam spiralem fiat. Hæc materia fluida, quam Cartesius appellat *primum elementum*, cùm divisa sit in partes multò tenuiores, quæque longè minorem habent vim ad continuandum motum suum secundùm lineam rectam, quàm globuli, seu *secundum elementum*; evidens est primum illud elementum esse debere in centro vorticis, & in intervallis quæ sunt inter partes secundi; partes verò secundi debere implere reliquum spatium vorticis, & accedere ad illius circumferentiam juxta proportionem crassitudinis, aut juxta vim quam habent ad continuandum motum suum directum. Ad figuram totius vorticis quod spectat, ex suprà dictis dubium non est quin distantia unius Poli ab alio longè minor sit lineâ quæ * Æquatorem trajicit. Si verò animadvertamus vortices sese mutuò circumdare & inæqualiter premere, clarè etiam patebit ipsorum æquatorem describere lineam curvam & irregularem, ellipsi non dissimilem.

* Per *Æquatorem* intelligo maximâ lineam curvam, quam materia vorticis describat.

Hæc sunt quæ menti sponte sese offerunt, ubi attentè expendimus quid contingere debeat partibus extensionis quæ indesinenter in motu secundùm lineam rectam, hoc est, motû omnium simplicissimo pergere conantur. Jam si rem supponamus, quæ sapientiâ & potentiâ Dei admodum digna videtur, ipsum, nempe, ab initio hunc mundum unico voluntatis actû in eo statû constituisse, in quo ipsius partes sese cum tempore disposuissent secundùm vias simplicissimas, illumque mundum ab ipso (Deo) per easdem leges naturales conservari. Uno verbo si cogitationes suprà explicatas objectis quæ videmus adaptare velimus; judicare pronum erit Solem esse centrum vorticis, lumen corporeum quod undique dispergit nihil aliud esse præter perpetuum nisum globulorum, qui à centro vorticis recedere conantur; & lumen illud debere communicari unico momento per spatia immensa, quoniam cùm omnia sint plena his globulis, ne unus quidem eorum potest premi, quin cæteri ipsi oppositi premantur.

Plurimæ adhuc aliæ consequentiæ è supra dictis poterunt deduci: namque principia simplicissima sunt etiam fecundissima ad explicanda opera illius qui per rationes simplicissimas semper agit. Sed quædam adhuc in materia consideranda sunt. Attendendum igitur est multos esse adhuc vortices vortici suprà dicto similes; centra horum vorticum esse stellas, quæ totidem sunt soles; Vortices sese mutuò circumdare & ita disponi, ut quàm minimè fieri potest, sibi invicem obstent in motibus suis. Sed tamen res eò devenire non potuisse, quin vortices debiliores à fortioribus abrepti ac absorpti fuerint.

Ut id possit intelligi, animadvertendum est primum elementum, quod est in centro unius vorticis, posse subrepere & actu indesinenter subrepere per intervalla globulorum versùs circumferentiam

tiam

tiam ejusdem vorticis; ac eodem tempore quô centri illius, seu hujus stellæ materia per æquatorem suum dilabitur, aliud primum elementum, seu alias partes materiæ fluidissimæ quæ constituit primum elementum debere ingredi per polos vorticis in locum partium elapsarum; nam hæc stella ab una parte non potest evacuari quin ab alterâ impleatur, quia non datur vacuum in extensione. Quia verò innumeræ causæ possunt impedire quominùs ingens primi elementi copia ingrediatur in stellam de quâ agitur; necesse est partes primi elementi quæ in eâ remanere tenentur, ita sese disponere ut eodem motû moveantur. Hinc fit ut inter se invicem agglutinentur connectantur, & maculas forment, quæ in crustas coalescunt, centrum illud paulatim obtegunt, & ex omnium corporum subtilissimo & maximè agitato, efficiunt materiam solidam & crassam. Atque hæc est materia crassa, quam Cartesius appellat *tertium elementum*; & cùm materia illa ex primo elemento, cujus figuræ sunt innumeræ, gignatur, illam innumeris figuris diversis indui, necesse est.

Hæc stella maculis & crustis sic obducta, & cæteris planetis similis facta, vorticem suum non potest sustinere ac tueri adversùs impetum perpetuum aliorum vorticum quibus circumdatur. Vortex ille igitur paulatim minuitur. Materia ex quâ constat undique dispergitur: & vicinorum vorticum fortissimus maximam illius partem abripit, ac tandem planetam, qui est centrum illius, involvit. Hic Planeta, sic omninò circumdatus à materiâ illius magni vorticis, in eo natat, conservando, cum parvâ materiæ proprij sui vorticis copiâ, motum circularem quô anteà ferebatur: ac denique ibi situm acquirit, quô constituitur in æquilibrio cum æquali portione materiæ in quâ natat. Si parum habeat soliditatis & magnitudinis, ad centrum vorticis quô involvitur quàm proximè accedit; quia cùm parùm habeat virium ad continuandum motum suum directum, debet collocari in loco istius vorticis, in quo æqualis portio secundi elementi eandem ac ipse (planeta) habeat vim ad recedendum à centro; nam in eo duntaxat loco potest esse in æquilibrio. Si iste Planeta sit major aut solidior, debet constitui in æquilibrio in loco remotiore à centro vorticis. Ac denique si in illo vortice nullus sit locus, in quo æqualis ipsius materiæ portio eandem habeat soliditatem ac ille Planeta, ac per consequens eandem vim ad continuandum motum suum directum, quia ille Planeta forsan erit valdè magnus, & crustis solidissimis & crassissimis obductus; tum in vortice illo non poterit subsistere, quia non poterit constitui in æquilibrio cum materia ex quâ constat ille vortex. Hic igitur Planeta transgredietur in alios vortices, ac nisi in ijs æquilibrium suum reperiat, in ijs quoque non subsistet. Adeò ut, instar Cometarum, transcurrens, interdum conspiciatur, ubi in vortice nostro versabitur, & no-

bis satis propinquus erit; nec nisi post longum temporis intervallum denuò conspicietur quandiu erit in alijs vorticibus vel in extremâ vorticis nostri parte.

Jam si cogitemus unicum verticem, magnitudine suâ, vi & sitû idoneo, posse paulatim atterere, involvere & denique abripere plurimos vortices, immò vortices à quibus alij quidam antea abrepti fuerint; necesse erit Planetas qui in centris horum vorticum formati fuerunt, ubi ingressi fuerint magnum vorticem à quo fuerunt superati, in eo constitui in æquilibrio cum æquali portione materiæ in quâ natant, si itaque planetæ isti soliditate sint inæquales, constituti erunt in distantia inæquali à centro vorticis in quo natabunt. Quòd si eveniat ut duo planetæ eandem propemodùm habeant vim ad continuandum motum suum secundùm lineam rectam; vel si planeta in exiguum vorticem suum unum aut plurimos alios abripiat minores Planetas, quos, juxta nostrum modum concipiendi rerum formationem, superaverit; tunc parvi illi Planetæ agentur circa majorem, dum major agetur circa centrum suum; & omnes illi Planetæ motû magni vorticis in distantiâ propè æquali à centro ipsius, abripientur.

Partes quæ constituunt mundum, quem per rationes simplicissimas formari existimamus, in hunc ordinem juxta rationis lumina digerere tenemur. Nam quæcunque à nobis suprà dicta sunt nituntur ideâ extensionis, cujus partes supposuimus ad id tendere ut moveantur motû simplicissimo, qui est motus secundùm lineam rectam. Ac reverâ quum per effecta examinamus, an non hallucinati fuerimus, dum res per causas suas explicare voluimus, corporum cælestium phænomena ijs quæ à nobis suprà dicta sunt omninò consonare non sine admiratione comperimus. Videmus enim omnes Planetas qui sunt in medio parvi vorticis agi instar Solis circa proprium suum centrum; illos omnes in vortice Solis & circa Solem natare; minores, aut minùs solidos Soli esse proximos. Alios etiam esse, ut Cometæ, qui in vortice Solis non possunt subsistere: Denique multos esse Planetas qui multos alios adhuc habent circa se actos, ut Luna circa Terram. Jupiter quatuor habet, & Saturnus tres. Immò forsan Saturnus tot habet adeò parvos, ut non differant à circulo continuo, cui nulla crassitudo inesse videtur ob ingentem ipsius distantiam. Cùm autem isti Planetæ eorum quos videmus maximi sint, possunt considerari utpote geniti ex vorticibus tantæ magnitudinis ut alios superare potuerint; priusquàm à vortice in quo nunc versamur involuti fuerint.

Omnes isti Planetæ circa centrum suum aguntur, Terra intra 24. horas; Mars intra 25, aut circiter; Jupiter intra decem, aut circiter, &c. Circa Solem aguntur, Mercurius ipsi proximus intra quatuor menses, aut circiter; Saturnus qui à Sole omnium maximè

diſtat triginta annis, aut circiter; qui verò inter illos duos ſiti ſunt, majori aut minori temporis ſpatio aguntur, non tamen omninò juxta proportionem ipſorum diſtantiæ. Tota enim materiâ in quâ natant, celeriùs circulum ſuum percurrit, ubi Soli propinquior eſt quoniam linea ipſius motûs minor eſt. Quum Mars Soli oppoſitus eſt Terræ propinquus ſatis eſt, ſed ab eâ valdè diſtat ubi Soli conjunctus eſt. De Planetis ſuperioribus Jove & Saturno res non ſecus ſe habet; nam inferiores ut Mercurius & Venus, propriè loquendo, Soli nunquam ſunt oppoſiti. Lineæ quas omnes Planetæ circa Terram deſcribere videntur, non ſunt circuli, ſed ad ellipſes quàm proximè accedunt, omnes verò illæ ellipſes admodùm diverſæ videntur, propter diverſos ſitus Planetarum noſtri reſpectû. Denique quicquid in cœlis certò obſervatur circa Planetarum motum cum ijs quæ de ipſorum per rationes ſimpliciſſimas formatione dicta ſunt optimè congruit.

Stellas fixas quod attinet, experientia docet nonnullas imminui & omnino evaneſcere, nonnullas etiam veluti recentes videri, quarum ſplendor & magnitudo magis magiſque augeſcunt. Augentur aut minuuntur prout vortices quorum ſunt centra, plus vel minùs recipiunt materiæ primi elementi. Illas videre deſinimus ubi in ijs formantur maculæ & cruſtæ; & illas percipere incipimus ubi maculæ quibus illarum ſplendor enecabatur, omnino diſſipantur. Omnes illæ ſtellæ eandem propè inter ſe obſervant diſtantiam; cùm ſint centra vorticum, nec abripiantur quandiu alijs vorticibus reſiſtunt, vel quandiu ſunt ſtellæ. Omnes inſtar parvorum Solium fulgent, quia ut ipſe Sol centra ſunt quorundam vorticum nondùm ſuperatorum. Omnes à terrâ inæqualiter diſtant. Quamvis fornici cuidam infixæ oculis videantur; ſi enim nondum obſervata fuit parallaxis proximarum à parallaxi remotiſſimarum differentia per varium terræ ſitum alterno quoque ſemeſtri ſpatio, id ex eo ortum eſt quòd hæc differentia ſitûs magna ſatis non eſt, propter diſtantiam inter nos & ſtellas, ut parallaxes illæ poſſint obſervari. Teleſcopiorum ope aliquid forſan equidem poterit deprehendi. Denique quicquid in ſtellis ſenſuum usû & experientiâ poteſt obſervari non differt ab eo quod mente percepimus, examinando relationes ſimpliciſſimas & maximè naturales quæ in extenſionis partibus & motibus poſſunt obſervari.

Si corporum ſublunarium naturam examinare velimus, primò attendendum eſt, cùm primum elementum ex numero diverſarum figurarum innumerabili conſtet, corpora, quæ ex partium hujus elementi congerie formata fuere, multiplicia futura eſſe. Quædam erunt quorum partes erunt ramoſæ; alia quorum partes erunt longæ: alia quorum partes rotundæ, ſed omnimodè irregulares Si ipſorum partes ramoſæ ſatis craſſæ ſint, erunt dura, ſed flexilia nec elaſticâ vi prædita; ſi illorum partes minùs ſint craſſæ, erunt mollia

aut fluida, ut gummi, pinguedo, oleum, &c. Si partes longæ corporum sint crassæ & inflexiles, erunt acuta, incorrupta, ad dissolvendum facilia ut sales: Si eædem partes longæ, sint flexiles, corpora erunt insipida, ut aquæ: Si partes habeant crassas & omnimodè irregulares, erunt similia terræ & lapidibus. Denique erunt corpora valdè multiplicis naturæ; nec duo reperies omninò similia, quia primum elementum innumeras figuras potest suscipere, & quia omnes illæ figuræ nunquàm conjungentur eodem modo in diversis corporibus. Hæc corpora, quibuscunque prædita sint figuris, si poros habeant satis magnos ut per eos undiquaque secundum elementum possit transire, erunt pellucida, ut aër, aqua, vitrum, &c. Quibuscunque figuris prædita sint hæc corpora, si quasdam eorum partes primum elementum omninò ambiat, easque vehementer & velociter satis agitet ad repellendum undique secundum elementum, erunt lucida ut flamma. Si hæc corpora repellant totum secundum elementum à quo feriuntur, erunt candidissima. Si secundum elementum recipiant nec illud quoquô modo repellant, erunt nigerrima: denique si illud varijs ictibus seu vibrationibus repellant, inæquales istæ vibrationes colorum varietatem parient.

Eorum situm quod spectat, graviora seu minùs levia, hoc est, quæ minorem habebunt vim ad continuandum motum suum secundùm lineam rectam, erunt proxima centro, ut metalla. Terra, aqua, aër ab eo magis distabunt; & omnia corpora situm in quô ea cernimus conservabunt, quia à centro terræ eò remotiora esse debent quò majorem habent motum.

Nec mirum esse debet, quòd nunc dicam metallis minorem esse vim ad continuandum motum suum secundùm lineam rectam quàm terræ, aquæ & cæteris corporibus minùs solidis; quamvis anteà dixerim corpora solidissima majori prædita esse vi ad continuandum motum suum secundùm lineam rectam quàm alia. Causa enim cur metallis minor sit vis ad continuandum motum suum, est quia metalla multò minùs habent motûs: cùm verum semper sit si duo corpora inæqualia soliditate, æquali celeritate moveantur, solidiori majorem inesse vim ad procedendum secundùm lineam rectam, quia tunc solidius plus habet motûs; jam autem ex motû oritur vis.

Si verò causam assequi velimus cur versùs centra vorticum corpora crassa sint gravia, cur verò ubi à centro distant sint levia; attendendum est corpora crassa motum suum recipere à materiâ subtili quæ illa circumdat & in quâ natant. Jam autem hæc materia subtilis circulariter actû movetur, & duntaxat conatur moveri secundùm lineam rectam, & corporibus crassis quæ cursû suo abripit motum illum circularem communicat, licèt ipsis non communicet conatum suum ad recedendum à centro secundùm lineam rectam, nisi quantùm nisus ille sequitur ex motû quem ipsis communicat. Observan-

dum enim est partes materiæ subtilis, etsi versùs plurimas partes movêri conentur, duntaxat posse comprimere corpus crassum quod transferunt: namque corpus illud in varias partes eodem tempore tendere nequit. Sed quia materia subtilis, quæ est prope centrum vorticis totum motum suum non insumit circulando; corporibus crassis quæ abripit nullum alium communicat motum, præter circularem & omnibus suis partibus communem; & quia si corpora crassa aliunde haberent motum præter motum communem vortici, illum brevi deperderent, eum communicando corpusculis sibi obvijs. Hinc evidenter patet, corpora crassa prope centrum vorticis, tantum non habere motum quantum materia in quâ natant, cujus singulæ partes multifariam moventur, præter motum circularem, seu communem. Jam autem si corpora crassa minùs habent motûs, certè etiam minori nisû conantur movêri secundùm lineam rectam; quod si ita sit, ijs quæ majori nisû conantur movêri secundùm lineam rectam, cedere tenentur, ac per consequens ad centrum vorticis accedere, hoc est, illa corpora eò graviora esse quò sunt solidiora.

At, ubi corpora crassa à centro vorticis sunt valdè dissita, cùm motus circularis materiæ subtilis tum sit maximus, quia totum ad id penè adhibet motum suum ut circa centrum vorticis agatur; corpora eò plus habent motûs quò sunt solidiora; cùm eadem procedant celeritate ac materia subtilis in quâ natant; itaque majorem habent vim ad continuandum motum suum secundùm lineam rectam. Adeò ut corpora crassa in certâ distantiâ à centro vorticis eò leviora sint quò sunt solidiora.

Ex eo igitur patet Terram esse Metallicam versùs centrum; eamque non esse valdè solidam versùs circumferentiam: aquam & aërem persistere debere in eo sitû in quo illa videmus posita: Sed omnia corpora illa esse gravia * aërem æquè ac aurum & argentum vivum, quia primo & secundo elemento solidiora sunt & crassiora. Hinc patet Lunam, utpote à centro vorticis terræ nimis dissitam, non esse gravem, quamvis sit solida: Mercurium, Venerem, Terram, Martem, Jovem & Saturnum non posse delabi in Solem, nec satis solida esse ut è vortice suo, sicut Cometæ, egrediantur: illos Planetas esse in æquilibrio cum materiâ in quâ natant. Ac certè si * plumbea glans vel tormentarius globus satis procul in sublime projici possent, hæc duo corpora fierent parvi Planetæ, vel satis solida essent ut instar parvorum cometarum evaderent quia in vorticibus suis subsistere ampliùs non possent.

Hoc est, illa ferri versùs centrum Terræ.

Vne bale de mousquet, ou un boulet de canon.

Hæc omnia me satis explicuisse, aut ex simplicibus extensionis, figuræ & motûs principijs, omnes consequentias quæ ex ijs deduci possunt deduxisse, hîc non arbitror: Mihi duntaxat propositum est ostendere rationem quam Cartesius injit ad naturam investigandam, ut ipsius ideæ ipsiusque methodus cum aliorum ideis & methodo pos-

ſint conferri. Sed auſim aſſerere eos qui vim magneticam, fluxum & refluxum Maris, fragorem tonitru, Meteororum generationem ex ipſorum cauſis cognoſcere, unô verbô, qui Phyſicam penitùs addiſcere volunt, cùm tempus utiliùs collocare non poſſint quàm Carteſij opera legendo & meditando, auſim, inquam, aſſerere illos fruſtra quicquam tentaturos eſſe, niſi illius Philoſophi methodum ſequantur, hoc eſt, niſi, ut ipſe, ſecundùm ideas claras ratiocinentur, incipiendo ſemper à ſimpliciſſimis.

Huic equidem Authori infallibilitatem tribuere non eſt animus, immò ipſum in multis ipſius operum locis hallucinatum fuiſſe me poſſe demonſtrare confido. Sed eos qui Carteſium legunt ſatius eſt credere illum erraſſe, quàm ſi omnia ipſius dicta vera eſſe perſuaderentur. Si erroris immunis crederetur, ſine examine legeretur, ipſius dictis fides cæca adhiberetur, ipſius opiniones hiſtoriarum inſtar addiſcerentur; ac ſic lectorum mens non informaretur. Carteſius ipſe monet legendo ipſius opera attendendum eſſe annon hallucinatus ſit, nec eorum quæ dicit quicquam eſſe credendum, niſi ad id adigat evidentia. Doctis enim, ſic dictis, haud ſimilis eſt, qui iniquâ in mentes uſurpatâ dominatione, eò nos adſtringere volunt ut in eorum verba juremus; quique ubi homines veritatis internæ diſcipulos efficere deberent, ideas claras duntaxat proponendo, eos tamen Ethnicorum authoritati ſubmittunt, & ipſis opiniones quas non capiunt rationibus ἀκαταλήπτοις obtrudunt.

Quod potiſſimùm vitio vertitur circa methodum quâ Carteſius explicat Solis, Stellarum, Terræ, & omnium corporum quibus circumdamur formationem in eo conſiſtit, quòd illa methodus videatur contraria ijs quæ Scriptura nos docet de creatione mundi; namque, ajunt, ſi iſti Authori fides adhibeatur, mundus veluti à ſe ipſo formatus fuiſſe videtur. Ad hæc multa poſſunt reponi.

Primò, qui Carteſium Moſi adverſari dicunt, Scripturam Sacram & Carteſium forſan non æquè examinaverunt, ac ij qui Scriptis publicis oſtenderunt creationem mundi cum hujuſce Philoſophi hypotheſibus apprimè convenire.

Verùm præcipua reſponſio ex eo deſumitur quòd Carteſius nunquam arbitratus fuerit res paulatim factas fuiſſe eo modo quo illas deſcribit, namque in primo articulo quartæ partis ipſius Principiorum, in quo ſic habetur, *Falſam hypotheſim quâ jam ante uſi ſumus eſſe retinendam ad veras rerum naturas explicandas*, contrarium poſitivè dicit. Hæc ſunt ipſius verba.

Etſi credi nolim, corpora hujus mundi adſpectabilis, genita unquam fuiſſe illo modo qui ſuprà deſcriptus eſt, ut jam ſatis præmonui, debeo tamen eandem hypotheſin adhuc retinere, ad ea quæ ſuprà terram apparent explicanda; ut tandem, ſi quemadmodum ſpero, clarè oſtendam, cauſas omnium rerum naturalium hac viâ,

non autem ullâ aliâ dari posse, inde meritò concludatur, non aliam esse earum naturam, quàm si tali modo genitæ essent.

Noverat Cartesius, ad naturam rerum accuratè cognoscendam, eas esse considerandas in origine & ab ortû, semper incipiendum esse à simplicissimis & principium ante omnia petendum esse: inquirendum non esse an Deus opera sua paulatim per vias simplicissimas formaverit, an verò ea uno actû produxerit: Sed quoquò modô ea Deus formavisset, ut accuratè cognoscerentur, ea esse primò consideranda in principijs, ac postmodùm duntaxat esse examinandum, an quæ cogitata fuerunt ijs consonent quæ Deus fecit. Noverat leges naturæ, per quas Deus omnia opera sua conservat in ordine & in sitû in quo subsistunt, easdem esse per quas illa formare & disponere potuit, namque nisi Deus unico voluntatis actû totum mundum eodem modo adornasset quo ipse mundus sese progressu temporis disposuisset, cuilibet attento evidenter patet, totum naturæ ordinem eversum iri, quoniam leges conservationis essent contrariæ legibus primæ creationis. Si totus mundus in ordine in quo illum videmus persistat, id fit quia leges motuum quibus in illo ordine conservatur, illum etiam in eodem ordine potuissent collocare. At si Deus mundum in diversum digessisset ordinem ab eo in quo hisce motûs legibus sese constituisset, omnia jam everterentur, & vi harum legum in ordine in quo illum nunc videmus constituerentur.

Si quis pulli naturam cognoscere velit, in eum finem ova quæ gallinæ fovenda subjecerat, quotidie aperit, quid primum moveatur & crescat, attendit; post breve tempus videt cor jam palpitare & undique pellere sanguinis canales, quæ sunt arteriæ; sanguinem illum reverti versùs cor per venas; cerebrum etiam statim apparere, ac denique ossa post omnes alias partes formari, hac viâ ex multis sese expedit erroribus atque etiam ex illis observationibus multas consequentias ad animalium cognitionem utilissimas deducit. Quid in istâ agendi ratione vitio verti potest? An quis dicet illum hominem eâ mente id agere ut persuadeat primum pullum à Deo formatum fuisse, primò creando ovum, ipsi communicando certum quendam caloris gradum ut excluderetur, quia pullorum naturam in ipsorum formatione cognoscere conatus est?

Cur igitur Cartesius quasi Scripturæ repugnaret traducitur, quia rerum visibilium naturam examinaturus, earum etiam formationem per leges motûs quæ in omnibus casibus nunquam non observantur, examinavit? Certè Cartesius in dubium nunquam vocavit, *Quin mundus ab initio fuerit creatus cum omni suâ perfectione; ita ut in eo Sol & Terra & Luna & Stellæ extiterint, ac etiam in terrâ non tantùm fuerint semina plantarum, sed ipsæ plantæ; nec Adam & Eva nati sint infantes, sed facti sint homines adulti. Hoc fides Christiana,* inquit, *nos docet; hocq; etiam ratio naturalis planè persuadet. Attendendo enim ad immensam Dei potentiam; non pos-* Artic. 45. Tertiæ partis Principiorum.

sumus existimare illum unquam quicquam fecisse quod non omnibus suis numeris fuerit absolutum. Sed nihilominus ut ad plantarum, vel hominum naturas intelligendas longè melius est considerare, quò pactò paulatim ex seminibus nasci possint, quàm quò pactò à Deo in prima mundi origine creati sint; ita si quæ principia possimus excogitare valdè simplicia & cognitû facilia, ex quibus tanquam ex seminibus quibusdam, & sidera & terram & denique omnia, quæ in hoc mundo aspectabili deprehendimus, oriri potuisse demonstremus, quamvis ipsa nunquam sic orta esse probè sciamus; hoc pacto tamen eorum naturam longè melius exponemus, quàm si tantùm, qualia jam sint, describeremus. Et quia talia principia mihi videor invenisse, ipsa breviter hic exponam.

Existimavit quidem Cartesius mundum à Deo unico voluntatis actû formatum fuisse, verùm etiam existimavit illum à Deo formatum fuisse in eodem ordine & in eadem partium dispositione in quibus fuisset, si ipsum paulatim per vias simplicissimas formavisset Deus. Ac sanè hæc cogitatio Dei potentiâ & Sapientiâ digna est: ipsius potentiâ, quandoquidem unico momento omnia opera sua omnimodâ perfectione prædita creaverit; ipsius etiam sapientiâ; quoniam hoc pacto demonstravit se accuratissimè prævidisse quæcunque in materiâ necessariò erant evenienda, si per motus simplicissimos agitaretur; & quia etiam ordo naturæ subsistere non potuisset, si mundus per vias, hoc est, per leges motûs productus fuisset, contrarias legibus per quas conservatur.

Ridiculum est dicere Cartesium existimasse mundum potuisse formari à se ipso, cùm ipse non secus ac ij omnes qui rationis lumina sequuntur, agnoverit, nullum corpus posse moveri proprijs suis viribus, & omnes leges immutabiles communicationis motuum nullas alias habere causas quàm voluntates immutabiles Dei,qui eodem modo semper agit. Deum solum impertiri motum materiæ, & motum in omnibus corporibus diversas formas quibus induuntur producere ipsum probasse satis erat, ut profanis suam impietatem illius systemate tegendi & fovendi, omnis occasio tolleretur. Immò si Athei ad illius Philosophi principia attenderent, errores suos, vel inviti, agnoscerent. Namque si, Ethnicorum instar, materiam esse increatam audeant defendere, saltem asserere non sustinebunt, illam potuisse unquam sese proprijs suis viribus movere. Itaque Athei si verum creatorem agnoscere recusarent, verum motorem agnoscere saltem cogerentur. Verùm Philosophia vulgaris ipsis errorum alimenta satis suppeditat. Illa enim ipsis oggerit quasdam virtutes *impressas*, quasdam facultates motrices,unô verbô, nescio quam naturam, quæ est principium motûs cujusque rei; & quamvis illius naturæ nullam habeant ideam distinctam, ipsos tamen juvat, propter cordis corruptionem, illam Deo substituere, ipsi tribuendo omnia mirabilia quæ videmus.

CAPUT

CAPVT V.

Explicatio principiorum Philosophiæ Aristotelis, ubi ostenditur, illum nunquam observasse secundam partem regulæ generalis, & quatuor ipsius elementa, & qualitates elementares, examinantur.

UT Philosophia Cartesij cum Philosophiâ Aristotelis possit conferri, quid hic de elementis & corporibus naturalibus in genere senserit, breviter exponere operæ pretium est; Id autem juxta doctissimos continetur in quatuor ipsius Libris *de Cœlo*. Nam octo ejus Libri Physices ad Logicam, vel si mavis ad Metaphysicam potiùs pertinent quàm ad Physicam, in his enim nihil videas præter terminos vagos & generales qui in mente nullam ideam distinctam & specialem excitant. Quatuor isti Libri titulum habent *de Cœlo*, quia cœlum est præcipuum inter corpora simplicia de quibus tractat.

Philosophus opus illud inchoat ab eo quòd probat, mundum esse perfectum, hoc autem est ipsius argumentum. Omnia corpora tres habent dimensiones, plures habere nequeunt, nam numerus ternarius juxta Pythagoreos omnia complectitur; jam autem mundus est omnium corporum compages; ergo mundus est perfectus. Egregium sanè argumentum! quô etiam probari posset, mundum non posse esse imperfectiorem quàm actû est, quia non potest constare ex partibus quæ numerum dimensionum habeant ternario minorem.

In secundo capite ante omnia supponit veritates quasdam Peripateticas. 1. Omnia corpora naturalia per se habere vim sese movendi, quod nec ibi loci, nec alibi ab ipso probatur; Quin, primo Capite secundi Libri Physices, affirmat eum fore ridiculum qui id probare contenderet; quia, inquit, res per se evidens est, ac ij duntaxat qui id quod per se notum est ab eo quod per se notum non est dignoscere nequeunt, probare aggrediuntur id quod evidens est per id quod est obscurum. Sed alibi demonstratum est quàm falsum sit, corpora naturalia in se habere vim sese movendi, eamque vim evidenter videri ijs duntaxat qui ut Aristoteles sensuum impressiones sequuntur, & nullum rationis suæ adhibent usum.

2. Dicit omnem motum localem fieri secundùm lineam vel rectam, vel circularem, vel compositam ex rectâ & circulari; at verò si ad ea quæ temerariè profert attendere nollet, saltem oculos aperire debebat, & innumeros esse motus diversos qui nec constant ex recto

nec ex circulari, comperisset. Vel potiùs attendere debebat motus compositos ex motibus rectis, plures posse esse in infinitum, supponendo motus componentes augere aut minuere celeritatem suam mille diversis modis, ut ex suprà dictis videre est. Nulli, inquit, sunt motus simplices præter hos duos, rectum & circularem; ergo omnes motus ex hisce duobus constant. Verùm fallitur; motus circularis non est simplex; Non potest concipi quin eodem tempore de puncto ad quod relationem habet cogitetur, jam autem quicquid includit relationem, est relativum, non simplex. Quod ut probetur animadvertendum est, posse concipi motum circularem veluti genitum ex duobus motibus rectis, quorum celeritas inæqualis est secundum certam quandam proportionem; nam, motus compositus ex duobus alijs directis, quique celeritatem suam diversè augent aut minuunt, non potest esse simplex.

Cap. 4.

3. Dicit omnes motus simplices esse triplices, primum è centro, secundum versùs centrum: tertium circa centrum; sed falsum est ultimum esse simplicem, ut jam dictum est. Iterum falsum est nullos esse motus simplices præter eos qui sursum vel deorsum feruntur; nam omnes motus directi sunt simplices, sive accedant ad centrum, sive ab eo recedant, sive accedant ad polos, sive ab ijs recedant, vel ab alio quovis puncto. Omne corpus, inquit, constat ex tribus dimensionibus. Ergo motus omnium corporum debet habere tres motus simplices. Quænam est relatio unius ad alterum, motuum simplicium ad dimensiones? Præterea omne corpus habet tres dimensiones, at nullum corpus habet tres motus simplices.

4. Supponit corpora esse, vel simplicia, vel composita, & dicit simplicia ea esse quæ in se habent aliquam vim quâ moventur, ut ignis, terra, &c. & composita recipere motum suum à componentibus. Sed hoc sensû, nulla sunt corpora simplicia, nulla enim sunt quæ in se habeant aliquod principium motûs sui. Nulla etiam sunt corpora composita, quia juxta hanc hypothesin, composita supponunt simplicia, quæ non existunt. Hac pacto nulla erunt corpora. Quàm ridiculum est corporum simplicitatem definire per potentiam sese movendi. Quis poterit distinctas alligare ideas hisce vocibus corporum simplicium & corporum compositorum, si corpora simplicia duntaxat definiantur per relationem ad vim sese movendi imaginariam? Sed videamus consequentias quas ex istis principijs deducit. Motus circularis est motus simplex; Cœlum movetur circulariter; ergo ipsius motus est simplex. Jam autem nullus est motus simplex nisi corporis simplicis, hoc est, corporis quod sese proprijs suis viribus moveat: ergo Cœlum est corpus simplex à quatuor elementis quæ secundùm lineas rectas moventur distinctum. In toto hocce ratiocinio nihil nisi falsas & absurdas propositiones contineri satis patet. Alia ipsius videamus argumenta, multis enim, ijsque

pessimis, utitur ad probandam rem inutilem & falsam.

Secunda ratio quâ probare intendit, Cœlum esse corpus simplex à quatuor elementis distinctum, supponit esse motus duplicis generis, alterum naturalem, alterum verò *violentum*, seu contra naturam. Verùm ijs omnibus qui de rebus per ideas claras judicant clarè satis liquet, nullum esse motum violentum, seu contra naturam, siquidem corpora nullam habent per se naturam, aut principium motûs sui, prout censet Aristoteles. Omnibus corporibus indifferens est, *sive* moveantur, & in quancunque partem moveantur, sive nullomodo moveantur. Aristoteles verò de omnibus per sensuum impressiones judicans, corpora quæ legibus communicationis motuum in certo quodam sitû, respectû aliorum corporum, semper collocantur existimat ea sese in illo sitû propriâ vi suâ constituere; quia situs ille ipsis commodior & naturæ magis conformis est. Illud igitur est Aristotelis ratiocinium.

Motus circularis Cœli est vel naturalis vel contra naturam, si naturalis est, ut jam dictum est, Cœlum est corpus simplex distinctum à quatuor elementis, cùm elementa non moveantur circulariter motû suo naturali. Si motus circularis est contra naturam Cœli, aut Cœlum est unum ex elementis, ut ignis, aut aliud quid. Cœlum non potest esse ullum ex elementis, nam, exempli gratiâ, si Cœlum esset igneum, cùm motus naturalis ignis tendat sursùm, Cœlum haberet duos motus contrarios, motum circularem & motum illum sursùm tendentem; quod fieri nequit, cùm corpus unum non possit habere duos motus contrarios. Si Cœlum sit aliud aliquod corpus, quod non moveatur circulariter naturâ suâ, aliquem alium habebit motum naturalem, quod fieri nequit, namque si motû suo sursùm feratur erit vel ignis, vel aër; Si deorsùm erit aqua, vel terra: Ergo &c. Omnes horum ratiociniorum absurditates hîc speciatim indicare supersedeo. In genere tantùm asseram quæcunque hîc loquitur Aristoteles, nihil distincti significare, & in ijs nihil veri, immò nullam legitimam contineri conclusionem. Tertia ipsius ratio hæc est.

Primus & perfectissimus omnium motuum simplicium, debet esse motus corporis simplicis, immò primi & perfectissimi inter corpora simplicia. Sed motus circularis est primus & perfectissimus motuum simplicium; quia omnis linea circularis est perfecta, nulla verò linea recta talis est. Nam si finita est, ipsi aliquid addi potest: Si infinita, nondum perfecta est, quia fine caret, & res perfectæ non sunt nisi ubi finitæ sunt. Ergo motus circularis est primus & perfectissimus motuum. Ergò corpus quod circulariter movetur est simplex, est primum & perfectissimum corporum simplicium. Hæc est quarta ipsius ratio.

Omnis motus est naturalis vel non, & omnis motus qui non est naturalis quibusdam corporibus, naturalis est quibusdam alijs. Vi-

demus motus deorsùm & sursùm tendentes quibusdam corporibus esse naturales, quibusdam verò non. Nam ignis naturâ suâ non descendit, sed terra naturâ suâ descendit. Jam autem motus circularis non est naturalis quatuor elementis : oportet igitur esse aliquod corpus simplex cui motus ille sit naturalis. Ergò Cœlum quod circulariter movetur, est corpus simplex à quatuor Elementis distinctum.

Denique motus circularis vel naturalis est vel *violentus* alicui corpori. Si naturalis, corpus illud simplex & perfectissimum esse debere evidens est; si non naturalis; mirum est quòd ille motus semper duret; cùm experientia testetur omnes motus non naturales diu non durare. Ex his igitur rationibus concludendum est esse aliquod aliud corpus separatum ab ijs omnibus quæ nos ambiunt, quod eò perfectioris naturæ est, quò à nobis magis dissitum est. Sic ratiocinatur Aristoteles. Verùm cum illius Interpretum peritissimo ausim contendere, ipsum nullas unquam esse alligaturum ideas distinctas terminis quibus utitur; nec ostensurum Aristotelem incipere à rebus simplicissimis, antequam ad maximè complexas procedat. Quod ad rectè ratiocinandum, planè necesse est, ut jam probatum fuit.

Nisi Lectoribus fastidium parere timerem, aliquot adhuc Aristotelis capita transcriberem; sed præterquàm quòd ipsius placita, quum terminis claris & sermone vulgari exprimuntur inepta omnibus videntur, ex suprà dictis satis liquet ipsius rationem Philosophandi esse prorsùs inutilem ad veritatem inquirendam. Etenim, cùm ipse fateatur quinto Capite istius Libri, eos qui ab initio aliquâ in re hallucinantur, multò, immò infinitè magis hallucinaturos esse si plura proferant, hinc manifestum est neminem sine maximo erroris periculo posse ipsius authoritati sine examine cedere; cùm duo prima Capita Libri ipsius sint absurda. Verùm ut res extra omne dubium constituatur, in hoc primo Libro, nullum esse caput, in quo aliqua non includatur absurditas, ostendam.

Tertio Capite, dicit Cœlos esse incorruptibiles & omnis alterationis expertes; istius propositionis multa profert argumenta perquam inepta, quia, exempli gratiâ, ibi est habitatio Deorum immortalium & quia in illis nulla unquam observata fuit immutatio. Postrema ista ratio posset admitti, si Aristoteles testaretur aliquem inde redijsse, vel ad corpora cœlestia proximè satis accessisse, ad eorum mutationes accuratè observandas. Immò nescio an quisquam ipsius autoritati nunc cederet, quia telescopia contrarium testantur.

Quarto Capite, motui circulari nullum esse motum contrarium probare conatur, cùm tamen motus ab Oriente ad Occidentem manifestò contrarius sit motui ab Occidente versùs Orientem.

Quinto Capite, corpora non esse infinita perperam probat, quia argumentum suum deducit ex motibus corporum simplicium; quid

enim obstat quominùs supra primum mobile ab ipso fictum, sit adhuc alia extensio sine motû.

Sexto Capite, probando elementa non esse infinita tempus frustra consumit. Quis enim id in dubium vocet, si cum ipso supponat elementa includi in Cœlô quod illa circumdat. Verùm dum id probat per illorum gravitatem & levitatem; certè ludibrium debet. Si, inquit, elementa essent infinita, daretur gravitas & levitas infinita, id fieri nequit; Ergo, &c. Qui ipsius argumentum fusiùs explicatum videre optaverint, illud in ipsius Libris legant. His immorari me piget.

Septimô, pergit probando corpora non esse infinita; & primum ipsius argumentum supponit, necesse esse omne corpus esse in motû; quod non probat, nec probari potest.

Octavô, multos non esse mundos ejusdem speciei hac egregiâ ratione defendit, quòd si alia esset terra ab eâ quam habitamus, cùm terra sit gravis naturâ suâ; terra illa in nostram delaberetur quia nostra est centrum quò decidere debent omnia corpora gravia. Unde hoc accepit nisi à sensibus?

Nonô, multos mundos existere nequidem posse; quia si esset aliquod corpus supra cœlum, esset simplex, vel compositum; in statû naturali, aut violento, quod esse nequit tribus rationibus quas haurit ex tribus speciebus motûs, de quibus jam dictum est.

Decimô, mundum æternum esse asserit, quia fieri nequit ut inceperit existere, & semper duret; cùm videamus quicquid fit temporis successû corrumpi. Id accepit quidem à sensibus. Sed unde accepit mundum esse semper duraturum?

Totum undecimum Caput insumit explicando quid intelligatur per incorruptibile, quasi æquivocatio hîc esset periculosa, & magnum explicationis suæ esset admissurus usum. Attamen vox illa *incorruptibile*, adeò clara est per se, ut Aristoteles negligat explicare quid per eam sit intelligendum, & quid ipse intelligat. Prudentiùs fecisset si innumeros explicasset terminos quibus utitur, qui nihil præter ideas sensibiles excitant: namque hoc pacto ex ipsius operum lectione aliqua forsan redjisset utilitas.

Denique ultimo Capite primi istius Libri de Cœlo, mundum esse incorruptibilem ostendere conatur, quia fieri nequit illum incepisse, & tamen semper durare. Omnia, inquit, subsistunt per tempus finitum, vel infinitum. Sed quod infinitum est duntaxat uno sensû, nec est infinitum, nec finitum. Ergò nihil potest subsistere hoc modo.

Atque sic ratiocinatur *Princeps Philosophorum, & genius naturæ*; qui cùm deberet veram effectorum naturalium causam patefacere per ideas claras & distinctas, Philosophiam Ethnicam statuit, sequendo falsas

& confusas sensuum ideas, vel ideas generaliores quàm ut veritati inservire possint.

Hic Aristotelem non carpo, quòd ignoraverit mundum à Deo in tempore creatum fuisse, ad manifestandam ipsius potentiam & dependentiam creaturarum ab ipso; illum mundum nunquam esse à Deo destruendum, ut pateret ipsum, utpote immutabilem, consiliorum suorum nunquàm pœnitere. Sed Aristoteli ignoscere nequeo, dum invalidis probat rationibus mundum extitisse ab æterno. Si in sententijs quas defendit videatur aliquando excusabilis, saltem in rationibus quas profert, dum de rebus paulò difficilioribus agit, excusari unquam nequit. Ex suprà dictis id jam satis constat; Licèt omnes errores in illis ipsius libris mihi obvios hîc non recensuerim, & ipsius sententias clariùs exposuerim quàm illas exponere solet.

Verùm ut luce meridianâ clariùs pateat *genium naturæ* ipsius arcana nunquàm esse revelaturum, operæ pretium est ostendere, principia quibus utitur Philosophus ille ad explicandos naturæ effectus omni soliditate carere.

In Physicâ nil quicquam posse retegi manifestum est, nisi initium fiat à corporibus simplicissimis, hoc est, ab elementis: namque elementa sunt corpora in quæ cætera resolvuntur, quia in ipsis continentur, aut actû, aut potentiâ; Aristoteles sic definit elementa. Verùm in illius operibus non reperias ipsum per ideam distinctam explicuisse hæc corpora simplicia in quæ cætera resolvi existimat: cùm itaque elementa ipsius clarè non cognoscantur, naturam corporum quæ ex ijs constant cognosci non posse hinc sequitur.

cap.3.l.3. de Cœlo.

Quatuor esse elementa, ignem, aërem, aquam, & terram, dicit equidem Philosophus. Sed eorum naturam clarè non explicat; nullam eorum ideam distinctam tradit; nequidem existimat illa quæ statuit elementa esse ignem, aërem, aquam & terram quæ videmus, si enim id sic se haberet, saltem aliquam haberemus illorum cognitionem per sensus nostros. Conatur equidem in multis operum suorum locis elementa explicare per qualitates caloris & frigoris, humiditatis & siccitatis, gravitatis & levitatis. Verùm hæc ratio illa explicandi inepta est, ut stupendum sit tot viros eruditos in illâ acquievisse. Atque illud jam sum ostensurus.

Aristoteles in Libro suo *de Cœlo*, existimat terram esse in centro mundi, & omnia corpora quæ simplicia appellare amat, moveri debere motibus simplicibus, quia supponit ea per se naturâ suâ moveri. Præter motum circularem, quem simplicem esse defendit, & quô probat cœlum esse corpus simplex, quia supponit illud moveri circulariter, asserit duos duntaxat esse simplices; alterum deorsùm tendentem, seu à circumferentiâ ad centrum, alterum sursum, seu

à Centro versùs circumferentiam. Afferit præterea istos motus simplices corporibus simplicibus competere; ac per consequens, terram & ignem esse corpora simplicia, quorum alterum omninò grave est, alterum verò omninò leve. Quia verò gravitas & levitas corpori possunt competere vel adæquatè vel inadæquatè, concludit esse adhuc duo elementa, seu duo corpora simplicia, quorum alterum leve est inadæquatè duntaxat, alterum verò grave inadæquatè, nempe aquam & aërem. Atque sic probat esse quatuor elementa, nec esse plura.

Ijs qui hominum opiniones propriâ ratione suâ examinant manifestum est; hasce omnes propositiones esse falsas, vel saltem haberi non posse ut principia clara & indubitata, quorum suppetant ideæ claræ & distinctæ, quæque Physicæ fundamentum esse possint. Numerum elementorum per qualitates imaginarias gravitatis & levitatis statuere velle, dicendo duntaxat & sine probatione, esse quædam corpora gravia alia verò levia naturâ suâ, certè omnem absurditatem superat. Etenim, si res nullo argumento innixas deblaterare unusquisque velit, facile erit dicere omnia corpora esse gravia naturâ suâ, & eò tendere ut accedant ad centrum mundi, hoc est, ad locum quietis suæ; alius verò contrà poterit defendere omnia corpora esse levia naturâ suâ, & eò tendere ut versùs Cœlum extollantur, tanquam versùs locum perfectionis suæ. Namque si quis ei objiciat qui dixerit omnia corpora esse gravia naturâ suâ, aërem tamen & ignem esse leves; statim respondebit, ignem & aërem non esse leves; sed equidem esse minùs graves quàm aqua & terra; & hanc ob causam videri leves: De his elementis non secùs se habere ac de ligno quod leve videtur in aquâ, non quòd per se leve sit, cùm in terram decidat quando est in aëre, sed quia aqua gravior, ligno se submittens, illud sustinet & extollit.

Si contrà ei objiciatur, qui omnia corpora esse levia naturâ suâ dixerit, terram & aquam esse tamen graves, pariter respondebit, hæc corpora videri gravia, quia æquè levia non sunt ac cetera quibus ambiuntur. Lignum, exempli gratiâ, videri grave, ubi est in aëre, non quòd sit grave per se, cùm ascendat ubi est in aquâ, sed quia aëre minùs leve est.

Ridiculum ergò est supponere ut principia indubitata, corpora esse levia aut gravia naturâ suâ. Immò, nullum corpus in se habere vim sese movendi evidens est; ac perinde esse si moveatur sursùm aut deorsùm, ab Oriente versùs Occidentem, vel ab Occidente ad Orientem, à Polo Meridionali ad Septentrionalem, aut aliò quovis modô.

Sed concedamus Aristoteli esse quatuor elementa qualia illa statuit, quorum duo gravia sint, duo verò levia naturâ suâ, nempe, ignem, aërem, aquam & terram. Quid inde consequetur ad Natu-

ræ cognitionem? Quatuor hæc Elementa non ſunt ignis, aër, aqua & terra quæ videmus; aliud prorsùs eſt. Illa ſenſibus non cognoſcimus, multò minùs ratione, cum illorum nullam habeamus ideam. Equidem concedam omnia corpora naturalia ex iſtis elementis eſſe compoſita; etenim id dixit Ariſtoteles. Sed natura iſtorum corporum compoſitorum nobis nota non eſt; & illa cognoſcere non poſſumus, niſi priùs cognoſcamus quatuor elementa, ſeu corpora ſimplicia ex quibus conſtant, compoſitum enim cognoſci nequit niſi per ſimplex.

Ignis, inquit Ariſtoteles, eſt levis naturâ ſuâ. Motus ſursùm tendens eſt motus ſimplex, ergò ignis eſt corpus ſimplex, cùm motus debeat proportione æquari cum mobili. Corpora naturalia conſtant ex corporibus ſimplicibus; ergò eſt ignis in omnibus corporibus naturalibus. Sed igni illi quem videmus nequaquàm ſimilis; namque ſæpè eſt *in potentiâ* duntaxat in corporibus quæ ex illo componuntur. Quid, quæſo, ex Peripateticis illis ratiocinijs addiſcimus? Ignem, ſcilicet, eſſe in omnibus corporibus ſive *actualem*, ſive *potentialem*; hoc eſt, omnia corpora conſtare ex re quæ conſpicua non eſt & cujus natura non cognoſcitur. Atque hoc egregium ex Ariſtotelis lectione emolumentum.

At ſi Ariſtoteles nos non doceat naturam ignis & aliorum elementorum, ex quibus omnia corpora conſtant, forſan quis poſſet exiſtimare illorum qualitates & præcipuas proprietates ab ipſo ſaltem explicari; hoc eſt quod jam examinandum venit.

Aſſerit eſſe quatuor præcipuas qualitates ad tactum pertinentes, calorem, frigus, humiditatem & ſiccitatem, ex quibus cæteræ omnes conſtant; atque hoc ordine quatuor elementis haſce primas qualitates diſtribuit. Igni calorem & ſiccitatem, aëri calorem & humiditatem, aquæ frigus & humiditatem, terræ frigus & ſiccitatem tribuit. Aſſerit calorem & frigus eſſe qualitates activas, ut ſiccitas & humiditas ſunt qualitates paſſivæ. Calorem definit, *id quod congregat res homogeneas*, frigus, *id quod congregat omnia ſive homogenea, ſive heterogenea*; humidum, *id quod non continetur facilè proprijs ſuis terminis, ſed facilè alienis*, & ſiccum, *id quod continetur facilè proprijs ſuis terminis, nec facilè accommodatur terminis corporum ambientium.*

l.2. c.2.& 3. de Gen. & Corrupt.

Cap. 2.

Itaque, ſecundùm Ariſtotelem, ignis eſt elementum calidum & ſiccum: Ergò eſt elementum quod congregat res homogeneas, & facilè continetur proprijs ſuis terminis difficulter verò alienis. Aër eſt elementum calidum & humidum; ergò eſt elementum quod congregat res homogeneas, nec facilè continetur proprijs terminis, facilè verò alienis. Aqua eſt elementum frigidum & humidum; Ergò eſt elementum quod congregat res homogeneas & heterogeneas, nec facilè continetur proprijs terminis ſed alienis. Denique Terra eſt frigida & ſicca; ergò eſt elementum quod congregat res homogeneas & heterogeneas,

quod

quod facilè continetur proprijs terminis, difficulter verò accommodatur alienis.

Hæc sunt Elementa explicata juxta sententiam Aristotelis, vel juxta definitiones quas tradidit de illorum præcipuis qualitatibus: Quia verò, si ipsi credimus, Elementa sunt corpora simplicia, ex quibus cætera constant, & illorum qualitates, sunt qualitates simplices, ex quibus cæteræ componuntur; cognitio horum elementorum & illarum qualitatum debet esse admodùm clara & distincta, cùm tota Physica, hoc est, cognitio corporum sensibilium, quæ ex ijs constant, inde pendeat.

Videamus igitur quid in illis principijs desideretur. Primò, Aristoteles nullam ideam distinctam alligat voci qualitatis. Dubium est an per qualitatem intelligat ens quoddam reale distinctum à materiâ, an verò duntaxat modificationem materiæ. Vocem illam aliquandò uno sensû, aliquandò verò alio intelligere videtur. Equidem octavo Capite de Cathegorijs, qualitatem definit, id quod efficit ut res dicantur tales, verùm id non est propriè quod quæritur. Secundò, definitiones quas dat quatuor primarum qualitatum, caloris, frigoris, humiditatis & siccitatis omnes sunt falsæ, aut inutiles. Sic definit calorem. *Calor, est id quod congregat homogenea.*

Primò, hac definitione caloris natura adæquatè non explicatur, licèt verum esset calorem semper congregare homogenea.

Secundò, falsum est calorem congregare homogenea. Calor partes aquæ non congregat, illas potiùs in vapores dissipat. Non congregat partes vini, nec partes cujuslibet aliûs liquoris, seu corporis fluidi; immò nec partes argenti vivi. Contrà omnia corpora solida & fluida homogenea & heterogenea resolvit & disgregat. Ac si quædam sint; quorum partes ignis non possit dissipare, id non fit quòd sint ejusdem naturæ, sed quia sunt crassiores & solidiores quàm ut possint abripi motû partium ignis.

Tertiò, ut dicam quod res est, calor non potest congregare nec disgregare partes ullius corporis, sive homogenei, sive heterogenei. Ut enim congregentur, dissipentur, separentur partes alicujus corporis, necesse est movere illas. Jam autem calor nihil potest movere; Vel saltem calorem posse movere corpora evidens non est; Etenim, ad caloris naturam quantumvis attendam, deprehendere nequeo illum corpori communicare motum quem ipse non habet, videmus equidem ignem movere & separare partes corporum sibi obviorum, sed id forsan non fit ipsius calore, immò ignem calore præditum esse evidens non est. Id potiùs fit perpetuâ illius partium actione, quas in perpetuo motû esse manifestum est. Evidens est, partes ignis, si in aliquod corpus incidant, ipsi communicare

debere aliquam partem motûs sui; sive sit calor in igne, sive non. Si partes istius corporis sunt parùm solidæ, ignis illas dissipare debet, si sint admodùm solidæ & crassæ, ignis eas tantùm movebit, & efficiet ut mutuò sese confricent; Denique si corpus illud ex partibus subtilibus & crassis simul mistis constet, ignis eas tantùm dissipabit, quas satis impellet ut ab alijs separentur. Itaque ignis duntaxat potest separare; ac, si congreget, id fit duntaxat per accidens. Verùm Aristoteles contrarium planè sentit. *Disgregare*, inquit, *quod nonnulli igni tribuunt, nihil aliud est quàm congregare homogenea; namque per accidens duntaxat ignis effert res heterogeneas.*

De Gen. & Corr. l.2.c.2

Si Aristoteles ab initio distinxisset sensum caloris à motû particularum, ex quibus constant corpora calida dicta; ac posteà definivisset calorem acceptum pro motû partium, dicendo calorem esse id quod agitat & separat partes invisibiles ex quibus constant corpora visibilia, definitionem caloris tradidisset non rejiciendam. Illâ penitùs satis non fieret; quia præcisè non explicaret naturam motuum corporum calidorum.

Aristoteles frigus definit, *id quod congregat corpora homogenea & heterogenea.* Iterùm hæc definitio non est legitima, falsum enim est frigus congregare corpora. Ut corpora congregentur, necesse est illa movere, jam si ratio auscultetur, frigus non posse movere evidens erit. Reverâ per frigus intelligimus vel id quod sentimus dum frigemus, vel id quod gignit sensum frigoris. Jam autem clarum est sensum frigoris nihil posse movere, cùm nihil possit pellere. Quod verò gignit frigoris sensum, evidens est, si res æquâ judicij lance perpendatur, illud nihil aliud esse quàm quietem aut cessationem motûs. Itaque cùm frigus in corporibus nihil aliud sit quàm cessatio illius motûs qui calorem gignit evidens est si calor separet, frigus non separare. Itaque frigus nec res homogeneas nec heterogeneas congreget, quod enim nihil potest pellere, nihil etiam potest congregare, uno verbo, cum nihil agat, nihil congregat.

Aristoteles de rebus per sensus judicans, frigus æquè positivum esse ac calorem arbitratur, quia sensationes caloris & frigoris sunt ambæ reales & positivæ; atque etiam duas illas qualitates activas esse existimat. Reipsâ si impressiones sensuum sequamur, frigus esse qualitatem activam meritò credimus; cùm aqua frigida congelet, congreget & obduret unico momento aurum & plumbum liquefacta, postquam è fornace super modicam aquæ portionem infusa fuere, quamvis calor istorum Metallorum satis adhuc vehemens sit ad separandas partes corporum quæ tangunt.

Vid. I. Lib. à Cap. 11. ad 15

Ex ijs quæ à nobis de erroribus sensuum Primo Libro dicta sunt, patet, eum qui sensibus duntaxat utitur ad examinandas qualitates corporum sensibilium, nullam unquàm posse retegere veri-

tatem certam, quâ uti possit veluti principiò ad cognoscendam naturam. Hac enim viâ nequidem deprehendere possumus quænam sint calida, quænam verò frigida. Ex multis hominibus qui manus admovent aquæ tepidæ, alij illam calidam, alij verò frigidam sentiunt. Qui calent illam reperiunt frigidam, qui frigent illam sentiunt calidam. Ac si pisces sensûs capaces esse supponantur, verisimile est aquam ipsis calidam videri, dum hominibus frigidissima videtur. De aëre, res non secùs se habet, juxta varias corporis dispositiones, calidus aut frigidus videtur. Aristoteles illum esse calidum existimat verùm haud putem Septentrionis incolas cum ipso hac in re sentire, cùm etiam complures docti, quorum regio non est minùs calida regione Græciæ asseruerint aërem esse frigidum. Verùm hæc quæstio, quæ in Scholâ magni momenti semper visa fuit, nunquam decidetur, quin priùs idea distincta voci caloris alligetur.

Definitiones caloris & frigoris ab Aristotele traditæ, neutrius ideam possunt determinare. Aër, exempli gratiâ, & aqua ipsa quantumvis calida & fervida, congregant partes plumbi liquefacti, cum partibus cujuslibet alius Metalli. Aër congregat omnes adipes junctas resinis, & quibuslibet alijs corporibus solidis. Ac certè is tenax Peripateticus esset qui lithocollam aëri exponeret ad separandum cinerem à pice, aut quædam alia corpora composita ad ea decomponenda. Aër igitur non est calidus juxta definitionem caloris ab Aristotele traditam. Aër separat liquores à corporibus ijs imbutis, indurat lutum, lintea expansa exsiccat, quamvis Aristoteles illum dicat humidum; ergò aër est calidus secundùm eandem definitionem. Hac igitur definitione non potest determinari an aër sit calidus an verò non. Possumus equidem asserere aërem esse calidum respectû luti, cùm separet aquam à terra cui conjuncta est. At verò an erunt exploranda omnia aëris effecta in omnia corpora, ut sciamus an sit calor in aëre quem respiramus. Si sic procedatur res nunquam certa evadet. Itaque multò tutius est non Philosophari de aëre quem respiramus; Sed de quodam aëre puro & elementari, qui in hac sublunari regione non reperitur; & asserendum est positivè, ut Aristoteles, illum esse calidum; nec ad id probandum opus est argumentis, immò quid per illum aërem illiusque calorem intelligatur perinde esse debet. Namque hoc pacto tradentur principia, quæ difficile erit evertere; non propter ipsorum evidentiam & soliditatem, sed quia obscura sunt, & spectris similia, quæ lædi nequeunt, quia corpore sunt destituta.

Definitionibus ab Aristotele traditis de humiditate & siccitate hic non immoror, quia illarum qualitatum naturam hisce definitio-

nibus non explicari evidenter satis patet. Namque secundùm hasce definitiones ignis non est siccus, cùm proprijs suis terminis facile non contineatur; glacies non est humida, quippe quæ proprijs suis terminis facilè contineatur, & alienis non nisi difficulter accommodetur. Glacies equidem non est humida, si per *humidum* intelligatur *fluidum*; Verùm si res sic intelligatur, dicendum est flammam esse admodum humidam æquè ac aurum & plumbum liquefacta. Verum quoque est glaciem non esse humidam, si per *humidum* intelligatur id quod rebus quas tangit facilè adhæret: sed hoc sensû, pix, adeps, & oleum aquâ multò humidiora sunt, cùm corporibus quæ attingunt tenaciùs adhæreant quàm aqua. Eô sensû argentum vivum est humidum, namque metallis adhæret; & ipsa aqua non est perfectè humida, nam plerisque metallis non adhærescit. Itaque ad defendendas Aristotelis opiniones nequidem ad sensuum testimonium confugiendum est.

Verùm à longiori egregiarum istius Philosophi definitionum circa quatuor qualitates elementares, examine supersedeamus: & supponamus etiam quæcunque à sensibus circa hasce qualitates accipimus vera esse. Fidem nostram denuò excitemus, & hasce definitiones esse perquàm legitimas credamus. Videamus duntaxat an reverâ omnes qualitates corporum sensibilium constent ex hisce qualitatibus elementaribus. Id censet Aristoteles, meritò quidem, cùm quatuor hasce primas qualitates habeat tanquam principia rerum, quas in Libris Physices nobis est explicaturus.

Nos igitur docet colores generari ex commistione quatuor qualitatum elementarium. Album fieri, ubi humiditas superat calorem, ut in senibus qui canescunt; nigrum, ubi humiditas exsiccatur, ut in muris cisternarum; & sic de ceteris coloribus; odores & sapores etiam fieri per variam *sicci* & *humidi* commistionem calore & frigore factam: immò gravitatem & levitatem ab ijs pendere. Unô verbô juxta Aristotelem, necesse est omnes qualitates sensibiles produci à duabus qualitatibus *activis* calore & frigore, & constare ex duabus *passivis* humiditate & siccitate; ut inter ipsius principia & consequentias quas ex ijs deducit, quædam sit verisimilis connexio.

Hæc omnia tamen cæteris à nobis hactenus ex Aristotele allatis creditû difficiliora videntur. Vix credibile est terram & alia elementa non fore colorata, aut visibilia, si essent in puris naturalibus, sine ullâ admistione qualitatum elementarium, licèt docti Interpretes istius Philosophi id nobis asserant. Quid sibi velit Aristoteles non satis mihi notum est, dum canitiem capillorum ex humiditate oriri dicit, quia humiditas senum ipsorum calorem superat; licèt ut illius mentem meliùs possim assequi, definitionem posuerim locô definiti. Quis propositionem adeò absurdam posset intel-

ligere; capillos, ſcilicet, caneſcere in ſenibus, quia *id quod non facile continetur propriis ſuis terminis ſed alienis* ſuperat *id quod congregat homogenea*. Haud putem ſaporem ab ipſo aptiùs explicari, ubi dicit illum conſiſtere in conjunctione ſiccitatis, humiditatis & caloris, præcipuè quum hiſce vocibus adaptantur & ſubſtituuntur definitiones ab Ariſtotele traditæ, ut id fieri oporteret, ſi eſſent bonæ. Immò forſan riſum vix ille poſſet tenere, qui locò definitionum famis & ſitis quas tradit Ariſtoteles dicendo famem eſſe appetitum *calidi & ſicci*, ſitim verò appetitum *frigidi & humidi*, ſubſtitueret definitiones horum terminorum appellando famem, *deſiderium illius quod congregat homogenea, & illius quod facile continetur propriis ſuis terminis, difficile verò alienis*, & definiendo ſitim, *deſiderium illius quod congregat homogenea & heterogenea, quodque quamvis propriis ſuis terminis facile non contineatur, alienis tamen facile continetur.* Lib. 2. c. 3. de anima.

Certè lex eſt utiliſſima ad cognoſcendum an termini fuerint benè definiti, & ad vitandum errorem in ratiocinijs noſtris, definitionem definito ſubſtituere. Hac enim ratione deprehenditur an termini ſint æquivoci, & menſuræ relationum falſæ & imperfectæ, an verò ratiocinia ſint legitima. Hoc poſito, quid ſentiendum erit de ratiocinijs Ariſtotelis, quæ nihil ſunt quàm inanis & abſurda verborum farrago, ubi juxta hanc regulam examinantur? Quid pariter dicendum erit de ijs omnibus qui juxta ideas ſenſuum falſas & confuſas duntaxat ratiocinantur, cùm hæc regula quæ ratiocinijs juſtis & ſolidis lucem & evidentiam conciliat, nihil præter confuſionem ipſorum dictis afferat.

Totam ineptiam & abſurditatem explicationum Ariſtotelis circa res quaſlibet, exponere nemo poteſt. Ubi quæ tractat ſimplicia ſunt & facilia, ipſius errores ſunt ſimplices, nec magno negotio poſſunt deprehendi. Ubi verò quæſtiones compoſitas & ex multis cauſis pendentes explicare aggreditur, ipſius errores non minùs, ne quid dicam ampliùs, compoſiti ſunt, quàm res quas tractat, nec poſſunt ipſi errores ſatis enucleari ut clarè alijs exponantur.

Sublime illud ingenium à quo ita eximiè ad benè definiendum regulæ traditæ exiſtimantur, nequidem novit quænam ſint definienda; cùm enim nullam admittat diſtinctionem inter cognitionem claram & diſtinctam, & cognitionem ſenſibus hauſtam, res quarum nequidem habet ideam diſtinctam, cognoſcere autumat, & alijs explicare ſatagit. Definitiones rerum naturam debent explicare, & termini ex quibus conſtant, ideas diſtinctas & ſpeciales in mente excitare debent. Verùm qualitates ſenſibiles caloris, frigoris, coloris, ſaporis, &c. hoc pacto explicari nequeunt, ubi effectum cum cauſa, motus corporum cum ſenſatione quæ illum comitatur, confunduntur: cùm enim ſenſationes ſint modificationes mentis, quæ

non cognoſcuntur per ideas claras, ſed tantùm per ſenſum internum, ſeu conſcientiam, ut tertio Libro expoſui, ideas quas non habemus vocibus adaptare nequimus. Pag. 216.

Cùm ideas diſtinctas circuli, quadrati, trianguli, & eorum hoc pacto cognitionem diſtinctam habeamus, ea etiam accuratè definire poſſumus; immò ex ideis quas habemus de illis figuris poſſumus deducere omnes illarum proprietates, & eas terminis claris & diſtinctis alijs explicare: Sed calor & frigus, quatenùs ſunt qualitates ſenſibiles, explicari nequeunt, quippe non diſtinctè & per ideam, ſed tantùm conſcientiâ vel ſensû interno cognoſcuntur.

Calor qui eſt extra nos non debet pariter definiri per effecta quædam, nam ſi illius loco ſubſtituatur definitio, quæ ipſi affingetur, ſatis patebit hanc definitionem menti in errorem injiciendæ duntaxat inſervire poſſe. Si, exempli gratiâ, calor definiatur id quod congregat homogenea, nihil addendo præterea, juxta hanc definitionem, pro calore accipi poterunt; res illi prorſus abſimiles. Magnes dici poterit coacervare ſcobem ſeu ramentum ferri, illudque ab argenti ramento ſeparare quia calidus eſt: Columbam ſemen cannabinum ab alio grano ſeparare, quia columba eſt calida: Avarum nummos aureos ab argenteis ſecernere; quia ipſe calet. Denique ſi quis eò ſtupiditatis deveniret ut hanc ſequeretur definitionem, nullo errore non implicaretur. Hæc igitur definitio caloris naturam non explicat, nec illius ope poſſunt deduci caloris proprietates: quippe ſi ipſius terminis præcisè adhæreamus, definitionemque in definiti locum ſubſtituamus, in abſurditatem ruemus.

Si tamen calor ab ipſius cauſa accuratè diſtinguatur, licèt non poſſit definiri, quippe quæ ſit modificatio mentis, cujus nullam habemus ideam, illius tamen cauſa poteſt definiri, quia motûs ideam habemus diſtinctam. Sed obſervandum eſt calorem acceptum pro tali vel tali motû, in nobis caloris ſenſationem non ſemper gignere. Nam aqua, exempli gratiâ, eſt calida, cùm ipſius partes ſint fluidæ & in motû, & veriſimile ſit illam piſcibus eſſe calidam, cùmque ſaltem calidior ſit glacie cujus partes ſunt in majori quiete; ſed frigida eſt reſpectû noſtri, quia partes ipſius minùs moventur quàm partes corporis noſtri; quippe quod minorem habet motum quàm aliud, dici poteſt eſſe in quiete reſpectû alterìus. Itaque relatè ad motum fibrarum corporis noſtri non definienda eſt cauſa caloris, aut motûs qui eum excitat; motus ille, ſi fieri poſſit, abſolutè & in ſe definiendus eſt. Tunc definitiones quæ de ipſo tradentur, ad patefaciendum naturam & proprietates caloris inſervire poterunt.

Longiori, ni fallor, Ariſtotelicæ Philoſophiæ examine abſtinere poſſum; nec erroribus illius admodùm confuſis & intricatis, expediendis diutiùs inſiſtere operæ pretium non eſt. Philoſophum

quatuor elementa ab ipso posita nec probare, nec benè definire; ipsius qualitates elementares tales non esse quales illas existimat, earum naturam ab ipso non cognosci; & omnes qualitates secundas ex ijs non constare; ac denique licèt ipsi concederetur ex quatuor istis elementis omnia corpora esse composita, ut qualitates secundæ illorum, totum ipsius systema fore tamen inutile, ad inquirendam veritatem, quia ipsius ideæ satis non sunt claræ ad evidentiam in ratiocinijs nostris semper conservandam, clarè satis demonstrasse mihi videor.

Si quis me veras Aristotelis opiniones non explicuisse suspicetur, potest rem comperire ex ipsius Libris de *Cœlo*, & de *generatione* & *corruptione*. Hinc enim ex scripsi quæcunque suprà à me dicta sunt. De octo Libris Physices nihil afferre volui, quia non pauci docti existimant illos esse meram Logicam; quod à verisimili non abhorret, cùm ibi nihil præter terminos vagos & indeterminatos reperiatur.

Cùm Aristoteles sibi sæpè contradicat, & quælibet opiniones possint defendi quibusdam locis ex ipso depromptis, mihi dubium non est quin ex ipso Aristotele possint probari quædam sententiæ ijs contrariæ quæ ipsi à me fuerunt attributæ. Verùm hanc rem meam non facio. Sufficit dicta mea ex Libris Aristotelis modò citatis probari posse. Immò an Libri illi Aristotelis sint nunc parùm sollicitus sum, illo qualis est, & qualis vulgò admittitur utor; quippe eorum quæ parvi facimus genealogiam anxiè disquirere futile foret.

CAPUT VI.

Præcepta generalia necessaria ut ordine procedatur in inquirendâ veritate & in delectû scientiarum.

ME in hoc opere duntaxat destruere, nihil verò certi & indubitati statuere, ne quis objiciat; ordinem in Studijs, erroris vitandi gratiâ, observandum à me hîc breviter exponi; immò nonnullas veritates & scientias maximè necessarias, in quibus talis sit evidentia, ut assensus cohiberi nequeat, sine arcanis rationis objurgationibus, à me indicari operæ pretium est. Hasce veritates & scientias fusè non explicabo, res ab alijs jam peracta est, aliorum opera typis denuò mandare non est animus, sufficiet mihi Lectorem ad illa amandare. Ordinem duntaxat ostendam ob-

servandum in studio illorum librorum, ut evidentia in perceptionibus semper conservetur.

Cognitionum nostrarum prima est cognitio existentiæ mentis nostræ; omnes nostræ cogitationes illam existentiam invictè demonstrant, namque evidentissimum est ut quod maximè, id quod actû cogitat esse actû quid, seu actû existere. Verùm si mentis existentia facilè cognoscatur, ipsius essentia & natura æquè facilè non cognoscitur. Si qualis sit scire velimus, cavendum est ne illam confundamus cum rebus quibus unita est. Si dubitemus, velimus, ratiocinemur, tantummodò credendum est mentem esse rem quæ dubitat, vult & ratiocinatur, nihil præterea, quandiù alias in eâ non deprehenderimus proprietates; mentem enim nostram non cognoscimus nisi sensû interno quem de illâ habemus. Mens accipienda non est pro corpore, pro sanguine, pro spiritibus animalibus, pro igne, nec pro innumeris alijs rebus quas Philosophi pro animâ acceperunt. De mente id duntaxat credendum est quod de illâ non credere non possumus, cujusque planè convincimur sensû interno quem de nobis habemus, nam alioqui falleremur. Itaque simplici visû seu sensû interno cognoscemus quicquid de mente cognosci potest, nec adigemur ad ratiocinia errori obnoxia. Ubi enim ratiocinamur, memoria nostra agit; jam autem ubi agit memoria potest esse error, supponendo esse aliquem genium à quo in cognitionibus nostris pendeamus, quique nos decipiendo delectetur.

Si, exempli gratiâ, supponerem Deum aliquem in eô delectari ut me decipiat, eum me tamen in cognitionibus simplicis intuitûs decipere non posse persuasus sum, veluti quum cognosco me esse, me cogitare, & bis duo esse quatuor. Etsi enim talem Deum, & quantumvis potentem fingerem, percipio tamen, nonobstante absurdâ illa suppositione, me quin sim, & quin bis duo æqualia sint numero quatuor nequaquam dubitare posse, quoniam ista simplici intuitû & absque usu memoriæ cognosco.

Quando autem ratiocinor, cùm ratiociniorum meorum principia clarè & evidenter non videam, & ea me evidenter vidisse tantùm meminerim, si *Deus ille* memoriam istam falsis principijs connecteret, ut id, si vellet, efficere posset, falsò tantùm ratiocinarer. Eô ferè modô quô ij qui longas instituunt computationes, se, quòd aliàs cognoverint novies novem esse 72, vel 21. esse numerum primum, vel alicujus similis erroris probè meminisse sæpè autumant.

Sic igitur Deum, eumque nullomodo deceptorem agnoscere necesse est, si planè convinci & certiores esse velimus quòd certissimæ scientiæ, ut Arithmetica & Geometria, veræ sint scientiæ. Absque eo enim certa non est evidentia, & cohiberi potest assensus. Et præterea necesse est ut simplici intuitû agnoscamus Deum non esse decepto-

deceptorem quia ratiocinium potest semper esse falsum, si Deus supponatur fallax.

Omnia argumenta quæ vulgò afferri solent ad probandum Dei existentiam & ipsius perfectiones, deprompta ex existentiâ & perfectionibus creaturarum, hoc vitio laborare mihi videntur, quòd, nempe, mentem simplici visû non convincant, hæc argumenta equidem sunt ratiocinia quæ per se convincunt; sed cùm sint ratiocinia, non convincunt, supposito malo genio qui nos fallat; Potentiam quandam esse nobis superiorem satis equidem convincunt, id enim adstruit hæc ipsa ridicula suppositio; sed planè non convincunt esse Deum seu Ens infinitè perfectum. Itaque in hisce ratiociniis conclusio evidentior est principio.

Potentiam quandam existere nobis superiorem evidentius est quàm existere mundum; cum nulla suppositio obstare possit quò minùs demonstretur superior illa potentia; cùm è contra, supposito malo genio qui nos decipiendo delectetur, existentia mundi probari nequeat. Semper enim possemus concipere, malum illum genium in nobis excitare sensationes rerum quæ non existerent. Namque per somnum & per quosdam morbos res quasdam videre nobis videmur quæ nunquam extitere; immò quandoque actû sensimus dolorem in membris imaginariis, quæ ampliùs non habemus, vel quæ nunquam habuimus.

Sed argumenta existentiæ & perfectionum Dei deducta ex ideâ infiniti quam habemus, sunt argumenta simplicis visûs. Statim atque infinitum videmus, Deum existere pariter videmus. Quia existentia necessaria includitur in ideâ infiniti, ac solum infinitum potest nobis præbere ideam quam habemus entis infiniti. Hinc etiam videmus Deum non esse fallacem, cum enim sciamus illum esse infinitè perfectum, & infinito nullam posse deesse perfectionem, clarè videmus ipsum nolle nos decipere, immò non posse, cùm nihil possit præter id quod vult, vel id quod potest velle. Existit itaque Deus & quidem Deus verax qui nos nunquam decipit, quamvis semper non illuminet, & sæpe ipsi nosmet decipiamus, dum nos non illuminat. Omnes illæ veritates simplici visû ab ingeniis attentis percipiuntur, quamvis hic ratiocinia formare videamur, ut eas aliis exponamus. Veritates illas possumus supponere ut principia indubitata quibus in ratiociniis inniti possumus; cùm enim agnoverimus Deum nos decipiendo non delectari, jam libenter possumus ratiocinari.

Hoc principio, Deum, scilicet, existere, ipsúmque non esse fallacem, fidem etiam statuminari manifestum est. Namque existentia Dei & infallibilitas autoritatis Divinæ sunt potiùs cognitiones naturales & notiones communes ingeniis ad rem attentis, quàm articuli fidei; quamvis nemo sine speciali Dei dono, capax eva-

Mmm

dere possit attentionis necessariæ ad veritates illas benè percipiendas.

Ex hoc principio, ***Deum non esse fallacem***, possemus etiam concludere nobis reverâ esse corpus, cui arctè unimur, & nos multis aliis corporibus circumdari. Nam illorum existentiæ sensationibus perpetuis quas Deus in nobis excitat, quasque illæsâ fide non possumus ratione corrigere, intus convincimur; quamvis ratione corrigere possimus sensationes quæ illa nobis repræsentant cum qualitatibus & perfectionibus quibusdam quas non habent. Itaque credere non debemus corpora talia esse, qualia illa videmus aut imaginamur, sed illa duntaxat existere, & talia esse, qualia illa ratione concipimus.

Vide illustr. ad 10. Cap. 2. lib.

Ut verò ordine ratiocinemur, nondum examinare par est an corpus habeamus, & an aliis circumdemur, an verò illorum duntaxat habeamus sensationes, licet actû non existant. Hæc quæstio nimias includit difficultates, nec forsan illius solutio ad perficiendas cognitiones nostras, nec etiam ad accuratam Physicæ, Ethicæ, & aliarum quarundam scientiarum cognitionem assequendam, tam necessaria est, quàm vulgò putatur.

Numerorum & extensionis, quorum existentia extra omne dubium posita est & natura immutabilis, ideas habemus, quæ cogitandi materiam perpetuam nobis præberent, si omnes relationes quas inter se habent cognoscere vellemus. Ac necesse est nos ab hisce ideis initium facere ingenio nostro utendi, propter rationes quas hîc recensere operæ pretium est. Tres sunt præcipuæ.

1. Quia illæ ideæ omnium sunt clarissimæ & evidentissimæ. Si enim ad vitandum errorem, in ratiociniis semper sit conservanda evidentia, manifestum est potiùs esse ratiocinandum juxta ideas numerorum & extensionis, quàm juxta ideas confusas aut compositas, Physicæ, Ethicæ, Chymicæ, & aliarum scientiarum.

2. Quia illæ ideæ omnium sunt distinctissimæ & accuratissimæ. Adeò ut habitus qui in Arithmetica & in Geometria contrahitur, non acquiescendi nisi priùs rerum relationes præcisè cognitæ fuerint, menti quandam communicet accurationem, quâ non fruuntur qui verisimilitudinibus aliarum scientiarum contenti sunt.

3. Præcipuè, quia illæ ideæ sunt regulæ immutabiles & mensuræ communes omnium quæ cognoscimus & cognoscere possumus. Qui numerorum & figurarum relationes perfectè cognoscunt, vel potiùs qui comparationes necessarias instituere norunt ad cognoscendas numerorum & figurarum relationes, quandam scientiam universalem & rationem notissimam ad omnia quæ limites mentis humanæ non excedunt, certò & evidenter retegenda possident. Qui verò hac arte carent, veritates paulò complexiores certò assequi nequeunt, quamvis habeant ideas clarissimas rerum, quarum relationes

relationes compositas cognoscere conantur.

Hisce aut similibus rationibus ducti aliquot inter Priscos, juvenes Arithmeticam, Algebram & Geometriam addiscere curarunt. Verisimile est ipsos compertum habuisse, Arithmeticâ & Geometriâ mentem quandam adipisci penetrationem, quæ aliis scientiis comparari nequit; & Geometriâ imaginationem ita regi, ut facilè non turbetur. Namque hæc mentis facultas Geometriæ usû, tantam acquirit accurationem & in gradû adeò justo, ut illius ope mentis acies difficultates maximè intricatas assequatur & penetret.

Qui igitur evidentiam in perceptionibus suis conservare, & veritatem puram sine caliginis & erroris admistione assequi volunt, primò Arithmeticæ, Algebræ, & Geometriæ studere debent; postquàm aliquam saltem acquisiverint cognitionem sui & Entis Summi: Ac si libros quosdam quibus ad has scientias veluti manû ducantur quærant, sicut *Meditationibus* Renati Des-Cartes uti debuerunt ad cognitionem Dei & sui ipsorum; ad Arithmeticam & Algebram addiscendam uti possunt *Elementis Mathematicis* aliquot abhinc annis editis: & ad Geometriam vulgarem *novis Elementis Geometriæ* editis anno 1667. vel Elementis P. Taqueti Jesuitæ editis Antuerpiæ anno 1665. ac denique ad sectiones conicas, & solutionem Problematum Geometriæ, Tractatibus à Domino De la Hire compositis, *Sectionibus Conicis*, *locis Geometricis*, *& Constructione æquationum*, quibus Geometria R. Des-Cartes poterit jungi.

Apud Pralard.

Apud Desprez Parisiis.

Hi tractatus Gallici editi sunt Parisiis apud Pralard.

Elementa Mathematica ad Arithmeticam & Algebram non indicarem, si hasce scientias ab aliquo Authore clarè demonstratas fuisse, mihi notum esset; Verùm veritatem hic fateri teneor quam nonnulli iniquo ferent animo. Cum Algebra & Analysis sint planè necessariæ ad assequendas veritates compositas, legitimum est me laudare librum qui in hisce tantos edidit progressus, quique juxta eruditos nonnullos, illas clariùs explicat quàm hactenùs à quoquam fuerunt explicatæ.

Postquàm hisce generalibus scientiis sedula & attenta opera data fuerit, complures veritates fecundæ & ad omnes scientias accuratas & speciales necessariæ evidenter cognoscentur. Deinde Physicæ & Ethicæ studendum erit, quia istæ scientiæ sunt utilissimæ, quamvis parùm conferant ad mentem rectam & perspicacem reddendam. Ac si evidentiam in perceptionibus nostris semper conservare velimus, cavendum est ne aliquo principio non evidenti nos anteverti sinamus; hoc est, principio, quod Sinenses attentè expensum non admissuros esse concipere possimus.

Itaque quoad Physicam, duntaxat admittendæ sunt notiones communes omnibus hominibus; hoc est, axiomata Geometrarum, & ideæ claræ extensionis, figuræ, motûs, & quietis, ac si quæ sint aliæ æquè claræ. Forsan quis dicet extensionem non esse essentiam

materiæ; sed quid hem? sufficit mundum quem concipimus ex extensione formatum, similem esse mundo quem videmus, quamvis materialis non sit secundùm istam materiam inanem, de quâ nihil cognoscitur, quamvis de eâ tot egregia prędicentur.

Necesse omninò non est examinare an actu sint extrinsecus entia quæ respondeant hisce ideis; namque ratiocinia nostra hisce entibus non nituntur, sed duntaxat illorum ideis: videndum est duntaxat ut ratiocinia quæ circa rerum proprietates formamus, consonent cum sensationibus quas illarum occasione habemus, hoc est, ut id quod cogitamus optimè conveniat cum experientiâ, namque in Physicâ, ordinem & connexionem effectorum cum causis deprehendere conamur aut in corporibus, si actû existant, aut in sensationibus quas de iis habemus si non existant.

Equidem dubium non est quin actû existant corpora si attendamus Deum non esse fallacem, & expendamus justum ordinem quem in sensationibus nostris instituit, sive in occasionibus naturalibus, sive in iis quæ duntaxat eveniunt ut ea credamus quæ naturaliter capere nequimus: sed necesse non est longo examine primâ fronte rem discutere quam nemo in dubium vocat, quæque valdè non confert ad cognitionem Physicæ spectatæ ut vera scientia.

Anxiè quoque inquirendum non est an sint necne in corporibus quibus circumdamur, quædam aliæ qualitates ab iis quarum claras habemus ideas, namque juxta ideas nostras duntaxat ratiocinari debemus: ac si quid aliud sit, cujus ideam non habeamus claram, distinctam & specialem, de eo nihil unquàm cognoscemus, nec accuratè ratiocinari poterimus. Forsan si juxta ideas nostras ratiocinemur, juxta ipsam naturam ratiocinabimur, & comperiemus illam non esse tam abstrusam ac vulgò putatur.

Quemadmodum qui numerorum proprietatibus non studuerunt, quædam problemata, licèt simplicissima & facillima solvi non posse sæpè arbitrantur; ita qui circa extensionis, figurarum & motuum proprietates nunquam sunt meditati, eò facilè adducuntur ut credant & defendant, quæstiones quæ circa Physicam formantur esse insolubiles. Eorum qui nihil unquam attentè saltem examinarunt judiciis fidendum non est. Quamvis enim paucæ veritates circa res naturæ planè demonstratæ fuerint, quasdam tamen generales extra omne dubium positas esse constat, quamvis de iis sæpè non cogitetur, immò ignorentur, & negentur.

Qui ordine, otio & attentione ad id necessariis meditabuntur, multas ex his veritatibus certis de quibus mentio est deprehendent. Ut verò possint faciliùs animadverti, principia Philosophiæ R. Des Cartes sunt attentè legenda, ex iis quæ dicit nihil admisso, nisi ubi ad assensum vi & evidentiâ rationum mens adigetur.

Cùm Ethica scientiarum sit maximè necessaria, illi etiam sedulò incum-

incumbendum est : namque in hac præcipuè scientia hominum opiniones sequi periculosum est. Sed ut error hîc vitetur & evidentia in perceptionibus conservetur, meditationes nostræ duntaxat niti debent principiis indubitatis apud eos omnes, quorum cor voluptatibus non fuit corruptum, & mens superbiâ occæcata ; namque in Ethicâ nullum est principium indubitatum animis carnis & sanguinis, & iis qui *ingeniorum fortium* titulum sibi arrogant. Istius commatis homines veritates simplicissimas non capiunt, vel si capiant, illas spiritû contradictionis semper impugnant ad conservandam ingenii fortitudinis famam. Esprits forts.

Quædam ex his Ethicæ generalioribus principiis hæc sunt : Deum, cùm omnia propter se condiderit, mentem nostram creasse ad illum cognoscendum, & cor ad illum amandum : Cùm sit justus & potens Deus, ei qui ipsius mandatis non paret non posse esse benè, ei verò qui iis paret non posse esse malè. Naturam nostram esse corruptam, mentem à corpore, rationem à sensibus, voluntatem ab affectibus pendere ; Nos esse in impotentiâ faciendi id quod nobis ex officio faciendum esse clarè videmus ; & nos Liberatore indigere. Multa adhuc alia sunt Ethicæ principia ; ut, Secessum & pœnitentiam necessaria esse ad imminuendam unionem nostram cum objectis sensibilibus, & ad augendam unionem quam habemus cum bonis intelligibilibus, veris bonis, bonis mentis : Nullâ nos posse violenta frui voluptate quin ei mancipemur ; nihil ex affectûs impetû esse unquàm suscipiendum &c. Quia verò hæc postrema principia à præcedentibus & à cognitione hominis pendent ; inter indubitata non sunt accensenda. Si super his principiis ordine, & attentione quam in re tantâ par est afferre, meditemur, nihilque ut verum admittamus præter conclusiones ex his principiis legitimè deductas, habebimus Ethicam certam, quæque cum Ethicâ Evangelii perfectè consonabit, quamvis hujus perfectionem non exæquet, nec æquè latè pateat.

Equidem, in Ethicæ ratiociniis, evidentia & accuratio difficiliùs conservantur, quàm in quibusdam aliis scientiis, & cognitio hominis omninò necessaria est iis qui in hac scientia progressus non vulgares edere cupiunt ; Atque hanc ob causam pauci sunt quibus hoc studium prosperè cedat. Sese consulere nolunt ut naturæ suæ infirmitates agnoscant. Magistrum qui nos voluntates suas, quæ sunt leges immutabiles & æternæ, & vera principia Ethicæ, intus docet, interrogare citiùs desinunt : Illum, quia sensus non alloquitur, secundùm ipsorum desideria non respondet & superbiæ non adblanditur, nonnisi cum fastidio audiunt. Vocem quæ strepitû suo imaginationem non percellit, quæque nisi silentibus creaturis clarè non potest intelligi, aspernantur. Verùm Aristotelem, Senecam, aut novos quosdam Philosophos, qui eos aut obscuritate verborum, aut stili

elegantiâ & artificio, aut rationum verisimilitudine fallunt, cum voluptate & veneratione auscultant.

Ex quo peccavit primus homo, ea duntaxat quæ ad conservationem corporis & vitæ commoditatem pertinent, æstimamus; & quia hæc bona sensuum ope cognoscimus, eorum usum ubique admittere volumus. Sapientia Æterna quæ est vera nostra vita, & solum lumen quô possumus illuminari, cæcis duntaxat sæpè illucescit & surdos alloquitur, dum in intimo rationis tantùm loquitur: quia ad objecta externa penè semper diffundimur. Cum creaturas indesinenter interrogemus ut aliquid de bono quod quærimus, accipiamus, oportuit, ut jam alibi dictum est, hanc sapientiam sese oculis nostris extrinsecùs offerre, intra nos tamen eodem tempore semper remanendo, ut verbis & exemplis sensibilibus, viam nobis indicaret quâ felicitatem æternam possimus assequi. Deus amorem naturalem in nobis perpetuò imprimit, ut illum indesinenter amemus, & eodem illo motû ab illo indesinenter recedimus, totis quas nobis impertitur viribus currendo versùs bona sensibilia ab ipso nobis prohibita. Itaque, cùm à nobis amari vellet, oportebat ipsum fieri sensibilem & sese coram nobis, ut ita dicam, sistere, ut ipsius gratiæ suavitate, vanas omnes nostras figeret agitationes, & sanationem nostram inchoaret à sensibus aut delectationibus quæ similes essent voluptatibus illis prævertentibus à quibus morbus noster ortum duxerat.

Hinc patet me non existimare homines, vi mentis propriâ, posse facilè assequi omnes Ethicæ leges necessarias ad salutem, multò minùs posse agere juxta ipsorum lumina; Namque cordis corruptio superat mentis corruptionem. Dico duntaxat, homines, si nulla præter evidentia admittant principia, & ex his principiis legitimas deducant consequentias, easdem veritates esse assequuturos quas in Evangelio discimus: quia eadem est veritas quæ immediatè per se eos alloquitur qui veritatem in evidentiâ ratiociniorum comperiunt, & quæ in Scriptura sacrâ eos alloquitur qui illius sensum attingunt.

Debemus igitur Ethicam ex Evangelio haurire, ad declinandum meditationis laborem, & leges secundùm quas mores nostros dirigere debemus certò addiscendas. Qui verò certitudine contenti non sunt, quia mentem duntaxat convincit, sed illam non illuminat, super hisce legibus sedulò meditari debent, easque ex principiis ipsarum naturalibus deducere, ut quæ fide jam certò cognoscebant, ratione evidenter cognoscere possint. Hoc pacto convincentur Evangelium librorum omnium esse solidissimum; Jesum Christum naturæ morbum & *καχεξίαν* perfectè cognovisse: illi remedium nobis utilissimum, & ipsius sapientiâ dignissimum attulisse; sed contra Philosophorum lumina esse meras tenebras; ipsorum virtutes intolerabilem sapere superbiam, uno verbo Aristotelem, Senecam, aliosque nihil fuisse præter homines, ne quid ampliùs dicam.

CAPUT VII.

De usû primæ regulæ quæ spectat quæstiones speciales.

IN explicandâ regulâ generali Methodi, quæ circa studiorum nostrorum materiem præcipuè versatur satis superque substitimus, satis etiam ostendimus Cartesium illam accuratè sequutum fuisse in suo systemate mundi, Aristotelem verò & ipsius sectatores illam nequaquam observasse. Jam ad regulas speciales, ad quarumlibet quæstionum solutionem necessarias transire operæ pretium est.

Quæstiones quæ circa res omnes possunt formari sunt multiplicis speciei, nec facilè possunt enumerari. Ecce tamen præcipuas. Quandoque effectorum quorumdam cognitorum causæ incognitæ quæruntur : quandoque effecta incognita quæruntur per ipsorum causas cognitas. Ignis urit & dissipat lignum : istius effectûs quæritur causa. Ignis consistit in maximo motû partium ligni : Quæritur quænam effecta motus ille possit producere, an possit indurare lutum & liquefacere ferrum, &c.

Interdùm quæritur natura unius rei per ipsius proprietates : interdum quæruntur proprietates rei, cujus natura est nota. Notum est, vel supponitur lumen uno instanti transmitti, illud tamen reflecti & coalescere in unum ope speculi concavi, ita ut dissipet aut liquefaciat corpora solidissima; & per has proprietates proceditur ad cognitionem naturæ luminis. Notum est contrà omnia spacia, quæ à terrâ ad cœlum usque extant, plena esse corpusculis sphæricis velocissimè agitatis, quæque eò semper tendunt ut à sole recedant ; & quæritur an nisus illorum corpusculorum uno instanti possit transmitti, & an reflexione è speculo concavo, debeant unà coalescere, & dissipare aut liquefacere corpora solidissima.

Quandoque quæruntur omnes partes alicujus totius, aliquando vel totum quæritur per ipsius partes. Quæruntur omnes partes *aliquotæ* numeri alicujus, omnes *radices æquationis alicujus*, omnes anguli recti quos continet aliqua figura &c. Et quæritur totum incognitum, cujus omnes partes notæ sunt, ubi multorum numerorum summa quæritur, multarum figurarum area, & capacitas multorum vasorum : vel totum quæritur cujus una pars est nota & cujus aliæ partes licèt incognitæ, aliquam habent relationem cognitam, cum eo quod est incognitum : ut cum quæritur quis sit numerus cujus habetur pars nota 15. & cujus pars altera ex quâ constat, est dimidia vel tertia pars numeri incogniti; vel ubi quæritur numerus incognitus qui æqualis sit numero 15. & bis radici numeri incogniti.

Denique, quæritur quandoque an res quædam æquales sint aut similes aliis, aut quantò inæquales sint aut differant. Quæritur an Saturnus Jove sit major, vel quantò sit major : an aër Romæ sit calidior aëre Marsiliæ, & quantò.

Id in omnibus quæstionibus generale est, quòd scilicet duntaxat formentur ad cognoscendam veritatem aliquam : quia verò omnes veritates nihil sunt quàm relationes, dicere possumus in omnibus in genere quæstionibus nihil quæri præter cognitionem aliquarum relationum, sive relationes sint inter res, sive inter ideas, sive inter res & ipsarum ideas.

Sunt relationes multiplicis speciei, nempe inter naturam rerum, inter ipsarum magnitudinem, inter ipsarum partes, inter ipsarum attributa, inter ipsarum qualitates, inter ipsarum effecta, inter ipsarum causas, &c. Sed ad duas possunt reduci, nempe ad relationes *magnitudinis*, & ad relationes *qualitatis*; appellando relationes *magnitudinis*, eas omnes quæ sunt inter res consideratas ut capaces suscipiendi magis & minus, & ceteras nuncupando relationes *qualitatis*. Itaque omnes quæstiones ad id tendere dici possunt ut relationes sive magnitudinis sive qualitatis deprehendantur.

Prima & præcipua omnium regularum est, statum quæstionis solvendæ esse accuratissimè cognoscendum, & illius terminos adeò distinctis ideis assequendos esse, ut possint inter se comparari, & sic relationes eorum incognitæ deprehendi queant.

Primò igitur clarissimè percipienda est relatio incognita quæ in illa quæstione quæritur, námque si nullum suppeteret indicium certum ad agnoscendam relationem incognitam, ubi quæreretur, vel ubi comperta esset, illam frustrà quæsitum iri evidens est.

Secundò, efficiendum est, quantùm quidem fieri potest, ut ideæ quæ respondent terminis sint distinctæ, amovendo æquivocationem terminorum; & claræ, terminos attentè expendendo. Namque, si illæ ideæ adeò confusæ sunt & obscuræ, ut non possint fieri comparationes, seu collationes necessariæ ad deprehendendas relationes quæsitas, quæstio nondum solvi potest.

Tertiò, attentissimè animadvertendæ sunt conditiones expressæ in quæstione, si quæ sint : quia alioquin status quæstionis nonnisi confusè intelligitur; præterquàm quòd conditiones ut plurimùm indicant rationem solvendi quæstionem. Ita ut, ubi semel statum quæstionis & ipsius conditiones quis assequutus est, certior sit quid quærat, & sæpè quâ viâ ad illud comperiendum, procedere debeat.

Equidem in omnibus quæstionibus conditiones non exprimuntur; verùm illæ quæstiones in quibus nullæ exprimuntur conditiones sunt indeterminatæ, & multifariam possunt solvi, ut si quis peteret numerum quadratum, Triangulum, &c. nec aliud determinaret : vel, qui illas proponit quæstiones modum illas solvendi vel ignorat, vel de industria

duſtria celat, ut alium impediat;ut ſi quis rogaret inveniri duas medias proportionales inter duas lineas datas, non addendo per interſectionem circuli & Parabolæ, aut circuli & Ellipſis &c.

Planè igitur neceſſe eſt ut indicium quô dignoſcitur res quæſita, ſit maximè diſtinctum non æquivocum, utque aliud deſignare non poſſit, alioqui dubium foret an quæſtio propoſita, fuerit ſoluta. Pariter ſedulò à quæſtione amovendæ ſunt omnes conditiones quibus poſſet intricari, & ſine quibus integra ſubſiſtit; námque mentis capacitatem inutiliter ſolent diſtringere. Immò ſtatus quæſtionis diſtinctè non cognoſcitur, ubi conditionibus inutilibus impeditur.

Si, exempli gratiâ, quæſtio his verbis proponeretur: efficere ut homo liquoribus perfuſus & coronâ floreâ ornatus, non poſſit quietus ſubſiſtere, licèt nihil videat quô poſſit agitari. Sciendum eſt an vocabulum *homo* non ſit metaphoricum, an vox *quietis* non ſit æquivoca, an accipiatur relatè ad motum localem, an verò relatè ad affectus, ut hæc verba, *quamvis nihil videat quô poſſit agitari*, innuere videntur. Sciendum eſt an conditiones illæ, *perfuſus liquoribus & coronâ floreâ ornatus*, ſint eſſentiales. Poſteà ſtatû iſtius ridiculæ & indeterminatæ quæſtionis clarè cognito facilè poterit ſolvi, dicendo, hominem eſſe collocandum in navi juxta conditiones expreſſas in quæſtione.

Eorum qui ejuſmodi quæſtiones proponunt induſtria in eo conſiſtit quòd iis adjungant conditiones quæ neceſſariæ videntur, quamvis reverâ tales non ſint: ut eorum quibus illas proponunt attentionem divertant verſus res inutiles ad quæſtionis ſolutionem. Ut in hac quæſtione, quæ pueris ab ancillis ſolet proponi. Vidi, inquiunt illæ, venatores, vel potiùs, piſcatores qui ſecum auferebant id quod non capiebant, quique in aquam conjiciebant, id quod capiebant. Mens ideâ Piſcatorum, qui piſces piſcantur, præoccupata, quid ſibi velit hęc quęſtio capere nequit. Jam autem tota rei difficultas oritur ex eo quòd, futilis hęc quęſtio clarè non intelligitur, nec attenditur, venatores & piſcatores, æquè ac ceteros homines in veſtibus ſuis animalcula quędam quandoque quęrere, quæ ſi inveniant abjiciunt, ſin verò, ſecum auferunt.

Quandoque etiam quęſtionibus omnes non apponuntur conditiones neceſſariæ ad illarum ſolutionem, atque hoc pacto æquè difficiles ad minimum redduntur, ac quæſtiones illæ quibus inutiles adduntur conditiones; ut in hac, hominem immotum reddere quamvis nec vinciatur nec lędatur, ſeu potiùs, auriculari digito cujuſpiam hominis in ejuſdem aure collocato, hoc ſitû efficere ut immobilis fiat; ita ut è loco in quo fuerit conſtitutus exire nequeat, quin priùs digitum ex aure eduxerit. Id primâ fronte impoſſibile videtur, ac reverâ eſt; poſſum enim quàm facilè incedere etiam digito auriculari in aure poſito. Ac reverâ in hac quęſtione deeſt conditio,

quâ, si exprimeretur, tota amoveretur difficultas. Hęc est conditio, nempe eum qui digitum auri applicat, eò esse adigendum, ut columnam aliquam amplectatur, ita ut hęc columna intra ipsius brachium & aurem intercipiatur; námque hoc pacto non poterit discedere quin primò digitum ex aure extrahat, ut se à columnâ expediat. Hinc igitur patet, in quęstione non additum fuisse, aliquid adhuc requiri pręter ea quæ expressa fuere, ne, scilicet, mens investigans quid sit aliud hoc, tandem rem assequatur. Itaque qui ejusmodi quęstiones solvere aggrediuntur, omnia debent postulare quæ quęstioni enucleandæ inservire possunt.

Ejusmodi quęstiones ex arbitrio fictæ nugatoriæ videntur, ac reverà aliquo sensû tales sunt, quia ex earum solutione nihil novi addiscitur. Attamen à quæstionibus naturalibus, seu Physicis magnoperè non differunt. Ad utrasque solvendas eadem propemodùm sunt agenda; namque si hominum industria & malitia hasce quęstiones arbitrarias reddat solutû difficiles, effecta naturalia per se tenebris & difficultatibus sunt pariter involuta. Ac ejusmodi tenebræ mentis attentione, & experientiis, quibus naturæ Authorem veluti interrogamus, sunt discutiendæ: quemadmodum æquivocationes & circunstantiæ inutiles à quęstionibus arbitrariis, mentis attentione & callidis interrogationibus tolluntur. Hęc ordine, seriò & didacticè exponamus.

Quamplurimæ sunt quęstiones, quæ difficillimæ videntur, quia non intelliguntur, quæ tamen axiomata, quæ equidem aliquâ indigerent explicatione, potiùs haberi deberent quàm veræ quęstiones. Etenim inter quęstiones annumerari debere non mihi videntur propositiones quędam indubitatæ, ubi earum termini distinctè concipiuntur.

Quęritur, exempli gratiâ, ut quęstio solutû difficillima, an anima sit immortalis, quoniam qui hanc quęstionem movent, aut solvere aggrediuntur, illius terminos distinctè non assequuntur. Cùm isti termini, *anima*, & *immortalis* varia significent, nec satis sciant quomodò illos intelligant; solvere nequeunt an anima sit immortalis; pręcisè enim quid quærunt quidve petant nesciunt.

Per hanc vocem, *anima*, potest intelligi substantia cogitans, volens, sentiens, &c. Anima accipi potest pro motû aut circulatione sanguinis, & pro configuratione partium corporis. Denique anima accipi potest pro sanguine ipso & spiritibus animalibus. Pariter, per hanc vocem, *immortale*, intelligitur id quod perire nequit viribus naturæ ordinariis; vel id quod immutari nequit; vel denique id quod nec corrumpi nec dissipari, ut vapor aut fumus, potest. Itaque si vocibus istis, *anima* & *immortalis*, aliqua ex his significationibus adaptetur, cum mediocri mentis attentione, judicare facilè erit, an sit immortalis nécne.

Nam

Nam primò, *animam* primo sensû acceptam, hoc est pro substantiâ cogitante esse immortalem manifestum est, si *immortale* etiam primo sensû accipiatur, & pro eo quod viribus naturæ ordinariis perire nequit: immò concipi nequit substantiam quampiam in nihilum posse redigi. Ad potentiam Dei extraordinariam confugiendum est ut hoc esse possibile concipiatur.

Secundò anima est immortalis, si *immortale* accipiatur secundo sensû, pro eo quod in vaporem & fumum converti nequit; namque evidens est, id quod in partes innumeras dividi nequit, non posse corrumpi aut in vapores abire.

Tertiò, anima non est immortalis, *immortale* accipiendo tertio sensû, pro eo quod immutari nequit. Multa enim habemus argumenta mutabilitatis & mutationum animæ nostræ; cùm modò dolorem, modò voluptatem sentiat, quædam interdum velit, interdum eadem velle desinat, cùm corpori nunc unita ab eo possit separari, &c.

Si vox animæ alio quopiam sensû accipiatur, facilè pariter erit judicare an sit immortalis determinando significationem *immortalis*. Adeò ut quęstiones illæ ideò tantùm sint difficiles quòd distinctè non concipiantur, & termini, quibus exprimuntur, sint nimis ęquivoci. Explicatione igitur potiùs quàm probatione indigent.

Non desunt equidem, quorum ingenium adeò stupidum, vel imaginatio adeò fœcunda, ut sibi persuadeant animam nihil aliud esse quàm configurationem quandam partium cerebri, & motum spirituum: Istiusmodi hominibus certè probari nequit immortalitas & incorruptibilitas mentis. Immò, eô sensû quô animam accipiunt illam esse mortalem certum est. Itaque hic non est quęstio solutû difficilis, sed est propositio, quæ nonnisi difficulter ab iis intelligi potest, qui easdem nobiscum non habent ideas, quique omnem conferunt operam ut eas à se eliminent, & sese sponte occęcent.

Vbi igitur an anima sit immortalis, vel quidlibet aliud, quęritur, primò amovenda est terminorum ęquivocatio, & certò tenendum quô sensû accipiantur, ut status quęstionis distinctè intelligatur. At si ij qui quęstionem movent illius terminos ipsi satis non intelligant, sunt interrogandi ut hoc pacto illuminari & determinari possint: Si ex interrogationibus pateat illorum ideas à nostris discrepare, ipsis respondere inutile est. Quid enim respondeas homini existimanti desiderium, exempli gratiâ, nihil aliud esse quàm motum quorundam spirituum; cogitationem nihil aliud esse pręter vestigium aut imaginem quam objecta vel spiritus in cerebro formarunt; & omnia ratiocinia hominum dnntaxat consistere in vario sitû aliquot corpusculorum quæ in capite multifariam disponuntur? Si ipsi respondeas animam eô sensû quô illam accipit, esse immortalem ipsum falles vel ipsi ludibrium debebis; sed si respondeas illam esse mortalem, ipsum in errore gravissimo aliquatenùs confirmabis. Ipsi igitur responden-

dendum non est, sed duntaxat eò est adigendus ut secum se recipiat, ac eô pactô easdem, quas jam habemus, à solo luminis Authore accipiat ideas.

Iterùm hęc quęstio, an bruta animâ sint prędita, solutû satis difficilis videtur: Attamen ubi amovetur æquivocatio, jam tum admodùm difficilis non videtur; ac eorum plerique qui existimant bruta prędita esse animâ, in eadem sunt sententiâ, quamvis inscii, ac ij qui existimant bruta carere animâ.

Anima accipi potest pro re aliquâ corporeâ per totum corpus diffusa, à quâ motum & vitam accipit, vel pro re aliquâ Spirituali. Qui dicunt bruta carere animâ, id intelligunt secundo sensû: quippe nemo unquam negavit aliquid corporei inesse animalibus brutis, quod ipsorum vitæ & motûs principium est, id enim nequidem de horologiis negari potest. Qui contrà asserunt bruta prędita esse animâ, animam intelligunt primô sensû, namque pauci sunt qui credant brutis inesse animum spiritualem & indivisibilem. Itaque Peripatetici & Cartesiani existimant bruta prędita esse animâ, hoc est principio corporeo ipsorum motûs: & utrique etiam credunt bruta carere animâ, hoc est in iis nihil esse spirituale & indivisibile.

Itaque discrimen quod inter Peripateticos & eos qui Cartesiani dicuntur intercedit in eo non versatur quòd priores credant brutis esse animas, alii verò non: sed duntaxat in eo quòd priores credant animalia posse sentire dolorem aut voluptatem, videre colores, audire sonos & omnes in genere habere sensationes & passiones quas habemus: Cartesiani verò contrarium existiment. Cartesiani distinguunt voces sensûs aut sensationis, ut ab iis ęquivocationem amoveant. Nam, dicunt, exempli gratiâ, ubi ad ignem propius accedimus, partes ligni in manum irrumpere; illius fibras commovere, hanc commotionem ad cerebrum usque communicari, spiritus animales qui in eo continentur ad id determinari, ut in partes externas corporis diffundantur modô aptô ad ignem vitandum. Hęc omnia, aut similia, animalibus competere posse & actû competere fatentur, quia sunt proprietates corporis.

Prętereà Cartesiani dicunt commotionem fibrarum cerebri hominibus esse conjunctam cum sensû caloris, & cursum spirituum animalium versùs cor & versùs viscera comitem habere affectum odii, seu aversationis; at negant hasce sensationes hósque affectus animæ brutis competere. Contrà Peripatetici asserunt bruta hunc calorem ęquè ac nos sentire; illa ęquè ac nos aversatione dimoveri à rebus sibi molestis; ac illa omnium in genere sensationum & affectuum capacia esse, quibus nos. Bruta ullum dolorem ullamve voluptatem sentire, aut rem ullam amare & odisse non existimant Cartesiani, quia nihil non materiale admittunt in brutis, nec existimant sensationes & affectus esse proprietates materiæ quicquid esse supponatur. Nonnulli contrà

contrà Peripatetici, materiam sensûs & affectûs existimant esse capacem, ubi, inquiunt, fuit subtilisata, bruta posse sentire ope spirituum animalium, hoc est ope materiæ subtilissimæ & tenuissimæ, immò animam ipsam esse capacem sensûs & affectûs duntaxat quia huic materiæ est unita.

Itaque ut quęstio, an bruta prędita sint animâ, solvatur, mens à sensibus est abducenda, & quàm attentissimè fieri potest, consideranda est idea quam habemus de materia. Tum si concipiamus materiam hoc vel illo modo figuratam, ut quadratam, rotundam, ovatam, esse dolorem, voluptatem, calorem, colorem, odorem, sonum, &c. asserere poterimus animam brutorum quantumlibet materialem sentiendi capacem esse. Si verò id non concipiamus, asserendum non est, id enim duntaxat asserendum est quod concipitur. Pariter si concipiamus materiam valdè agitatam sursùm, deorsùm, secundùm lineam circularem, spiralem, parabolicam, ellipticam, &c. esse amorem, odium, gaudium, tristitiam, &c. dicere poterimus bruta iisdem, quibus nos, affectibus moveri: si non videamus, non est dicendum, nisi quidlibet inscii deblaterare velimus. At verò me posse asserere confido neminem unquàm esse crediturum ullum motum materiæ posse esse amorem aut gaudium, dummodò ad rem seriò attendat. Itaque ut hęc solvatur quęstio, an bruta sentiant, ab eâ duntaxat amovenda est ęquivocatio, ut ii fecêre quos Cartesianos dicere amant: Namque hoc pacto ad quęstionem adeò simplicem redigetur, ut mediocri attentione solvi possit.

Equidem D. Augustinus, juxtà vulgare pręjudicium supponens bruta esse prędita animâ (saltem ipsum illud seriò examinasse, aut in dubium vocasse non legi) & agnoscens contradictorium esse ut anima aut substantia cogitans sentiens, cupiens, &c. sit materialis, credidit animam brutorum reapse esse spiritualem & indivisibilem. Omnem animam, hoc est, quicquid sentit, imaginatur, timet, cupit, &c. necessariò esse spirituale evidentissimè probavit: sed non animadverti ipsi ullam fuisse rationem quâ assereret bruta esse prędita animâ. Id probare sollicitus non fuit, quia tum temporis id à nemine in dubium revocatum fuisse verisimile est.

l. 4 de anima & ejus origine cap. 3. l. de quantitate animæ et alibi.

Quia verò nunc extant viri qui à pręjudiciis suis sese expedire conantur, & idcircò omnes opiniones quæ ratiociniis claris & evidentibus non nituntur in dubium vocant, jam nunc dubitatur an bruta habeant animam eadem ac nos sentiendi capacem, sed multi etiam extant pręjudiciorum vindices, qui bruta, non secùs ac nos sentire, velle, cogitare, ac etiam ratiocinari, licèt modô imperfectiori, defendant.

Canes, inquiunt, Dominos suos agnoscunt, amant, verbera ab ipsis patienter ferunt, quia judicant sibi utile esse Dominos non deserere; cęteros verò homines tanto prosequuntur odio, ut nequidem ipso-

rum patiantur blandimenta. Omnia bruta ſuos catulos diligunt, & aves quæ in extremis ramis nidulantur, ex hoc ſatis arguunt, ſe timere ne à quibuſdam animalibus vorentur; hoſce ramos debiliores judicant quàm ut inimicos ſuos ferre poſſint, & ſatis robuſtos ut ipſas cum pullis & nidis ſuſtineant. Immò ipſæ araneæ & vilia inſecta quędam prębent intelligentiæ ſpecimina. Quis enim non miretur animalis illius induſtriam, quod licèt cęcum, ſuis tamen laqueis irretire poteſt alia animalia oculata & alata, quibus ſatis eſt audaciæ ad adorienda animalia ingentis molis?

Verum equidem eſt omnes actiones beſtiarum arguere intelligentiam, quicquid enim ordine conſtructum eſt id denotat. Ipſum horologium id indicat. Illius rotæ caſû fortuito non potuere componi & adornari, & illius motus ab intelligentia determinari & dirigi neceſſariò debuerunt. Semen ordine inverſo terræ committitur, radices quæ extra terram tendebant, per ſe terræ infodiuntur, & germen quod verſûs terram fuerat primò converſum, etiam deflectitur ut è terra emergat: Id ſanè arguit intelligentiam. Hæc planta in diverſis ſpatiis nodos format ut corroboretur, ſemen ſuum pelliculâ, quâ conſervetur, tegit, aculeis quibus ſeſe tutari poſſit circumdat: Id arguit intelligentiam. Denique quicquid in plantis fieri videmus, arguit intelligentiam ęquè ac in animalibus. Omnes veri Carteſiani id concedunt. Sed omnes veri Carteſiani diſtinguunt, & quantùm poſſunt, terminorum ęquivocationem tollunt.

Motus brutorum & plantarum intelligentiam quidem arguunt, ſed hæc intelligentia nequaquam eſt à materia; à brutis diſtincta eſt, non ſecus ac intelligentia quæ rotas horologii diſponit, diſtincta eſt ab ipſo horologio. Etenim illa intelligentia, infinitè ſapiens & potens eſſe videtur, immò eadem quæ nos in utero matrum formavit, quæque nobis incrementum cui, omnibus mentis & voluntatis viribus, ne cubitum quidem addere poſſumus, dat. Itaque in brutis nec intelligentia nec anima eſt, ut vulgò intelligitur. Edunt ſine voluptate, clamant ſine dolore, creſcunt nec norunt ſe creſcere; nihil cupiunt, nihil timent, nihil cognoſcunt; & ſi agant modô qui intelligentiam arguat, id inde oritur quòd cùm illa creaverit Deus, ut ea conſervet, eorum idcircò corpus ita conformavit ut mechanicè & ſine timore, vitent quicquid ipſis interitum afferre poteſt. Alioquin dicendum foret plus eſſe intelligentiæ in brutorum minimo, vel etiam in uno ſemine quàm in hominum ingenioſiſſimo. Conſtat enim in animalculo & in ſemine plures eſſe diverſas partes, & plures motus ordini conformes produci, quàm mens noſtra poteſt aſſequi.

Quia verò homines omnibus confundendis aſſueverunt, & mentem in ipſorum corporibus omnes penè motus & mutationes quæ ipſis obveniunt producere arbitrantur. Voci, *anima*, falsò affingunt ideam productricis & conſervatricis corporis. Ita quoniam exiſtimant

mant mentem in ipſis producere quicquid neceſſe eſt ad vitæ conſervationem, quamvis mens nequidem ſciat quomodò corpus quod animat ſit conformatum; judicant animam neceſſariò brutis ineſſe debere ad producendos in iis omnes motus & mutationes quæ ipſis contingunt, quia illi motus & mutationes ſatis ſimiles ſunt iis quæ in nobis fieri ſolent. Nam bruta generantur, nutriuntur, corroborantur non ſecus ac corpus noſtrum; bibunt, edunt, dormiunt ut nos; quia quoad corpus penitùs ſimiles ſumus brutis,& omne diſcrimen quod inter illa & nos intercedit in eo conſiſtit quòd animam habemus illa verò non. Verùm anima quam habemus corpus noſtrum non informat, alimenta noſtra non concoquit, motum & calorem ſanguini noſtro non communicat: Sentit, vult, ratiocinatur. Animat corpus quatenus ſenſationes & affectus habet quæ ad illud referuntur: In membra noſtra nequaquàm diffunditur ut ipſis ſenſum & vitam communicet, nam corpus noſtrum nihil eorum ſuſcipere poteſt, quæ in mente noſtrâ ſunt: Hinc igitur patet præcipuam cauſam propter quam pleræque quęſtiones ſolvi nequeunt, in eo conſiſtere quòd variæ ejuſdem vocis ſignificationes non diſtinguantur.

Equidem aliquando contingit ut diſtinctio adhibeatur, ſed plerumque tam perperam & pręposterè admittuntur diſtinctiones, ut non modò his terminorum æquivocatio non tollatur, ſed etiam fiant obſcuriores quàm anteà. Exempli gratiâ, ubi quæritur, an corpus vivat, quomodò vivat, quô pactô anima rationalis illud animet, an ſpiritus animales, ſanguis & alii humores vivant, an dentes, capilli, ungues ſint animati, &c. Diſtingui ſolent illæ voces *vivere* & *animari*, inter vivere & animari animâ rationali, vel animâ ſenſitivâ, vel animâ vegetativâ. Sed hęc diſtinctio ſtatum quęſtionis confundit, námque hæ voces indigent etiam explicatione; & forſan duæ poſtremæ anima *vegetativa*, anima *ſenſitiva* ſunt inexplicabiles & inintelligibiles eô ſaltem modô quô vulgô accipiuntur.

At ſi ideam claram & diſtinctam voci, *vita*, alligare velimus, dicere poſſumus vitam mentis eſſe cognitionem veritatis & amorem boni, vel potiùs cogitationem eſſe ipſius vitam; vitam verò corporis conſiſtere in circulatione ſanguinis & in juſto humorum temperamento, ſeu potiùs vitam corporis eſſe motum ipſius partium aptum ad conſervationem. Tunc ideis voci *vitæ* alligatis, claris hoc pacto factis, patebit. 1. Mentem non poſſe vitam ſuam communicare corpori, quippe quæ non poſſit efficere ut corpus cogitet. 2. Illam non poſſe corpori communicare vitam quâ ſeipſum nutriat, creſcat, &c. Cùm ipſa nequidem ſciat quid agendum ſit ad concoquendos cibos. 3. Non poſſe efficere ut corpus ſentiat, cùm corpus ſentiendi non ſit capax, &c. Denique poſſunt nullô negotiô ſolvi ceteræ omnes quęſtiones quæ circa hanc rem moveri poſſunt, dum-

modò termini quibus enunciantur, ideas claras excitent; nec solvi queunt, si ideæ terminorum quibus exprimuntur sint confusæ & obscuræ.

Attamen semper omninò necesse non est ideas habere quibus res, cujus relationes examinare volumus, perfectè repręsentetur; sufficit sæpè si illius habeamus cognitionem imperfectam aut inchoatam, quia sæpè accurata non requiritur relationum istius rei cognitio. Rem explico.

Sunt veritates aut relationes duplicis generis; aliæ accuratè cognoscuntur, aliæ verò imperfectè duntaxat. Relatio quæ est inter hoc vel illud quadratum, & hoc vel illud triangulum accuratè cognoscitur, sed imperfectè tantùm cognoscitur relatio quæ est inter Lutetiam & Aureliam: Notum est triangulum esse æquale triangulo, aut illius esse duplum aut triplum, &c. Sed notum est duntaxat Lutetiam esse majorem Aureliâ, accuratè verò non cognoscitur quantò sit major.

Prætereà inter cognitiones imperfectas, innumeri cognitionum gradus sunt; immò omnes illæ cognitiones non sunt imperfectæ nisi relatè ad cognitiones perfectiores. Exempli gratiâ, perfectè notum est Lutetiam esse majorem Foro seu Plateâ Regali: & hæc cognitio non est imperfecta nisi relatè ad cognitionem accuratam, secundùm quàm accuratè notum esset quantò Lutetia major hac plateâ quam includit.

Platea Parisiensis dicta Gallicè *la Place Royale.*

Ita sunt quæstiones multiplicis generis. 1. Quædam sunt in quibus quęritur cognitio perfecta omnium relationum accuratarum quas duo aut plura habent inter se.

2. Quędam sunt in quibus quęritur cognitio perfecta alicujus relationis accuratæ quæ est inter duo aut plura.

3. Quędam sunt in quibus quęritur cognitio perfecta alicujus relationis ad accuratam accedentis, quæ est inter duo vel plura.

4. Quędam sunt in quibus duntaxat quęritur cognitio relationis satis vagæ & indeterminatæ.

Evidens est 1. ad solvendas quęstiones primi generis & ad perfectè cognoscendas omnes relationes accuratas magnitudinis & qualitatis quæ sunt inter duo vel plura, illarum rerum habendas esse ideas distinctas, quibus perfectè repręsententur, & res illas esse inter se conferendas, omnibus modis possibilibus: Exempli gratiâ, possunt solvi omnes quęstiones quæ ad id tendunt ut deprehendantur accuratæ relationes quæ sunt inter 2. & 8. ubi 2. & 8. accuratè nota sunt, possunt conferri simul omnibus modis necessariis, ad cognoscendas eorum relationes magnitudinis aut qualitatis. Innotescere potest numerum 8. quadruplò majorem esse numero 2. eos esse numeros pares, & 8. & 2. non esse numeros quadratos.

2. Clarum est, ad solvendas quęstiones secundi generis, & ad accuratè

curatè cognoſcendam aliquam relationem magnitudinis aut qualitatis quæ ſit inter duo vel plura, neceſſe eſſe & ſufficere diſtinctè cognoſcere *facies*, vel reſpectus, ſecundùm quos debent conferri ad deprehendendam relationem quęſitam. Exempli gratiâ, ad ſolvendas aliquot ex quęſtionibus quæ ad id tendunt ut deprehendantur aliquot relationes accuratæ inter 4 & 16, ut 4 & 16 eſſe numeros pares & numeros quadratos, ſufficit accuratè cognoſcere 4 & 16 bifariam abſque fractione dividi poſſe, & utrumque eſſe productum numeri per ſe ipſum multiplicati, & inutile eſt examinare quęnam ſit vera ipſorum quantitas. Evidens enim eſt, ut agnoſcantur accuratæ relationes qualitatis quæ ſunt inter res, ſufficere habere ideam maximè diſtinctam ipſarum qualitatis, miſsâ ipſarum quantitate; non ſecus ac ut cognoſcantur quantitatis relationes accuratæ ſufficere accuratè cognoſcere ipſarum quantitatem, neglectâ ipſarum qualitate.

3. Clarum eſt, ad ſolvendas quęſtiones tertii generis, & cognoſcendam aliquam relationem ad accuratam ſatis accedentem, quæ ſit inter duo vel plura, ſufficere ſi rerum illarum facies aut latera propemodùm cognoſcantur, ſecundùm quæ debent comparari, ad deprehendendam relationem veræ proximam quæ quęritur, ſive magnitudinis ſit, ſive qualitatis. Exempli gratiâ, poſſum evidenter ſcire Radicem numeri 8. eſſe majorem numero 2. quia poſſum propemodùm ſcire veram magnitudinem Radicis numeri 8. ſed non poſſum cognoſcere quantò pręcisè Radix 8. major ſit quàm 2. quia non poſſum accuratè cognoſcere veram magnitudinem Radicis 8.

Denique evidens eſt, ad ſolvendas quęſtiones quarti generis, & agnoſcendas relationes vagas & indeterminatas ſufficere res cognoſcere quantùm opus eſt ut illæ inter ſe conferantur ad detegendas relationes quęſitas. Adeò ut neceſſe ſemper non ſit ad ſolvendas quaſlibet quęſtiones, habere ideas maximè diſtinctas terminorum quibus exprimuntur, hoc eſt perfectè cognoſcere res quæ illis terminis ſignificantur. Sed eò accuratiùs cognoſci debent, quò relationes deprehendendæ ſunt accuratiores & numero plures. Namque ut modò dictum eſt, in quęſtionibus imperfectis, ſufficit habere ideas imperfectas rerum quas conſideramus, ut illæ quęſtiones (juxta id quod continent) perfectè ſolvantur. Immò optimè poſſunt ſolvi quęſtiones, quamvis non habeatur idea diſtincta terminorum quibus exprimuntur. Namque, ubi quęritur an ignis poſſit liquefacere ſal, obdurare lutum, & innumera alia ſimilia, illæ quęſtiones omninò intelliguntur, & poſſunt optimè ſolvi, licèt nulla habeatur idea diſtincta ignis, ſalis, luti &c. Quoniam qui has movent quęſtiones, eas ideò tantùm movent, ut ſciant, an aliquo experimento ſenſibili conſtet, ignem hæc effecta edidiſſe: Quapropter juxta cognitiones à ſenſibus ortas, ipſis poteſt ſatisfieri.

CAPUT VIII.

Applicatio caeterarum regularum ad quaestiones speciales.

QUæstiones sunt duplicis generis, aliæ simplices, aliæ compositæ; priorum solutio pendet à solâ mentis attentione ad ideas claras terminorum quibus exprimuntur. Aliæ non possunt solvi nisi per collationem cum tertiâ aut pluribus aliis ideis: non possunt cognosci relationes incognitæ, quæ terminis quęstionis exprimuntur, comparando immediatè ideas terminorum illorum; non possunt enim conjungi aut comparari. Habendæ sunt igitur una aut plures ideæ mediæ ad instituendas collationes necessarias, ut deprehendantur illæ relationes; & accuratè attendendum est ut ideæ illæ mediæ sint claræ & distinctæ, prout relationes quęsitæ, sunt vel accuratiores vel numerô plures.

Hęc regula est consectarium quoddam primæ, nec minoris momenti. Namque, si necesse sit ad rerum quæ inter se comparantur relationes accuratè cognoscendas, earum habere ideas claras & distinctas; eadem ratione necesse est accuratè cognoscere ideas medias, secundùm quas institui debent illæ comparationes; cùm distinctè cognoscenda sit relatio mensuræ ad unam quamque rem mensuratam, ut singularum rerum possint deprehendi relationes. Adsunt exempla.

Ubi vasculum quoddam admodùm leve, in quo sit lapis magneticus, libenter aquæ surpernatare sino, si Polo Septentrionali istius magnetis objiciatur idem Polus aliûs magnetis quem præ manibus habeo; illico prior magnes veluti vento quodam vehementi impulsus recedere cernitur. Et quęritur causa istiûs effectûs.

Ad reddendam rationem motûs istius magnetis, satis patet satis non esse cognoscere relationes quas habet cum alio; etsi enim omnes accuratè cognoscerentur, tamen faciliùs non conciperetur quô modô hæc duo corpora possint sese mutuò pellere, cùm tamen sese mutuò non tangant.

Examinandum est igitur quænam distinctè cognoscamus posse juxta ordinem naturæ aliquod corpus movere, quæstio enim est de causâ naturali motûs magnetis, quæ sanè est corpus. Itaque ad nullam confugiendum est qualitatem, formam aut entitatem, quam clarè non concipimus posse movere corpora, immò nec ad intelligentiam; certò enim non constat intelligentias esse causas ordinarias motuum naturalium corporum, immò certum non est an possint producere quempiam motum.

Evidens

Evidens est eam esse legem naturæ, ut corpora sese moveant dum sibi invicem occurrunt. In id igitur incumbendum est ut Magnetis motum explicemus ope alicujus corporis quod ipsi occurrat. Potest equidem fieri ut quid aliud à corpore distinctum moveat magnetem; sed quia nullam habemus ideam distinctam illius alterius rei, illâ uti non debemus ut modò aptô, ad deprehendendum & aliis explicandum id quod quęrimus. Ille enim effectûs rationem non reddit, qui illum explicat per causam quam nemo clarè assequitur. Igitur sollicitè quęrendum non est, an sit nec ne quędam alia causa naturalis motûs corporum, diversa ab illorum mutuo occursû; supponendum potiùs nullam aliam esse ejusmodi causam, & attentè considerandum quodnam corpus possit occurrere Magneti illúmque movere.

Liquet primò illud corpus non esse Magnetem quem præ manibus habeo, quippe qui non attingat Magnetem motum. Quia verò hic non movetur nisi accedente illo quem manû teneo, nec per se movetur. Concludendum est, quamvis magnes quem teneo non moveat alium magnetem, hunc motum procedere debere ab aliquot corpusculis exeuntibus à meo Magnete, & ab eo etiam impulsis versùs alium magnetem.

Ut hęc corpuscula deprehendantur, aperiendi non sunt oculi, nec ad Magnetem accedendum; sensus enim rationi fortè fucum facerent, & ad id fortè impellerent ut nihil reverâ è magnete exire judicaretur, quia oculi nihil deprehenderent. Fortè etiam non recordaremur ventos etiam vehementissimos & multa alia corpora quæ stupendos edunt effectus, oculis non cerni.


Strenuè igitur acquiescendum in conclusione modò deductâ, & accuratè sunt inspicienda omnia effecta magnetis, ut possimus assequi, quomodo sine substantiæ suæ imminutione possit indesinenter ex se pellere hęc corpuscula. Nam experimenta quæ fient, ostendent hæc corpuscula dum ex uno latere exeunt, eodem tempore per alterum regredi. Et hoc pacto omnes difficultates quæ adversùs hanc solvendæ quæstionis rationem formari possunt explicabuntur. Sed observandum, ab hac explicandi ratione non esse desistendum propter quasdam difficultates ex solâ, in quâ versamur, multorum ignorantiâ natas.

Si non lubeat examinare, cur Magnetes sese repellant, ubi ijdem poli ipsis invicem objiciuntur; sed potiùs cur ad se invicem accedant & sese mutuò conjungant, ubi polus Septentrionalis unius objicitur Polo Meridionali alterius, quæstio erit difficilior, & unica ratio seu methodus non sufficiet ad illam solvendam. Non sufficit accuratè cognoscere relationes quæ sunt inter polos amborum Magnetum, neque confugere ad rationem seu viam adhibitam in quæstione præcedenti, namque hęc ratio videtur potiùs obstare effectui cujus quæritur causa. Non est etiam recurrendum ad ullam ex iis rebus quas

clarè non cognoscimus causas esse naturales & ordinarias motuum corporeorum, nec declinanda est difficultas quęstionis per ideam vagam & indeterminatam *qualitatis occultæ* in magnetibus quâ sese mutuò attrahant; mens enim capere nequit unum corpus posse aliud attrahere.

Impenetrabilitate corporum admissâ, facile est concipere motum posse communicari per impulsionem, & ex experientiâ liquidò constat motum reverâ hoc pactô communicari: sed nulla ratio nullúmve experimentum clarè demonstrat motum *attractionis*: Namque in experimentis quæ aptissima videntur ad probandam hanc speciem motûs, ubi vera & certa deprehenditur causa effectûs qui motum attractionis innuere videbatur, evidenter patet, id quod per attractionem fieri credebatur, fieri reverâ per impulsionem. Itaque alia non quærenda est communicatio motûs ab illa quæ fit per impulsionem; cùm hæc ratio sit certa & indubitata; aliæ verò quæ excogitari possent, obscuritate ad minimum laborent. Immò verò licèt demonstrari posset, in rebus merè corporeis alia esse principia motûs diversa à concursu corporum; hoc meritò rejici non posset. Immò ceteris quibuslibet pręponi debet, cùm sit omnium clarissimum & evidentissimum, ac adeò indubitatum videatur, ut asserere hîc non dubitemus illud omni tempore ab omnibus gentibus fuisse admissum.

Ex experientiâ liquet, magnetem in aquâ liberè natantem, accedere ad alium magnetem quem quis præ manibus haberet si ipsi certum quoddam latus objiciatur: concludendum est igitur magnetem accedentem ab alio impelli. Quia verò Magnes quem quis tenere supponitur non pellit magnetem natantem, nec tamen Magnes natans accederet, nisi alter ipsi objiceretur: evidens est, ad minimum recurrendum esse ad duas rationes ut hæc quæstio explicetur: si illam per principium admissum communicationis motuum solvere velimus.



Magnes *c* accedit ad Magnetem C. Ergo aër quô circundatur, illum pelli pellit, cùm nullum aliud sit corpus à quo pelli possit, & hæc est prima

prima ratio. Magnes c non accedit nisi præsente magnete C. Ergò necesse est ut magnes C determinet aërem ad pellendum magnetem c; & hæc est secunda ratio. Hasce duas rationes planè necessarias esse evidens est. Adeò ut difficultas nunc in eo consistat, ut hæ duæ rationes simul jungantur, quod bifariam fieri potest, vel incipiendo ab aliquâ re cognita in aëre quæ circumdet magnetem c, vel incipiendo ab aliquâ re notâ in magnete C.

Si notum sit partes aëris, ut cęterorum corporum fluidorum in perpetuâ versari agitatione, dubium non erit quin indesinenter agantur in magnetem *c* quem ambiunt; & quia illum undique æqualiter feriunt, illum ab una parte non magis pellunt quàm ab alia, quandiu ubique æqualis est aëris portio. Cùm hęc ita sint, facile est judicare magnetem C impedire quominùs tantum sit hujus aëris, de quo loquimur, versùs a, quàm versùs b. Sed id fieri nequit quin dispergantur quędam alia corpora in spatio quod intercedit inter C & c: ergò debent exire corpuscula ex magnetibus ad occupandum illud spatium; itaque cùm corpuscula illa pellant aërem qui est propè a, magnes c minùs pellitur ab hac parte quàm ab altera; & proinde accedere debet ad magnetem C, cum omne corpus debeat moveri versùs partem unde minùs pellitur.

Sed nisi magnes *c* in polo suo *a* multos haberet poros aptos recipienda corpuscula quæ exeunt è Polo B alterius magnetis, & minora quàm ut possint recipere partes aëris; evidens est hęc corpuscula cùm sint magis agitata quàm aër, si quidem illum pellunt è spatio quod intercedit inter duos magnetes, esse impulsura magnetem c & illum à magnete C remotura. Cùm itaque magnes c accedat ad magnetem C aut ab illo recedat, ubi diversi ipsi objiciuntur Poli, necessariò concludendum est, Polos *a* & *b* magnetis *c* refertos esse esse poris diversis; alioqui corpuscula quæ exeunt è magnete C non transirent liberè & non pulso magnete *c* ad latus *a*, illúmque non repellerent ad latus *b*. Quod de uno magnete dictum est de altero pariter intelligi debet.

Hoc modò, secundùm ideas claras & principia indubitata ratiocinandi, aliquid semper innotescere manifestum est. Hoc pacto enim patuit aërem qui circumdat magnetem c pelli è spatio quod intercipitur à corporibus quæ indesinenter exeunt ex illorum Polis, quæque ab unâ parte transitum liberum habent, ab alterâ verò clausum. Si autem vellemus aliquatenùs saltem cognoscere quęnam sit magnitudo & figura pororum magnetis per quos hęc corpuscula transeunt, alia essent facienda experimenta; Verùm hęc nos ab instituto nostro longiùs abducerent. Circa hasce quęstiones possunt consuli principia Philosophiæ Renati DesCartes. Addam tantùm, ut occurram objectioni quæ prima fronte nascitur, cur hęc corpuscula non possint regredi per eosdem poros ex quibus exiere, addo, in-

quam, pręter certam quandam figuram, cochlearum ſtrias referentem, quæ in poris idonea ſupponi poteſt, ad hoc effectum producendum; inflexionem ramuſculorum ex quibus conſtant illi pori, poſſe ab unâ parte ſeu unô ſensû, cedere corpuſculis quæ per illos tranſmeant, ab alterâ verò parte veluti ſurrigi ipſiſque tranſitum pręcludere. Itaque non eſt quòd quis tantoperè miretur diſcrimen quod eſt inter duos Polos Magnetis, illud enim diſcrimen multifariam poteſt explicari, ac in eo duntaxat verſatur difficultas ut nempe inter diverſas illas cauſas vera dignoſcatur.

Si quis quęſtionem modò examinatam ſolvere conatus fuiſſet, incipiendo à corpuſculis quæ è magnete exire ſupponuntur, idem comperiſſet, & deprehendiſſet etiam aërem conſtare ex innumeris partibus perpetuò agitatis, niſi enim res ſic ſe haberet, magnes c nunquam poſſet accedere ad magnetem C. His explicandis non immoror, quippe quæ difficilia non ſint.

Sed alia eſt quęſtio magis complexa quàm pręcedentes, & in quâ plurimæ regulæ ſunt adhibendæ. Quęritur quęnam poſſit eſſe cauſa naturalis & mecanica motûs membrorum noſtrorum.

Idea cauſæ naturalis eſt clara & diſtincta, ſi eodem modô intelligatur quo illam explicui in quęſtione pręcedente. Sed terminus motûs membrorum noſtrorum eſt æquivocus & confuſus, multiplices enim ſunt ejuſmodi motus. Sunt voluntarii, naturales, & convulſivi. Varia etiam ſunt membra in corpore humano. Itaque juxta primam regulam rogare debeo, cujuſnam ex illis motibus hîc quæratur cauſa. Si verò quæſtio maneat indeterminata ita ut illam pro arbitrio poſſim ſolvere, quæſtionem ad hunc modum explico.

Horum motuum proprietates attentè conſidero. Quia verò primâ fronte animadverto motus voluntarios ut plurimum celeriùs fieri quàm convulſivos, hinc concludo illorum cauſam eſſe diverſam. Itaque quęſtionem per partes examinare poſſum & debeo; Longi enim examinis eſſe mihi videtur.

Primò igitur motûs voluntarii conſiderationi inſiſto. Et quia multas habemus partes hiſce motibus inſervientes brachium ſolum eligo. Attendo igitur, brachium conſtare ex multis muſculis quibus omnibus eadem propè eſt actio, ubi aliquod corpus è terrâ attollitur, vel diversè movetur. Sed uni tantùm ex his muſculis inſiſto, ſupponens cęteros eodem fermè modo eſſe conformatos. Illius compoſitionem addiſco ex aliquo libro Anatomico, vel potius visû ſenſibili ipſius fibrarum & tendinum, quæ ab aliquo perito Anatomiſta diſſecari curo, quem de omnibus interrogo quæ ad quęſtionem utilia mihi futura judico.

Omnibus igitur attentè conſideratis dubitare nequeo quin principium motûs brachii mei pendeat à contractione muſculorum ex quibus conſtat. Ac ſi, ne nimia complectar, ſupponere velim, juxta vulgarem

vulgarem opinionem, hanc contractionem fieri ope spirituum animalium, qui implent ventrem illorum musculorum, & hoc pacto eorum extrema ad se invicem accedere, tota quæstio circa voluntarium motum, eò reducetur, quomodò, scilicet, pauci spiritus qui in brachio continentur, possint subitò inflare illius musculos pro arbitrio voluntatis, & cum vi sufficienti ad tollendum è terra centumpondium.

Dum hæc attentè expenduntur, prima ratio quæ sese imaginationi offert ad solvendum quæstionem, est fermentatio aliqua prompta & violenta, similis fermentationi pulveris pyrii, aut liquorum quorundam plenorum salibus volatilibus, ubi admiscentur liquoribus acidis & plenis sale fixo. Paululùm pulveris pyrii ubi inflammatur, non modò centipondium verùm etiam turrim, imò montem subruere potest. Terræ motus quibus urbes integræ subvertuntur & Provinciæ succutiuntur, oriuntur etiam ex spiritibus qui sub terrâ inflammantur, eodem propè modo ac pulvis pyrius. Itaque supponendo in brachio causam aliquam fermentationis & dilatationis spirituum; poterit hoc pacto explicari principium istius roboris quô homines ad motus tam promptos & violentos sunt idonei.

Quia verò hisce explicandi rationibus quæ mentem non nisi per sensûs subeunt & quorum nullam claram & evidentem habemus cognitionem, diffidere debemus, hac adeò securè uti par non est; etenim non sufficit reddere rationem violentiæ & celeritatis motuum nostrorum per similitudinem. Hæc ratio non modò confusa est, sed etiam imperfecta. Namque, explicandus est motus voluntarius, jam autem fermentatio non est voluntaria. Sanguis in febribus extrà modum fermentatur, nec potest cohiberi hæc fermentatio. Spiritus inflammantur & agitantur in cerebro, nec illorum agitatio minuitur pro desideriis nostris. Ubi quis multifariam movet brachium, juxta hanc explicationem, innumeræ fieri deberent fermentationes magnæ & parvæ, promptæ & lentæ, quæ inciperent; &, quod juxta hanc suppositionem explicatû adhuc difficilius est, quæ desinerent pro istius hominis arbitrio. Hasce fermentationes oporteret totam suam non dissipare materiam, & hanc materiam ad inflammationem semper esse paratam. Ubi homo decem leucarum iter emensus est, quoties, rogo, musculi qui ad incedendum inserviunt, impleri & evacuari debuerunt? Certè res in infinitum procederet; & quot opus esset spiritibus si singulis quibusque gressibus, fermentatio illos dissiparet & extingueret? Hæc igitur ratio est imperfecta ad explicandos motus corporis nostri, qui omninò pendent à voluntate nostrâ.

Hancce præsentem quæstionem in hoc Mecanicæ problemate consistere evidens est. Nempe; *Machinis pneumaticis invenire rationem superandi banc vel illam vim, ut vim centumpondii, per aliam vim quan-*

tum libet parvam, ut per vim ponderis unius unciæ; & efficere ut applicatio parvi istius ponderis ad producendum effectum suum pendeat à voluntate. Jam autem istud problema solutû facile est, & illius demonstratio est clara.

Potest solvi ope vasis cui duo sint orificia, cujus alterum altero sit majus paulò plus quàm 1600^{ei}. & in quibus inserantur tubi duorum follium æqualium;& applicetur vis 1600^{ei}. duntaxat major alterâ folli majori orificii, applicati, tunc enim vis 1600^{ei}. minor superabit majorem, & illius problematis demonstratio clara est ex Mecanicis disciplinis, quoniam vires non sunt accuratè in proportione reciprocâ ad orificia, & relatio parui ponderis, seu debilioris vis ad angustum orificium sit major quàm relatio magnæ vis ad magnum orificium.

Verùm ut istud problema solvatur per machinam quæ meliùs repræsentet effectum musculorum, parumper sufflandum est in follem lusorium, & deinde huic folli vento ad dimidiam partem inflato applicandum est saxum ingentis molis, vel collocandus est follis super mensâ, assere tegendus & asseri ingens saxum imponendum; vel faciendum ut homo quispiam ponderosissimus huic asseri insideat ipsi permittendo aliquo fulcro uti ut follis intumescentiæ possit resistere. Si quis enim de novo, ore duntaxat in follem insufflet, sublevabit lapidem quô comprimebatur, vel hominem qui ei insidebat. Dummodò canalis per quem ventus subit follem habeat valvulam quæ vento exitum præcludat, ubi respirandum erit. Hujusce rei hæc est ratio; nempe orificium follis adeò exiguum est, vel adeò exiguum supponi debet, relatè ad totam ejusdem follis capacitatem, qui resistit pondere saxi, ut hoc modo vis minima possit vincere maximam.

Si attendatur pariter, solum halitum, vel flatum, vel sufflationem posse violenter pellere glandem plumbeam, ope tubulorum, pneumaticorum Gallicè *Serbacanes*, vel *Sarbatanes*, quia vis flatûs non dissipatur, & indesinenter renovatur: Manifestò patebit, proportione necessariâ inter orificium & capacitatem follis semel suppositâ maximas vires solo flatû facilè vinci posse.

Si igitur concipiamus musculis integris vel singulis fibris ex quibus constant, esse, ut folli, capacitatem aptam ad recipiendos spiritus animales: poros per quos spiritus in iis insinuantur esse adhuc minores (proportione servatâ) collo vesicæ, aut foramine follis: Spiritus cohiberi & pelli in nervos ferè tanquam flatus in (*Serbacanes*) cannas, seu tubulos pneumaticos supra dictos; & spiritus magis esse agitatos quàm aër in pulmonibus, & impulsos majori impetû in musculos, quàm aër in folles impellitur; Hinc patebit motum spirituum qui in musculos diffunduntur posse superare vim gravissimorum ponderum quæ possint portari: Quòd si his graviora non possint portari,

portari, defectus virium non tam est à parte spirituum, quàm à parte fibrarum & pellicularum ex quibus constant musculi, quæ disrumperentur nimiâ conatûs violentiâ. Prætereà, si attendamus per leges unionis mentis cum corpore, motus horum spirituum, quoad illorum determinationem, pendêre à voluntate hominum, facilè patebit motus brachiorum esse voluntarios.

Equidem brachium tantâ velocitate movemus, ut primâ fronte incredibile videatur effusionem spirituum in musculos ex quibus constat brachium, satis habere velocitatis ad producendum illum motum. Sed animadvertere debemus hosce spiritûs esse perquam agitatos, ad id semper paratos ut è musculo in alium possint intrare, & paucos duntaxat sufficere ad illos musculos inflandos, quantùm necesse est ut soli moveantur, vel ubi aliquid levissimum è terra tollere volumus. Ubi enim aliquid grave nobis est tollendum, id celeriter efficere non possumus. Ubi pondera sunt gravia, musculi sunt valdè inflandi & intendendi. Ut hoc modo inflentur aliis adhuc opus est spiritibus pręter eos qui sunt in musculis vicinis aut antagonistis vel oppositis. Ut igitur spiritus illi aliunde accersantur, & illorum sufficiens infundatur copia ad resistendum gravitati, tempore opus est. Unde fit ut ii qui sunt onerati non possint currere, & qui è terrâ aliquid grave tollunt, id eadem velocitate non efficiant ac si festucam tollerent.

Iterum si attendamus eos quibus est temperamentum calidius, vel qui vinum paulò largiùs potarunt, cæteris esse promptiores: inter animalia, ea quibus spiritus sunt magis agitati, ut aves, velocius movêri, quàm ea quibus sanguis est frigidus, ut ranæ; ac etiam quędam esse ut Camelæon, testudo, & nonnulla insecta, quorum spiritus adeò lenti sunt, ut ipsorum musculi citiùs non impleantur, quàm folliculus in quem insufflaretur. Si hęc omnia, inquam, sedulò animadvertantur forsan explicatio nostra digna videbitur quæ admittatur.

Sed quamvis huic parti quęstionis propositæ, quæ versatur circa motûs voluntarios satisfecisse nobis videamur, asserendum tamen non est illam plenè fuisse solutam, & nihil ampliùs esse in corpore nostro quod ad hos motus producendos conferatur. Etenim verisimile est in musculis nostris esse innumera organa quæ hos motus reddunt faciliores, quęque æternùm latebunt eos etiam qui in Operibus Dei explicandis feliciùs conjiciunt.

Secunda pars quęstionis quæ examinanda venit, versatur circa motus naturales, vel illos motus in quibus nihil est extraordinarii; ut esse solet in motibus convulsivis: sed qui planè necessarii sunt ad machinæ conservationem, quique ideò à voluntate nostrâ non dependent.

Primò igitur quàm attentissimè possum considero quinam sint

ejuſcemodi motus, & an ſint inter ſe penitùs ſimiles: Quia verò primò intuitû agnoſco penè omnes à ſe invicem differre, ne æquò majorem rerum numerum amplectar, ſoli cordis motui immorôr. Hęc pars eſt omnium maximè nota, & ipſius motus omnium maximè ſenſibiles. Ipſius igitur ſtructuram examino, & duo imprimis obſervo. Primò, cor ut cęteros muſculos ex fibris conſtare. Secundò in eo eſſe duas cavitates non exiguas. Judico igitur ipſius motum fieri poſſe ſpirituum animalium ope, quandoquidem ſit muſculus & ſanguinem in eo fermentari & dilatari, cùm in eo ſint cavitates. Primum judicium iis quæ modò dixi fretum eſt, & ſecundum ex eo petitur quòd cor multò calidius ſit cęteris corporis partibus; quòd calorem cum ſanguine omnibus membris communicet; quòd duæ illæ cavitates non potuerint formari & conſervari niſi dilatatione ſanguinis, ac proinde eidem cauſæ inſerviant quæ illas produxit. Poſſum igitur ſufficientem reddere rationem motûs cordis, per ſpiritus qui illud agitant & per ſanguinem qui illud dilatat dum fermentatur: Quamvis enim cauſa quam affero iſtius motûs forſan non ſit vera illius cauſa, certum tamen mihi videtur illam ſufficere ad producendum illum motum.

Equidem principium fermentationis aut dilatationis liquorum forſan non ſatis innoteſcet iis omnibus qui hæc legent, ut exiſtimem me penitùs explicuiſſe effectum, oſtendendo duntaxat in genere ipſius cauſam eſſe fermentationem: ſed omnes quæſtiones ſpeciales non debent ſolvi aſcendendo ad primas cauſas. Poſſumus equidem ad eas aſcendere, & hoc pacto verum ſyſtema patefacere, ex quo omnia effecta ſpecialia dependent, dummodo ſolis immoremur ideis claris: ſed hæc Philoſophandi ratio nec accuratiſſima nec breviſſima eſt.

Ut rem clariùs explanem, ſciendum eſt quæſtiones eſſe duplicis generis. In prioribus, detegendæ veniunt natura & proprietates alicujus rei: In aliis, quæritur an hæc vel illa res habeat hanc proprietatem necne, aut ſi notum ſit illam hanc habere proprietatem, quæritur duntaxat quænam ſit illius proprietatis cauſa.

Ut quæſtiones primi generis ſolvantur, res ab ortû ſunt examinandæ, & concipiendum eſt illas ſemper gigni per vias ſimpliciſſimas & maximè naturales. Ut aliæ quæſtiones ſolvantur, diverſo procedendum eſt modô; ſolvendæ ſunt per ſuppoſitiones, & examinandum an hæ ſuppoſitiones ad aliquod abſurdum, vel ad aliquam veritatem clarè cognitam ducant.

Exempli gratiâ quæritur quænam ſint proprietates cycloïdis vel alicujus ex *ſectionibus conicis*. Conſiderandæ ſunt illæ lineæ in ipſarum generatione, & formandæ juxtà vias ſimpliciſſimas & omnium minimè intricatas; Hæc eſt enim optima & breviſſima ratio detegendi illarum naturam & proprietates. Nullô negotiô patet, ſubtenſam cycloïdis

cycloïdis esse æqualem circulo cujus ope ducta fuit; Sed si hac viâ facilè non detegantur multæ ex illius proprietatibus, id orietur ex eô quòd linea circularis quæ ad illam formandam inservit, satis cognita non sit. Ad lineas verò merè Mathematicas, & quarum relationes faciliùs cognosci possunt, quales sunt sectiones conicæ, quod spectat, ut illarum quamplurimæ detegantur proprietates, sufficit illas lineas considerare in ipsarum generatione. Duntaxat attendendum est, cùm lineæ illæ possint generari ex motibus diversimodè ordinatis, quamlibet generationem non esse æquè idoneam ad erudiendam mentem; simplicissimas esse omnium optimas, & tamen contingere, ut quædam rationes, seu modi speciales aliis sint aptiores ad demonstrandas quasdam proprietates speciales.

Sed si non quęrantur in genere proprietates alicujus rei, sed duntaxat an res aliqua hanc vel illam habeat proprietatem. Tum supponendum est rem illam reverâ hanc habere proprietatem, & attentè examinandum quid ex hac suppositione sequi debeat, an ad manifestum ducat absurdum, vel ad veritatem indubitatam, quâ ad veritatem quæ disquiritur inveniendam, via sternatur. Atque hac ratione utuntur Geometræ ad solvenda sua problemata. Quod quęrunt supponunt, & examinant quid inde consequi possit. Relationes quæ ex ipsorum suppositionibus resultant attentè considerant. Hasce omnes relationes quæ includunt conditiones problematis per *æquationes* repręsentant, & posteà hasce *æquationes* juxta regulas, quas circa id habent, reducunt; ita ut quod ignotum est, uni aut pluribus rebus planè cognitis æquale reperiatur.

Si igitur quęratur in genere natura ignis & diversarum fermentationum, quæ sunt causæ maximè universales effectorum naturalium. Dico viam brevissimam & notissimam esse id examinare in principio suo. Consideranda est formatio corporum maximè agitatorum, & quorum motus diffunditur in ea quæ fermentantur. Per ideas claras & vias simplicissimas examinandum est, quid motus possit producere in materia, & quia ignis & variæ fermentationes sunt res maximè generales, quęque proinde à paucis pendent causis; Opus non erit longo examine ad considerandum quid materia efficere possit, ubi motû agitatur, ut natura fermentationis in ipsius principio cognoscatur. Et eodem tempore multa alia deprehendentur omninò necessaria ad cognitionem Physices. Cùm è contrà si in hac quęstione quis vellet per suppositiones ratiocinari, ad ascendendum hoc pacto ad primas causas, & ad leges naturæ secundùm quas omnia formantur, multas faceret falsas suppositiones & prorsùs inutiles.

Posset equidem agnosci causam fermentationis esse motum materiæ quæ agitari incipit; satis enim notum est ignem & varias fermentationes corporum consistere in ipsorum agitatione, & legibus

naturæ corpora motum suum immediatè non recipere nisi ex concursû aliorum magis agitatorum. Hoc pactô, materiam esse imperceptibilem, cujus motus, fermentationis ope, visibilibus corporibus communicatur, detegi posset. Verùm suppositionum ope nequaquam posset deprehendi quomodò id fiat : quod longè facilius est ubi elementorum aut corporum ejusdem naturæ formatio examinatur ; ut patet ex systemate R. DesCartes.

Tertia pars quęstionis, quæ versatur circa motus convulsivos, solutû non erit admodùm difficilis, dummodò supponantur esse in corpore spiritus animales alicujus fermentationis capaces, & humores satis subtiles ut sese insinuent in poros nervorum, per quos spiritus diffunduntur in musculos ; dummodò etiam determinare non aggrediamur quęnam sit vera dispositio partium invisibilium, quæ conferunt ad hos motus convulsivos producendos.

Ubi musculus separatus fuit à reliquo corpore, & ipsius extrema manû tenentur, manifestum est illum ad id niti ut contrahatur, ubi in ventre pungitur. Verisimile est id pendere ex constructione partium imperceptarum ex quibus constat, quæ veluti totidem occulta elaterica organa motû punctionis ad certos motus determinantur. Verùm quis posset confidere se invenisse veram dispositionem partium quæ producendo illi motui inserviunt, & quis illius rei posset demonstrationem tradere indubitatam ? Certè id impossibile videtur, quamvis, forsan, iterum atque iterum scrutando, posset excogitari constructio musculorum aptorum ad omnes quos videmus producendos motus. Sed quia nulla est legitima ratio dubitandi, quin sint spiritus capaces fermentationis ex admistione alicujus materiæ subtilis, quin etiam humores acres & pungentes possint sese insinuare in nervos, id potest supponi.

Igitur ad solvendam quęstionem propositam, primò examinandum est quotuplices sint motus convulsivi : quia verò illorum numerus videtur indefinitus, insistendum est pręcipuis, quorum causæ videntur esse diversæ. Considerandæ sunt partes in quibus excitantur illi motus, morbi qui illos pręcedunt & sequuntur : an cum dolore, an verò sine dolore fiant, & præcipuè quænam sit illorum velocitas & violentia : Quidam enim cum celeritate & violentiâ, quidam verò sine celeritate & violentiâ fiunt. Quidam desinunt & sæpiùs recurrunt ; quidam partes corporis reddunt rigidas & sine motû per aliquod tempus ; quidam verò illarum usum omninò prohibent ac illas penitus distorquent.

His omnibus animadversis, facili negotio in genere explicari potest, quomodò isti motus convulsivi fieri possint, si attendatur ad ea quæ modò dicta sunt de motibus naturalibus & voluntariis. Si enim concipiamus commisceri spiritibus, qui in musculo continentur, aliquam materiam aptam ad illos fermentandos, musculus ille inflabitur,

tur,

tur, & in hac parte motum convulsivum producet.

Si huic motui facilè resistitur, hinc patebit nervos nullo humore esse obstructos, cum iidem spiritus qui musculum subiverant ex eo possint emitti & ad id determinariut inflent musculum antagonistam, vel oppositum. Si verò id fieri nequeat hinc concludendum erit humores pungentes & subtiles ad illum motum aliquid saltem conferre. Immò quandoque fieri potest ut humores illi sint sola causa horumce motuum convulsivorum: Possunt enim determinare cursum spirituum versùs quosdam musculos, vias aperiendo per quas intra illos feruntur, alias verò claudendo, pręterquàm quòd penetrando illorum poros, illorum tendines & fibras contrahere possint.

Ubi pondus gravissimum pendet de fune non parùm elevatur si tantùm funem madefeceris; quia partes aquæ sese veluti totidem cuneoli inter fila ex quibus funis constat, funem dilatando, ipsum contrahunt. Pariter humores subtiles & pungentes sese insinuando in poros nervorum, illos contrahunt, partes quæ illis alligantur trahunt, & in corpore excitant motus convulsivos, admodum lentos, violentes, & dolorificos, & partem per aliquod tempus maximè distortam sæpè relinquunt.

Ad motus convulsivos, qui celeriter fiunt, quod spectat, illi à spiritibus producuntur, sed necesse non est hosce spiritus aliquam recipere fermentationem; sufficit duntaxat ut illorum ductus magis ab unâ quàm ab alterâ parte, pateant.

Ubi omnes corporis partes sunt in situ suo naturali, spiritus animales in eas æqualiter & celeriter, relatè ad machinæ commodum, diffunduntur, ac voluntatis mandata fideliter exequuntur. Sed ubi humores dispositionem cerebri turbant, & nervorum orificia immutant aut movent, vel penetrando musculos elaterica illorum pellunt organa; spiritus in corporis partes modô prorsùs inusitato diffunduntur, & motus insolitos inconsul· â voluntate producunt.

Possunt tamen cohiberi illi motus, si strenuè & seriò iis resistatur, immò possunt paulatim imminui vestigia quæ ad illos producendos inserviunt, ubi habitus penitus est contractus. Qui sibi cavent ab invenustis oris compositionibus, aut à sitû corporis indecoro facilè abstinent, licèt corpus ad id sit dispositum: immò hæc quamvis habitû corroborata ęquè quidem superant, sed superant tamen. Illi enim habitus in principiis suis sunt semper impugnandi & antequam cursus spirituum inierit viam clausû difficiliorem.

Causa horum motuum nonnunquam est in musculo qui agitatur: quia nempe ab aliquo humore pungitur, vel in eo spiritus quidam fermentantur. Sed causa illa in cerebro assignanda est, præcipuè ubi convulsiones non modò unam aut duas corporis partes speciatim sed omnes in genere agitant, ut & in multis morbis qui naturalem sanguinis & spirituum constitutionem immutant.

Equidem, cùm nervus quandoque diversos habeat ramos, qui diffunduntur in partes corporis satis ab invicem remotas, ut in vultum & in viscera; sępè contingit ut convulsio, suam habens causam in parte aliquâ in quam quidam ex illis ramis se inserit, possit communicari partibus quibus alii rami respondent, nec tamen cerebrum illius convulsionis causa,& spiritus corrupti sint.

Sed ubi motus convulsivi communes sunt penè omnibus corporis partibus, necesse est dicere, aut spiritus fermentari modo inusitato, aut ordinem & dispositionem partium cerebri esse turbata,vel utrumque evenire: huic quæstioni diutiùs non insisto, namque adeò complexa evadit & à tot rebus pendet, ubi speciatim examinatur, ut facilè non possit inservire ad claram explicationem legum supra traditarum.

Nulla scientia aptiora suppeditat exempla ad demonstrandam harumce legum utilitatem, quàm Geometria, & pręcipuè Algebra,namque illæ duæ scientiæ harum legum perpetuum admittunt usum. Geometria necessitatem quæ incumbit semper incipiendi à rebus simplicissimis, quæque minores includunt relationes clarè ostendit. Hasce relationes per mensuras clarè cognitas semper examinat, Quicquid inutile est ad illas retegendas, eliminat. Quæstiones compositas in partes dividit, partes illas in ordinem digestas ordine etiam expendit. Denique unicus defectus, qui, ut jam dictum est, in hac scientia potest deprehendi, in eô consistit quòd nullam habeat rationem satis aptam ad contrahendas ideas & relationes quæ cognitæ fuerunt. Itaque quamvis imaginationem intra justos cohibeat limites & menti rectitudinem afferat, illius capacitatem parùm auget, nec ipsam reddit idoneam ad detegendas veritates admodùm complexas.

Sed Algebra, cùm rationes tradat ideas & earum relationes modô omnium brevissimô contrahendi, mentis capacitatem admodum auget. Nihil potest concipi adeò complexum in relationibus magnitudinum, quod mens tandem non possit retegere illis, quos suppeditat, modis,ubi quis novit quomodò ipsis utendum sit.

Quinta regula & aliæ, in quibus agitur de modo contrahendi ideas hanc solam spectant scientiam; nulla enim est in aliis scientiis illarum contrahendarum commoda ratio: Itaque iis explicandis non immorabor. Qui ad scientias Mathematicas proclives sunt, & menti totam vim totamq; capacitatem quam potest suscipere conciliare volunt, atque hoc pacto eò devenire ut possint innumeras novas veritates ipsimet retegere, postquàm Algebræ seriò incubuerint, agnoscent hanc scientiam inquirendæ veritati ideò duntaxat esse tantoperè utilem, quia leges à nobis pręscriptas observat. Sed hic per Algebram intelligo præsertim Algebram illam quâ Cartesius & nonnulli alii usi fuere.

Ante-

Antequàm huic Operi finem imponam, afferam exemplum cui paulò prolixiùs immorabor, ut meliùs cognoſcatur utilitas ex toto hoc Libro ducenda. In hac quęſtione repręſento proceſſum mentis, quæ ad quæſtionis non levis examen ſe accingens, ſeſe à pręjudiciis expedire conatur. Immò primâ fronte illam induco ut in errorem aliquem lapſam, ut hoc pacto alibi à me dicta in memoriam revocentur; ſed poſtquam, attentione tandem aſſequuta eſt veritatem quam quęrebat, illam introduco poſitivè loquentem, ut loqueretur homo qui quęſtionem à ſe examinatam ſolviſſe exiſtimaret.

CAPUT IX.

Ultimum exemplum ut iſtius operis utilitas pateſiat. In hoc exemplo cauſa unionis partium corporum inter ſe invicem, & leges communicationis motuum examinantur.

Corpora ſimul triplici modo unita ſunt per *continuitatem*, per *contiguitatem*, & tertiò quodam modô, qui caret nomine ſpeciali, quia rarenter uſû venit, quémque termino generali *unionis* indicabo.

Per *continuitatem*, ſeu per cauſam continuitatis intelligo illud quo partes unius corporis ita inter ſe cohærent, ut ſine molimine ſeparari nequeant, & unicum totum ſimul conficere exiſtimentur. Et illud eſt neſcio quid aliquatenus ignotum, quod quęro.

Per *contiguitatem* illud *neſcio quid* intelligo, ex quo judico duo corpora ſeſe immediatè tangere, ita ut inter illa nihil ſit; quæ tamen arctè unita non cenſeo, cùm illa facilè ſeparare poſſim.

Per ultimum illum terminum, *unio*, iterum intelligo *neſcio quid*, quod efficit ut duo vitra aut duo marmora, quorum ſuperficies mutuâ confricatione attritæ & expolitæ fuerunt, ita inter ſe cohæreſcunt ut quamvis tabulas illas marmoreas facilè ſeparaveris, ſi ita moveas, ut contiguæ ac lubricæ earum ſuperficies parallelo motu decurrant, id tamen difficilè pręſtabis ſi eas aliter divellere coneris.

Jam autem hic non eſt *continuitas*, cùm duo illa vitra, ſeu duo illa marmora hoc modo conjuncta, non concipiantur quaſi unicum totum conſtituerent, quoniam uno quodam ſitû facillimè poſſunt ſeparari: non eſt etiam ſimpliciter *contiguitas*, quamvis ad contiguitatem quàm proximè accedat; quia hæ duæ partes vitri aut marmoris ſatis arctè immò longè magis uniuntur quàm partes corporum mollium & liquidorum, ut partes butyri & aquæ.

His terminis ita explicatis, jam quęrenda eſt cauſa quæ unit cor-

pora, & disquirenda sunt discrimina quæ deprehenduntur inter *continuitatem*, *contiguitatem* & *unionem* corporum sensû jam determinato intellectam. Primò, quæram causam *continuitatis*: vel in quo consistat illud nescio quid quod efficit ut partes corporum inter se ita cohęreant, ut sine molimine separari nequeant, utque unicum totum constituere existimentur. Hac causâ semel compertâ, spero reliqua facili negotio retegenda fore.

Jam necesse mihi videtur, ut illud nescio quid, quô partes etiam minimæ hujusce ferri quod præ manibus habeo inter se colligantur; sit aliquid robustissimum, cùm non sine ingenti nisû, illius particulam frangere possim. Verùm ego forsan fallor; nónne fieri potest, ut illa difficultas, quàm, si minimam ferri particulam frangere velim, patior, ex debilitate meâ non verò ex ferri resistentiâ oriatur? Etenim memini me olim majorem adhibuisse vim quàm nunc adhibeo, ad rumpendam æqualem ferri portionem; ac si morbus invaderet membra mea, forsan ad illud frangendum pedibus manibusque frustra eniterer. Hinc igitur patet mihi absolutè judicandum non esse de firmitate unionis partium ferri inter se ex conatibus meis ad illas sejungendas. Judicare duntaxat debeo illa inter se invicem maximè colligari, relatè ad virium mearum tenuitatem; vel illas arctiùs inter se cohęrere quàm partes carnis meæ; cùm ex sensationibus doloris quem ex conatibus meis contraho, judicem, partes corporis mei potiùs esse sejungendas, quàm partes ferri.

Quemadmodùm igitur nec sum robustus nec debilis absolutè, agnosco pariter ferrum aut alia corpora non esse dura aut flexilia absolutè, sed duntaxat relatè ad causam quæ agit in ea; & conatibus meis me non posse uti ut normâ secundùm quàm metiar magnitudinem roboris adhibendi ad vincendam resistentiam & duritiem ferri. Namque normæ debent esse immutabiles, jam autem effecta illa, pro temporibus, pro spirituum animalium copiâ, & pro carnium duritie mutantur, cùm eadem effecta iisdem conatibus semper producere non possim.

Hac animadversione mens mea pręjudicio quâ præpediebatur libera facta fuit, nempe ad uniendas corporum partes, imaginabar fortia vincula quæ forsan non existunt; ac spero hanc observationem mihi in posterum utilem futuram esse; etenim ad id vehementer propendeo, ut de omnibus relatè ad me judicem, & sensuum meorum impressiones sequar, ab illo igitur vitio accuratiùs nunc mihi cavebo. Sed pergamus.

Postquam aliquandiù cogitavi, & arctæ istius unionis causam sedulò & in cassum tamen quęsivi, negligentiâ meâ & naturæ meæ propensione ad id feror ut cum pluribus aliis, existimem formam corporum, vel amicitiam & inclinationem quâ sese mutuò complectuntur, conservare mutuam unionem inter ipsorum partes, & ad

ad alia similia formanda judicia. Quid enim commodius est quàm sese quandoque errori permittere, & sic parvis sumptibus eruditionem assequi?

Verùm, cùm nihil credere decreverim, quod priùs clarè non cognoscam, veternum illum excutiam, nec me falsis splendoribus perstringi sinam. Mittamus igitur hasce formas & inclinationes, quarum nullas distinctas & speciales sed duntaxat confusas habemus ideas quæ duntaxat relatè ad naturam nostram à nobis formari mihi videntur, & quarum existentiam permulti homines ac forsan nationes integræ diffitentur.

Causam arctæ hujusce unionis partium ex quibus constant corpora dura videre mihi videor, nihil in iis admisso præter id quod in iis actû existere apud omnes constat, aut id quod saltem in iis existere posse ab omnibus distinctè concipitur. Omnes enim distinctè concipiunt omnia corpora ex particulis constare, aut saltem constare posse. Itaque inter illas partes fieri potest ut sint quędam uncinatæ & ramos instar exiguorum vinculorum idoneorum ad firmè detinendas alias partes, vel ita sese ramis intricabunt ut nonnisi difficulter possint sejungi.

Ad id credendum eò faciliùs adducor quòd experiar partes visibiles corporum crassorum sese hoc pacto mutuò detinere & jungere. Verùm præjudicatis opinionibus meis & sensuum impressionibus nimium diffidere nequeo. Rem igitur penitùs inspiciam, & inquiram etiam causam cur minimæ & ultimæ partes solidæ corporum, uno verbo cur ipsæ partes uniuscujusque horum vinculorum inter se cohęreant: Namque uniri non possunt, aliis vinculis minoribus, cùm illas supponam solidas. Vel si dicam illas hoc pacto uniri à me iterùm meritò quęretur quid unire poterit alias illas partes, & sic in infinitum.

Adeò ut hic versatur totus rei cardo, quò pactô, scilicet, partes horum exiguorum vinculorum, vel illarum partium ramosarum, possint inter se adeò arctè uniri, A, Exempli gratiâ, cum B quas suppono partes exigui vinculi. Vel quod idem est, cùm corpora eò duriora sint quò sunt solidiora & pauciores habent poros, quęritur nunc, quomodò partes columnæ compositæ ex materia quæ nullum habet porum, fortiter inter se jungi, & corpus durissimum componere. Non est enim quòd quis dicat partes hujus columnæ inter se colligari exiguorum vinculorum ope, cùm enim sint sine poris nullam habent figuram specialem.



Parùm ab est quin adhuc dicam hanc columnam esse duram naturâ suâ, vel parva vincula ex quibus constant corpora dura, esse atomos, quarum partes dividi nequeunt, cùm sint partes essentiales & ultimæ corporum, & essentialiter uncinata aut ramosa, aut figurâ intricatâ prędita esse illa vincula.

Sed quęstionem hoc pacto non explicari ingenuè fateor. Certè cùm præjudicatis opinionibus & sensuum illusionibus valedicere statuerim, confugere ad formam abstractam, & Logicæ phantasma amplecti absurdum esset. Absurdum, inquam, esset concipere ut aliquid reale & distinctum, ideam vagam naturæ, aut essentiæ, quæ nihil aliud exprimit quàm quod jam notum est; & sic accipere formam abstractam & universalem, tanquam causam Physicam effectûs maximè realis. Duo enim sunt à quibus nunquam non cavere debeo. Primum est sensuum meorum impressio, alterum facilis propensio quâ feror ad accipiendas naturas abstractas generales Logicæ pro ideis realibus & specialibus, & memini me hisce erroris principiis fuisse sępè deceptum.

Etenim, ut ad difficultatem redeam, concipere nequeo, quomodò exigua hæc vincula essent indivisibilia essentiâ & naturâ suâ, ac proinde quomodò essent inflexilia, cùm è contra illa necessariò per essentiam & naturam divisibilia concipiam. Namque pars A est certè substantia æquè ac B: & per consequens A potest existere sine B, cùm substantiæ possint subsistere seorsim aliæ sine aliis, alioqui non essent substantiæ.

A non esse substantiam dicere nemo potest; manifestum enim est A non esse duntaxat modum, & omne ens esse vel substantiam vel modum substantiæ. Itaque cùm A non sit modus, est substantia, ergò potest existere sine B, & potiori jure pars A potest existere seorsim à B. Ita ut illud vinculum sit divisibile in A & in B.

Pręterea si illud vinculum esset indivisibile, vel uncinatum naturâ & essentiâ suâ, hinc nasceretur effectum experientiæ contrarium; nullum enim corpus posset frangi. Supponamus ut anteà ferrum constare ex multis vinculis quæ sese mutuò irretiunt. A, a & B, b esse duo ex his vinculis. Dico quòd illa vincula non possent sejungi, nec proinde ferrum frangi. Ut enim frangeretur, essent flectenda vincula ex quibus constat, quæ tamen inflexilia essentiâ & naturâ suâ supponuntur.

Si verò inflexilia non supponantur, sed duntaxat indivisibilia naturâ suâ, hęc suppositio ad solvendam quęstionem nihil facit. Tunc enim quęretur, cur hęc exigua vincula non cedāt impetui qui fieri solet ad flectendum vectem ferreum. Si tamen non supponantur inflexilia, non debent pariter supponi indivisibilia. Nam si partes horum vinculorum inter se invicem possint mutare situm possent etiam separari: quippe nulla ratio est cur pars quæ ab aliâ potest parumper recedere, omninò recedere non possit, sive igitur vincula illa inflexilia supponantur, sive indivisibilia, quęstio neutrô modô solvetur: si enim duntaxat indivisibilia supponantur, nullô negotiô potest rumpi ferrum; si verò supponantur inflexilia, frangi non poterit,

terit, quia parva vincula ex quibus constat ferrum utpote inter se invicem intricata, non poterunt sejungi. Jam igitur quęstionem principiis claris & indubitatis solvere, & rationem cur exigui hujusce vinculi duæ partes A, B inter se invicem tam arctè cohæreant invenire conemur.

Meditationis meæ materiam in partes dividendi necessitatem mihi imponi video, ut illam accuratiùs & commodiùs examinem, cùm ad illam primò & simplici intuitû solvendam frustra desudaverim. Nec inutilis fuisset labor meus si initio rem adorsus fuissem, ut jam sum adorsurus. Cùm enim veritates quas disquirimus sunt abditæ, satiùs semper est illas per partes examinare, nec falsâ prosperi successûs spe deludi.

Quæro causam arctæ unionis, quæ exstat inter particulas ex quibus constat exiguum vinculum A, vel B. Jam autem tria duntaxat distinctè concipio esse posse causam effecti circa quod jam occupor; nempe partes ipsas istius exigui vinculi, vel voluntatem Authoris naturæ, vel denique corpora invisibilia quæ circumdant hęc parva vincula. Possem inter illas causas referre, formam corporum, qualitates duritiei, aut aliquam qualitatem occultam, sympathiam inter partes homogeneas, &c. Quia verò egregias illas entitates distinctè non concipio, æquum non est iis me ratiocinia mea suffulcire. Itaque si causam circa quam quęrendam detineor non nanciscor in rebus quarum distinctas habeo ideas, non est animus oleum & operam perdendi in contemplandis istis ideis vagis & generalibus Logicæ, ac de iis quæ non intelligo loqui desinam. Sed primum illud examinemus, quid sit illud quod efficere potest, ut partes exigui istius vinculi inter se cohæreant, quæ nempe sint particulæ ex quibus constat.

Quum attendo duntaxat ad partes ex quibus corpora dura maximè composita sunt, ad id facilè adducor ut credam *nullum posse excogitari gluinum, quod particulas hujus vinculi firmius conjungat inter se, quàm ipsamet & ipsarum quies. Quid enim esse posset gluinum istud? Non substantia, quia cum particulæ istæ sint substantiæ, nulla ratio est cur per aliam substantiam potiùs quàm per seipsas jungerentur, non etiam est modus ullus diversus à quiete; nullus enim magis adversari potest motui per quem istæ particulæ separentur, quàm ipsarum quies. Atque præter substantias & earum modos nullum aliud rerum genus cognoscimus.* Principia Ren. Descartes, art. 55. secundæ partis.

Verum equidem est partes corporum durorum persistere unitas, quandiu juxta se quiescunt; & illas, ubi semel quieverunt, quantùm fieri potest per se in quiete perseverare. At illud non est quod quæro. Quæro unde fiat ut partes corporum durorum eâ præditæ sint vi, ut possint inquiete juxta se invicem permanere & impetui aliorum corporum resistant.

Possem equidem respondere unum quodque corpus eâ præditum R. DesCar.

tes art. 43. ejusd. part. esse vi, quâ possit permanere in eodem statû in quo est, & hanc vim esse æqualem ad motum & ad quietem: sed partes corporum durorum in quiete juxta se perseverant, & ægrè separantur & agitantur, quia non satis motûs adhibetur ad vincendam illarum quietem. Id quidem verisimile est, sed certitudinem quæro, si inveniri possit, non verisimilitudinem. Quò pactò autem certò & evidenter scire potero, unicuique corpori vim esse permanendi in statû in quo est, & vim illam esse æqualem ad motum & ad quietem; cùm potiùs materia indifferens ad motum & ad quietem & omni vi destituta esse videatur. Veniamus igitur ad voluntatem Creatoris, ut fecit Cartesius, quæ forsan est vis quam corpora in se habere videntur. Illud est quod secundò diximus posse conservare partes exigui istius vinculi adeò arctè inter se conjunctas.

Profectò, fieri potest ut Deus velit unumquodque corpus permanere in statû in quo est, & ipsius voluntatem esse vim quæ singulorum corporum partes inter se jungit; quemadmodum etiam novi ipsius voluntatem esse vim moventem corporum. Cùm enim materia non possit per se moveri, judicarę, ni fallor, par est mentem aliquam, immò Authorem ipsum naturæ illi motum indere, illamque in motû conservare, illam conservando successivè in pluribus locis simplici voluntate suâ, cùm ens infinitè potens non utatur instrumentis ad agendum, & effecta ipsius voluntatem necessariò sequantur.

R. DesCartes art. 33. 2. Part. Art. 43. & seqq. Agnosco igitur fieri posse ut Deus velut unumquodque corpus permanere in eodem statû in quo est, sive sit in motû; ita ut hęc voluntas sit potentia naturalis, quâ corpora prędita sunt ad permanendum in eodem statû in quo constituta fuerunt. Quod si ita sit, exemplo Cartesii, mensuranda erit hęc potentia, concludendum quęnam illius debeant esse effecta, & sic leges habendæ de vi & communicatione motuum ad concursum diversorum corporum, juxta proportionem magnitudinis illorum; cùm nulla nobis alia suppetat ratio quâ possimus assequi illam voluntatem generalem & immutabilem Dei, quæ constituit variam potentiam corporum ad agendum vel sibi invicem resistendum, pręter diversam illorum magnitudinem & velocitatem.

Attamen nullum est mihi certum argumentum Deum velle voluntate positivâ ut corpora maneant in quiete. Et sufficere mihi videtur Deum velle ut materiam existere, ut non modò existat, verùm etiam ut existat inquiete.

Res secùs se habet de motû, quia idea materiæ motæ duas potentias ad quas refertur, nempè potentiam quæ creavit materiam, & pręterea potentiam quæ illam agitavit, necessariò includit: sed idea materiæ quiescentis nihil includit pręter ideam potentiæ quæ illam creavit; nec opus est ullâ aliâ potentiâ ad illam inquiete constituendam,

dam, sic equidem res concipio. Jam autem juxta ideas meas judicare teneor; & secundùm ideas meas quies nihil aliud est prçter privationem motûs. Sufficit enim Deum desinere velle corpus moveri, ut non ampliùs moveatur & actû quiescat.

Verùm memini me audivisse à plurimis viris eruditis, motum æquè sibi videri privationem quietis, ac quies videri posset privatio motûs. Immò quis inter eos asserebat, rationibus, quas equidem satis assequi non poteram, probabilius esse motum esse privationem, quàm quietem; Nunc distinctè non recordor rationem quas afferebant; sed tamen id me monet ideas meas posse esse falsas. Etenim, quamvis plerique homines quicquid libet circa res parvi momenti dicere soleant existimo tamen illos de quibus loquor tum delectatos fuisse dicendo ea quæ concipiebant. Ideas igitur meas iterum accurato examini subjiciam.

Hic nihil præter Deum, me, et globum imaginor existere.

Extra omnem dubitationis aleam positum esse mihi videtur, & illi etiam viri id admittebant, scilicet voluntatem Dei movere corpora vis igitur quam habet, hic globus quem moveri nunc video, est voluntas Dei quæ illum movet. Quid jam Deo faciendum est ut illius motum sistat? An oportet ipsum velle voluntate positivâ ut quiescat, an verò sufficit ipsum desinere velle, ut ille globus moveatur. Si modò Deus desinat velle ut ille globus agitetur, evidens est cessationem istius voluntatis Dei, effecturam cessationem motûs globi & per consequens quietem. Nam voluntate Dei, quæ erat vis movens globum cessante; hæc vis non ampliùs existet, ac proinde globus non ampliùs movebitur. Itaque cessatio virtutis moventis efficit quietem; Quies igitur nullam habet vim quâ producatur. Et in Deo admitteretur voluntas positiva sine causâ & necessitate, si corporibus vis aliqua ad persistendum in quiete tribueretur.

Sed evertamus, si fieri possit, illud argumentum. Globum quem in motu supponebamus, jam supponamus in quiete. Ad eum agitandum, quid Deo faciendum est? Sufficit ne ipsum desinere velle ut globus quiescat? Si hoc ita sit, ego nihil promovi, namque hoc pacto motus çquè erit privatio quietis, ac quies est privatio motûs. Suppono igitur Deum desinere velle ut globus quiescat. Sed hoc supposito, non video illum moveri; si quis verò illum moveri videat, rogo ut mihi diçat secundùm quem motûs gradum moveatur certè illum moveri impossibile est, quin aliquem habeat motûs gradam, & ex eô quòd concipitur Deus cessare velle ut quiescat, concipi nequit, illum aliquo motûs gradû moveri: quia de motû res secus se habet ac de quiete. Multiplices in infinitum sunt diversi motus: Possunt recipere magis & minus, sed cum quietes nihil sint, non possunt inter se differre. Idem globus qui duplô majori celeritate uno tempore quàm alio procedit, duplô majori etiam vi aut motû hoc tempore quàm alio prçditus est. Sed globus dici non potest uno tempore plus habere quietis quàm alio.

In Deo igitur admittenda est voluntas positiva ut globus in motû constituatur, vel ut globus tali præditus sit vi ad se movendum; & sufficit ipsum desinere velle globum moveri, ut non moveatur ampliùs, hoc est, ut quiescat. Pariter ut Deus creet mundum, non sufficit ipsum desinere velle ut mundus sit non existens. Sed necesse est ipsum velle positivè modum quo mundus existere debet, sed ad mundum annihilandum non oportet Deum velle ut non existat, quia non potest velle τὸ nihil voluntate positivâ, sufficit duntaxat Deum desinere velle ut existat mundus.

Hîc motum & quietem secundùm illorum esse relativum non considero: Manifestum enim est corpora quiescentia habere relationes æquè reales ad ea quæ ipsis circumstant, ac corpora quæ sunt in motû. Duntaxat concipio, corpora in motu habere vim moventem, corporibus verò quiescentibus nullam esse vim ad quietem suam: Quia relatio corporum motorum, ad corpora ambientia, cùm semper immutetur, opus est vi perpetuâ ad producendos continuatos illos motus: ac reverâ quicquid novi in naturâ evenit, ex hisce mutationibus oritur. Sed nullâ opus est vi ad nihil agendum. Ubi relatio alicujus corporis cum circumstantibus eadem semper est, nihil agitur; & hujusce relationis consideratio, hoc est, actio voluntatis Divinæ quæ conservat illam relationem, diversa non est ab eâ quæ conservat ipsum corpus.

Si, ut res à me concipitur, verum sit quietem nihil aliud esse quàm privationem motûs, minimus motus, hoc est, motus minimi corporis agitati majorem vim aut potentiam includet quàm quies maximi corporis. Itaque minimus nisus, seu minimum corpus quod in vacuo * concipietur agitatum adversùs corpus maximum & vastissimum, illud movere poterit; quoniam ingens illud corpus cùm quiescat, nullam habebit potentiam ad resistendum actioni istius corpusculi, quod in ipsum impinget, ita ut reluctatio partium corporum ad impediendam separattionem suam, ab aliquâ aliâ re quàm ab ipsarum quiete necessariò orietur.

** Per corpus in vacuo intelligo corpus ita separatum ab aliis tum duris tum liquidis, ut nullum sit quod inserviat, vel obstet communicationi motuum.*

Sed quæ ratiociniis abstractis jam fuere probata, experimentis sensibilibus sunt demonstranda, ut videamus an ideæ nostræ cum sensationibus quæ occasione objectorum nobis obveniunt, consentiant. Nam ejusmodi ratiociniis sæpe fallimur, vel saltem alii non convincuntur, ii præcipuè qui contrariis opinionibus sunt præoccupati. Cartesii autoritas tanti est ponderis apud nonnullos ut ad illos erroris convincendos omnibus modis sit probandum magnum hunc virum fuisse hallucinatum.

Qui mentem opinione contrariâ non habent anteoccupatam supradicta facilè quidem assequuntur: immò rebus quæ ipsis indubitatæ videntur probandis me diutiùs insistere fustra querentur. Sed argumenta nostra Cartesianis ne invideamus; digni sunt qui à nobis, ipsis satis-

ſatisfaciendi gratiâ, hunc laborem impetrent. Hæc ab aliis, ſi tædioſa videantur, omitti poterunt.

Ecce aliquot experimenta quæ ſenſibili probant modo, quieti nullam eſſe vim ad reſiſtendum motui, quęque proinde oſtendunt, voluntatem Authoris naturæ, quæ uniuſcujuſque corporis ad permamanendum in ſtatû in quo eſt, vim & potentiam efficit, tantùm verſari circa motum, nequaquam verò circa quietem; cùm corpora per ſe nullam habeant vim.

Experientia non docet ingentia Navigia, quæ in aquâ natant, à minimis corporibus ipſis obviis agitari; hinc invitis Carteſii & Carteſianorum effugiis, ingentia illa corpora multò faciliùs eſſe agitanda eſſe patet, ſi in vacuo exiſterent. Cauſa enim ob quam non ſine levi quadam difficultate moveatur Navis in aqua, ex eo eſt quòd aqua reſiſtit motui ipſi impreſſo, quod in vacuo non contingeret. Quod autem manifeſtò arguit aquam reſiſtere motui qui imprimitur Navi, in eo conſiſtit quòd Navis vel vas quodcunque, deſinat agitari aliquandiù poſtquàm motum fuit. Id enim non eveniret niſi vas motum ſuum deperderet illum aquæ communicando, vel ſi aqua ipſi cederet ſine ullâ reſiſtentiâ, vel tandem ſi aqua ipſi de ſuo communicaret motû. Cum itaque vas in aquâ agitatum moveri paulatim deſinat, id manifeſtò arguit aquam ipſius motui reſiſtere, tantùm abeſt ut illum faciliorem reddat, ut pertendit Carteſius. Itaque ingens corpus in vacuo agitare longè facilius eſſet quàm in aquâ, ſiquidem nullam à corporibus circunſtantibus pateretur reſiſtentiam. Hinc igitur evidenter patet quieti nullam eſſe vim ad reſiſtendum motui, & minimum motum plus habere virtutis & potentiæ quàm maxima quies: vel ſaltem non debere menſurari vim motûs & quietis, ſecundùm proportionem quæ extat inter magnitudinem corporum quæ moventur, vel quieſcunt, ut fecit Carteſius.

Meritò equidem credi poteſt, vas agitari ſtatim atque eſt in aquâ, propter perpetuam mutationem partium aquæ illud ambientium, quamvis locum mutare non videatur..Atque id eò impulit Carteſium & nonnullos alios ut crederent vas in aquâ non promoveri ſolâ vi illius à quo pellitur, ſed cùm jam multùm motûs acceperit à particulis corporis liquidi quæ ipſum circumdant, & æqualiter utrinque pellunt, motum illum duntaxat determinari novo motû illius à quo pellitur vas, ita ut quod agitat corpus in aqua illud agitare non poſſet in vacuo. Hoc pacto Carteſius & ipſius aſſeclæ leges motûs ab ipſo traditas tuentur.

Supponamus, exempli gratiâ, ligni portionem magnitudinis pedis quadrati in corpore liquido conſtitutam. Singulæ particulæ corporis liquidi agunt & moventur in ipſam & quia ęqualiter illam utrinque pellunt, à parte *A* ut à parte *B*, non poteſt in ullam partem progredi. Si igitur pellam aliam ligni portionem ſemipeda-

lem adversùs primam à parte *A*, Video illam promoveri. Atque hinc concludo minorem vim fore adhibendam ad illam in vacuo movendam, quàm adhibita fuit à ligno ad illam pellendam, ob rationes allatas. Ii verò, de quibus mentio est id negant, & respondent ingens lignum progredi statim atque à parvo pellitur, quia parvum quod non posset illud movere si solum esset, junctum cum partibus corporis liquidi jam agitatis, illas determinat ad pellendum ingens lignum & ipsi communicandum aliquam motûs sui partem. Verùm juxta hanc responsionem, evidenter patet lignum semel agitatum motum suum nunquàm minuere, sed potiùs semper augêre debere. Namque juxta hoc responsum lignum ab aquâ magis pellitur à parte A, quàm à parte B: ergò debet semper progredi. Et
Art. 5. quia hęc impulsio est continua, ipsius motus debet augêri. Verùm, ut jam dictum fuit, tantùm abest ut aqua illius motum faciliter, quin illi semper resistit, & cùm illâ aquæ resistentiâ minuatur motus, tandem fit ut nullo modo percipiatur.

Jam probandum est lignum ab aquæ partibus ipsi circunstantibus æqualiter pulsum, nullum planè habere motum nullámve vim quæ possit mouveri, quamvis locum immediatum perpetuò mutet, & aquæ superficies quæ ipsum circumdat eadem nunquam sit diversis temporibus. Si enim reverâ corpus utrinque æqualiter pulsum, ut istud lignum, nullum habeat motum ; extra omne dubium erit, motum ipsi communicari à solâ vi extraneâ quæ in illud agit, cùm eo ipso tempore quô vis illa extranea pellit lignum, aqua illi resistat, immò motum ipsi impressum paulatim imminuat námque moveri paulatim desinit.

Iis saltem quos alloquor certum esse debet in naturâ numquàm esse plus motûs certo quodam tempore quàm alio, & corpora quiescentia, nunquam incipere moveri nisi propter occursum corporum agitatorum, quæ ipsis suum communicant motum. Hinc concludo corpus quod planè quiescens in mediâ aquâ creatum suppono, nullum unquam à particulis aquæ quibus circundatur, quęque in illud indesinenter impingunt, esse accepturum motûs gradum, dummodò illud indesinenter impingunt, esse acceptorum motûs gradum, dummodò illud utrinque pellunt. Quia omnes illæ particulæ quæ in illud æqualiter aguntur, resilientes cum toto suo motû, nullum planè illi communicant : ac per consequens corpus illud veluti quiescens ac sine ullâ vi movente semper considerari debet, licèt superficiem perpetuò mutet.

Quod autem eò me adducit ut credam, hasce particulas sic cum toto motû suo resilire, in eo consistit quòd, pręterquàm quòd res aliter concipi nequit, aqua quæ illud corpus attingit valdè refrigerari, imo congelari, ac propemodum instar ligni in superficie obdurari deberet, cùm motus partium aquæ in particulas corporis quod ambiunt distribui deberet.

Verùm

Verùm ut iis me accommodem, qui à partibus Cartesii stant, lubens concedam scapham in aquâ tanquam quiescentem considerari non debere. Concedam etiam omnes aquæ partes quæ illam circumdant unà conspirare cum novo motû ipsi à naviculario impresso, quamvis ex diminutione motûs scaphæ, evidenter pateat, aquæ particulas ipsi magis resistere à parte versùs quam tendit, quam à parte unde pellitur. Attamen hoc supposito, dico ex omnibus aquæ partibus quæ sunt in fluvio, eas solùm, juxta Cartesium, quæ scapham à parte unde pulsa fuit immediatè attingunt, posse ipsius motui inservire. Námque juxta illum Philosophum, cùm aqua sit *fluida, omnes partes ex quibus constat non agunt simul in corpus quod movere volumus; sed tantùm partes quæ corpus illud tangentes, tota simul in illud incumbent.* Jam autem partes quæ conjunctim in scapham incumbunt cum naviculario vigesies minores sunt quàm tota scapha. Itaque ex ratione quam Cartesius in hoc articulo reddit difficultatis quam patimur manibus rumpendo clavum, evidens est magnum corpus posse agitari à corpore se longè minori. Etenim manus nostræ æquè fluidæ non sunt ac aqua: & quum clavum dividere volumus, plures sunt partes simul junctæ quæ conjunctim in manibus nostris agunt, quàm sunt in aquâ quæ pellant scapham. Art. 63. Principiorum Cartesii.

Sed ecce experimentum magis sensibile. Si sumatur asser valdè politus, vel aliud quodlibet planum admodùm durum, eique ad dimidiam partem inseratur clavus, & planum illud parumper inclinetur, si vectis ferreus centies millies clavo crassior, ad unius aut duorum digitorum spatium supra clavum collocetur & sinatur vectis lubrico & parallelo motû deferri, dico hunc clavum nequaquàm fractum iri. Observandum tamen est, juxta Cartesium, singulas vectis partes conjunctim incumbere & agi in clavum, námque hic vectis est durus & solidus, si igitur *nullum aliud esset glutinum* ad uniendas partes quæ componunt clavum, *quàm quies*: vectis ferreus cum infinitè sit crassior clavo, juxta quintam Cartesii regulam, & juxta rationem aliquid communicare deberet motûs sui parti clavi in quam ageret, hoc est illum dividere & hoc pacto illum præterire, quamvis hic vectis motû lentissimo decurreret. Itaque alia quærenda est causa duritiei corporum, aut capacitatis resistendi actioni aliorum, quàm quies partium, cùm quies nullam habeat vim ad resistendum motui. Cæterùm hæc experimenta sufficere existimo ut pateat argumenta abstracta à nobis allata non esse falsa. Art. 63. Art. 50.

Tertium igitur quod efficere posse dixi arctam unionem inter partes corporum durorum, examinandum venit. Nempe materia quædam invisibilis quæ illa circumdat, quæ vehementer agitata; partes externas & internas horum corporum violentissimè pellit, & ita comprimit, ut ad eas separandas major vis sit adhibenda, quàm vis materiæ illius invisibilis, quæ admodùm est agitata.

Unionem partium ex quibus constant corpora dura, à materiâ subtili quæ illas circumdat & comprimit pendêre, concludere posse mihi videor, cùm duo quæ suspicati fueramus esse causas hujus unionis, reverâ tamen non sint; & cùm ostensum fuerit, cum difficultatem reperiam rumpendo ferrum, & illa difficultas non oriatur à ferro, nec à voluntate Dei, ut ni fallor, probavi, illam ab aliquâ materia invisibili oriri necesse est; jam autem illa materia alia esse nequit quàm ea quæ ipsi immediatè circumstat, & quâ comprimitur. Attamen istius sententiæ quædam adhuc proferam argumenta positiva, postquam illud aliquo exemplo fusiùs explicavero.

Ubi accipitur globus, seu sphæra ex aliquo metallo duriusculo confecta, intùs cava, & in duo hemisphæria secta, & duo illa hemisphæria conjunguntur agglutinatâ ubi uniuntur fasciolâ cereâ, & aër inde educitur; hemisphæria ita sibi invicem conjunguntur & adhærent ut plurimi equi globo, fibularum quarundam ope, utrinque juncti, non possint illa divellere, dummodo hemisphæriorum magnitudo equorum numero sit proportionata. Attamen si aërem regredi finas unicus homo hemisphæria nullô negotiô divellet.

Ex hoc experimento concludere facile est, duo illa hemisphæria tam arctè ideò unita fuisse, quod cùm ad superficiem externam & convexam ab aëre circumstante comprimerentur, eodem tempore ad superficiem concavam & internam non comprimerentur. Ita ut actio equorum qui duo utrinque trahebant hemisphæria, innumerarum particularum, aëris quæ premendo duo illa hemisphæria ipsis resistebant, impetum vincere non posset. Sed minima vis potest illa divellere, ubi aër in sphæram cupream regressus superficies internas & concavas tantùm pellit, quantùm aër externus superficies externas & convevas pellit.

Si contrà accipiatur vesica piscis cyprini, dicti Gallicè *carpe*, & vasi inseratur, ex quo aër educatur, hæc vesica aëre plena crepat & disrumpitur, quia tunc nullus est aër extrà vesicam qui resistat aëri interno. Eandem etiam ob causam jam allatam circa prius experimentum, duo plana vitrea aut marmorea invicem attrita ita junguntur, ut non sine difficultate possint divelli uno sensû, quia duæ illæ partes marmoris comprimuntur ab aëre externo, non verò ab interno. Innumera alia possem afferre experimenta quibus probarem aërem crassum qui circundat corpora, ipsorum partes arctissimè unire. Sed hæc sufficiunt ad mentem meam circa id clarè aperiendam.

Dico igitur causam cur partes corporum durorum, & exiguorum illorum vinculorum, de quibus anteà, sic arctè inter se invicem uniantur, ex eo oriri, quòd alia sint extrinsecùs corpuscula longè magis agitata quàm aër crassus quem spiramus, quæ illas corporum partes pellunt & comprimunt & difficultatem quam experimur illa dividendo, non oriri ab ipsorum quiete, sed ab agitatione corpusculorum

lorum illorum à quibus circumdantur. Adeò ut id quod resistit motui non sit quies, quæ illius duntaxat est privatio, & per se nullam habet vim, sed motus aliquis contrarius.

Simplex hæc sententiæ meæ expositio rationi satis consentanea forsan videbitur; subolfacio tamen multos ægrè illam esse admissuros. Corpora dura tantam in sensus nostros ubi nos feriunt, vel ubi illa frangere conamur, impressionem agunt, ut facilè credamus ipsorum partes longè magis uniri, quàm reverà uniuntur. Corpuscula quæ ipsis circunstare dixi, quibus vim tribui hanc efficiendi unionem, cùm nullam in sensus edant impressionem, debiliora esse videntur quàm ut effectum adeò sensibile producere queant.

Sed ad hoc præjudicium, quod solis sensuum impressionibus, & difficultate quæ nobis inest imaginandi corpora tenuiora & velociora iis quæ quotidie videmus, fretum est, profligandum: attendendum est duritiem corporum non debere mensurari relatè ad manus nostras, vel ad conatus quos edere possumus pro variis temporibus. Etenim si maxima hominum vis nihil penè sit, comparatè ad vim materiæ subtilis, absurdum esset credere, adamantis vel quorumlibet durissimorum corporum duritiem non posse oriri ex compressione corpusculorum maximè agitatorum, quæ illa circumdant. Jam autem manifestò patebit vim hominum esse oppidò exiguam, si attendamus potentiam, quâ pollent movendi tot modis corpus suum, oriri duntaxat ex mediocri sanguinis fermentatione, quæ illius partes paululùm agitat, & sic spiritus animales producit. Namque agitatio horum spirituum efficit vim corporis nostri, & nobis dat potentiam hosce conatus faciendi, quos immeritò velut aliquid magni & potentis habemus.

Verùm accuratè observandum est hanc sanguinis nostri fermentationem, nihil esse præter exiguam communicationem motûs istius materiæ subtilis, de qua modò loquuti fuimus: Nam omnes fermentationes corporum visibilium, nihil sunt præter communicationes motûs corporum invisibilium, cùm omne corpus agitationem suam ab alio accipiat. Mirum igitur non est vim nostram non æquare vim istius materiæ subtilis à quâ illam accipimus, sed si sanguis noster tantoperè fermentaretur in corde, quantopere pulvis pyrius fermentatur ubi ignis admovetur sclopeto; hoc est, si sanguis noster æquè magnam à materiâ subtili acciperet motûs communicationem ac pulvis pyrius, extraordinaria facillimè præstaremus, rumperemus, exempli gratiâ, ferrum, domos everteremus &c. Dummodò supponatur æqua proportio inter membra nostra & sanguinem hoc pacto agitatum. Deponendum est igitur illud præjudicium, nec arbitrandum, juxta sensuum impressionem, partes corporum durorum adeò arctè inter se uniri, quia illa vix rumpere possumus.

Si præterea attendamus ad effecta ignis in cuniculis, ad gravitatem corporum, & multos alios naturæ effectus, qui nullam aliam habent causam, quàm agitationem horum corporum invisibilium, ut Cartesius id multis locis probavit, manifestò agnoscemus illa posse unire & comprimere partes corporum durorum eô modô quô illa actû unita & compressa videmus.

Id in dubium vocari non poterit ab iis qui animadvertent. Primò, pulverem pyrium totum non inflammari, nec eodem instanti. Secundò, licèt totus & eodem instanti inflammaretur, illum per breve admodùm temporis spatium natare in materiâ subtili, & corpora quæ non diù aliis innatant ab iis parùm motûs accipere: ut patet ex scaphis fluenti aquæ permissis, quæ nonnisi paulatim accipiunt motum suum. Tertiò, & præcipuè, quia singulæ partes pulveris pyrii nullum possunt suscipere motum præter eum qui materiæ subtili competit; nam aqua nullum scaphæ communicat motum præter directum qui communis est omnibus partibus & motus ille ut plurimùm admodùm exiguus est relatè ad alios.

Magnitudinem motûs materiæ subtilis adhuc possem probare iis qui admittunt principia Cartesii ex motû terræ & gravitate corporum. Verùm id ad institutum nihil facit. Ut verò qui non legerint Opera Cartesii habeant argumenta certa agitationis materiæ subtilis, cui attribuo duritiem corporum, sufficit attentè legere quæ circa id à me jam dicta sunt à P. 252. l. 5. usque ad P. 253. l. 11.

Cùm igitur nunc prejudicia deposuerimus, quæ nos eò adducere possent ut conatus nostros admodùm validos, conatum verò materiæ subtilis quæ circumdat & comprimit corpora dura admodùm debilem existimemus, cùm preterea agitationis violentæ hujus materiæ ex iis quæ jam de pulvere pyrio dicta sunt, persuadeamur, hinc manifestò patet materiam illam in superficiem corporum durorum quæ circumdat & comprimit longè vehementiùs agentem, quàm intra eadem corpora, necessariò debere esse causam illorum duritiei seu illius resistentiæ quam patimur dum illa rumpere volumus.

Jam autem cùm semper ingens sit copia hujus materiæ invisibilis quæ per poros corporum durorum transit, illa non modò dura, ut jam explicuimus, reddunt, sed preterea efficiunt ut quædam vim habeant elasticam & postquàm curuata fuere figuram suam rectam per se recuperare, quædam verò curvata persistant, alia fluida & liquida sint; denique sunt causa non modò vis, quâ partes corporum durorum pollent ad permanendum juxta se invicem, sed etiam vis quâ partes corporum fluidorum possunt sese divellere, hoc est, hanc causam efficere ut quædam corpora sint dura, quædam verò fluida.

Sed quia Physicam Cartesii, ipsius Elementorum & corporum quæ componunt corpora specialia figuram distinctè cognoscere necesse est, ut

eſt, ut cauſam dicamus cur quędam corpora ſint rigida, quędam verò flexilia, his non immorabor. Qui hujuſce Philoſophi opera legerunt, cauſam horumce effectuum, quam nonniſi difficulter explicare poſſem, facilè ſatis imaginabuntur. Et qui eundem authorem non novère, rationes meas confusè duntaxat intelligerent.

Innumeris etiam difficultatibus quæ adversùs ſuprà dicta moveri poſſe prævideo ſolvendis non inſiſto; quia ſi Phyſica lateat eos qui ejuſmodi movent difficultates, ipſis nequaquàm ſatis facerem quin potiùs faſtidium crearem. Si verò ſint viri eruditi & perſpicaces, ipſis reſpondere non poſſem niſi ingenti figurarum & ratiociniorum numero. Itaque eos rogatos velim quibus in ſuprà dictis aliqua occurret difficultas, ut hoc caput attentiùs relegant, ſpero enim, ſi illud ut par eſt relegant & meditentur, fore ut objectiones evaneſcant. Ut ut ſit, ſi iterata lectio ipſis moleſta videatur, quieſcant, non tanti enim eſt cognitio cauſæ duritiei corporum.

Hic de corporum contiguitate non loquor: manifeſtum enim eſt res contiguas ſeſe tam parùm attingere, ut multùm ſemper interſit materiæ ſubtilis, quæ motum ſuum dirigens ſecundùm lineam rectam, impedit quominùs uniantur.

Unionem verò quæ extat inter duo marmora invicem attrita & admodùm polita explicui, & manifeſtum eſt, quamvis materia ſubtilis ſemper inter haſce duas partes quantumvis unitas tranſeat, aërem tamen non poſſe inter eaſdem tranſire, ac hoc pacto illum haſce duo marmoris fruſta juxtà ſe comprimere, & efficere ut vix uno ſensû poſſint divelli, niſi, ut jam dictum eſt, illa ita moveas ut continuæ ac lubricæ eorum ſuperficies parellelo motû decurrant.

Continuitatem, contiguitatem, & unionem duorum marmorum in vacuo unum & idem futuras eſſe ex his patet: Earum enim diverſas non habemus ideas; & ii dicunt quod non intelligunt, qui dicunt eas abſolutè & in ſe differre, non verò relatè ad corpora circumſtantia.

Jam adſunt quędam animadverſiones in ſententiam Carteſii, & ipſius erroris originem. Ipſius ſententiam erroris nomine deſigno, quia nullam reperio rationem defendendi ea quæ dicit de legibus motûs, & de causâ duritiei corporum, circa finem ſecundæ partis ipſius Principiorum multis in locis, & quia ſententiæ oppoſitæ veritatem ſatis demonſtraſſe mihi videor.

Magnus ille vir diſtinctè concipiens materiam à ſeipſâ non poſſe moveri & vim moventem naturalem omnium corporum, nihil aliud eſſe quàm voluntatem generalem Authoris naturæ, ac proinde communicationem motuum corporum ad mutuum ipſorum concurſum ex ſolâ eadem voluntate oriri poſſe, eò facilè adductus eſt ut crediderit non poſſe dari leges variæ communicationis motuum, niſi relatè ad proportionem quæ inter varias corporum obviorum magnitudines deprehenditur, cùm conſilia & voluntas Dei penetrari nequeant,

Quia verò judicavit unamquamque rem præditam esse vi permanendi in eodem statû in quo est, sive moveatur, sive quiescat, quoniam Deus, cujus voluntas hanc vim efficit, eôdem semper agit modô, quietem tantùm virtutis ad agendum habere quàm motum conclusit. Itaque vis effecta quietis per magnitudinem corporis in quo est illa vis, mensuravit, ut effecta vis & potentiæ motûs. Atque eâ impulsus causâ tradidit leges communicationis motuum quas in ejus principiis videmus, & duritiei corporum eam assignavit causam quam refutare conatus sum.

Opinionem Cartesii non amplecti satis difficile est, ubi res iisdem oculis eodemque respectu inspiciuntur quibus eas ille inspexit. Etenim, ut jam dictum repetam, cùm communicatio motuum oriatur ex solâ voluntate Authoris Naturæ, & omnia corpora in eodem statû in quo fuerunt constituta, sive in motû, sive in quiete, permanere videamus; leges variæ communicationis motuum ad corporum concursum, non in voluntate Dei, quæ nobis incognita est, sed in proportione quæ inter illorum corporum magnitudines deprehenditur, quæri debere videntur.

Hanc igitur cogitationem Cartesii mentem subiisse non miror, sed miror duntaxat ipsum hunc errorem non emendasse, ubi ulteriùs progressus, existentiam & quædam effecta materiæ subtilis, quæ circundat corpora, agnovit.

Miror ipsum articulo 132, Quartæ Partis huic materiæ subtili vim tribuere quâ pollent quædam corporare siliendi & pristinam recuperandi figuram, & in articulis 55. & 93. 2. Partis & alibi, eidem materiæ non tribuere duritiem corporum, aut ipsorum resistentiam ubi ea flectere & rumpere conamur, sed hæc effecta soli partium quieti tribuere. Manifestum est causam quæ dat vim resiliendi & rigida reddit quædam corpora, eandem esse ac ea quæ ipsis dat vim resistendi, ubi illa frangere conamur, etenim vis quæ adhibetur ad rumpendum chalybem non nisi imperfecto modo differt à vi quæ adhibetur ad illum flectendum.

Ad hæc probanda multas rationes congerere non est animus; quibusdam etiam non respondebo difficultatibus ex eô petitis quòd quædam sint corpora dura, quæ sensibiliter non resiliunt, quæque tamen non sine difficultate flecti queunt. Námque ut hæ difficultates in auras abeant, considerare sufficit materiam subtilem non posse facilè sibi sternere vias novas per corpora quæ rumpuntur ubi flectuntur, ut vitrum & chalybs aquâ temperatus, & id faciliùs efficere posse in corporibus compositis ex partibus ramosis, nec fragilibus, ut in auro & plumbo; ac denique nullum esse corpus durum quod aliquomodo non resiliat.

Vix mihi persuadeo Cartesium positivè credidisse causam duritiei diversam esse à causâ quæ efficit ut corpora dura resiliant, & verisimile

simile est illum huic rei solitam attentionem non prębuisse. Ubi circa quid diù sumus meditati, & quod scire intenderamus fuimus assequuti, de eo cogitare ut plurimùm desinimus. Cogitationes nostras habemus vice veritatum indubitatarum, quas ampliùs examinare foret inutile. Verùm tot sunt in homine quæ illum ab attentione deterrent, ad assensûs pręcipites ferunt, & errori obnoxium reddunt, ut, quamvis mens acquiescat, illam tamen veritatem fuisse adeptam certum non sit: Cartesius, non secus ac nos, erat homo; nullibi unquam plus soliditatis, judicii, capacitatis, & penetrationis mentis quàm in ipsius operibus effulsit; id equidem fateor; sed non erat infallibilis. Itaque sententiam suam tam altè imbiberat ut non cogitaverit se aliquid cum principiis ἀσύςατον protulisse. Rationibus admodùm speciosis & verisimilibus suam stabiliverat sententiam; sed talibus tamen ut earum evidentià ad assensum non adigeretur, judicium suum cohibere adhuc poterat & proinde debebat. In corpore duro non sufficiebat examinare quid esse possit quod illud tale efficere valeat; ad corpora invisibilia etiam debebat attendere quæ illud durum reddere possunt, ut ad ea attendit in fine principiorum Philosophiæ, dum ipsis causam vis elasticæ tribuit. Divisionem accuratam instituere debebat, quæ complecteretur quicquid duritiei corporum conferre poterat. Illius pręterea effecti causam in voluntate Dei quęrere non sufficiebat, ad materiam subtilem, quæ circumdat corpora, erat animus advertendus. Licèt enim hujusce materiæ admodùm agitatæ existentia in illo ipsius principiorum loco, ubi egit de duritie, nondùm probata fuisset, rejecta tamen non fuerat: judicium igitur suum cohibere debebat, & recordari ea quæ scribebat de causa duritiei & legibus motuum de novo esse aliquando relegenda; quod ipsum satis non animadvertisse puto. Vel saltem satis non pensitavit veram rationem rei cognitû facillimæ, quęque in Physicâ ingentis est momenti. Rem illam explico.

Cartesius ad suffulciendum suum systema cujus veritatem in dubium vocare meritò nequibat, noverat necesse esse, ut ingentia corpora de motû suo parvis corporibus sibi obviis communicarent, utque parua, nihil amisso de suo motû, ad majorum occursum reflecterentur. Namque, si res ita nonse haberet, primo elemento omnis non esset motus quem par est ipsum habere supra secundum, & secundum supra tertium; & totum hoc pacto ipsius systema planè falsum esset, ut qui illud meditati sunt probè norunt. Sed supponendo quietem vim sufficientem habere ad resistendum motui, & ingens corpus quiescens non posse moveri à minori, quamvis impetû violentissimo in ipsum agatur; manifestum est ingentia corpora, multò minorem habere debere motum quàm æqualis portio minorum corporum, cùm juxta hanc suppositionem possint semper communicare motum

quem habent, nec possint à minoribus semper recipere. Itaque cùm hæc suppositio non sit contraria iis omnibus quæ Cartesius dixerat in principiis suis ab initio usque ad positionem legum de motû, & optimè consonaret cum reliquis ipsius principiis, leges motûs quas ex ipsarum causâ demonstrasse autumabat, effectibus satis confirmari arbitrabatur.

Equidem cum Cartesio fateor; ingentia corpora motum suum faciliùs communicare quàm parva; ac itaque primum ipsius elementum magis agitatum esse quàm secundum, secundum verò quàm tertium. Sed istius rei causa clara est nullô habitô respectû ad ipsius suppositionem. Parva corpora & corpora fluida, aqua, aër &c. ingentibus corporibus nullum preter motum suum uniformem & omnibus partibus communem possunt communicare: aqua fluminis nullum motum potest communicare navigio preter motum fluenti, qui communis est omnibus partibus ex quibus constat aqua, & unaquęque harum particularum, preter hunc motum communem, innumeros habet speciales. Itaque manifestum est hac ratione, navigium, exempli gratiâ, nunquam posse tantùm habere motûs, quantùm habet æqualis aquæ portio, cùm navigium nullum motum possit accipere ab aquâ preter directum & communem singulis partibus. Si viginti partes corporis fluidi aliquod corpus huc impellunt; totidem illud illuc impellent: immotum igitur manet & singulæ corporis fluidi partes in quibus natat reflectuntur cum toto suo motû. Itaque corpora crassa & quorum partes inter se invicem uniuntur, nullum possunt recipere preter motum circularem & uniformem vorticis materiæ subtilis quæ illa circumdat.

Hęc ratio sufficere mihi videtur ut pateat corpora crassa æquè non agitari ac parva, nec ad hęc explicanda necesse esse supponere, quieti aliquam inesse vim ad resistendum motui. Certitudo principiorum Philosophiæ R. DesCartes non potest stabilire ipsius regulas de motû. Nec, opinor, Cartesius, si ipse principia sua absque prejudicio examinasset, expendendo rationes superioribus similes, credidisset effecta naturæ confirmare ipsius leges, nec in contradictionem incidisset; duritiem corporum durorum soli partium quieti, ipsorum verò vim resiliendi & pristinam recuperandi figuram materiæ subtilis impetui, tribuendo.

Jam adsunt quędam leges communicationis motuum invacuo quæ sequuntur ex iis quæ circa quietis naturam à me posita sunt.

Cùm corpora non sint dura in vacuo, quippe quæ dura duntaxat sint pressione materiæ subtilis quâ circumdantur, si duo corpora sibi invicem occurrerent, juxta invicem retunderentur neç resilirent seu reflecterentur. Igitur dura per se, non verò pressione materiæ, ad hasce tradendas regulas, supponenda sunt.

Cùm quies nullam habeat vim ad resistendum motui, & plurima corpora

corpora debeant considerari ut unicum momento ipsorum concursûs; manifestum est illa non debere reflecti nisi ubi magnitudine & celeritate æqualia sunt, vel ubi celeritas compensat magnitudinem, vel magnitudo celeritatem. Atque hinc concludere est illa in cęteris casibus motum suum ita communicare debere, ut deinceps unà procedant cum æquali celeritate. Itaque ut innotescat quid in diversis suppositionibus magnitudinis & celeritatis corporum sibi obviorum evenire debeat, addendi sunt omnes gradus motûs duorum aut plurimorum corporum quæ ut unicum considerari debent momento concursûs; posteà dividenda erit summa totius motûs, magnitudinis illorum corporum proportione initâ.

Lex generalis communicationis motuum.

Unde concludo ex septem regulis Cartesii circa motum, tres priores esse veras.

Quartam esse falsam & τὸ B debere de motû suo communicare τῷ C secundùm proportionem magnitudinis ejusdem C, & deinceps cum ipso procedere: adeò ut si C duplô sit majus quàm B, & B habeat tres gradus motûs, debeat ipsi communicare duos gradus. Satis enim superque probavi Cartesium non debuisse supponere quietem habere vim ad resistendum motui.

Vide Cartesii ragulas. Princip. 2 part.

Quintam esse veram.

Sextam esse falsam, & B debere communicare dimidiam partem motûs sui τῷ C.

Septimam esse falsam, & τὸ B semper debere communicare de motû suo τῷ C, juxta proportionem magnitudinis & motûs τῦ B, & τῦ C. Quòd si, juxta suppositionem, C sit duplô majus quàm B; B verò habeat tres gradus motûs, C verò duos duntaxat, utrumque conjunctim debere procedere; cùm reverà C & B sint unum corpus momento concursûs, & ad hoc factâ additione graduum celeritatis, erunt quinque, qui posteà dividendi sunt juxta proportionem magnitudinis corporum; itaque oportet dare $1\frac{2}{3}$ τῷ B & $3\frac{1}{3}$ τῷ C duplô majori quàm B. Sed illæ regulæ quamvis certæ ob ea quæ dicta sunt, experimenta tamen repugnant quia non sumus in vacuo.


Pręcipuum experimentum quod supradictis circa leges motûs adversatur, illud est, quòd nempe semper eveniat ut corpora dura sibi invicem obvia reflectantur utrinque, vel saltem post concursum conjunctim non procedant.

Ut ei occurratur, ea, quæ suprà de causa vis elasticæ dicta fuêre, in memoriam sunt revocanda; scilicet, esse materiam quandam, cujus agitatio est admodùm violenta, quæ partes corporum durorum indesinenter pertransit, illáque dura efficit, illa comprimendo tum ad partes externas, cùm ad partes internas. Hinc enim facilè patebit, duo corpora obvia tempore percussionis pellere & deflectere cursum hujus materiæ à locis in ipsorum vicinia existentibus, & hanc materiam resistentem ingenti cùm violentia utrinque repellere

duo corpora illa inter se obvia, & hoc pacto viam percussione sibi pręclusam restituere. Utque res clarior evadat; si duo globi plumbei, aut alicujus alius materiæ quæ minùs adhuc habeat vis ad resiliendum seu ad primam recuperandum figuram, sibi invicem occurrant, post mutuum concursum non reflectuntur, sed propemodum juxta leges modò statutas procedunt; quas eò accuratiùs observant quò minùs habent vis elasticæ. Corpora igitur reflectuntur post percussionem, quia dura sunt, hoc est, ut modò explicui, quia est quędam materia, maximè agitata quâ comprimuntur, quęque per ipsorum poros violentissimè transeundo, corpora sibi obvia repellit. Sed supponendum est, corpora impellentia non rumpere ea in quæ impingunt motû qui superet vim quam habent particulæ materiæ subtilis ad resistendum, ut fit ubi sclopetum exploditur in lignum.

Verum equidem est materiam subtilem corpora mollia comprimere, & maximâ cum agitatione ipsorum æquè ac durorum poros trajicere; quamvis tamen illa corpora mollia nequaquam resiliant. Hujusce rei ratio est, materiam quæ per corpora mollia transmeat, posse quàm facillimè vias sibi utrobique aperire, propter particularum ex quibus constant exilitatem, vel propter aliam aliquam specialem figuram ad id idoneam; quod corpora dura non sinunt fieri propter crassitudinem & dispositionem ipsorum partium huic effecto repugnantem.

Itaque ubi corpus durum aliud quod molle est pellit, in eo omnes vias, quà transit materia subtilis, immutat, quod sępè manifestum est, ut in glande plumbea, quæ, ubi percutitur, retunditur. Sed ubi corpus durum in aliud sibi simile impingit, nullæ aut paucæ in eo fiunt viæ novæ, & materia subtilis quæ est in ipsius poris cogitur redire unde venerat, vel repellere debet corpus quod ipsi porulos illos præcludit.



Sit A corpus durum, B verò corpus molle, C c via materiæ subtilis

tilis, si A impellat B in puncto e, dico viam C c claudi, & materiam subtilem sibi novas sternere vias in hoc corpore molli. Cùm itaque materia subtilis viam habeat liberam, corpus impellens non repellit, sed corporis impulsi mutatur figura, & paulò planius fit. Et supponendum est esse in minimo corpore duro innumeras vias, similes viis C c.

Si *A* & *a* sint duo corpora dura quæ occurrant, via C c coarctatur, & materia subtilis in ea inclusa pergens movêri secundùm lineam rectam, deficientibus viis novis, corpus ipsam impellens eò violentiùs repellit, quò difficiliùs viam sibi sternere potest, vel partes corporis A rumpuntur & separantur à se invicem, & in pulverem vel in fragmenta dissipantur.

Denique evidens videtur omne corpus motum, cùm perpetuò in id nitatur ut directum motum conservet, nec ab eo, nisi coactum, desistat, nunquam debere reflecti, cùm reflectendo, à linea rectâ valde dimoveatur. Oportet igitur, vel retundi, vel debilius à fortiori vinci, ut conjunctim posteà procedant. Sed quia hęc corpora vim habent elasticam & dura sunt, conjunctim procedere nequeunt, quandoquidem si A pellat *a*, *a* repellit A, itaque à se invicem recedere debent.

Si tamen duo corpora, essent in vacuo, quamvis durissima forent, conjunctim procederent, quia cùm nullo corpore circumdarentur, nunquam resilire possent, impulso impellenti nullo modo resistente; sed cùm aër, gravitas, &c. resistat ingenti motui quô impellens impulsum pellit, impulsum resistit impellenti & impedit quominùs ipsum sequatur: nam experientia docet aërem motui resistere, eò magis quò motus est violentior.

Ex suprà dictis facilè patet cur in diversorum corporum aëre & & aqua circundatorum concursû, impellens nonnunquam reflectatur, quandoque totum motum suum communicet & immotum maneat, & interdùm impulsum corpus sequatur, sed semper minori cum celeritate, nisi alterutrum sit omninò molle: quippe hæc omnia ex solâ quæ est inter magnitudinem, duritiem & gravitatem utriusque, proportione pendent, dummodò ęquali celeritate moveantur.

Si multùm habeant duritiei, impellens magis reflectitur, quia vis elastica in ipsis major est; si impellens sit oppidò parvum, impulsum verò maximum & gravissimum, impellens multùm adhuc reflectitur, propter gravitatem & ingentem aëris portionem quæ circundat impulsum quod resistit motui. Denique si vis duritiei veluti imminuatur exiguâ aëris portione quæ respondet exiguitati impulsi, vel contrà, contingere potest ut post percussionem impellens veluti immotum maneat. Durities igitur corporum quæ sese mutuò impellunt, & aër quem corpus impulsum tempore percussionis de novo

agitare debet ut moveatur, duntaxat sunt comparanda, ut possit prævideri quid ex variorum corporum percussione evenire debeat. Æqualem in impellente semper suppono celeritatem, nam aër magis resistit magno motui quàm parvo, & non minùs est motûs in corpore dimidiâ parte minori quàm in alio, ubi duplum habet celeritatis gradum. Itaque si impulsum duplò celeriùs pellatur, eodem modo potest considerari, ac si portionem aëris duplò majorem pellendam haberet ut moveretur.

Sed attendendum etiam est eò instanti quò corpus unum aliud impellit, partibus ejusdem corporis duos esse motus contrarios, nam partes anteriores eò tendunt ut reflectantur propter percussionem, dum posteriores eò tendunt ut progrediantur propter primum motum ipsis inditum; atque illo repercussû corpora mollia comprimuntur, vel, ut ita dicam, retunduntur, & quædam corpora dura franguntur. Jam autem ubi corpora sunt durissima, repercussus ille qui eorum concutit partes & in iis quandam fremitûs speciem efficit, aliquas semper communicationi motûs mutationes affert, quas ob multas causas agnoscere difficile est, & sigillatim examinare inutile.

Qui circa hæc meditari volent, poterunt, ni fallor, quibusdam difficultatibus, quæ moveri solent, facilè respondere. Verùm si existimarem ea quæ jam dicta sunt non sufficere ad ostendendum quietem non habere vim resistendi motui, & leges communicationis motuum à Cartesio traditas esse partim falsas; juxta ipsius suppositionem impossibile esse sese in aëre movere ostenderem; Et circulationem motûs in corporibus fluidis ideò esse possibilem, sine vacui suppositione, quia primum elementum nullo negotio dividitur multis modis diversis, cùm quies ipsius partium nullam habeat vim ad resistendum motui.

Concluduntur tres postremi Libri.

In quarto & quinto Libro, ni fallor, satis ostendi inclinationes naturales & passiones, seu affectus hominum eos sępè in errorem conjicere; quia illos minùs impellunt ad res accuratè examinandas quàm ad pręcipitata de iis judicia ferenda.

Quartò librò ostendi inclinationem ad bonum in genere esse causam anxietatis & inquietudinis voluntatis; voluntatis sollicitudinem mentem conjicere in perpetuam agitationem, mentem verò indesinenter agitatam ad veritates tantisper obscuras retegendas esse penitùs ineptam: amorem nostrum erga nova & extraordinaria nos sępè pręvertere, & quicquid infiniti caracterem præ se fert posse imaginationem nostram perstringere nósque decipere. Quomodò inclinatio quâ ad dignitates, elevationem & independentiam propendemus,

mus, ad falsam eruditionem, & omnium illarum scientiarum vanarum & inutilium, quæ superbiæ nostræ abblandiuntur, quia nobis hominum admirationem conciliant, studium, nos sensim ducat, explicui. Inclinationem ad voluptates mentis visum à veritatum abstractarum, quæ omnium sunt simplicissimæ & fecundissimæ, contemplatione perpetuò divertere, demonstravi, quia de rebus attentè & sine præjudicio judicare ei non permittit. Voluptates, cùm sint animæ modificationes, mentis capacitatem necessariò diversam agere & mentem ita dissipatam non posse assequi res paulò difficiles.

In quinto, dum affectuum nostrorum aliquam tradere ideam conatus sum, satis ostendi, ni fallor, illos ad id institutos fuisse, ut omnibus sensibilibus uniremur, utq; eam sortiremur dispositionem quæ necessaria est ad vitæ nostræ conservationem. Quòd quemadmodùm sensus nostri nos uniunt corpori nostro & in omnes ipsius partes animam veluti diffundunt, ita commotiones nostræ nos veluti extra nosmetipsos educunt, ut in ea omnia quæ nobis circumjacent diffundamur: Illos denique (affectus) nobis semper res repræsentare non ut in se sunt, ad formanda vera judicia, sed juxta relationem quam habent nobiscum, ad formanda judicia nostræ & eorum quibus aut naturâ, aut voluntate nostrâ unimur, conservationi utilia.

Postquam errores in causis suis retegere, & mentem à præjudiciis quibus obnoxia est liberare, conatus sum; tandem existimavi temporis rationem petere ut illam ad veritatis inquisitionem præpararem. Itaque sextô librô rationes meo judicio maximè idoneas & naturales ad augendam attentionem & capacitatem mentis explicui, ostendendo quomodò utendum sit sensibus, affectibus & imaginatione, ad communicandam menti omnem quam suscipere potest vim & penetrationem. Posteà, leges quasdam ad quamlibet detegendam veritatem necessariò observandas tradidi: illas multis exemplis ut palpari possent, illustravi, & exempla cooptavi utilissima, vel quæ veritates fecundiores & generaliores includerent, ut attentiùs legerentur, & menti familiaria fierent.

Forsan ex hoc Methodi specimine agnoscetur necessitas quæ incumbit duntaxat ratiocinandi juxta ideas claras & evidentes, quasque certò scimus ab omnibus gentibus admitti; nec unquam ad rerum complexarum examen deveniendi, quin priùs simplicissimæ à quibus pendent fuerint examinatæ.

Qui attendent Aristotelem & ipsius sectatores leges à me explicatas non observasse, ut id extra omne dubium, tum argumentis à me allatis, tum opinionum, quas acerrimi hujusce Philosophi vindices profitentur, cognitione, positum fuit, forsan ipsius doctrinam invitis impressionibus, quæ in terminorum obscurorum curiosos sectatores duntaxat agere possunt, aspernabuntur.

Sed si ad Cartesii Philosophandi rationem attendatur, de illius so-

liditate nemo dubitabit; satis enim ostendi ipsum duntaxat juxta ideas claras & evidentes ratiocinari, & incipere à rebus simplicissimis priùsquam ad maximè complexas transeat. Qui eruditi istius viri opera legent, eorum quæ de ipso hìc testor, facilè convincentur, dummodò illa cum attentione necessariâ legant: secreto afficientur gaudio quòd in eo sęculo & climate nati sint, in quo non opus sit Paganos Philosophos, regiones maximè dissitas & Barbaras adire, ut Doctorem habeamus qui nos veritatem doceat.

Nihilominùs cùm humanarum opinionum magnopere solliciti esse non debeamus. Me pigeret si existimatio quâ hìc Cartesium prosequi videor, quemquam in ipsius gratiam ita anteverteret, ut ipsius opiniones legerentur & memoriæ mandarentur propter Authoris famam duntaxat, non verò propter veritatem. Ii enim Deo anteponerent hominem, & obscuris Philosophi, qui nos illuminare nequit, acquiescerent responsis, quia nimis laboriosum existimant eum meditatione interrogare qui nobis eodem tempore respondet & illucet.

Quamlibet sectam amplecti, & ipsius Authores erroris immunes existimare iniquum est. Hanc ob causam Cartesius homines veritatis discipulos non verò pervicaces sententiarum suarum sectatores efficere cupiens, disertis verbis monet, *nihil eorum quæ scripsit credi & admitti debere, nisi quod invicta & evidens ratio persuadebit.* Quemquam in in ipsius verba jurare non postulat, ut nonnulli Philosophi; semper ipsius memoriæ obversatur se hominem esse, & cùm nonnisi reflexum lumen communicare possit, eorum, qui sicuti ipse illuminari volunt, mentes semper convertere debere versùs summam Rationem, quæ sola intelligentiæ donô ipsos perfectiores reddere potest.

Sub finem ipsius principiorum.

Pręcipua utilitas ex studiis percipienda in eo consistit, ut mentem nostram rectiorem, perspicaciorem & aptiorem ad quaslibet detegendas veritates reddamus. Qui verò legunt Philosophos duntaxat ut eorum opiniones memoriæ mandent & aliis exponant, ad illum non accedunt qui est vita & alimentum mentis. Commerciô, quô utuntur cum iis qui illas illuminare nequeunt, ipsorum mens debilitatur & occęcatur. Falsâ eruditione, cujus pondere opprimuntur & fulgore perstringuntnr, pleni sunt. Et dum se doctissimos existimant, quia ipsorum caput antiquorum Philosophorum opinionibus refertum est, non attendunt se eorum discipulos fieri de quibus Paulus dicit *ipsos factos fuisse stultos, dum se dicerent sapientes.*

Methodus quam tradidi, iis qui ratione rectè uti, aut à Deo responsiones, quas iis omnibus largitur qui ipsum ritè interrogant, accipere volunt, prodesse posse mihi videtur: Existimo enim me omnia dixisse quæ ad attentionem mentis corroborandam & regendam conferre possunt, jam autem attentio est oratio naturalis quæ ad verum omnium hominum magistrum dirigitur, ut ab eo erudiamur.

Quia

Quia verò hæc ratio naturalis quærendi veritatem est admodùm laboriosa, & ut plurimùm duntaxat utilis est ad solvendas quęstiones quorum usus rarus est, & quarum cognitio superbiam magis palpat, quàm mentem perficit. Hîc coronidis loco dicere teneor, brevissimam & tutissimam viam quâ veritatem invenire, & Deo, modô purissimo & perfectissimo, possimus uniri, rationem in eo consistere, ut vitam verè Christianam degamus, ut præcepta Veritatis Æternæ, quæ se nobis eo fine duntaxat univit, ut Deo nos reconciliaret, sequamur. Ut fidem nostram potiùs quàm rationem exaudiamus, & ad Deum tendamus, non tam viribus naturalibus, quæ à peccato labefactatæ sunt, quàm auxilio fidei, quâ solâ Deus vult nos deduci ad immensum veritatis lumen; quod omnes nostras discutiet tenebras: Etenim cum probis aliquot annos in quarumdam rerum ignorantiâ versari & uno temporis momento lumen in æternum duraturum consequi, quàm naturalibus mediis ingenti cum applicatione & labore scientiam imperfectam, quæque nos in æternis relinquat tenebris, adipisci, longè satius est.





ILLUSTRATIONES
SEU
EXPLICATIONES
AD LIBROS PRÆCEDENTES.

PRÆFATIO.

In quâ quid de variis judiciis quæ circa libros qui præjudicia impugnant ferri solent, sentiendum sit ostenditur.

QUUM liber quipiam in lucem prodit, quis circa ipsius fatum consuli debeat ignoratur. Astra enim ipsius nativitati non præsunt, ipsorum influxûs nullâ in illum pollent vi, & audaciores etiam Astrologi quicquam de varia illius fortuna futura prædicere non audent. Cùm veritas non sit hujusce mundi, corpora cœlestia nihil in ipsam valent, cumque naturâ suâ sit omnino spiritualis, diversæ materiæ configurationes & combinationes, ad ipsam vel stabiliendam, vel destruendam nihil conferre possunt. Præthereà hominum judicia circa res easdem ita diversa sunt, ut qui felicem aut infelicem alicujus libri sortem ominari satageret, temeritatem & imprudentiam in præsagiendo ulteriùs vix posset ferre. Ita ut qui in authorum albo accenseri vult, variis etiam cæterorum hominum judiciis & arbitriis sese permittere videatur. At verò inter authores, ij præsertim qui ad profliganda præjudicia sese comparant, condemnationem suam in dubium revocare non debent; ipsorum lucubrationes plerisque hominibus nimis adversantur, unde fit ut si inimicorum suorum affectibus sese surripiant, incolumitatem suam victrici veritatis vi quâ tegebantur acceptam referre debeant.

Id vitium omnibus hominibus commune est, quòd nempe ad judicia ferenda sint nimis præcipites. Omnes enim errori sunt obnoxij, jam autem errores eorum non aliunde manant quàm ex hoc ipso vitio. Porrò omnia judicia pręcipitata præjudiciis sunt cõformia: Authores itaq; qui impugnandis præconceptis opinionibus occupantur non possunt quin damnentur ab iis omnibus, qui solas veteres opiniones consulunt,

tanquam leges ex quibus de cunctis judicium ferre semper debent. Pleriqueenim Lectores & judicum & partium adversarum personam respectu illorum Authorum eodem tempore ferunt. Illorum sunt judices, nemo est qui possit ire inficias; sunt etiam illorum partes adversæ; quia Authores isti ipsos in præjudiciorum suorum in quæ jus præscriptionis sibi vindicaverunt, & quibus à multis annis per quam familiariter usi sunt, possessione lacessunt.

Fateor equidem plurimùm æquitatis, sinceritatis, & judicii in nonnullis Lectoribus reperiri, & nonnunquam extare judices æqui satis amantes, ut Opiniones vulgi tanquam regulas Veritatis infallibiles non habeant. Multi sunt qui apud se ipsos descendentes veritatem internam, ad cujus amussim cuncta sunt exigenda consulant. Sed pauci sunt qui illam ubique consulant. Nulli verò illam veritatem internam eâ consulunt attentione & fidelitate, quæ ad vera de cunctis & semper ferenda judicia requiruntur. Licèt igitur quis supponeret opus aliquod esse omnis erroris aut defectûs immune, quod sine vanitate nemo de se sperare potest, haud credam tamen quemquam reperiri posse qui in illo opere omnia approbaret; præcipuè si istud opus ipsius præjudiciis adversaretur. Quî enim fieri potest ut judex perpetuis injuriis irritatus & lacessitus, reo à æquum de ipso in omnibus possit ferre judicium? aut qui fieri potest ut in rationes quæ paradoxa inepta aut paralogismi ridiculi ipsi videntur examinandas totis incumbat viribus?

Sed quamvis in aliquo Libro multa reperiantur quæ arrident, si forte quædam etiam ingrata occurrant, tum Lector eorum quæ primò allubuerunt immemor ad ea duntaxat quæ displicuerunt animum advertere solet. Innumeræ sunt causæ quibus ad ea quæ minùs placent damnanda à φιλαυτία impellimur; ac ratio hisce causis tum planè assentitur; errorem enim impugnare & veritati patrocinari arbitrantur qui sua defendunt præjudicia, eosque damnant qui istis præjudiciis adversantur. Æquiores itaque judices librorum qui præjudicia impugnant, de illis (libris) ut plurimùm quædam ferunt judicia generalia ipsis non valdè faventia. Forsan dicent aliquid boni esse in ejusmodi opere, Authoremque in illo in quasdam præjudicatas opiniones meritò invehi; At illum damnare, temeritatisque in quibusdam insimulare non dubitabunt, ipsum in his aut illis locis res æquo strictiùs urgere judicum instar graviter & imperiosè pronuntiantes. Quandiù enim Author in eas insurgit opiniones quibus lector non est præoccupatus, quicquid dicit author ille ad rationis normam satis equidem eatenùs exactum videtur. Sed idem res ultra modum ferre semper videbitur, cum præjudicia quibus lector mordicùs adhærescit aggreditur.

Cùm autem præjudicia diversorum hominum eadem semper non sint, si varia judicia quæ de rebus iisdem feruntur quis accuratè colligeret, is juxta varia istæc judicia, nihil boni & simul nihil mali esse in ejusmodi libris sæpissimè deprehenderet. Nihil esset boni quia nullum est præjudicium quod quis non probet: Nihil etiam esset mali, nullum enim quoque est præjudicium quod quis non respuat. Judicia igitur illa quæ de his libris formari solent ad æquitatem ita, si Deo placet, accedunt ut si quis iis ad opus emendandum uti vellet, omnia necessariò delere deberet,ne quid damnatum in eo superesset, aut omnia illibata relinquere ne quid ab eo detraheret, quod probaretur. Adeò ut miseri Authoris sors deflenda videatur, qui dum neminem offendit, tot variis adversus se & pro se formatis implicatur judiciis. Ac nisi apud se firmum ac tenacem propositi manere, immo pervicacem haberi decernat; in perpetuas involuet se contradictiones, totque diversas suscipiet formas quot in toto populo diversa sunt capita. *Tot capita, tot sensus.*

Intereà tamen tempore cuncta in lucem edente, unusquisque pro meritis habetur, & veritas quæ primâ fronte spectrum quoddam ridiculum videtur, sese paulatim sentiendam præbet. Homines, oculis semel apertis, ipsam attentè considerant, ipsiusque pulchritudinis agnitæ desiderio tenentur. Ac fieri potest, ut qui Authorem damnat circa opinionem quandam quam ipse non probat, incidat casu fortuito in hominem qui eandem illam opinionem cui adversatur, probet, quíq;vice versâ damnet alias opiniones quas ille ut indubitatas tenet.Uterque secundùm mentem suam loquitur,ac uterq;sibi invicem cõtradicit.Proprias tum rationes cum rationibus ab altero allatis confert, & expendit. Deinde lites moventur, mens attentiùs applicatur, hæret ambigua, nec tam præceps est ad judicandum de iis quæ non fuerunt examinata; quod si quis à sententia desistat, & agnoscat Authoris sententiam fuisse opinione rectiorem, tum in pectore excitatur secreta quædam propensio, quâ quæ de illo prius malè fuerunt cogitata, & pronunciata in laudes sæpe convertuntur. Non est itaque quòd qui se veritatis vindicem strenuum gerit, licet plerosque offendat, aut iis saltem risum moveat, desperet fore ut veritas quam defendit de hominum præoccupatione victoriam aliquando reportatura sit. Istud enim intercedit discriminis inter bonos & malos Libros, inter eos qui mentem illuminant & eos qui sensibus & imaginationi arridẽt,quòd hi primâ fronte videantur lepidi &jucũdissimi quidem,sed tempore veluti flaccescant;illi nescio quid duri&asperi præ se ferant,quod primò mentem terret, eíque negotium facessit. Sed mens iis, tempore, degustatis.

attentè perlectis & præponderatis assuefiat; tempus enim ut plurimùm de rerum pretio judicat.

Libris equidem ad evertenda præjudicia scriptis plus opus est temporis ad eum quem sperant Authores ferendum fructum, quàm aliis libris, quippe qui per vias nondum tritas ducant. Cùm enim spes & opinio quas de authoribus istorum librorum concipiunt nonnulli, eos ut plurimum fallat, pauci sunt qui illos legant, pauciores adhuc qui illos probent; omnes penè ipsos damnant, legerint necne. Et quamvis exploratum habeatur vias maximè tritas eò non ducere quò tendere propositum est, attamen terror quem itinera nullis vestigiis trita incutiunt efficit ut plerique illam non audeant insistere viam. Oculos non dignantur sursùm ut rectâ incedant attollere; Præeuntes cæco impetu sequuntur; societas recreationi & solatio est; ac dum ita aliorum vestigia premunt ad id quod agunt non satis attendunt; quo tendant nesciunt, ac sæpe itineris sibi propositi obliviscuntur.

Homines ad id sunt constituti, ut societatem inter se ineant: sed ut illa foveatur societas non sufficit ipsos eodem uti idiomate, ipsos præter ea eadem loqui, & eadem sentire necesse est. Vitam juxtà opinionem instituant oportet, quemadmodum actiones ex alieno dirigunt exemplo. Omnia commodè, jucundè & tutò ad corporis nostri bonum Fortunæque stabilimentum cogitamus, dum in aliorum sententias descendimus, ac nos per habitum externum impressionemque sensibilem imaginationis eorum qui loquuntur persuaderi si nimus. Sed ingens labor est exantlandus, fortunáque in certum adducitur discrimen, dum quis internæ veritati duntaxat auscultare, omniaque sensuum præjudicia, omnésque opiniones, sine examine præconceptas, cane pejus & angue fugere decernit.

Omnes itaque Authores librorum qui præjudiciis bellum denunciant toto errant cælo si hoc consilio sese commendare pertendunt. Si ipsorum lucubrationes scopum attigerint, pauci equidem inter Doctos ipsorum operibus luculenta perhibebunt testimonia post obitum, sed per vitæ curriculum certè nihil aliud sperare debent, præter contemptum plerorumque; immò ab iis etiam qui sapientissimi & moderatissimi audiunt calumniis & maledicentiis proscindentur.

Ac reverâ tot tamque validissimis pellimur rationibus ad agendum ut ii quibuscum degimus agere solent, ut sæpè non injuriâ ii habeantur morosi & αὐθάδεις qui aliorum exemplo sese conformare recusant, & quia vulgus non satis distinguit inter agere, & cogitare, hinc fit ut iniquo ferat animo, quosdam qui esse in præjudicia insurgant. Nempe autumant plerique, ut observentur

ſocietatis civilis leges, non ſufficere ſi quis ſeſe externè opinioni & ritibus receptis conformet; Aſſerunt præterea illum eſſe temerarium qui ad trutinam expendit opiniones vulgares, illum charitatis vinculum rumpere qui veritatem conſulit: quia ſocietates civiles non tam veritate quàm opinione & conſuetudine connectuntur.

Ariſtoteles in Academiis ſeu Univerſitatibus viget, ibíque normæ veritatis adinſtar habetur; tanquam ἀναμάρτητος laudatur, ipſius effata negare hæreſis eſt Philoſophica; uno verbo ſub Genij naturæ titulo colitur: dum tamen ipſius Phyſicæ peritiſſimi nullius rei rationem reddere poſſunt, immò fortè nil quicquam certi tenent. Et plerique ſtudioſi poſtquam Philoſophiæ curſu memenſi ſunt quid à ſuis Magiſtris didicerint coram viris cordatis non audent proferre. Id ni fallor, quid de ejuſmodi ſtudiis cenſendum, attento cuilibet clarum ſatis dabit; Nam certè doctrina illa, quam qui rationis partes amplecti vult abdicare debet, non videtur doctrina admodùm ſolida: Attamen qui id in ſe ſuſciperet negotii ut oſtenderet falſitatem rationum quibus agendi ratio adeo inſolens freta ſit, temeritatis haud dubiò inſimularetur. Ac is certè de iis malè mereretur quibus ejuſmodi agendi ratio emolumento eſt, quia vulgus ab illo errore vindicaret.

Nonne manifeſtum eſt procedendum eſſe à rebus notis ad eas addiſcendas quæ nobis ignotæ ſunt. Certè is Gallum irrideret qui ipſi traderet Grammaticam verſibus Germanicis conſcriptam ut Germanicam linguam diſceret. Verſus tamen Latini Deſpauterii pueris traduntur ut linguam Latinam edoceantur. Verſus omnimodè obſcuri traduntur pueris qui res omnium facillimas vix poſſunt capere. Ratio & experientia adverſus hunc morem manifeſtò pugnant, pueri multùm conſumunt temporis ad linguam Latinam perperàm ſatis diſcendam. Qui tamen hunc morem audet culpare temerarius audit Sinenſis ſi noſtrum hunc morem fando acciperet riſum certè tenere non poſſet, dum tamen in illo terræ loco quem incolimus ſapientiſſimi & doctiſſimi vix poſſunt quin illum probent.

Si opiniones adeò falſæ & craſſæ, ritûſque tam abſurdi, quorum tamen tantum eſt momentum, innumeros nanciſcantur propugnatores, quî fieri poſſet ut aſſenſus daretur rationibus quæ impugnant præjudicia meræ ſpeculationis? Attentio leviſſima ſufficit ut percipiamus, inſtitutionem qua pueri ſolent informari, multis laborare vitiis, id tamen quantumvis clarum à multis non agnoſ-

citur. Opinio & consuetudo rationem & experientiam vincunt. Quis igitur posset sibi persuadere Libros in quibus multa profligantur præjudicia non damnandos esse in multis, ab iis etiam qui habentur eruditissimi & sapientissimi?

Animadvertendum est eos apud homines haberi peritissimos & eruditissimos qui plures legerunt libros tum bonos, tum malos, qui memoriâ felici, imaginatione vivâ & vastâ præ cæteris præditi sunt. Illi autem homines de rebus ut plurimùm præcipites judicant nullo admisso examine. Memoriam consulunt, ac in ea protinus legem aut præjudicium reperiunt ex quo deinde raptim decidunt. Cùm cæteris se anteponant ad ea quæ legunt parum attendunt. Unde fit ut non raró contingat fœminas, & pueros falsitatem quorundam præjudiciorum confutatorum agnoscant, quia non audent judicare nisi rem priùs expenderint, & quantam possunt attentionem præbent iis quæ legunt: Docti verò contrà opinionibus suis mordicus adhærescunt, quia opiniones aliorum examinare non dignantur, si iis quæ priùs cogitaverunt adversentur.

Qui verò pompam mundanam sectantur ac apud Magnates vivunt, à tot rebus dependent ut sese colligere, eamque præbere attentionem quæ necessaria est ad discernendum verum à verisimili vix possint. Sunt tamen quædam præjudicia quibus non valdè adhærent; Qui enim mundo omnino addictus est, nec vero nec verisimili adhærescit. Cùm humilitas, ut & honestas & modestia, saltem specie tenus, sint virtutes omnibus spectatissimæ, & omninò necessariæ ad fovendam inter homines ingenti supercilio & ambitione tumentes societatem, hinc fit ut homines mundani pro virtute, & laude habeant, nihil asseverare nihilque indubitatum credere. Hic mos apud homines hujus sæculi semper invaluit ac in posterum invalescet, quo omnia habent problematica ac de veritatibus etiam Sanctissimis liberè & audacter loquuntur, ne præjudiciis occæcati videantur. Cùm enim isti homines de quibus sermo est de fortunâ suâ duntaxat sint solliciti, nullus affectus commodior rationíque concinnior ipsis videtur quàm qui more apud optimates recepto nititur. Cùm itaque Authores qui adversus præjudicia pugnant, mundanorum superbiæ & segnitiæ aliquatenùs palpum faciant, ab iis æquo excipiuntur animo: At verò si quid satagant asseverare ut certum, veritatemque Religionis & Ethicæ Christianæ adversus Antago-

nistas asserere, tum illos habent ut homines opinionibus suis præpeditos, ac veluti è Scyllâ in Carybdin incidentes.

Quæ jam à me dicta sunt possunt, ni fallor, unicuique patefacere quid mihi respondendum esset variis judiciis variorum hominum adversus Librum DE INQUIRENDA VERITATE: ab applicatione itaque quam unusquisque potest nullo negotio, nec sine utilitate facere, supersedeo. Non me equidem latet omnes hanc applicationem non esse facturos; Verum judex in mea causa viderer, sis me totis viribus defenderem. Jus igitur meum Lectoribus attentis qui genuini sunt librorum judices transmitto; & eos obtestor ut recordentur postulati à me facti in Præfatione istius libri & alibi, *Ne*, scilicet, *de opinionibus meis judicent nisi ex responsis claris & distinctis quæ ab unico hominum Magistro attentione seriâ interrogato accipient.* Si enim consulant præjudicia ut leges decisivas circa Librum *De Inquirendâ Veritate*, fateor istum Librum esse pessimum, quippe qui ad id de industriâ compositus sit ut legum istarum falsitatem & injustitiam demonstret.





AD LECTOREM ADMONITIO.

CVm explicationes hîc subjectæ eo consilio factæ fuerint ut quorundam qui à me optarunt specialiorem expositionem veritatum quarundam ingentis momenti desiderio satisfieret: monitos velim Lectores, infrà dicenda clarè intelligi non posse, nisi priùs principia in Libro De Inquirenda Veritate exposita intelligantur. Frustrà itaque quis ad eas animadversiones legendas sese accingeret, nisi priùs totum opus cui elucidando destinatæ sunt aliquâ cum attentione legerit. Secunda tantùm lectione examinandæ erunt, ut margo eas consulendas indicabit. Hæc tamen admonitio non omninò necessaria est Viris ingenio perspicaci præditis, eo enim modo scribere conatus sum, ut istæ Illustrationes legi possent nulla relatione facta ad Opus propter quod compositæ fuerunt. Scio equidem nihil esse cui homines minùs conferant operæ quàm veritati. Vix à se possunt obtinere ut locos alicujus libri inter se connexos mutuâ collatione perlustrent. Libros plerumq; continuata serie perlegunt, ac ea tantùm retinent quæ negligenter legendo possunt retineri. Vt itaque huic ingenij dispositioni memet adtemperarem in id præsertím studui ut hasce observationes intelligendas præstarem iis etiam quibus loci qui in Libro de Inquirenda Veritate, ad eas observationes referuntur memoriâ excidissent. Eos tamen quibus istarum explicationum accuratum examen arduum nimis videbitur precor, ne eas damnent propter consequentias falsas & absurdas, quæ ab iis non benè intellectis, possent deduci. Id sanè non sine causa precor, præter quàm quòd enim à Lectoribus qui judices mei sunt jure possum exigere ne me inauditum damnent, suppetunt mihi aliæ causæ quas hîc afferre non est necessarium.

I L-

ILLUSTRATIONES
SEU
EXPLICATIONES
AD LIBRUM
De
INQUIRENDA VERITATE

PRIMA EXPLICATIO
ad Caput primum primi Libri.

Deus efficit quicquid realis est in motibus mentis, & in determinationibus horumce motuum, nec tamen est Author peccati.

Efficit quicquid realis est in motibus concupiscentiæ, nec tamen est Author concupiscentiæ nostræ.



NONNULLI sunt qui existiment comparationem inter spiritum & materiam in superioribus institutam à me non satis urgeri & citiùs æquo relinqui, quippe qui arbitrentur spiritum non majori vi pollere ad determinandum impressionem sibi à Deo datam, quàm materia. Optant igitur, ut explicem, si potis sum, quid Deus agat in nobis, quid item nosmet ipsi agamus dum peccamus. Ex eorum enim judicio, ad alterutrum horum confitendum

meâ explicatione adigar, scilicet, aut hominem posse sibi novam aliquam dare modificationem, aut Deum esse reverâ Authorem peccati.

Illis verò respondeo Fidem, rationem ac sensum internum quem de memetipso habeo me ad id adigere ut à comparatione meâ eo loco desistam, quo ab ea destiti; omnigenis enim argumentis exploratum habeo me habere in meipso principium quoddam determinationum mearum: nec infirmioribus fretus argumentis existimo materiam ejusmodi principio carere. Id infra probabitur. Sed ecce jam id quod Deus efficit in nobis, quodque nosmetipsi facimus, dum peccamus.

Primò Deus perpetuò nos impellit, idque impressione invictâ versùs bonum in genere. Secundò, nobis repræsentat ideam boni alicujus specialis, aut ipsius sensum in nobis excitat. Denique nos fert ad id bonum speciale.

Deus, inquam, nos indesinenter impellit versùs bonum in genere. Deus enim nos fecit & nos conservat propter se ipsum; omnia quæ bona sunt vult à nobis amari; Primus aut potiùs unicus est motor. Quid moror? Id ex numeris à me anteà prædictis patet; idque apud eos quibuscum res mihi nunc est, in confesso est.

Præterea; Deus nobis repræsentat ideam boni alicujus specialis, aut ipsius sensum in nobis excitat. Ipse enim solus nos illuminat; et corpora quæ nos ambiunt non possunt agere in mentem nostram. Uno verbo, nobismetipsis nostrum non sumus lumen, nostraque felicitas. Id tertio libro et alibi fusé à me probatum fuit.

Denique; Deus nos fert versùs bonum illud speciale; Cùm enim Deus nos ferat versùs omnia bona, hinc, necessariò sequitur ipsum nos ferre versùs bona specialia, cùm illorum ideam aut sensum menti nostræ imprimit. Illud omne est quod Deus efficit in nobis dum peccamus.

Sed cùm bonum speciale in se includat omnia bona, mensque dum illud bonum speciale visu claro & distincto contuetur non possit imaginari omnia bona in illo includi; Deus nos necessariò & invictè non fert ad amorem istius boni. Sentimus in nobis libertatem ibi subsistendi aut ulteriùs progrediendi, immò sentimus adhuc nos habere motum quo ulteriùs progredi possimus: uno verbo, impressionem quam habemus versùs bonum universale, vel ut cum vulgo loquar, voluntatem nostram nulla vi ad id cogi ut huic speciali bono insistat.

Videamus igitur quid faciat peccator, subsistit; conquiescit; Deum non sequitur, nil agit, peccatum enim nihil est. Pro comperto habet præcipuam legem quam observare tenetur, in eo consistere, ut libertate sua utatur, quantum quidem potest, nec cuiquam bono adhæreat nisi intùs apud se convincatur se adversùs ordinem in rerum naturâ institutum peccaturum si illi bono adherere recusaret. Si hanc legem per lumen rationis non percipiat, illam saltem ex secretis conscientiæ exprobationibus ediscit. Impressionem igitur quam versùs bonum universale accipit sequi & ad alia bona ab eo quo potitur, & quo ipsum dun-

taxat uti oporteret, cogitationes suas ferre deberet. Quippe dum de aliis bonis ab eo quo potitur diversis cogitabit, tum poterit producere in se novas determinationes amoris sui & usum libertatis admittere. Jam autem probo ipsum impressione sibi à Deo datâ versùs bonum in genere, posse cogitare de aliis bonis ab eo quo potitur differentibus. In eo enim præcipuè consistit difficultatis nodus.

Hæc est lex naturæ, nempè, ideas objectorum offerri menti nostræ quotiescunque de ijs volumus cogitare, dummodò capacitas quam habemus cogitandi, non occupetur sensationibus vividis & confusis, eorum occasione quæ in corpore nostro aguntur natis. Jam verò possumus *velle* cogitare de omnibus; quia impressio naturalis quæ nos fert versùs bonum extenditur ad ea omnia de quibus cogitare possumus; atqui possumus omni tempore *cogitare* de omnibus, quia illi unimur qui in se includit ideas rerum omnium ut supra probavi. Vide supra c. 6. part. 2. l. 3. & ejus explicationem in sequentibus.

Si igitur constet nos posse *velle* cominùs contemplari ea quæ jam videmus veluti eminùs, quoniam Enti universali unimur: ac si constet juxta leges naturæ, ideas rerum ad nos accedere seu nobis obversari statim atque id volumus. Hinc colligere est;

Primò, *Nos habere principium determinationum nostrarum.* Namque præsentia actualis idearum specialium ea est quæ determinat præcisè versùs bonum in genere, quæque hoc pacto amorem nostrum naturalem in amores liberos convertit. Assensus noster seu conquiescentia, ut ita dicam, in contemplatione boni alicujus specialis, nihil est realis aut positivi respectu nostri, ut infrà sum explicaturus.

Secundò, *Illud principium determinationum nostrarum semper esse liberum respectu bonorum specialium.* Ad ea enim amanda modo insuperabili non ferimur; cùm ea in se ipsis examinare, ac cum idea quam de summo bono habemus, aut cum alijs bonis specialibus conferre possimus. Itaque principium libertatis nostræ in eo consistit, quòd cum facti simus propter Deum & cum ipso uniamur, ad verum bonum aut ad alia bona ab ijs de quibus actu cogitamus diversa, cogitationes nostras ferre semper possimus.

Suppono tamen nostras sensationes non occupare capacitatem mentis nostræ. Ut enim liberi simus libertate de qua sermo est, necesse est non modò ut Deus nos non impellat motu insuperabili versùs bona specialia, sed prætereà ut possimus uti impressione quam habemus versùs bonum in genere, ad aliud amandum quàm quod actu amamus. Jam autem cùm nulla possimus amare objecta præter ea de quibus possumus cogitare, nec queamus actu cogitare de alijs quàm de ijs quæ in nobis excitant sensationes vividiores; hinc manifestò patet unionem nostram cum corpore & ipsius imperium in nos libertatem nostram minuere, ac non rarò omnino impedire quominus illâ uti queamus. Cùm itaque sensationes nostræ ideas nostras deleant, & unio quæ nobis est cum corpore, quæ facit ut nihil videamus præter nos ipsos, extenuet unionem quam cum Deo habemus,

quæ facit ut omnia nobis ſint præſentia, Cùm, inquam, hæc ita ſint, mens non debet ſinere, ſe diſtringi ſenſationibus confuſis, ſi principium determinationum ſuarum perfectè liberum conſervare velit.

Ex his omnibus evidenter liquet, Deum non eſſe Authorem peccati, hominemque novas non ſibi dare modificationes, Deus non eſt author peccati, cùm peccanti, ſive illi qui in bono aliquo ſpeciali ſubſiſtit, imprimat perpetuò motum quo poſſit ulteriùs progredi, det ipſi facultatem cogitandi de alijs rebus, & ſeſe ferendi versùs alia bona quam versùs bonum quod actu ipſius cogitationi obverſatur, quodque amore complectitur; ipſi præſcribat ne illud amet à cujus amore poteſt abſtinere ſine ullis conſcientiæ morſibus; ac ipſum ſecretis propriæ rationis objurgationibus ad ſe indeſinenter revocet.

Verum equidem eſt aliquo ſenſu Deum ferre peccatorem ad amandum objectum peccati ſui, ſi objectum illud boni ſpecie appareat peccatori: Nam ut ajunt plerique Theologi, quicquid poſitivi, actualis, ac motûs eſt in peccato, à Deo eſt. At verò peccatum hominis cujuspiam in eo non conſiſtit, quòd amet bonum aliquod ſpeciale, nam omne bonum eſt amore dignum: ſed in eo quòd illud bonum amet unicè; ſive in eo quòd illud æquali aut fortè majori proſequatur amore quàm bonum aliud præſtantius: aut in eo quod amet bonum quo Deus ipſum potiri vetat, quia cùm mens ex quo peccatum irrepſit ſubmittatur corpori, amor ſeu potiùs fruitio, ut ita loquar, iſtius boni augeret concupiſcentiam, ipſumque à ſummi boni amore arceret. Uno verbo peccatum hominis cujuſpiam in eo conſiſtit quòd non referat omnia bona ſpecialia ad ſummum, aut potiùs in eo quod non conſideret ſeu non amet ſummum bonum in ſpecialibus, atque ſic non dirigat amorem ſuum juxta voluntatem Dei aut ſecundùm ordinem eſſentialem & neceſſarium, cujus homines cognitionem habent eò perfectiorem, quò arctiùs cum Deo uniuntur, & quò impreſſiones ſenſuum & affectuum vividas minùs ſentiunt. Namque ſenſus noſtri mentem per corpus diſſipant ac veluti diffundunt, ac affectûs eam quaſi transferentes in corpora circumjacentia nos removent à lumine Dei quod nobis affulget & affunditur.

Homo quoque novas non ſibi dat modificationes. Motus enim amoris quem Deus indeſinenter in nobis imprimit, nec augetur, nec minuitur, quamvis actu amemus aut non amemus; Hoc eſt, quamvis naturalis ille motus amoris ſit determinatus aut non determinatus, per aliquam ideam mentis noſtræ. Ne motus ille quidem ceſſat per acquieſcentiam, (ſit verbo venia) in poſſeſſione boni, ut motus corporum ceſſat per quietem. Veriſimile eſt Deum nos ſemper ad ſe æquâ vi impellere, nos enim impellit versùs bonum in genere, quantùm quidem ad eum motum ſumus idonei, jam ad illum ſemper ſumus æquè idonei omni tempore, quia voluntas noſtra aut capacitas naturalis volendi ſemper æqualis eſt ſibi ipſi. Itaque impreſſio aut

motus naturalis quo versùs bonum ferimur, nunquam augetur nec minuitur.

Fateor equidem nos non habere ideam claram aut sensum internum istius æqualitatis impressionis aut motus naturalis versùs bonum. Sed id ex eo est quod nos ipsos non cognoscamus per ideam, ut * alibi probatum est, quodque non sentiamus facultates nostras, quum non agunt actu. Non sentimus in nobis quod naturale, ordinarium, & semper idem est, quemadmodum non sentimus calorem & pulsationem cordis nostri. Nostros ne quidem sentimus habitûs, nec an digni simus amore aut irâ Dei. In nobis fortè sunt innumeræ facultates nobis penitùs ignotæ.

* Vide cap. 7. partis 2. lib. 3. & ejus explicationem in seq.

Nemo scit utrùm amore vel odio dignus sit. Eccl. 4. 1.

Quicquid enim sumus nos, id sensu interno non percipimus, sed id tantùm quod sentimus actû. Si nullum unquam dolorem sensissemus nullaque bona specialia appetivissemus, non possemus sensû interno quem de nobis-met ipsis habemus comperire an apti essemus ad sentiendum dolorem aut ad volenda talia bona, nec ne. Memoria nostra non verò sensus internus nos docet nos esse capaces sentiendi id quod non ampliùs sentimus, nosque posse agitari affectibus quorum nullus ampliùs in nobis superest motus. Nihil itaque est quod impediat quominus credamus Deum nos semper impellere versùs se vi æquali, quamvis modo valde differenti; ipsumque semper conservare in mente nostrâ æqualem aptitudinem ad volendum, aut eandem voluntatem, sicut in materia æqualem motûs quantitatem semper conservat. Sed dato non concesso rem non sic se habere, haud putem quemquam dicere posse amissionem aut diminutionem motûs naturalis mentis nostræ pendere à nobis, cùm non possimus esse causa extensionis voluntatis nostræ.

Ex supradictis insuper constat Deum etiam conservare in nobis quidquid est realis & positivi in determinationibus specialibus motûs mentis nostræ, nempe ideas & sensationes nostras. Illud enim est quod determinat versùs bona specialia motum nostrum ad bonum in genere; sed modo non insuperabili, cùm nobis sit motus quo possimus ulteriùs progredi. Illud igitur est quod facimus dum peccamus; nempe; id omne non facimus quod possumus facere propter impressionem quam habemus versùs illum qui omnia includit bona: Nihil enim nisi mediante potentiâ quam accipimus ex unione nostrâ cum illo qui omnia facit in omnibus, possumus. Causa autem præcipua cur peccemus in eo versatur, quod cùm malimus potiri rebus quàm eas examinare, quia magnam in potiundo voluptatem, ingentem verò in examinando experimur laborem; desinimus uti motu nobis dato ad quærendum, bonum, illudque examinaudum, & in fruitione rerum quibus uti duntaxat deberemus, subsistimus. Sed qui ad rem animum seriò advertent facili negotio agnoscent in eo nihil esse realis à parte nostri nisi quòd ab inquirendo desistimus, quæ cessatio inquisitionis corrumpit, ut ita dicam, actionem Dei in nobis, sed quæ tamen illam non potest destruere. Quid

igitur agimus, quum non peccemus? Jam illud ōmne agimus quod Deus efficit in nobis; dum verò peccamus quid agimus? Nihil prorsùs. Amamus equidem bonum aliquod ſpeciale; ſed peccatum in eo præcisè non conſiſtit; nam bonum eſt amabile & debet amari. Amor noſter in ſe bonus eſt;& in eo ipſo quod illud bonum ſpeciale amamus impreſſionem ſequimur quam nobis dat Deus. Peccatum noſtrum in eo præcisè conſiſtit quòd in hoc bono ſpeciali ſiſtamus impreſſionem quam Deus dat nobis ad id omne amandum quod bonum eſt, aut bonum univerſale, tempore quo illud amare debemus & poſſumus. Ergò peccatum nihil eſt, & quamvis Deus omnia in nobis faciat, peccatum tamen non facit. Jam autem quum bonum aliquod particulare unicè aut contrà ordinem amamus, à Deo æqualem accipimus impreſſionem amoris ac ſi in hoc bono non ſubſiſteremus. Præterea determinatio illa quæ nec eſt neceſſaria nec inſuperabilis, à Deo etiam nobis data eſt. Ergò quum peccamus, novam in nobis non producimus modificationem.

Fateor tamen nos, dum non peccamus, & dum reſiſtimus tentationi, dici poſſe, aliquo ſenſu, nobis dare novam modificationem, quia volumus cogitare de alijs bonis quàm de falſis illis bonis quæ nos tentant. Verùm quod tum facimus producitur per actionem quam Deus nobis indit, hoc eſt, per motum versùs bonum in genere, aut per voluntatem noſtram auxilio gratiæ adjutam, hoc eſt lumine illuminatam, & delectatione præveniente impulſam. Etenim, ſi autumet quis diverſas res velle, idem eſſe ac ſibi dare varias modificationes, equidem fateor hoc ſenſu mentem poſſe ſeſe variè modificare per actionem ſibi à Deo impreſſam.

Verùm ſemper attendendum eſt actionem illam quam Deus nobis indit pendere à nobis, nec eſſe inſuperabilem reſpectu bonorum ſpecialium. Namque, cùm bonum aliquod ſpeciale nobis offertur, ſenſum habemus internum, ſeu conſcij ſumus noſtræ libertatis ipſius reſpectu, ut conſcij ſumus voluptatis noſtræ, & doloris noſtri, cùm alterutro afficimur. Eadem ratione noſtræ convincimur libertatis, qua convincimur exiſtentiæ noſtræ, ſenſu enim interno ſive cogitationum noſtrarum conſcientiâ quæ in nobis eſt, nos exiſtere docemur. Ac ſi eo tempore quo libertatem noſtram ſentimus reſpectu boni alicujus ſpecialis, dubitare debemus nos eſſe liberos, quia libertatis noſtræ ideam non habemus claram; certè etiam pari ratione nos dubitare oportebit de dolore noſtro, ac de exiſtentiâ noſtrâ eo ipſo tempore quo infelices ſumus, cùm nec mentis noſtræ, nec doloris ideam habeamus claram.

De ſenſu interno res ſecus ſe habet ac de ſenſibus noſtris externis. Hi ſemper in aliqua re nos decipiunt, illi vero nunquam. Per meos ſenſus externos video colores in ſuperficie corporum, ſonum audio in aëre, dolorem ſentio in manu mea; & in errorem incido, ſi de his rebus ex ſenſuum teſtimonio judicem. Sed per ſenſum internum

video colorem, audio sonum, patior dolorem; nec fallor credendo me videre dum video, me audire dum audio, ac pati dum patior; dummodo ibi subsistam. Hæc fusiùs non explico, quippe quæ per se clara sint. Cùm igitur sensum habeamus internum libertatis nostræ eo tempore quo bonum aliquod speciale sese menti nostræ objicit; nullo modo dubitare debemus quin liberi simus respectu illius boni. Quia tamen illum sensum internum sive conscientiam semper non habemus, & quia quandoque id duntaxat consulimus quod de illo nobis superest in memoriâ modo per quàm confuso, possumus, inter cogitandum de rationibus abstractis, quæ nos à sensu nostri arcent, nobis persuadere fieri non posse ut homo sit liber. Quemadmodùm Stoïcus cui nihil deest ad vitam commodè vivendam, quique tranquillè Philosophatur, potest imaginari dolorem non esse malum, quia sensus internus quem habet de se ipso, nullo actuali experimento ipsum contrariæ convincit sententiæ. Potest probare post Senecam, rationibus quæ aliquo sensu sunt verissimæ, contradictorium esse sapientem posse esse infelicem.

Nihilominùs tametsi sensus internus quem de nobismetipsis habemus non sufficeret ad evincendum nos esse liberos; id ipsa ratio nos posset edocere. Quippe cùm convincamur lumine rationis Deum non agere nisi propter se, nec nobis posse ullum impertiri motum qui versùs illum non tendat, impressio equidem versùs bonum in genere potest esse invicta; Sed manifestum est impressionem quâ nos fert versùs bona specialia necessariò debere esse liberam. Nam si illa impressio esset insuperabilis, non ampliùs haberemus motum quo possemus tendere versùs ipsum, cùm tamen motum nobis duntaxat impertiatur propter se; ac in bonis specialibus subsistere & quiescere cogeremur, quamvis Deus, ordo, & ratio id vetent. Adeò ut nostrâ culpâ non peccaremus, & Deus verè esset causa aberrationum nostrarum, quippe quæ non forent liberæ, sed merè naturales.

Itaque licèt libertatis nostræ non convinceremur per sensum internum quem de nobis habemus? possemus tamen ex ratione ediscere necesse esse ut homo creatus sit liber; posito quòd possit appetere bona specialia, nec possit appetere illa bona nisi per impressionem aut motum quem Deus ipsi indesinenter impertitur ad ipsum amandum; quod etiam ratione probari potest. Verùm res eodem modo non se habet de capacitate patiendi aliquem dolorem. Ut quis comperiat an illam habeat capacitatem, nulla alia est ratio quàm sensus internus; nemo tamen est qui dubitet hominem esse obnoxium dolori.

Cùm non cognoscamus mentem nostram per ideam claram, ut id alibi à me expositum est, frustrà conamur deprehendere id quod in nobis est quod terminat actionem, quam Deus nobis imprimit, aut id quod in nobis est quod se vinci sinit determinatione non insuperabili, quamque unusquisque potest mutare voluntate suâ vel impressione suâ versùs illud omne quod bo-

num est, & unione suâ cum illo qui includit ideas omnium entium. Etenim nullam habemus ideam claram ullius modificationis mentis nostræ. Solus sensus internus seu conscientia nos existentiam & essentiam nostram docet. Ille igitur sensus internus consulendus nobis est ut convincamur nos esse liberos. Circa id responsum nobis dat satis clarum sensus ille internus, cùm aliquod bonum speciale possidendum actu nobis proponimus. Nemo est enim qui possit dubitare, se modo insuperabili non ferri ad edendum aliquem fructum, aut ad vitandum dolorem aliquem levissimum. Verùm si inconsulto sensu interno, attendimus ad rationes abstractas, quæque nos amoveant à cogitatione nostri; tum fortè per illas abstractiones, à nobismetipsis aberrantes obliviscemur quid simus : ac scientiam Dei & potestatem absolutam quâ in nos pollet cum libertate nostrâ conciliare volentes; in errorem incidemus qui omnia Religionis & Ethicæ principia funditùs evertit.

Porrò unum adversus supra dicta objici solet, quod, ut ut levissimum, negotium tamen multis facessere solet. Odium, inquiunt, adversus Deum, est actio in qua nihil quicquam est boni. Ergò tota illa actio est peccatoris, Deus nullas in illa partes agit. Ac per consequens homo agit, ac sibi ipsi dat novas modificationes, actione quæ à Deo nequaquam manat.

Respondeo peccatores non odisse Deum nisi quia liberè & falsò judicant Deum esse malum : Bonum non potest odio haberi quatenùs bonum. Deum itaque oderunt, ipso motu amoris quem Deus ipsis imprimit erga bonum. Jam autem judicant Deum non esse bonum quia libertatis suæ eum non admittunt usum quem deberent. Cùm evidentiâ plenâ & invictâ non convincantur Deum non esse bonum, non deberent illum existimare malum, nec proinde illum odisse.

Duo sunt distinguenda in odio; Sensus mentis, & motus voluntatis; Sensus non potest esse malus, est enim modificatio mentis quæ in se nec bonum, nec malum morale includit. Motum quod spectat, haud etiam est malus, quia non distinguitur à motu amoris. Malum enim quod est extra nos cùm nihil aliud sit quàm privatio boni, hinc patet manifestò, fugere malum, idem esse ac fugere privationem boni, hoc est tendere versùs bonum. Itaque quicquid reale & positivum est in ipso odio adversus Deum, nihil habet in se mali; & peccator non potest odisse Deum nisi flagitioso & abominando usu actionis quâ Deus ipsum indesinenter fert ad amorem ipsius.

Deus facit quicquid reale est in motibus concupiscentiæ, nec tamen est Author concupiscentiæ.

CUM difficultates quæ moveri solent circa Concupiscentiam, multum habeant connexionis cum iis quas jam enucleavi; operæ pretium facturus videor si hic demonstrem, Deum non esse Authorem concupiscentiæ quamvis ipse efficiat quicquid reale est, ac ipse solus voluptates etiam sensibiles in nobis excitet.

Hæc Explicatio relationem habet ad Cap. 5. Lib. 1. De Inquirenda Veritate.

Propter rationes à me quinto capite primi libri de Inquirendâ Veritate & alibi etiam allatas constare nî fallor debet hominem juxtà leges naturales unionis mentis cum corpore, etiam ante peccatum ad usum bonorum sensibilium voluptatibus prævenientibus impulsum fuisse; ac in ipsius mente certas quasdam cogitationes natas fuisse, quotiescumque certa quædam vestigia efformabantur in præcipua parte ipsius cerebri. Jam autem leges illæ erant rectissimæ ob rationes supradicto capite memoratas. Hoc posito. Ut ante peccatum omnia ordine intemerato procedebant, homo ea necessario pollebat potestate in corpus, ut pro lubitu impediret formationem illorum vestigiorum. Ordo enim postulat ut mens dominetur in corpus. Jam autem illud imperium quo mens hominis pollebat in ipsius corpus consistebat præcisè in eo quod juxta sua desideria variaque studia sistebat communicationem motuum qui in ipsius corpore, corporum ipsi adjacentium (in quæ voluntas potestatem immediatam & directam, ut in proprium corpus non habebat) excitabantur. Haud credo posse alium concipi modum quo homo impedire valeret quominus vestigia in suo formarentur cerebro. Voluntas itaque Dei, aut lex generalis naturæ, quæ est vera causa communicationis motuum, pendebat quandoque à voluntate Adami. Deus enim istius erat erga ipsum, ut ita dicam, indulgentiæ ut in ipsius corpore, aut saltem in præcipuâ istius corporis parte, cuique mens immediatè unitur, novos sine ipsius consensu non produceret motus.

Talis erat naturæ institutio ante peccatum: ordo ac ille proinde cujus voluntas essentialis & necessaria semper ordini conformis est rem sic postulabant. Jam autem illâ voluntate semper eadem perstante; peccatum primi hominis evertit ordinem institutum; quia ordo non sinit ut primus homo in peccatum lapsus absolutè dominetur in quicquam, haud æquum est peccatorem posse suspendere communicationem motuum, voluntatem Dei sese accõmodare ipsius voluntati; ac in ipsius gratiam dari exceptiones in lege naturæ. Unde fit ut homo sit obnoxius concupiscentiæ; mens ipsius à corpore pendeat; intrà se ipsum sentiat voluptates inde liberatas ac motus involuntarios & rebelles in consequentia legis æquissimæ quæ unit duas partes ex quibus constat.

In Object. art. 7. Explicationis Cap 7. Lib. 2 explico id quod hic generaliter dico de jactura quam fecit homo potestatis quam in proprium corpus habebat.

Itaque τὸ *formale* concupiscentiæ non secus ac τὸ *formale* peccati nihil est reale. Nihil aliud est in homine quàm privatio potestatis qua

pollebat suspendendi communicationem motuum in quibusdam occasionibus. Non est admittenda in Deo voluntas positiva ad illam privationem producendam. Illa istius potestatis privatio in homine non est sequela ordinis, aut voluntatis immutabilis Dei, quæ semper ordini conformis est, semperque eadem permanet; est sequela peccati quod reddidit hominem indignum prærogativâ soli ipsius innocentiæ ac justitiæ debitâ. Dicendum itaque est Deum non esse causam concupiscentiæ, sed peccatum duntaxat.

Quod tamen positivi & realis est in affectibus & motibus concupiscentiæ, illud Deus efficit. Deus enim efficit quicquid existit; sed illud non est malum. Lege generali naturæ, ac voluntate Dei objecta sensibilia excitant in corpore humano motus quosdam, ac motus illi excitant in mente quasdam sensationes utiles ad conservationem corporis aut ad propagationem speciei. Quis igitur audeat dicere isthæc in se non esse bona.

Scio equidem non deesse qui dicant peccatum esse causam nonnullarum voluptatum. Multi, inquam, id dicunt; Sed an concipiant nescio? Quis cogitet peccatum quod nihil est, posse actu aliquid producere? Quis potest concipere nihilum esse causam alicujus rei? Id tamen est quod vulgò dicitur. Sed qui id dicunt forsan ideò tantùm dicunt quòd ad dicta sua satis non attendant. Vel quia non audent se accingere ad explicationem quæ adversatur ijs quæ ab hominibus majori cum gravitate & confidentia, quàm attentione, & cognitione loquentibus, acceperunt.

Peccatum est causa concupiscentiæ, sed non est causa voluptatis; Sicut Liberum Arbitrium est causa peccati, nec tamen est causa motus naturalis mentis. Voluptas mentis est bona, æquè ac ipsius motus aut amor; Nec quicquam est boni quod Deus non efficiat. Rebellio corporis, & malignitas voluptatis oriuntur à peccato. Sicut applicatio mentis ad bonum aliquod speciale aut quies in ipsos, est à peccatore. Sed illa nihil aliud sunt quàm privationes, & merum nihil quorum creatura capax est.

Omnis voluptas est bona; immò aliquatenùs efficit beatum illum qui potitur hac voluptate, saltem per tempus quo illâ potitur. Voluptas tamen dici potest mala, quia cum deberet extollere mentem ad primam veramque voluptatis causam, contingit ut errore rationis nostræ & cordis corruptione, illam (mentem) deprimat versùs objecta sensibilia quæ videntur esse causæ voluptatis. Mala est voluptas, quia cùm simus peccatores, ac ideò pœnam potiùs quàm mercedem mereamur; iniquitas est in nobis ad id obligare Deum ut sequendo voluntates suas nos sensationibus jucundis remuneretur. Uno Verbo, (nam piget hîc jam dicta repetere) mala est voluptas, quia Deus eam vetat nunc, quippe quæ à se avertit mentem quam propter se solum formavit & conservat. Illud enim quod Deus olim instituerat ad conservandum hominem justum in sua innocentia, idem illud est

quod nunc ipsum peccatorem detinet in peccato; ac sensationes voluptatis quas sapienter instituerat, ut brevissima argumenta quibus homo, ratione suâ à legitimo objecto nequaquam deflexâ, acciperet, an sese unire deberet corporibus ipsum ambientibus, illæ, inquam, sensationes totam nunc mentis ipsius capacitatem implent, ipsumque objectis applicant quæ in ipsum nequaquam agere queunt, quæque infrà ipsum longè subjacent; quia illa objecta tanquam veras felicitatis qua ipsorum occasione potitur causas existimat.

SECVNDA ILLVSTRATIO
ad Caput primum primi Libri.

In quo dixi: *Voluntatem non posse determinare diversè impressionem quam habet versùs bonum*, nisi imperando intellectui, *ut sibi repræsentet aliquod obiectum speciale.*

ARBITRANDUM non est voluntatem imperare intellectui alio modo quàm desiderijs at motibus suis; voluntas enim nullam aliam actionem habet. Nec etiam credendum est intellectum obedire voluntati producendo in se ideas rerum quas mens exoptat: Nam intellectus neutiquam agit; tantùm recipit lumen seu ideas rerum illarum, per unionem necessariam quam habet cum illo qui includit in se; modo intelligibili, omnia entia, ut explicatum est in tertio Libro.

In hoc igitur vertitur totus rei cardo. Homo supremam rationem participat ac veritas sese ipsi patefacit pro attentione quam supremæ illi rationi præbet, & pro assiduitate precum quas ad illam fundit. Jam autem desiderium mentis est oratio naturalis, quæ semper exauditur; nam lege naturali sancitum est ut ideæ eò præsentiores sint menti quò voluntas eas appetit vehementiùs. Itaque dummodò nostra capacitas cogitandi, seu intellectus noster, non impleatur sensationibus confusis in nobis excitatis occasione eorum quæ aguntur in corpore nostro; nunquam optamus cogitare de aliquo objecto, quin idea istius objecti nobis illicitò præsens adsit, immò ut ex ipsa liquet, eò præsentior & & clarior est quò desiderium nostrum est vehementius, & quò sensationes confusæ quas per corpus recipimus sunt debiliores ac minùs sensibiles ut præcedenti observatione jam dictum est.

Vid. Illustr. Cap. 6. 2. Part. 3. Lib.

Itaque dum dixi voluntatem imperare intellectui ut sibi represențet aliquod objectum speciale, per id duntaxat significare intendi, mentem aliquod objectum considerare volentem ad illud desiderio suo accedere, quia desiderium illud propter voluntates efficaces Dei, quæ

ſunt leges naturæ inviolabiles, eſt cauſa præſentiæ & claritatis ideæ quæ repræſentat illud objectum. Nec certè tum alio modo loqui poteram, nec è re fuiſſet eo quo nunc modo mentem meam tunc aperire; quia nondum probaveram Deum eſſe ſolum authorem idearum noſtrarum; voluntateſque noſtras ſpeciales eſſe cauſas occaſionales illarum idearum. Tùm ſecundùm vulgarem opinionem loquebar, & ad id faciendum ſæpe coactus fui, quia omnia non poſſunt eodem tempore dici. Æquanimi debent eſſe lectores; & ad tempus authori aliquid debent indulgere, ſi ſibi ſatis fieri velint. Soli enim Geometræ poſſunt omnia ſemper præſentia exhibere.

ILLVSTRATIO
ad tertium Caput.

In quo dixi, *Mirandum non eſſe nos Myſteria Fidei evidenter non videre, cùm ne ipſorum quidem habeamus ideas.*

QUUM dico nos non habere ideas myſteriorum fidei, ex antecedentibus & conſequentibus ſatis patet, me loqui de ideis claris; quæ lucem & evidentiam menti afferunt, quibusq; objecti comprehenſionem adipiſcimur, ſi fas ſit ita loqui; fateor equidem ruſticum nunquam fore crediturum, exempli gratia, filium Dei factum fuiſſe hominem, aut eſſe tres perſonas in Deo, niſi aliquam haberet ideam unionis verbi cum humanitate noſtra, & aliquam notionem perſonæ. Sed ſi ideæ illæ eſſent claræ, poſſemus per attentam meditationem illa myſteria omnino aſſequi & aliis explicare. Non eſſent ampliùs myſteria inenarrabilia. Vox perſonæ, juxta Divum Auguſtinum, dicta fuit de Patre, Filio, & Spiritu Sancto, non tam ut exprimeretur clarè id quod ſunt, quàm ne taceretur myſterium de quo loqui tenemur.

Ne omnino taceremus interrogati quid tres cũ tres eſſe fateamur. De Trin. l. 7. c. 4. Et alibi. *Cùm quæritur quid tres? Magna prorsùs inopia humanum laborat eloquiũ. Dictum eſt tamen tres perſonæ non ut illud diceretur, ſed ne taceretur.* Eodem loco l. 5. c. 9.

Hìc dico nos non habere ideas Myſteriorum noſtrorum, eodem ſenſu quo alibi dixi nos nullam habere ideam mentis noſtræ; quia idea quam habemus de mente noſtra, non ſecus ac ideæ quas de myſterijs habemus, non eſt clara. Itaque hæc vox, *idea*, eſt æquivoca. Illam nonnunquam accepi pro eo omni quod repræſentat menti aliquod objectum ſive clarè, ſive confusè. Immò illam etiam accepi ſenſu generaliori pro eo omni quod eſt objectum immediatum mentis. Sed illam quoque accepi pro eo quod res menti modo ita claro repræſentat, ut poſſit uno intuitu cognoſci an hæ aut illæ modificationes ad ipſas pertineant. Atque hanc ob cauſam nos aliquam mentis noſtræ habere ideam * interdum dixi, * interdum verò ullam nos habere negavi. Difficile eſt immò ſæpe tædioſum, & moleſtum in ſuis terminis tantam obſervare ἀκρίβειαν.

* Cap. 10. l. 1. de Inq. Ver.

* Vid. Cap. 7. part. 2. l. 3. & illius illuſt.

Quum Author aliquis sibi ipsi non contradicit, nisi in mente criticorum qui ipsum in contradictionem involvere optarent, id certè illum valdè anxium habere non debet. Ac si omnibus quæ ignorantia & malignitas nonnullorum ipsi opponerent longis explicationibus satisfacere aggrederetur; non modò pessimum conflaret librum; sed ipsi lectores ægrè ferrent responsiones factas ad objectiones imaginarias; ac æquitati quam omnes sibi arrogant repugnantes. Homines in suspicionem ignorantiæ aut malignitatis venire non gaudent; ac ut plurimum non licet respondere objectionibus invalidis aut malignis, nisi quum quis eas fecit objectiones, & eo pacto Lectori non potest exprobrari tales exegisse responsiones.

ILLVSTRATIO
ad hæc verba Capitis quinti.

His ita positis, dicendum est Adamum ad amorem Dei & ad ea quæ erant officij sui voluptatibus prævenientibus inductum non fuisse: quia cognitio quam de bono suo habebat, & gaudium quo indesinenter afficiebatur, quódque necessariò sequebatur contemplationem felicitatis suæ, sufficere poterant ut officio suo adhæreret, útque ageret majori cum merito, quàm si voluptatibus prævenientibus veluti determinatus fuisset.

VT totum illud distinctè intelligatur solam lucem, solamque voluptatem nos ad agendum determinare sciendum est. Si enim aliquod objectum amare incipiamus, id fit, vel quia illud bonum esse ratione cognoscimus, vel quia illud jucundum esse voluptate sentimus. Jam autem magnum intercedit discrimen inter lucem & voluptatem. Lux illuminat mentem nostram, nobisque bonum notificat, nullo erga illud actuali & efficaci impresso in nobis amoris motu: Voluptas verò contrà nos impellit & determinat efficaciter ad amandum objectum quod illam parere videtur. Lux nos ad quicquam non fert per seipsam, efficit tantùm ut liberè, & ex nobis ipsis feramur ad bonum quod ipsa nobis offert: Nos totos nobismet ipsis permittit. Voluptas contra prævertit rationem nostram; nos ab ea consulenda deterret; Nos totos non permittit nobismet ipsis, & libertatem nostram debilitat.

Itaq; cùm Adamus ante peccatũ esset in tempore destinato ad merẽdam beatitudinem æternam, cùm ad id plenâ & integrâ libertate præditus

esset ipsiusque lumen sufficeret, ut Deo quem jam amabat motu naturali amoris ante unitus persisteret; certè non debebat ferri ad officium suum voluptatibus prævenientibus, quæ ipsius libertatem minuendo ipsius etiam meritũ minuissent. Adam aliquo cum jure de Deo queri potuisset, si ipsũ impedivisset, quominus suam, ut par erat, hoc est actionibus omnino liberis felicitatem mereretur. Libero ipsius arbitrio injuriam quãdam intulisset Deus, si ipsum hac gratiæ specie donasset, quæ nobis nunc tantùm necessaria est propter voluptates prævenientes concupiscentiæ. Cùm Adamus omnibus ad perseverandum necessariis instructus esset; certè ipsum prævertere, nihil aliud fuisset, quàm ipsius virtuti diffidere, ipsumque veluti infidelitatis insimulare ac sanè aliqua ipsi, sibi multùm arrogandi, data fuisset materia; ipsi omnium egestatum quibus laborare & infirmitatum in quas labi poterat sensus planè ademptus fuisset; fateor enim illum tunc temporis nullis infirmitatibus aut egestatibus laborasse. Denique, quod cætera infinitis superat momentis, hoc pacto indifferẽs reddita fuisset Incarnatio Jesu Christi, quæ haud dubium primum&maximum est inter decreta illius, qui omnes involui permisit peccato, ut iis omnibus in Jesu Christo misericordiam faceret; ut qui gloriatur glorietur tantummodò in Domino.

Fortissimo quippe dimisit atque permisit facere quod vellet. *Aug. de corrupt. & grat.* Vid. quintum dialogum colloquiorum Christianorum, sub finem, edit. Bruxell.

Manifestum igitur mihi videtur Adamum nullas in officio suo provenientes sensisse voluptates. Sed ita certum non mihi videtur, ipsum sensisse gaudium, licèt id hîc supponam, quia rem admodum probabilem existimo. Sed mentem meam jam aperiam.

Illud est discrimen inter voluptatem prævenientem, & voluptatem gaudij, seu à gaudio ortam, quòd illa rationem prævertit, hæc verò eandem rationem sequitur. Nam gaudium oritur naturaliter à cognitione quam homo beatus habet beatitudinis, aut perfectionum suarum, cùm nemo possit se considerare ut beatum & perfectum, quin protinus gaudio pertentetur. Cùm beatitudo possit sentiri voluptate, aut cognosci ratione, duplex est gaudij genus. Sed hîc non loquor de gaudio merè sensibili, loquor de gaudio quo Adamus poterat affici, *Veluti sequelâ necessariâ cognitionis quam habebat felicitatis suæ sese uniendo Deo.* Nec desunt rationes ob quas Adamum hoc gaudio re verâ affectum fuisse dubitare quis posset.

Præcipua ratio in eo posita est quòd gaudium illud mentem ipsius fortè ita implevisset, ut ipsum suâ privasset libertate; Deóque univisset modo insuperabili. Gaudium enim illud, ut saltem verisimile videtur, utpote attemperatum felicitati qua fruebatur Adam, omnem etiam modum excedere debebat.

Sed primò respondeo, gaudium merè intellectuale mentem omnino liberam relinquere, ipsius intelligendi capacitatem oppidò parùm occupare. Atque hoc ipso differt à gaudio sensibili, quod ut plurimùm rationem turbat, libertatemque minuit.

Respondeo secundò, felicitatem Adami primo ipsius creationis instanti, positam non fuisse in possessione plena & integra summi boni.

Illud amittere & infelix evadere poterat; ipsius felicitas in eo potissimùm consistebat, quòd nullum pateretur dolorem, ac illius à quo perfectam beatitudinem, si in innocentia perstitisset, accipere debebat, favore gauderet. Itaque gaudium ipsius omnem non excedebat modum. Immò timore quodam comitatum erat, aut saltem comitatum esse debebat; sibi ipsi enim diffidere debebat.

Denique respondeo, gaudiū ad veram ipsius causam, mentem non semper applicare. Ut unusquisque sentit gaudium suas contemplando perfectiones; illam contemplationem existimare causam istius gaudii videtur satis naturale: Quum enim res quæpiam ab alia re semper sequitur; hæc res consectaria considerari ut effectum illius à quâ præcedebatur naturaliter solet. Ac sic unusquisque se ipsum censet authorem præsentis felicitatis suæ; sibi in perfectionibus suis complacet, & congratulatur, se ipsum amat; & rarò admodum de illo qui omnia in nobis operatur modo impercepto cogitat.

Adamus equidem præstantissimo quovis Philosopho distinctiùs cognoscebat, Deum solum posse agere in ipsum, ac in ipso gignere gaudium illud quod persentiebat, suam felicitatem suasque contemplando perfectiones. Id, inquam, equidem clarè quotiescumque ad rem attendebat; lumine rationis cognocebat; non sentiebat tamen. Immò sentiebat potiùs gaudium illud esse sequelam perfectionum suarum, idque sentiebat semper ac nullâ ad id præbitâ attentione, itaque hic sensus eò poterat illum adducere ut suas consideraret perfectiones, ac sibi ipsi complaceret, si oblivisceretur, ac, ut ita dicam extra visûs spiritualis aciem illum eliminaret cujus operationes non sunt sensibiles. Adeo ut tantū absit, ut gaudium illum reddiderit impeccabilem, ut existimatur, quin ipsius forsan gaudium fuit occasio ipsius superbiæ & exitii, atque hanc ob causam dico in capite jam laudato, Adamo cavendum fuisse, *ne sineret capacitatem ipsius mentis impleri gaudia arroganti ipsi ex comtemplatione perfectionum suarum ingenito.*

ILLVSTRATIO
ad Caput quintum.

Vbi dico, *Delectationem prævenientem esse gratiam Iesu Christi.*

QUAMVIS in hoc capite dixerim delectationem prævenientem esse gratiam illam quam Jesus Christus nobis speciali modo meritus est, & alibi nuncupaverim absolutè delectationem illam gratiam Jesu Christi ἁπλῶς, ideò credendum non est me existimare nullam aliam esse gratiam præter hanc, aut quandam esse gratiam quam Jesus Chri-

ſtus nobis non ſit meritus. Sed illam voco gratiam Jeſu Chriſti, ut illam diſtinguam à gratia quam Deus largitus fuerat primo homini ipſum creando, quæ vulgò dicitur gratia Creatoris. Nam gratia illa per quam Adam poterat perſeverare in innocentia erat præcipuè gratia luminis, ut mox expoſui in obſervatione præcedenti; Cùm Adamus ab omn i concupiſcentia eſſet immunis, non indigebat voluptatibus prævenientibus quibus adverſus illam pugnaret.

Verum gratia quæ nunc nobis neceſſaria eſt, ut perſtemus in officio, utque charitas in nobis producatur & foveatur, eſt delectatio præveniens. Nam cùm voluptas gignat & foveat amorem rerum ex quibus illa oritur aut oriri videtur, voluptas præveniens quam occaſione corporum percipimus, in nobis generat & fovet cupiditatem. Cùm itaque cupiditas charitati omnino repugnet, niſi Deus in nobis produceret & foveret charitatem delectationibus prævenientibus, manifeſtum eſt voluptates prævenientes concupiſcentiæ eò magis eſſe debilitaturas charitatem, quò cupiditatem augerent magis.

Cæterùm quæ hîc dico ſuponunt neceſſariò Deum in nobis concupiſcentiam non cohibere ipſamque non minuere nobis inſpirando odium objectorum ſenſibilium quæ nos, poſito peccato, tentaret debent. De rebus loquor ut ordinariè ſeſe habere debent. Sed ponamus Deum non auctâ, ut ſolet, delectatione gratiæ, minuere concupiſcentiam, idem ſequetur effectum. Certè nemo eſt qui non videat libram cujus altera lanx præ pondere deprimitur, poſſe bifariam in ęquilibrio conſtitui non modò addendo in altera lance pondera quæ libram æquent, verum etiam detrahendo ex alterà quædam ex ponderibus quibus deprimebatur.

Haud etiam volo hominem ineptum eſſe ad omnem bonam actionem ſine delectatione prę veniente. Mentem meam hac de re ſatis aperui capite quarto tertij libri. Ac mihi ita evidens videtur hominem amore Dei intùs commotum, poſſe ſola vi iſtius amoris, ac ſine ulla delectatione præveniente erogare unum aſſem, exempli gratia, egeno, aut levem aliquam perferre injuriam, ut quemquam rem in dubium vocare meritò poſſe non exiſtimem. Delectatio non mihi videtur neceſſaria niſi cùm tentatio eſt vehemens, aut amor erga Deum debilis: Si tamen abſolutè neceſſaria dici poſſit homini juſto, cujus fides, opinor, ſatis firma, ſpeſque ſatis certa eſſe debet ut violentiſſimas vincat tentationes; Quippe gaudium ſeu anticipatus ſenſus bonorum æternorum ex certâ ſpe ortus poteſt reſiſtere illecebris ſenſibilibus bonorum caducorum. Delectatio equidem aut Gratia actualis neceſſaria eſt ad omnem bonam actionem patrandam, ſi per vocem delectationis, aut Gratiæ, intelligatur Charitas, ut intelligere ſolet D. Auguſtinus; Evidenter enim patet quicquid propter Deum non fit nihil quicquam valere. Sed ſi tollatur æquivocatio, & accipiatur vox delectationis eodem ſenſu quo illam accepi, haud credo quemquam poſſe dubitare de ijs quæ dixi.

Sed

Sed in eo ſtat rei difficultas. Voluptas & amor idem eſſe ſupponuntur, quia ſeſe ſemper comitantur, ac quia Divus Auguſtinus utrumque ſæpe non diſtinguit. Hoc ſuppoſito. Quæcumque dici ſolent meritò dicuntur. Cum D. Auguſtino ex hac hypotheſi aſſerere quiſque poteſt, *Quod nos ampliùs delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt.* Illud enim certè volumus quod amamus. Ac dici poteſt, nihil boni aut meritorij, (ſit venia verbo) poſſe fieri, ſine delectatione aut ſine charitate. Sed ſpero me demonſtraturum eſſe in illuſtratione quam ſuper Tractatu de affectibus tradam, tantum eſſe diſcriminis inter voluptatem, & amorem deliberatum aut indeliberatum, quantùm inter cognitionem noſtram & amorem, aut, ut ſenſibili exemplo hoc diſcrimen exprimam, quantùm inter figuram corporis, & ipſius motum. Ad cap. 3 l. 5.

ILLVSTRATIO

Ad ea quæ dixi initio decimi Capitis Libri primi, & ſexto ſecundi Libri de Methodo; *Exiſtentiam Corporum probatû eſſe admodum difficilem.* Quid cogitandum ſit de Argumentis quæ pro illorum exiſtentia afferri ſolent.

ID perquam ſolemne eſt hominibus ut ea prorſus ignorent, quæ tamen ſe optimè cognoſcere exiſtimant; ac vice verſa quædam aſſequi quorum ne ideas quidem ſe habere autument. Cùm ſenſus in ipſorum judicijs partes ſuas agunt, aſſenſum ut plurimùm præbent ijs quæ non capiunt, aut quæ non niſi modo valdè imperfecto cognoſcunt: at quum ipſorum ideæ ſunt merè intelligibiles, (ita loqui liceat) vix, ac ne vix poſſunt admittere demonſtrationes indubitatas.

Quid, exempli gratia, putat vulgus hominum cùm ipſi probantur pleræque veritates Metaphyſicæ: quum ipſi exiſtentia Dei, efficacitas ipſius voluntatum, & immutabilitas ipſius decretorum demonſtrantur; quum, unicum Deum, aut unicam veram cauſam quæ omnia in omnibus efficit; unicam ſupremam rationem quam omnes intelligentiæ participant: unicum amorem neceſſarium qui eſt principium omnium voluntatum creatarum exiſtere aſſeris? Exiſtimant, ſcilicet, iſti homines, ſonos edi ſine ſenſu; eos qui talia proferunt nullas illorum habere ideas; ac operæ pretium facturos ſi tacerent. Cùm veritates & argumenta Metaphyſica nihil habeant ſenſibile; homines iis non afficiuntur, ac proinde ipſorum veritatis non convincuntur. Interea tamen certum eſt ideas abſtractas eſſe omnium maximè diſtinctas, ac proinde veritates Metaphyſicas eſſe omnium clariſſimas & evidentiſſimas.

d

Homines quandoque dicunt se nullam Dei ideam, nullamque ipsius voluntatum habere cognitionem. Ac sæpe id quod dicunt reverâ cogitant: sed id fit quia non satis cognoscunt ea quæ forsan certissimè tenent. Ubinam enim reperietur homo qui interrogatus an Deus sit sapiens, justus, potens, an sit triangularis, divisibilis, mobilis, mutabilis nec ne, tantillum hæsitet, ac protinus non respondeat. Tamen nemo potest respondere sine erroris periculo, an quædam qualitates alicui subjecto competant nec ne, nisi aliquam illius subjecti habeat ideam. Pariter, quis audeat dicere, Deum non sequi in agendo vias simplicissimas, ipsum in consilijs suis nullum observare ordinem, nullum modum, ipsum monstra producere voluntate positivâ, directâ & speciali non verò necessitate quadam; uno verbo ipsius voluntatem esse, aut esse posse contrariam ordini, cujus cognitio, saltem aliqua si non integra, nullum hominem fugit. Sed si nullam haberemus ideam voluntatum Dei, saltem possemus dubitare an agat secundum leges quasdam, quas equidem ipsum sequi debere evidenter concipimus, posito quòd velit agere.

Homines igitur habent ideas rerum merè intelligibilium, & ideæ illæ sunt longè clariores ideis rerum sensibilium. Homines certiores sunt existentiæ Dei quàm existentiæ corporum; ac quum intra seipsos sese recipiunt, quasdam Dei voluntates, juxta quas producit & conservat omnia entia, longè clariùs deprehendunt; quàm voluntates illorum, quibus maximè familiariter utuntur, quorumque indolem per totam vitam exploraverunt. Namque unio mentis ipsorum cum Deo, & unio voluntatis ipsorum cum voluntate Dei, hoc est, cum lege æternâ seu cum ordine immutabili, est unio immediata, directa, & necessaria: At verò ipsorum unio cum objectis sensibilibus, cùm duntaxat instituta sit ad conservationem sanitatis & vitæ ipsorum; ipsis objecta etiam exhibet relatè tantùm ad illud propositum, hoc est, ad conservationem vitæ.

Hæc unio immediata & directa, quæ tantùm cognoscitur, ait Divus Augustinus, ab iis quorum mens est pura, nos illuminat in intimo rationis secessu, nosque in imo pectore hortatur, & commovet. Illâ unione docemur quid Deus cogitet, & etiam quid velit, eadem accipimus veritates & leges æternas; quasdam enim earum nos evidenter cognoscere dubium non est: sed unio nostra cum amicis charissimis, nos evidenter non docet, quid cogitent, quidve velint. Id equidem sæpe assequi credimus. Sed circa id penè semper hallucinamur; cùm id tantùm ex ipsorum ore accipimus.

Unio quam per sensus habemus cum corporibus nobis adjacentibus, non potest quoque nos illuminare. Quippe testimonium sensuum nunquam est omninò verum, immò sæpe omninò falsum est, ut in libro de quo agitur explicui. Atque hanc ob causam dico, difficilius esse quàm vulgò cogitatur, positivè probare existere corpora, quamvis sensus nostri id nobis contestentur: quia ratio nos id tam facilè non do-

docet quàm vulgò putamus, nec id possumus certò scire nisi ipsam maximâ cum attentione consulamus.

Sed quia homines sensibus magis afficiuntur quàm ratione instituuntur, ac lubentiùs auscultant testimonium sensuum quàm veritatis internæ documenta: semper consuluerunt oculos suos ut existentiæ materiæ certiores fierent, rationis institutiones circa id aspernati: unde fit ut obtupescant, cùm quis illam corporum existentiam probatû difficilem esse asserit. Existimant aperiendos duntaxat esse oculos ut convincamur existere corpora, ac si subsit erroris & illusionis periculum, sufficere ad illa corpora admoveri illaque contrectare; Sed posteà egrè ferunt quemquam esse qui circa illorum existentiam dubitandi rationes afferat.

Verùm oculi nostri nobis repræsentant colores in superficie corporum, & lucem in aëre & in sole; auribus nostris percipimus sonos quasi per aerem & per corpora resonantia diffusos: ac si cæterorum sensuum testimonio credamus, calor erit in igne, dulcedo in saccharo, odor in moscho, cæteræque qualitates sensibiles in corporibus quæ illas emittere ac diffundere videntur. Certum tamen est ob rationes in primo lib. de Inquirenda Veritate allatas omnes illas qualitates non esse extra animam quæ illas sentit; saltem evidens non est ipsas esse in corporibus quæ nos ambiunt. Cur igitur ex solo sensuum testimonio qui nos usquequaque fallunt, concluderemus reapse existere corpora extrinsecùs, ac etiam illa corpora similia esse iis quæ videmus, hoc est iis, quæ sunt objectum immediatum mentis nostræ, cùm quædam adspicimus oculis corporeis. Certè quicquid dicatur id difficultate non caret.

Præterea si ex testimonio sensuum possimus certiores fieri existentiæ quorundam corporum, sanè id præcipuè continget circa corpus cui mens immediatè unitur. Vividior sensatio, quæque relationem magis necessariam ad aliquod corpus actû existens habeat, est dolor. Sæpe tamen contingit ut qui altero brachio truncati fuerunt in eo sentiant dolores acerrimos etiam multùm temporis postquam fuit amputatum. Sciunt equidem se illud brachium non ampliùs habere cum memoriam consulunt, aut in corpus oculos conjiciunt; sed sensatio doloris ipsos fallit; ac si ut id quandoque accidit, supponeremus eos pristini status penitùs oblivisci, ac ex omnibus sensibus nullum ipsis superesset præter sensum illum cujus ope sentiunt dolorem in brachio imaginario; certè non possent sibi persuadere se non habere brachium illud in quo tam vehementes sentiunt dolores.

Extitêre homines qui arbitrarentur se habere cornua in capite; alij qui imaginarentur se esse butyreos aut vitreos; aut se non habere corpus formatum ut cæteri homines, sed quale Gallus gallinaceus, lupus, bos habere solent. Illi, inquies, insaniebant, id equidem fateor; sed saltem fatendum est ipsorum mentem capacem fuisse erroris circa hæc omnia, cùm reverà erraverit; ac per consequens omnes homines pos-

ſe labi in ſimiles errores, ſi de objectis judicent ex ſenſuum teſtimonio. Animadvertendum enim eſt, inſanos illos ſeſe reapſe tales videre quales cogitant ſe eſſe: error non eſt præcisè in ipſorum ſenſatione, ſed in judicio quod formant. Si tantummodò ſeſe ſentire, aut ſeſe videre ſimiles Gallo dicerent, non hallucinarentur. In eo tantùm falluntur, quòd credunt ipſorum corpus eſſe ſimile corpori quod ſentiunt, hoc eſt, corpori quod eſt objectum immediatum ipſorum mentis dum ſeſe contuentur. Itaque ij etiam qui ſe tales eſſe credunt quales ſunt reipsâ, non ſunt cautiores, in judiciis quæ de ſeipſis ferunt, quàm inſani, ſi præcisè duntaxat judicent ex teſtimonio ſenſuum: Si non fallantur id fortunæ non rationi acceptum referre debent.

Sed verò, quo freti fundamento aſſeremus eos qui inſani vulgo dicuntur, inſanos reverâ eſſe? Nunquid poſſet quis dicere, illos ideò tantùm haberi inſanos, quia de rebus judicia ferunt ſibi peculiaria? Nam certè homo aliquis inſanire exiſtimatur, non quia videt id quod non eſt; Sed præcisè quia res planè contrarias videt, iis quæ cæteri homines vident; ſive cæteri fallantur, ſive non.

Hæc propemodum cernuntur quum luna adſpicitur teleſcopio.

Ruſticus, exempli gratiâ, oculos habet ita diſpoſitos ut videat lunam qualis in ſe eſt, vel tantùm qualis videri ſolet, aut qualis forſan videbitur aliquando cum perſpicillis novæ inventionis. Illam admirabundus adſpicit & ad familiares exclamat. Quot video montes excelſos, quot valles profundos, quot maria, quot lacus, quot gurgites, quot rupes? Nonne videtis, pergeret, multa maria ab Oriente; ac nihil penè eſſe versùs Occidentem & Meridiem, præter terras & montes? Non videtis ab eadem parte montem unum omnibus quos unquam viderimus excelſiorem; Et nonne admiramini mare prorsùs nigrum aut gurgitem horribilem qui in centro iſtius Aſtri conſpiciendum ſe præbet? ad ejuſmodi exclamationes quid reſponderent illius ruſtici familiares? quidve de illo cogitarent? Ipſum ſcilicet inſanire, ac Planetæ quem contemplatur mirabundus malignis influxibus fuiſſe affectum. Solus eſt ſententiæ ſuæ ſectator. Id ſufficit ut damnetur. Ut itaque quis in aliorum mente videatur inſanus, neceſſe non eſt ut reapſe talis ſit, ſufficit ſi cogitet aut res videat ſecùs quàm ipſi. Nam ſi omnes homines crederent ſe eſſe ſimiles gallis, is certè qui ſe talem qualis eſt judicaret eſſe, inſanus haberetur.

At, inquies, homines habentne roſtrum in extremo naſo, & criſtam in capite? Haud equidem id credam. Neſcio tamen, cùm de re tantum judico per ſenſus meos. Cumque ijs ut par eſt non utor. Fruſtrà id cogniturus contrecto vultum caputque meum: Corpus meum cæteraque circumjacentia contrecto manibus duntaxat quarum nec figuram, nec menſuram novi: Immò haud ſatis ſcio an reverâ manus habeam: id tantùm novi quia illo temporis momento quo manus movere mihi videor, excitantur quidam motus in quadam cerebri mei parte, quæ, ut fertur, eſt ſedes ſenſus communis. Sed forſan illam ipſam partem adeò decantatam, parùm tamen notam, ego non habeo. Sal-

tem illam in me non sentio, quamvis manus meas sentiam. Adeò ut debeam potiùs credere me habere manus, quàm glandulam illam de qua quotidie digladiantur Philosophi. Sed denique nec figuræ, nec motus istius glandulæ ullam habeo cognitionem, asserunt tamen me sine istis motibus & figurâ illius glandulæ non posse cognoscere motum & figuram corporis mei & corporum circunstantium.

Quid igitur super his omnibus cogitandum venit? Rationem à corpore non erudiri: partem illam cui mens immediatè unitur nec visibilem esse nec intelligibilem per se: Corpus nostrum & cætera quibus circumdatur non posse esse objectum immediatum mentis nostræ: Nos non posse à cerebro nostro edoceri an actu existat, multò minùs an existát corpora quæ nos ambiant. Ac proinde nos agnoscere debere dari aliquam intelligentiam superiorem quæ sola potest agere in nobis; & quæ ita potest agere in nobis, ut nobis reverâ repræsentet corpora extrà nos, nulla ne vel minima nobis data cerebri nostri ideâ: quamvis motus excitati in cerebro sint occasio nobis objiciendi hæc corpora. Etenim oculis quorum figuram non cognoscimus, quomodo corpora nobis adjacentia sint figurata deprehendimus. Et quamvis colores qui in objectis conspiciuntur, non sint vividiores coloribus pictis in nervo Optico, hos tamen neutiquam videmus eo ipso instanti quo illorum fulgorem demiramur.

Verùm enim verò quid ad id obligat intelligentiam illam ut nobis ostendat corpora quum quidam excitantur motus in cerebro nostro? Præterea an necesse est existere corpora extrà nos, ut excitentur motus in cerebro nostro? Somnus, animi affectus, insania nonne eosdem excitant motus sine corporum externorum interventu? An evidens est corpora quæ non possunt sese invicem movere * posse communicare ijs quæ obviam habent, vim moventem quam ipsa non habent? Attamen esto: Corpora sese & sibi obvia moveant; An is qui dat esse omnibus, non poterit etiam per se excitare in cerebro nostro motûs quibus ideæ mentis nostræ alligatæ sunt? Denique ubinam in eo est contradictio ut nullis novis in cerebro excitatis motibus, mens tamen novas habeat ideas? cùm certum sit motûs cerebri non excitare ideas mentis, immò ne illos quidem cognoscamus motùs; Deusque solus possit nobis repræsentare ideas nostras, * ut id alibi probavi. Omninò igitur necesse est, ut existentiæ corporum externorum certi positivè fiamus, cognoscere Deum, qui in nobis excitat sensum illorum, & scire, illud ens, utpote infinitè perfectum non posse nos fallere. Nam si intelligentia quæ nobis omnium rerum dat ideas, vellet, ut ita loquar oblectari repræsentando nobis corpora ut actu existentia, quamquam nullum existeret corpus; id nullo negotio effecturam evidenter patet.

*Vid. ca. 3. 1. part. lib. 6. & illustrat. ad idem illud caput.

*Vid. cap. 6. Part 2. l. 1 & illustrat. ad idem illud cap.

His, aut similibus de causis Cartesius Philosophiam suam fundamentis immotis stabiliturus, non existimavit se posse supponere existentiam corporum, nec illam argumentis sensibilibus, quamvis apud vul-

gus certissimis probare debere credidit. Ipse, opinor, æque ac nos noverat, aperiendos duntaxat esse oculos ad videnda corpora; ac unumquemque posse ad illa admoveri, illáque contrectare, periculum erroris visus vitandi causâ. Humani ingenij cognitionem satis erat assequutus, ut ejusmodi argumenta ipsi placitura judicaret. Verùm nec verisimilitudines, nec varia hominum suffragia quærebat. Veritatem licèt spretam, gloriæ ex inani fama ortæ anteponebat. Ac per dubitatationes quæ tenuibus ingeniolis ridiculæ videntur ludibrio esse malebat, quàm res asserere quas nec certas, nec indubitatas ducebat.

Sed quamvis Cartesius validissima proposuerit argumenta quæ ratio sola possit suppeditare ad probandam corporum existentiam; quamvis evidens sit Deum non esse fallacem; ac ipse nos reverâ fallere, posset dici; si hallucinaremur dum mente nostra, cæterisque facultatibus quarum Author est ritè & ut par est utimur: tamen existentiam materiæ nondum perfectè fuisse demonstratam dicere possumus. Etenim in rebus Philosophicis nihil quicquam debemus credere nisi ad id evidentiâ impellamur. Libertate nostra quantum possumus uti debemus. Judicia nostra perceptionibus non debent latiùs patere. Itaque quum videmus corpora, judicemus duntaxat nos videre corpora, illáque corpora seu visibilia, seu intelligibilia actu existere: Sed cur positivè judicaremus existere extrà nos mundum materialem, mundo intelligibili quem videmus similem?

At, inquies, illa corpora videmus extrà nos, & quidem à nostro maximè dissitos. Judicia igitur nostra latiùs non paterent perceptionibus, etsi illa corpora extrà nos existere judicaremus. Sed quid? Nonne videmus lucem extrà nos, & in sole, quamvis nec extrà nos sit nec in sole. Nihilò feciùs, concedo illa corpora quæ videmus extrà nos, reverâ esse extrà nos: id enim extra omne dubium est. Sed nonne evidens est dari loca externa, distantias, & spatia in mundo intelligibili qui est objectum immediatum mentis nostræ? Corpus illud materiale quod nos animamus, (id attentè expensum velim) non est illud quod videmus dum illud adspicimus, hoc est, dum convertimus oculos corporeos versùs illud: Corpus est intelligibile quod videmus. Suntque spatia intelligibilia inter corpus illud intelligibile, & solem intelligibilem quem videmus; quemadmodum sunt spatia materialia inter corpus nostrum, & solem quem adspicimus. Certè Deus videt dari spatia inter corpora quæ creavit: Sed nec videt corpora, nec spatia illa per seipsa. Non potest illa videre nisi per corpora & spatia intelligibilia. Deus lucem suam aliunde non habet quàm à seipso, mundum materialem non videt nisi in mundo intelligibili quem includit, & in cognitione voluntatum suarum, quæ existentiam & motum dant actu omnibus. Ergò dantur spatia intelligibilia inter corpora intelligibilia quæ videmus, sicut sunt spacia materialia inter corpora quæ adspicimus.

Jam autem observandum est quòd cum Deus solus cognoscat per se ipsum voluntates suas quæ omnia producunt entia, impossibile esse ut ab alio quoquam sciamus quàm ab ipso, an sit reapse mundus materialis extrà nos, similis mundo quem videmus, quia mundus materialis nec visibilis est nec intelligibilis per se ipsum: ut itaque omnino convincamur existere corpora, demonstrandum est non modò Deum existere, Deumque non esse fallacem; sed prætereà Deum nos certos fecisse se reverâ creasse corpora: Atque illud est quod in Cartesii operibus probatum non video.

Deus mentem alloquitur, ipsamque ad credendum obligat bifariam duntaxat, per evidentiam scilicet & per Fidem. Fateor nos Fide eò adduci ut credamus existere corpora, evidentiam verò quod spectat plena mihi non videtur; nec puto nos ad credendum quicquam existere præter Deum, & mentem nostram, ullo argumento insuperabili ferri. Verum equidem est nos ad id valdè proclives esse ut credamus existere corpora quæ nos circundent; id lubens Cartesio concedo: at illa propensio quamtumvis naturalis, ad id tamen credendum nos non adigit per evidentiam, ad id tantùm nos impellit per impressionem. Jam autem in judiciis nostris liberis nihil sequi debemus præter lucem&evidentiam, ac si impressioni sensibili nos permittamus, penè semper decipiemur. Cartes. Medit. sexta.

Cur fallimur in judiciis à nobis formatis circa qualitates sensibiles, circà magnitudinem, figuram, & motum corporum nisi quia sequimur impressionem similem illi impressioni quâ impellimur ad credendum existere corpora? Nonne ignis calidus, nix alba, sol luce undique affulgens nobis videntur. Nonne videmus qualitates sensibiles extrà nos æque ac corpora? Certò tamen constat illas qualitates sensibiles quas videmus extrà nos reverâ non esse extrà nos: aut saltem, si quis id malit, nihil certi est hac super re. Quo igitur moti argumento possumus judicare, præter corpora intelligibilia quæ videmus, dari adhuc alia corpora quæ adspicimus? Quâ evidentiâ cognoscimus impressionem non modò circà qualitates sensibiles, verùm etiam circa magnitudinem, figuram & motum corporum fallacem, nos etiam non fallere circa existentiam actualem eorundem corporum: circà id, inquam, evidentiam quæro; sat enim scio verisimilitudines non deesse.

Non me latet illud esse discriminis inter qualitates sensibiles, & corpora, quòd ratio longè faciliùs corrigat impressionem seu judicia naturalia quæ circa qualitates sensibiles feruntur, quàm quæ circa existentiam corporum. Immò omnes rationis admonitiones, & emendationes respectu qualitatum sensibilium Religioni & Ethicæ Christianæ posse optimè accommodari; existentiam etiam corporum non posse negari ullo principio religioni conformi.

Nullo negotio concipimus voluptatem & dolorem, calorem, & ipsos colores non esse modificationes seu modos esse corporum; qualitates sensibiles in genere non includi in ideâ materiæ; uno verbo,

sensus nostros nobis non repræsentare objecta sensibilia qualia in se sunt sed qualia sunt relatè ad conservationem sanitatis & vitæ nostræ. Id non modò rationi, sed multò magis Religioni, & Ethicæ Christianæ conforme est; ut id in multis hujusce operis locis demonstratum est.

Sed non æquè facile est sibi positivè persuadere non existere corpora extrà nos, ac sibi persuadere dolorem & calorem non esse in corporibus quæ illas sensationes in nobis excitare videntur, saltem sanè certum est fieri posse ut existant corpora extra nos. Nullum nobis suppetit argumentum quod probet non existere corpora, quin imò vehementi ferimur inclinatione ad credendum corpora illa reapse existere. Potiori igitur jure credimus reverâ dari corpora quàm crederemus non dari. Itaque ad credendum existere corpora tenemur. Naturâ enim ferimur ad sequendum judicium nostrum naturale, quum illud non possumus positivè emendare luce & evidentiâ. Cùm enim omne judicium naturale à Deo sit, judicia nostra libera juxta hoc possumus conformare, quum nullâ ratione possumus deprehendere falsitatem istius judicii naturalis. Ac si in ejusmodi casibus falleremur, Author mentis nostræ errorum nostrorũ aliquatenùs Author videri posset.

Ratiocinium illud forsan satis rectum est, fatendum tamen est illud non posse haberi instar demonstrationis evidentis existentiæ corporum. Etenim Deus nos non fert modo insuperabili ad assensum plenum huic ratiocinio præbendum, si illi assentimur liberè assentimur. Possumus non assentiri. Si ratiocinium illud meum rectum est, credere debemus admodum verisimile esse corpora existere. Sed hoc solo ratiocinio illius corporum existentiæ planè convinci non debemus. Alioqui nos ipsi agimus non verò Deus in nobis. Actu libero, ac proinde errori obnoxio assentimur, non verò impressione insuperabili. Credimus enim quia liberè volumus id credere, non verò quia id videmus evidenter.

Certè sola fides potest nos convincere realis corporum existentiæ. Accurata demonstratio non potest haberi existentiæ ullius entis nisi entis necessariò existentis. Ac si rem attentè incipiamus, facilè comperiemus nequidem posse fieri ut cognoscamus cum plenâ evidentiâ an Deus verè sit nec ne Creator mundi materialis & sensibilis; talis enim evidentia reperitur tantùm in relationibus necessariis; Jam autem nulla est necessaria relatio inter Deum & ejusmodi mundum. Potuit illum non creare, ac illum duntaxat condidit, quia sic voluit, & quidem liberè.

Beati in cœlo luce evidenti optimè vident Filium à Patre genitum fuisse, & Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio; quippe illæ emanationes sunt necessariæ. At verò cùm mundus non sit emanatio necessaria à Deo, non sequitur eos qui ipsius Dei essentiam, clarissimè vident, ea quæ extrinsecùs producit clarè etiam videre. Credo tamen Beatos certò scire mundum existere: Sed id sciunt quia Deus id illos

edocet

edocet ipsis manifestando voluptates modo nobis incognito: & nos ipsi in hisce terris degentes mundi existentiam certò tenemus, quia fides nos docet mundum à Deo creatum fuisse; & quia fides illa judiciis naturalibus seu sensationibus nostris complexis, quum eæ omnium sensuum nostrorum testimonio confirmantur, memoriâ nostrâ emendantur, & ratione diriguntur, conformis est.

Haud equidem ignoro argumentum, seu principium fidei nostræ primâ fronte supponere videri existentiam corporum, *fides ex auditu*. Supponere videtur Prophetas, Apostolos, Scripturam Sacram, Miracula; sed si ad rem seriò attendamus, agnoscemus quamvis nihil præter species seu apparentias (verbo sit venia) hominum, Prophetarum, Apostolorum. Script. S. Miraculorum &c. supponeremus, tamen id quod per suppositas illas apparentias didicimus, esse extrà omne dubium; cùm ut id jam multotiès exposui Deus solus possit repræsentare menti suppositas illas species seu apparentias, Deusque non sit fallax, nam fides hæc omnia supponit. Jam apparentiâ Script. S. & per apparentias Miraculorum docemur Deum condidisse cœlum & terram, verbum assumpsisse carnem, & alias similes veritates quæ supponunt existentiam mundi creati. Ergò ex fide constat existere corpora, & omnes illæ apparentiæ per fidem fiunt realitates. Responsioni ad objectionem quæ hominibus è vulgò nimis abstracta videtur diutiùs insistere inutile esset: supra dictis ni fallor satisfiet lectoribus non ita morosis.

Ex his igitur concludamus nos posse immò debere emendare judicia naturalia aut perceptiones complexas quæ relationem habent ad qualitates sensibiles quas tribuimus corporibus nos circundantibus, aut nostro. Judicia verò naturalia quod spectat quæ relationem habent ad existentiam actualem corporum, quamvis absolutè loquendo possimus temperare à judicijs liberis quæ his accommodentur, non debemus tamen, quia judicia illa naturalia cum fide maximè consentiunt.

Porrò tota hæc observatio præcipuè ad id destinata fuit ut veritas hæc seriò expendatur; nempe solam sapientiam æternam posse nos illuminare; omnésque cognitiones sensibiles quæ ad corpus nostrum referuntur esse fallaces; aut saltem non esse comitatas luce illâ evidenti quæ ad assensum adigit. Non me equidem fugit vulgus hominum hasce cogitationes nequaquam esse approbaturum, & ratiocinia mea eis, pro copia aut penuria spirituum ipsorum animalium, risum aut indignationem paritura. Quippe imaginatio ferre nequit veritates abstractas & inusitatas; Illas habet aut tanquam spectra quibus terretur, aut tanquam phantasmata quæ ridet. At imaginationibus vividis & audacibus malo esse ludibrio, atque indignationem terroremque incutere debilibus & timidis, quàm veritati testimonium non perhibere, ac de ijs qui, adversùs impetum corporis in mentem strenuè renitentes, responsa sapientiæ nos illuminantis à confuso imagina-

tionis nos perturbantis & decipientis tumultui discernere norunt, non benè mereri.

ILLVSTRATIO
ad quintum Caput secundi libri.

De Memoria & Habitibus spiritualibus.

IN illo capite de memoria & habitibus spiritualibus loqui multis de causis operæ pretium non duxi; inter quas præcipua petitur ex eo quòd non habeamus ideam claram mentis nostræ: quomodo enim posset clarè explicari quænam sint dispositiones, quas operationes mentis in ipsa relinquunt, quæ dispositiones sunt ipsius habitus, cùm nequidem clarè cognoscatur natura mentis? Certè nequeunt cognosci mutationes quæ enti alicui possunt obvenire, quum illius natura clarè non cognoscitur. Nam si, exempli gratia, ideam claram extensionis non haberent homines frustra ipsius figuras cognoscere conarentur. Tamen quandoquidem à me efflagitatur ut de re quæ per se mihi nota non est verba faciam, sic procedo ut hac in re solis ideis claris nitar.

Suppono Deum solum agere in mentem, ipsique ideas omnium repræsentare: ac si eveniat ut mens aliquod objectum per ideam clarissimam & vividissimam percipiat, id fieri quia Deus ipsi illam ideam modo perfectissimo repræsentat.

Præterea cùm voluntas Dei ordini, & justitiæ sit omnino conformis, suppono sufficere ut quid obtineatur, id jure esse debitum; his quæ distinctè intelliguntur positis; memoria spiritualis facilè explicatur. Cùm enim ordo postulet, ut mentes quæ de aliquo objecto sæpiùs cogitarunt, de eodem denuò faciliùs cogitent, ideámque illius habeant clariorem & vividiorem ijs quæ de illo non nisi parumper cogitarunt; Voluntas Dei qui secundùm ordinem indesinenter operatur, ipsorum menti repræsentat, statim atque id optant, ideam claram & vividam illius objecti. Adeò ut juxtà hanc explicationem memoria, & cæteri habitûs purarum intelligentiarum, non consistant in facilitate ad operandum, quæ ex quibusdam ipsarum modificationibus oriatur, sed in ordine immutabili Dei, & in jure quod mens sibi vindicat in res quæ ipsi fuerunt subjectæ: Et tota mentis potentia à Deo solo immediatè & unicè dependet. Cùm vis seu facilitas ad agendum quam omnes creaturæ in suis deprehendunt operationibus, nihil aliud sit, hoc sensu, quam voluntas efficax Creatoris.

Nec putem ab ista explicatione esse desistendum propter pravos ha-

bitus peccatorum, & damnatorum. Quamvis enim Deus efficiat quicquid reale & positivum est in actionibus peccatorum, evidenter tamen patet ex iis quæ in primâ illustratione dixi Deum non esse Authorem peccati.

Credo tamen, & ni fallor, credere debeo, post actionem mentis, in ipsa superesse quasdam mutationes quæ ipsam ad eandem illam actionem disponant. Sed quia illas mutationes non novi, illas etiam explicare nequeo; ideam enim claram mentis meæ non habeo, in quâ possim deprehendere omnes modificationes quas potest suscipere.

Credo argumentis Theologicis, non verò argumentis claris & evidentibus motus, causam cur puræ intelligentiæ videant clariùs objecta quæ jam contemplatæ sunt, quàm alia, non præcisè esse quia Deus ipsis repræsentat illa objecta modo vividiori & perfectiori, sed quia reipsa magis dispositæ sunt, ad recipiendam in se eandem actionem Dei. Quemadmodum facilitas ad pulsanda instrumenta, quam sibi comparaverunt nonnulli, non consistit in eo quòd spiritus animales ad movendos digitos necessarij, majori in ipsis polleant vi & agilitate quàm in cæteris hominibus, sed in eo quòd viæ per quas spiritus fluunt sint magis lubricæ & planæ, habitu exercitio comparato, ut id cap. suprà notato explicui. Fateor tamen omnes usus memoriæ, & cæterorum habituum non esse necessarios ijs qui cum Deo intimè uniti, in ipsius lumine quaslibet ideas; & in ipsius voluntate omnem facilitatem ad agendum quam possent optare, reperiunt.

V. Illustr. ad Cap. 7. Part. 2. Lib. 3.

ILLVSTRATIO
ad Caput Septimum secundi Libri.

Summa argumentorum & explicationum à me traditorum circa peccatum originale. Cum responsionibus ad objectiones quæ mihi visæ sunt validissimæ.

VT difficultatibus quæ circa peccatum originale ipsiusque propagationem possunt oriri, ordine respondeam, nihil abs re me facturum puto si ea quæ in multis locis hujusce operis super hac materiâ dixi, paucis hîc resumam, hæc sunt igitur præcipua mea argumenta. Illa modo speciali ita disposui, ut ijs fierent magis clara qui illa examinare attentè voluerint.

I.

Deus vult ordinem observari in operibus suis. Quicquid clarè concipimus conforme esse ordini, illud Deus vult; ac vice versa quic-

quid clarè concipimus ordini repugnare, illud Deus non vult. Hæc veritas evidenter patet ijs omnibus qui ens infinitè perfectum visu fixo & puro possunt contemplari. Nihil est quod eos turbare aut quatere, possit super hac re: Et clarè vident omnes difficultates quæ possunt moveri circa illud principium oriri tantùm ex ignorantia in qua versantur homines circa ea quæ ipsos scire necesse esset ad solvendas illas difficultates.

I I.

Deus nullum habet alium finem quàm se ipsum in operationibus suis: Id ordo postulat.

I I I.

Deus creat & conservat mentem hominis,ut circa ipsum occupetur, ipsum cognoscat & amet; Deus enim est finis operum suorum. Ordo id postulat, Deus non potest velle ut id quod non est amabile; ametur; seu potiùs Deus non potest velle ut quod minùs amabile est, potissimùm ametur. Hinc igitur patet naturam esse corruptam & inordinatam; cùm mens amet corpora quæ non sunt amabilia, immò ipsa Deo sæpè anteponat amore suo. Peccatum igitur originale, seu naturæ depravatio haud indiget probatione: Unusquisque enim satis sentit in seipso legem quæ ipsum captivum detinet & perturbat; quæque à Deo instituta non est, cùm ordini, qui ipsius voluntatis regula est,repugnet.

I V.

Intereà tamen homo ante lapsum, sensationibus prævenientibus non verò cognitionibus claris admonebatur an sese corporibus circumjacentibus adjungere, an verò ab ijs secedere deberet. Ordo id postulat. Contrà ordinem est mentem ad id adigi ut corporibus sese applicet. Potest equidem ipsis uniri, Sed propter ipsa non fuit creata. Cognoscere igitur Deum, corpora verò sentire debet. Prætereà, cùm corpora ipsius bonum non possint constituere,mens non posset ijs uniri nisi ægrè admodum,si ea duntaxat cognosceret ut in se sunt, nec in ipsis sentiret id quod non inest. Falsum itaque bonum debet discerni sensu præveniente, ut ametur amore instinctûs; & verum bonum debet cognosci cognitione clara, ut ametur amore libero & rationali. Denique format, & conservat hominem Deus ut ab ipso cognoscatur & ametur. Ergò capacitas ipsius mentis figurarum & configurationum infinitarum corporum ipsum ambientium, & corporis quod animat cognitione,ipso invito, impleri immò nec dispesci debet. Tamen ut pateat cognitione clarâ, an hic fructus hoc tempore alimento corporis aptus sit, tot prænoscenda mihi videntur, totque formanda ratiocinia; ut mens capacior iis omnibus tota occuparetur.

V.

Verùm, licèt primus homo sensationibus prævenientibus præmoneretur, an deberet uti corporibus ipsum circundantibus an verò secùs, non agitabatur tamen motibus involuntariis aut rebellibus;

Immò ideas rerum ſenſibilium ex mente ſua pro lubitu delebat, ſive ijs uteretur ſive non: Id enim ordo poſtulat. Mens poteſt equidem uniri cum corpore; ſed ab eo non debet pendere, ipſi debet imperare. His adde quòd omnis amor quem Deus nobis imprimit, debeat ad ipſum terminari: Deus enim nihil producit in nobis quod propter ipſum non ſit. Denique corpora non ſunt amabilia. Infrà noſtram amandi facultatem ſubſidunt. Ergò in prima naturæ inſtitutione corpora non poſſunt mentem inflectere versùs ſe, nec illam ferre ad ipſa conſideranda & amanda tanquam bona.

V I.

Corpora quibus circundamur in mente noſtra non agunt niſi quum quoſdam motûs in corpore noſtro excitant, & motûs illi ad præcipuam cerebri partem tranſeunt. Nam pro mutationibus in illa parte factis, ipſa mens mutatur & objectis ſenſibilibus agitatur. Id ſatis jam probavi, ſatíſque experientiâ demonſtratur. Hoc poſito, ex articulo præcedenti primum hominem, pro lubitu, motûs corpori ſuo aut ſaltem motûs præcipuæ ipſius cerebri parti communicatos ſtitiſſe evidenter patet. Ordo id poſtulabat, ac idem per conſequens volebat is cujus voluntas ordini ſemper conformis eſt, nihilque adverſus ordinem poteſt efficere, quamvis ſit omnipotens. Homo itaque poterat interdum legem naturalem communicationis motuum, ſuſpenſam inhibere; cùm eſſet ſine concupiſcentia, nec intra ſe ullos ſentiret motûs involuntarios & rebelles.

V I I.

Verùm primus homo in peccatum ſemel lapſus ab illa poteſtate decidit: Ordo id ſic poſtulat: Æquum enim non eſt ut in peccatoris, & rebellis gratiam, in lege generali communicationis motuum aliæ ſint exceptiones, præter eas quæ omninò ſunt neceſſariæ ad vitæ noſtræ & ſocietatis civilis conſervationem. Cùm itaque corpus hominis actione objectorum ſenſibilium perpetuò concutiatur, ipſiuſque mens omnibus præcipuæ partis ipſius cerebri motibus agitetur; Hinc ſequitur ipſam mentem nunc à corpore cui tantùm fuerat unita, cuique ante peccatum imperabat, pendêre.

V I I I.

Jam autem hic fuit Adami proceſſus in peccando. Amare voluptatem illamque guſtare naturale eſt; id Adamo non fuerat prohibitum. Res eodem ſe habet modo de gaudio: ex perfectionum ſuarum naturalium contemplatione gaudium percipere licet: hoc in ſe non eſt illegitimum. Homo ad id conditus fuerat ut eſſet beatus; jam verò voluptas & gaudium realem conciliant fœlicitatem. Igitur primus homo ex uſu bonorum ſenſibilium percipiebat voluptatem, gaudioque, ſuas contemplando perfectiones naturales, afficiebatur: nos enim tanquam fœlices, aut perfectos conſiderare non poſſumus, quin gaudium ſentiamus. Sed tales in officio ſuo non experiebatur delectationes; Nam licèt Deum ipſius bonum eſſe probè noſſet, id tamen non ſentie-

Vide Illustr. ad Cap. 5.

bat, ut id multoties probavi. Itaque gaudium quod in officio suo præstando, percipiebat haud erat admodum sensibile. His suppositis. Ut homini non erat capacitas mentis infinita, ipsius voluptas, aut gaudium minuebat visum clarum mentis, quo cognoscebat Deum esse suum bonum, solumque illud bonum ab ipso amari debere. Nam voluptas est in mente ipsamque modificat, adeò ut quò magis voluptas nos afficit & agitat, eò magis impleat nostram cogitandi capacitatem. Id experientiâ aut sensu interno quem de nobis habemus edocemur.

Illud igitur est quod hac de re possumus cogitare. Postquàm primus homo paulatim sivit capacitatem mentis suę sensu vivido alicujus gaudii è superbiâ orti, aut forsan aliqua cupiditate seu voluptate sensibili impleri; præsentia Dei, & cogitatio de officio evanuerunt ab ipsius mente, quia in veri boni inquisitione lumen Divinum quo gaudebat strenuè sequi neglexerat. Atque sic distractus, labilis factus est; præcipua enim ipsius gratia, præcipuaque vis posita erat in lumine quo potiebatur & in officii sui cognitione, cùm tunc delectationibus prævenientibus non indigeret, quæ nobis nunc necessariæ sunt ut concupiscentiæ resistamus.

IX.

Atque observandum est nec sensus prævenientes quibus Adam afficiebatur in usu bonorum corporis, nec gaudium quod ex felicitatis & perfectionis suæ consideratione percipiebat, veras non esse causas ipsius lapsûs. Probè enim noverat Deum solum posse in ipso excitare voluptatem aut gaudium. Illum itaq; unum amare debebat, cùm id duntaxat sit amandum, quod vera est causa fœlicitatis nostræ. Ut nihil erat quod turbaret cognitionem & lumen primi hominis, cùm illud purum conservare volebat omnes sensationes quæ poterant ipsum diversum agere & ab eo à quo illuminabatur & corroborabatur distrahere ex mente suâ delere poterat & debebat. Recordari ipsum decebat, Deum ipsi sese non sentiendum ut bonum, sed ut talem cognoscendum duntaxat præbere; ut citiùs mereretur mercedem, usu perpetuo libertatis ipsi indultæ.

Posito igitur quòd Adamus & Eva peccaverint, ac post peccatum motus involuntarios & rebelles in se ipsis senserint: Dico ipsorum liberos debuisse nasci peccatores, ac motibus concupiscentiæ obnoxios ut ipsi erant. Hæc sunt assertionis meæ argumenta.

X

In capite quod hæc scribendi mihi fuit occasio fusè probaui, tantam esse communicationem inter cerebrum matris, & cerebrum infantis ipsius, ut omnes motus omniaque vestigia in cerebro matris impressa, excitentur etiam in cerebro infantis. Cùm itaque mens infantis uniatur corpori ipsius eo ipso instanti quo creatur; quia conformatio corporis obligat Deum, ut sequendo voluntates suas generales, ipsi det mentem quo *informetur*; hinc evidenter patet mentem illam eodem ipso momento quo creatur habere inclinationes corruptas & versùs cor-

pora verti; cùm ab eo momento inclinationes habeat respondentes motibus, actu excitatis in cerebro cui unita est.

X I.

Sed quia contra ordinem est mentem versùs corpora converti, ipsaque amare; infans est peccator & inordinatus statim atque creatur. Deus qui amat ordinem illum odit in hoc statu. Ipsius tamen peccatum non est liberum: Ipsius mater illum in iniquitate concepit propter communicationem institutam, ordine naturæ inter cerebrum maternum & cerebrum infantis.

X I I.

Jam autem illa communicatio optima est in sua institutione multis de causis. Primò, Quia utilis est, & forsan necessaria ad *conformationem fœtus*. Secundò, Quia poterat ope illius communicationis commercio uti cum parentibus; æquum enim erat ipsum cognoscere à quo haberet corpus quod animabat. Denique infans non poterat scire quæ extrinsecùs agebantur, quidve de illis cogitare deberet, nisi ope illius communicationis. Cùm corpus haberet, par erat ipsum habere cogitationes quæ ad illud referrentur, nec privari contemplatione operum divinorum inter quæ vivebat. Multas alias existimo dari rationes istius communicationis præter has à me allatas; sed hæ ad illam vindicandam adversùs omnes obmurmurotores, omnemque arcendam criminationem ab operibus illius cujus omnes voluntates ordini necessariò sunt conformes sufficere videntur.

X I I I.

Æquum tamen non est infantem invitum excipere vestigia objectorum sensibilium: ac si mens unico momento ante unionem cum corpore crearetur, si per unicum momentum in innocentia & ordine staret, pleno jure, & ex necessitate ordinis aut legis æternæ posset suspendere illam communicationem; quemadmodùm primus homo ante peccatum sistebat pro arbitrio motus in ipso excitatos; etenim ordo postulat ut corpus menti obtemperet: Sed quia mens infantium nunquam fuit grata Deo; nunquam justum fuit Deum in eorum gratiam mutare legem communicationis motuum. Justum itaque est infantes nasci peccatores & inordinatos & ordo naturæ non est causa illorum peccati: ordo ille justus est. Sed peccatum parentum est causa peccati ipsorum. Hoc sensu justum non est parentem peccatorem procreare liberos se perfectiores, ipsosque imperium in corpus habere, quod mater in suum non habet.

X I V.

Post peccatum Adami quod omnia pervertit & corrupit, Deus equidem poterat aliquid immutando in ordine naturæ, malis ex peccato natis mederi. Verùm Deus voluntates suas ita non mutat. Nihil vult quod non sit justum. Quod semel voluit, illud semper uult: sese non corrigit: ipsum non pœnitet: Constanter vult id quod vult. Ipsius

æterna decreta non pendent ab humanæ voluntatis inconſtantia, nec æquum eſt illa huic ſubmitti.

XV.

Verùm enim verò ſi liceat mortalibus in Dei conſilia penitiùs introſpiſcere, ac cogitata ſua proferre circa cauſas ob quas ordinem ſupra memoratum inſtituit, peccatumque primi hominis permiſit; haud ullam credo fore ſententiam Majeſtate divinâ digniorem, magiſque Religioni & rationi conformem, quàm quæ ſtatueret præcipuum Dei conſilium in operationibus externis, eſſe Incarnationem Filii: Deum inſtituiſſe ordinem naturæ, perturbationemque in eo factam permiſiſſe ut tanto faveret operi: Ipſum ſiviſſe omnes homines mancipari peccato, ne quiſquam in ſe ipſo gloriaretur; immò ipſum permittere concupiſcentiam in ſanctiſſimis, ne ſibi ſuperbè complaceant. Cùm enim quis perfectiones ſuas conſiderat ægrè ſe adſpernatur; niſi eodem tempore videat & amet ſummum bonum, ad cujus præſentiam omnis noſtra perfectio omniſque magnitudo noſtra evaneſcit.

Vid. 5. Dialogum Colloquiorum Christianorum.

Aug. in Iul. l.6.c.3.

Fateor concupiſcentiam meriti materiam poſſe nobis præbere; ac maximè æquum eſſe mentem ad tempus ægrè ſequi ordinem, ut pro hoc merito digna habeatur quæ illi ordini in æternum cum voluptate ſubjiciatur. Deum prævîſo peccato, hoc fine concupiſcentiam permiſiſſe non inficior. Sed cùm concupiſcentia non ſit abſolutè neceſſaria ad merendum; ſi Deus eam permiſerit, id eo conſilio fecit, ut nemo bonum poſſet facere ſine auxilio quod Jeſus Chriſtus nobis meritus eſt, atque ne homo propriis viribus ſuis gloriaretur. Clarum enim eſt hominem non poſſe ſibi bellum inferre, ac ſeſe vincere, niſi animetur ſpiritu Jeſu Chriſti, qui utpotè fidelium caput, ipſis diſpoſitiones motibus concupiſcentiæ à primo homine oriundæ omninò oppoſitas dat.

XVI.

Poſito igitur quòd infantes cum concupiſcentia naſcuntur, ipſos peccatores eſſe evidenter ſequitur, cùm ipſorum cor versùs corpora quantùm poteſt converſum ſit. In ipſorum voluntate nihil adhuc eſt præter amorem, & quidem ille amor eſt inordinatus. In ijs itaque nihil eſt quod Deus poſſit amare, cùm Deus amare nequeat inordinationem.

XVII.

At verò cùm in Chriſto fuerunt regeniti, hoc eſt, cùm ipſorum cor versùs Deum converſum fuit, ſine motû actuali amoris ſive diſpoſitione internâ ſimili diſpoſitioni quæ remanet poſt actum aliquem amoris erga Deum: Tum cõcupiſcentia non ampliùs eſt peccatum in ipſis: Tum enim non ampliùs ſola eſt in corde ipſorum; ei non ampliùs dominatur. Amor habitualis in ipſis remanens gratiâ Baptiſmatis in Jeſu Chriſto, liberior aut fortior eſt amore in ipſis habitante per concupiſcentiam ab Adamo contractam. Similes ſunt Juſtis qui per ſomnum concupiſ-

cen-

centiæ motûs ſequuntur, gratiam Baptiſmatis non amittunt, quia iſtis motibus liberè non conſentiunt.

XVIII.

Nec ita mirum videri debet, ſi poſſe fieri credam, ut infantes baptizationis inſtanti, Deum amore libero ament. Cùm enim ſecundus Adamus priori ſit contrarius, cur tempore regenerationis non liberabit infantes ex ſervitute corporis cui mancipati tantùm ſunt propter primum Adamum: Ut illuminati, & excitati gratiâ vivâ & efficaci ad Deum amandum, ipſum omnes ament amore libero & rationali, primo Adamo nihil obſtante. Nemo unquam deprehendit, inquiet aliquis, ipſorum corpus vel per unicum momentum deſinere agere in mentem: ſed quis miretur ſe non videre id quod viſibile non eſt. Unicum momentum ſufficit ad patrandum illum actum amoris. Cùm autem ille actus poſſit formari in mente, nullis ex eo impreſſis veſtigiis cerebro, mirandum quoque non eſt, adultos ipſos dum baptizantur non ſemper meminiſſe iſtius actûs: Quippe memoria eorum quæ nulla cerebro inſculpunt veſtigia non conſervatur.

XIX.

Veterem hominem ſeu concupiſcentiam cum Jeſu Chriſto crucifigi, noſque mortuos & ſepultos eſſe cum eo per Baptiſma nos docet Divus Paulus. Nunquid id fieret quia tum liberamur ab impetû corporis in mentem, concupiſcentiaque veluti extincta eſt hoc inſtanti? Verùm equidem eſt illam reviviſcere: ſed cùm ſemel deleta fuerit, ac infantes in eo permiſerit ſtatu ut amarent Deum, ipſis ampliùs officere nequit, quamvis in iis reviviſcat. Cùm enim, duplex amor in corde ſit: amor naturalis, & amor liber; ordo poſtulat ut ſolius amoris liberi ratio habeatur: Ac ſi infantes in Baptiſmate amarent Deum actû nullatenùs libero, corpora poſteà multis actibus ejuſdem ſpeciei amantes; Deus fortè non poſſet ordinem ſequendo unicum actum pluris facere multis actibus, iiſque omnibus naturalibus, & non liberis. Seu potiùs ſi amores illi contrarij inter ſe vi æquales eſſent, poſtremi rationem habere deberet; eadem ratione qua cùm in uno corde duo amores liberi inter ſe contrarij fuerunt, Deus poſterioris ſemper habet rationem, cùm gratia amittatur unico peccato mortali.

XX.

Negari tamen non poteſt Deum poſſe, nequaquàm ſuſpenſâ dominatione corporis in mentem infantis, ipſum reddere juſtum, aut ipſius voluntatem versùs ſe inflectere, in ipſius mentem indendo diſpoſitionem illi ſimilem quæ remanet poſt motum actualem amoris Dei. Verùm illa agendi ratio ad naturam æquè propè accedere non videtur ac alia; Clarè enim non concipimus, quid poſſent eſſe illæ remanentes diſpoſitiones. Id equidem mirum non eſt; cùm enim ideam mentis claram non habeamus; ut id alibi probavi, mirum non eſt nos non cognoſcere omnes modificationes quas poteſt ſuſcipere. At menti non poteſt ſatisfieri rebus quas clarè non percipit. Miraculum extraor-

Vid Cap. 7. 2. part. 1. Lib. & ipſius illuſtrat.

dinarium, videtur necessarium ut mens illas dispositiones acquirat sine actû praecedenti. Id fieri nequit per vias quae omnium simplicissimae videntur. Cùm è contra, secundo Adamo producente in mente infantis qui baptizatur prorsùs contrarium ab eo quod primus Adam in eadem mente anteà produxerat; sufficit ut regeneretur, Deum per vias ordinarias, quibus adultos sanctificare solet, in ipso agere. Cùm enim infans per illud temporis momentum nullis afficiatur sensationibus aut motibus quae ipsius cogitandi & volendi facultatem impleant; nihil impedit quominùs cognoscat & amet verum suum bonum. Plura non addo, quia necesse non est scire praecisè, quomodo fiat regeneratio infantium, modò vera in ipsis regeneratio, aut justificatio interna & realis ex actibus aut saltem habitibus fidei, spei, & charitatis nata, admittatur. Si Explicationem praejudiciis adeò contrariam proposui, id eo consilio feci, ut ijs etiam satisfacerem, qui nolunt admittere habitus spirituales, ipsisque probarem possibilitatem regenerationis infantium; namque *imputatio* manifestam contradictionem involuere mihi videtur; Deus enim non potest habere ut justas, & amare actû creaturas quae actû sunt in statû peccati; quamvis possit propter Jesum Christum consilium inire eos in ordinem restituendi, & actû amandi postquàm resipuerint.



OBIECTIONES ADVERSVS ARGVMENTA & Explicationes Peccati Originalis.

OBIECTIO
ADVERSUS PRIMUM ARTICULUM.

Ad singulas objectiones recurrendum est ad art. in quem facta fuit.

DEUS vult ordinem, id quidem verum est; verùm voluntas ipsius instituit illum ordinem, non verò supponit. Quicquid Deus vult est juxtà ordinem, non aliâ de causâ, quàm quia ipse id vult. Si Deus velit mentes corporibus submitti, ipsa amare & timere, non est contrà ordinem: Si Deus vellet bis 2. non esse 4. is non mentiretur qui diceret bis 2. non esse 4. id verum esset. Deus est principium omnis veritatis: Magister omnis ordinis: nihil supponit, nec veritatem, nec ordinem: omnia ipse efficit.

Responsio.

Omnia igitur eversa sunt. Nulla ampliùs est scientia, nulla Ethica, nulla argumenta pro Religione quorum vis eludi non possit. Haec

conſequentia videbitur clara cuicumque aſſequutus fuerit falſum illud principium; Deum ſcilicet producere ordinem & veritatem voluntate prorsùs libera. Sed reſpondeamus accuratiùs.

Reſpondeo igitur Deum nil poſſe agere & velle ſine cognitione; atque ita ipſius voluntates aliquid ſupponere; ſed id quod ſupponunt non eſt quid creatum. Ordo, veritas, ſapientia æterna, eſt exemplar omnium Dei operum: Jam verò illa ſapientia non eſt creata: Deus qui omnia fecit illam tamen nunquam fecit, quamvis ipſam Deus perpetuò ex ſuæ eſſentiæ neceſſitate gignat.

Quicquid Deus vult eſt juxtà ordinem, eâ ſolâ de cauſâ quòd Deus, id vult; fateor; ſed res ſic ſe habet, quia Deus non poteſt adversùs ſeipſum, adversùs ſapientiam & lumen ſuum agere. Poteſt eqnidem nihil producere ad extrà. Sed ſi agere velit, non poteſt quin ſequatur ordinem immutabilem ſapientiæ quam neceſſariò amat: Nam Religio, & ratio Deum, ſine Filio, Verbo, & Sapientia ſua nihil agere me docent. Non dubito igitur dicere Deum non poſſe poſitivè velle ut mens ſubjiciatur corpori; quia hęc ſapientia ſecundùm quam Deus vult quicquid vult, mihi clarè notificat id eſſe contra ordinem. Atq; id in illa ipsà ſapientia clarè video: Quia illa eſt ratio ſuprema & univerſalis, quam omnes mentes participant, ob quam omnes intelligentiæ ſunt creatæ, per quam omnes homines ratione gaudent. Quippe nemo inter mortales eſt ſibi ipſi ratio, ſapien ia, & lumen. Niſi forſan cùm alicui eſt ratio peculiaris à ratione univerſali diverſa, falſus ſplendor pro vera luce, & mera ſtultitia pro ſapientia.

Ut plerique homines haud diſtinctè norunt, ſolam ſapientiam æternam ipſos illuminare, ideaſque intelligibiles quæ ſunt objectum immediatum ipſorum mentis creatas non eſſe: eo adducti principio, leges æternas veritateſque immutabiles tales inſtitutas eſſe voluntate Dei libera arbitrantur. Atque illo præjudicio præpeditus Carteſius dixit Deum potuiſſe efficere ut bis quatuor non eſſent octo, utque tres anguli cujuſpiam trianguli non eſſent æquales duobus rectis, quia *nullus eſt ordo*, inquit, *nulla lex, nulla bonitatis & veritatis ratio quæ à Deo non pendeat*, & quia ipſe *ab æterno decrevit, & inſtituit ut ſupremus Legislator veritates æternas.* Nempe, Doctiſſimus ille Philoſophus ſatis non attendebat eſſe ordinem, legem, rationem ſupremam quam Deus amat neceſſariò, quæ ipſi coæterna eſt, & ſecundùm quam neceſſe eſt ipſum agere, ſi modò velit agere. Deus enim indifferens eſt in operibus externis, verùm non eſt indifferens, quamvis ſit planè liber; in modo agendi: ſemper modo ſapientiſſimo & perfectiſſimo agit: ordinem immutabilem & neceſſarium ſemper ſequitur. Ita, Deus poteſt nec mentes, nec corpora creare; ſed ſi duo illa entium genera creet, illà debet creare per vias ſimpliciſſimas, & in ordinem perfectiſſimum digerere. Poteſt, e. g. unire mentes corporibus, ſed ipſum non poſſe mentes corporibus ſubjicere defendo; niſi pro ordine quem ſemper ſe-

Reſponſio ad ſextas objectiones adverſus Medit. art. 6. art. 8.

Vid. Illuſtr. c. 6. 2. part. l. 3

quitur, peccatum ad id ipsum adigat, ut jam exposui articulo septimo, & in primâ observatione sub finem.

Ut nonnullis instantiis quibus urgeri possem occurram, operæ pretium me facturum esse puto, si moneam, homines immeritò sese ipsos consulere, quum doceri volunt quid Deus facere, aut velle possit. De ipsius voluntatibus ex inclinationum suarum conscientia seu sensû interno judicare non debent. Deum sæpè injustum, crudelem, peccatorem, non verò potentem efficerent. Principium illud generale omnium præjudiciorum quibus occæcantur abdicare debent, quo de omnibus relatè ad seipsos judicant; idque solum Deo tribuere quod clarè concipiunt includi in idea entis summè perfecti: De rebus enim judicandum non est nisi per ideas claras. Tunc Deus quem adorabunt non erit similis Diis veterum Ethnicorum, qui ut ipsorum fictores crudeles, adulteri, & libidinosi erant. Immò nec similis erit Deo nonnullorum Christianorum, qui ut illi omnem potentiam quâ peccator pollere optaret affingant, ipsi dant potestatem agendi contrà omnem ordinem, peccatum impunitum relinquendi, & homines adjudicandi pœnis æternis quantumvis justos & insontes.

SECVNDA OBIECTIO
CONTRA ARTICULUM PRIMUM.

Si Deus velit ordinem secundùm quem fiunt monstra; haud dico inter homines, quippe qui peccaverunt; sed inter animalia, & plantas. Quænam est causa corruptionis generalis in aere quæ tot morbos gignit; Quo ordine tempestates solitum non observant ordinem, sol aut gelu comburit fructûs terræ? An id vocaveris cum ordine & sapientia agere, dare animali membra prorsùs inutilia, ut fructûs formati gelu pereant permittere? Nonne satiùs est dicere Deum facere quodcumque ipsi lubet, ipsumque supra omnem ordinem legemque esse. Etenim ut de rebus majoris momenti agamus quàm de fructibus, de quibus quodlibet fieri potest; certè terra ex qua Deus conficit vasa ad iram, eadem est ex qua parat vasa ad misericordiam.

Responsio.

Ejusmodi difficultates ad id tantùm aptæ sunt ut veritatem obscurent, quia ex mentis tenebris duntaxat oriuntur. Sciunt homines Deum justum esse; sciunt pariter malos esse beatos: quid? an id negabunt quod vident? an id in dubium vocabunt quod sciunt; quia fortè nonnulli satis erunt stupidi ut ignorent, alii verò satis audaces, & prophani ut non credant id quod Religio de pœnis æternis nos docet. Pariter sciunt homines Deum esse sapientem, ipsumque nihil facere

quod bonum non sit; vident tamen monstra, vident opera imperfecta. Quid igitur credent? Deum aberrasse, aut illa monstra ab ipso non esse? Certè vir cui mens erit sana & firma neutrum credet. Quippe Deum omnia facere certò constat, & ab ipso nil posse fieri quod perfectum non sit quantùm esse potest, pro simplicitate & paucitate modorum quibus utitur ad suum formandum opus. Tenaciter adhærendum est iis quæ videmus, nec sinendū ut cōmoveamur difficultatibus quæ ob ignorantiam nostram solui nequeunt. Si ignorantia formet difficultates quæ principia solidiùs statuta evertāt, quid inter homines quibus omnia scire non datum est certi erit ampliùs? Quid! luces fulgentissimæ non poterunt discutere minimas tenebras? ac tenebræ levissimæ lumina clarissima & vividissima obscurabunt?

Verùm enim verò quamvis sine ullo principii nostri detrimento, possemus non respondere difficultatibus ejuscemodi; haud abs re tamen erit ostendere, nobis non deesse quæ illis respondeamus. Nam mens humana in judiciis suis ita obliqua est, ut opiniones quæ ex illis difficultatibus imaginariis sequi videntur, præferre posset, veritatibus certis, quæ in dubium non possunt venire, nisi apud eos quibus est dubitandi animus; quique eo consilio ab illis difficultatibus examinandis abstinent. Dico igitur Deum velle ordinem, quamvis sint monstra; immò esse monstra quia Deus vult ordinem. Cujus rei hæc est ratio.

Leges naturæ, per quas Deus infinitam quę in orbe deprehenditur varietatem producit, simplicissimas & paucissimas esse postulat ordo. Jam autem simplicitas illa legum generalium in quibusdam casibus specialibus, & propter dispositionem subjecti, producit motûs irregulares, seu potiùs combinationes monstrosas: ac perconsequens monstra in rerum natura fiunt quia Deus vult ordinem. Itaque Deus non vult positivè, seu directè dari monstra; sed vult positivè quasdam leges communicationis motuum, ex quibus monstra necessariò sequuntur: quia leges illæ quamvis simplicissimæ, sunt tamen idoneæ ad producendam illam formarum varietatem omni admiratione majorem.

Exempli gratiâ, secundùm leges genereles communicationis motuum quædam corpora pelluntur propemodùm versùs centrum terræ: corpus alicujus hominis seu alicujus animalis est unum ex illis corporibus: quod ipsum sustinet in aëre liquescit sub ipsius pedibus: an justum est, & ordini congruum Deum voluntates suas generales illius specialis casûs ergo mutare? Certè id verisimile non videtur. Oportet igitur ut illud animal conterat sibi corpus aut aliquo membro mutiletur. De generatione monstrorum idem ferendum est judicium.

Ordo equidem vult omnia entia habere quicquid ipsis necesse est ad conservationem & propagationem speciei: dummodò per vias simplicissimas & sapientiâ divinâ dignas id fieri possit. Ac videmus quidem animantibus, & plantis ipsis suppetere rationes generales conservandæ & propagandæ speciei. Ac si ejusmodi rationes nonnullis desint animalibus in quibusdam casibus specialibus, id factum est quia leges

generales ſecundùm quas formata fuere, id ferre non potuerunt, quoniam leges illæ non illa ſola ſpectant animalia; ſed in genere omnia entia; jam autem bona publica privatis ſunt anteponenda.

Certè ſi Deus unicum formaret animal, illud monſtroſum non efficeret ſed ordo poſtularet ut Deus illud animal per eaſdem non formaret leges per quas omnia nunc format. Nam actio Dei ipſius propoſito attemperata eſſe debet Deus per leges naturæ non unicum animal, ſed mundum condere vult. Illumque per vias ſimpliciſſimas, ut id ordo poſtulat condere debet. Sufficit igitur mundum illum non eſſe monſtroſum, aut effectûs generales dignos eſſe legibus generalibus, ut nihil ſit in opere Dei quod carpi queat.

Si Deus leges ſpeciales adſcripſiſſet omnibus ſpecialibus mutationibus; aut ſi in unaquaque re naturam ſeu principium ſpeciale omnium ipſius motuum inſtituiſſet, inter tot ordini manifeſtò repugnantia, difficile revera foret omnem culpam ab ipſo amovere. Neceſſe forſan eſſet fateri aut Deum non amare ordinem, aut ipſum non poſſe mederi inordinationi: Etenim qui numerum propè infinitum cauſarum ſecundarum, virtutum, qualitatum, facultatum naturalium ijs naturæ ludis ſeu aberrationibus vulgò dictis alligant, ſapientiæ & potentiæ infinitæ Authoris rerum omnium injuriam haud dubiè inferunt.

OBIECTIO
CONTRA SECUNDUM ARTICULUM.

Deus non poteſt agere propter ſe. Qui ſapiens eſt nihil facit inutile. Jam autem quicquid Deus faceret propter ſe eſſet inutile; Ipſi enim nihil deeſt, Deus nihil ſibi vult; ſi ex eſſentiæ neceſſitate habeat quicquid ſibi poſſet velle. Jam verò ſi Deus nihil optet ſibi, nihil facit propter ſe; quandoquidem tantùm agit per efficacitatem voluntatum ſuarum. Iſta eſt boni natura ut ſeſe communicet & diffundat; utile ſit aliis non verò ſibi; ut quærat, ac ſi poſſit creet quos beatos efficiat? Cùm itaque Deus ſit eſſentialiter & ſummè bonus, ipſum propter ſe agere repugnat.

Reſponſio.

Deus poteſt agere *propter ſe* bifariam: vel ut aliquam percipiat utilitatem ex eo quod agit; vel ut ipſius creatura ſuam in ipſa nanciſcatur felicitatem & perfectionem. Nunc non excutio an Deus agat propter ſe primo modo, & an aliquem ſibi conciliaturus honorem ſe dignum, omnia fecerit & reſtauraverit per Filium, in quo, Scriptura teſtante, omnes creaturæ ſubſiſtunt. Defendo duntaxat Deum nec poſſe creare, nec conſervare mentes ut cognoſcant & ament creaturas; Lex immutabilis, æterna, neceſſaria fert, ut cognoſcant & ament Deum, ut ter-

tio articulo expositum est. Itaque objectio illa non impugnat principium meum, facit potiùs pro illo: Ac si natura boni in eo consistat ut sese communicet & diffundat (illud enim axioma jam non exigo) hinc patet Deum utpotè essentialiter & summè bonum non posse, non agere propter se; eo sensu quem induco.

OBIECTIO

CONTRA QUARTUM ARTICULUM.

Cùm ignorantia sit consequentia peccati, Adam ante lapsum perfectâ pollere debebat cognitione naturæ corporis sui & circumjacentium. Necesse, exempli gratia, fuit, ipsum penitùs cognovisse naturam omnium animalium ut ipsis nomina unicuique accommodata imponeret.

Responsio.

Errant qui id objiciunt. Ignorantia nec est malum, nec series peccati; at verò error seu occæcatio mentis est malum & sequela peccati. Deus solus omnia novit, nihilque ignorat. In intelligentijs maximè illuminatis est ignorantia. Quicquid finitum est non potest capere infinitum. Itaque nulla est mens finita quæ vel possit capere omnes triangulorum proprietates. Adam in momento creationis omnia noverat quæ ipsum nosse necesse erat; nihil prætereà: Nec necesse erat ipsum cognoscere exactè dispositionem omnium partium corporis sui, & corporum ambientium. Rationes attuli articulo supra notato & alibi.

Impositio nominum denotat potiùs in Scriptura authoritatem quàm cognitionem perfectam. Ut Dominus cœli fecerat Adamum terræ Dominum, Adamum animalibus nomina indere consentiebat, ut ipse dederat stellis. Evidens est sonos aut voces nullam habere, nec habere posse relationem cum rebus quas significant quicquid dicant Divinus Plato, & Mysteriosus Pythagoras. Posset forsan explicari natura Equi, aut Bovis in libro integro, sed una vox non est liber. Ac ridiculum est arbitrari monosyllaba ut *Sus* quod Hebraicè significat equum & *Schor* quod significat bouem, repræsentare naturam istorum animalium. Verisimile tamen est Adamum istæc nomina istis animalibus imposuisse; cùm reperiantur in Genesi. Et ipse Author Geneseos asserit nomina quæ Adamus dedit animalibus, eadem quæ suo tempore usurpabantur fuisse. Haud credo enim ipsum aliud designare his verbis. *Omne quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus.* Sed, do Adamum animalibus imposuisse nomina quæ aliquam habeant analogiam cum ipsorum natura, ac eruditis cujusdam hujus sæculi authoris ethymologiis calculum lubens adjicio. Volo primum hominem nuncupasse animalia domestica *Behemot* quia silent, arietem *Ajil* quia for-

[Margin notes: Omnibus eis nomina vocat. *Ps.* 47. — Cap. 49. 17. & 32. 5.]

tis est, hircum *Sair* quia est hirsutus; porcum *Chajir* quia habet parvos oculos, & asinum *Chamor*, quia in oriente multi extant asini rubri. Sed non video aliud Adamo necesse fuisse quam aperire oculos, ut cognosceret hircum esse hirsutum, asinum rubrum, & porcum habere parvos oculos. Adam nuncupat *Beir & Behema* id quod vocamus brutum aut grande animal domesticum, quia jumenta illa sunt muta & stupida: quid inde sequitur? Ipsum penitùs cognovisse illorum naturam? Id non est evidens. Certè vererer potiùs ut hæc inde eliciatur cõsequentia. Nempe Adamum ea fuisse simplicitate ut interrogaret bovem utpote inter animalia domestica maximum; at verò cùm ipsum nil respondere admirabundus vidisset, illum posteà in contemptûs argumentum vocavisse *Beir* & *Behemah*.

SECVNDA OBIECTIO

ADVERSUS ARTICULUM QUARTUM.

Sunt sensationes prævenientes incommodæ & molestæ: Atqui Adamus erat justus & innocens; Ergò iis non debebat affici: Ergo ubique, & usquequaque debebat rationis & lucis ductum sequi, non verò sensationibus iis quas nunc habemus similibus præverti.

Responsio.

Fateor equidem esse sensationes injucundas & molestas; At illæ nullum unquam primo homini facessebant negotium: quia eo ipso instanti quo ipsum molestabant, iis nolebat ampliùs affici; & desinebant ipsum afficere eo ipso momento quo id volebat. Sensationes illæ duntaxat ipsum reverenter admonebant quid sibi faciendum esset quid verò non: ipsius felicitatem non turbabant: per eas tantùm admonebatur se posse illam amittere, ac eundem Deum à quo omnis ipsius pendebat beatitudo, posse ipsum punire miserumque efficere; si ab illo deficeret.

Ut constet primum hominem nullo unquam dolore vivido ipsum subitò occupante fuisse affectum; duo duntaxat sunt consideranda. Primum; dolorem esse levissimum; quum motûs quibus alligatur sunt debilissimi; cùm dolor viribus motuum qui ad præcipuam usque cerebri partem communicantur semper attemperatus sit. Alterum motum suâ naturâ semper includere successionem temporis; nec posse esse violentum primo instanti quo excitatur. Hoc posito; primum hominem nullum unquam dolorem á quo præoccuparetur & miser fieret sensisse patet. Motûs enim ex quibus oriebatur ille dolor sistere poterat; at si verum est ipsum potuisse illos sistere eo ipso temporis momento quo agere inchoabant; certè illos sistebat; quippe felicitatem appetebat, & sensus doloris naturâ suâ aversationem movet.

Adam igitur nullum unquam dolorem violentum patiebatur: at

non

non video quicquam ad id nos adstringere ut etiam negemus ipsum levibus affectum fuisse doloribus, qualem sentire solemus, cùm de fructû immaturo delibamus ipsum maturum esse credentes. Certè ipsius felicitas admodum mediocris fuisset, si tam levi de causa turbari potuisset: nam delicatula constitutio est debilitatis argumentum; Et sanè voluptas ac gaudium sunt parum solida, cùm adeò facilè interrumpuntur, & evanescunt. Dolor felicitatem verè interrumpere nequit, nisi quum involuntarius est, ac nobis invitis subsistit; Jesus Christus cruci affixus, beatus tamen adhuc erat, quamvis acerrimis affectus doloribus, quia nihil patiebatur quod lubens non pateretur. Cùm itaque Adam nihil invitus perferret; non est quod quis dicat nos ipsum efficere infelicem ante peccatum, quia hîc supponimus, ipsum sensationibus prævenientibus sed moderatis, & submissis monitum fuisse, de ijs quæ ad vitæ conservationem vitanda habebat.

OBIECTIO
CONTRA QUINTUM ARTICULUM.

Adam voluptatibus prævenientibus afficiebatur: Sed voluptates prævenientes sunt motûs involuntarij: Ergò Adam motibûs involuntarijs agitabatur.

Responsio.

Respondeo; in Adamo sensationes prævertisse rationem; Idque probavi in articulo quarto. Sed nego illas ipsius voluntatem prævertisse, aut in ipsa speciales quosdam motûs excitasse. Namque Adam per istas sensationes de ijs quæ sibi ad vitæ conservationem essent agenda equidem admoneri volebat. At verò invitus agitari nolebat; id enim involuit contradictionem. Præterea cùm veritatis contemplationi non interruptè incumbere volebat; ipsius & sensus, & affectus altum silebant; Id ordo postulat & ex imperio absoluto quo in corpus pollebat necessariò sequitur.

Respondeo secundò; Voluptatem mentis nequaquam idem esse cum ipsius motu & amore: voluptas & amor sunt modificationes mentis; at voluptas nullam habet relationem necessariam ad objectum quod illam parere videtur; amor ad bonum necessariò refertur. Voluptas est menti id quod figura est corpori; & motûs est corpori id quod amor est menti. Jam autem motûs corporis ab ipsius figura longè differt. Volo equidem mentem quæ versus bonum indesinenter fertur, ad illud faciliùs, ut ita loquar progredi, quum sensû voluptatis afficitur, quàm quum dolorem patitur: quemadmodùm corpus impulsum faciliùs movetur cùm figurâ est sphæricâ, quam ubi figuram cubicam habet; sed figura corporis differt ab ipsius motu; ac potest esse sphæricum & quiescere. Verùm equidem est de spiritibus rem secùs se habere ac de corporibus. Illi voluptate affici non possunt quin sint in motu; quoniam Deus qui ipsos propter se creat & conservat, ipsos versùs bonum

V. Illustr. ad Cap. 3 Lib 5.

indesinenter impellit: sed id non probat voluptatem idem esse in mente ac ipsius motum; quippe duo quamvis diversa, possunt tamen simul occurrere.

Respondeo denique, licèt voluptas non differret ab amore seu motû mentis, voluptatem quam primus homo sentiebat in usu bonorum corporeorum, ipsum non tulisse ad amanda corpora. Voluptas fert mentem versùs objectum quod illam in ipsa parit; concedo; At fructus quem comedimus cum voluptate ipse non est qui parit in nobis voluptatem illam; Corpora non possunt agere in mentem, illamque ullo modo beatam efficere. Deus solus id potest efficere. Erramus dum cogitamus corpora in se habere id quod sentimus ipsorum occasione. Adam ante peccatum ita stupidus non erat, ut arbitraretur corpora esse veras ipsius voluptatum causas. Itaque motus cum voluptatibus ipsius conjunctus, ipsum non ferebat versùs corpora. Si voluptas primi hominis lapsui aliquid contulit; certè id non contulit efficiendo in ipso id quod jam efficit in nobis. Id duntaxat contigit quia implendo & dispescendo ipsius cogitandi capacitatem, in ipsius mente veri boni, & officij præsentiam diminuit aut delevit.

OBIECTIO

CONTRA ARTICULUM SEXTUM.

An verisimile est voluntatem Dei immutabilem ab humana voluntate dependisse? in lege generali communicationis motuum datas fuisse exceptiones in gratiam Adami?

Responsio.

Saltem evidens non est non posse dari tales exceptiones. Jam autem postulat ordo immutabilis corpus subjici menti; & contradictorium est Deum non amare, & nolle ordinem: * Deus enim necessariò amat Filium suum. Ergò necesse erat ante peccatum primi hominis, dari in ipsius gratiam exceptiones in lege generali communicationis motuum. Id forsan apparet paulò abstractius. Ecce aliquid clarius.

* In Illustr. circa naturam idearum explicabo specialiùs quid sit ordo, & cur Deus illum amet necessariò.

Homo, quamvis peccator, brachium suum, pro lubitû movere, & sistere potest. Ergò pro varijs hominis voluntatibus, spiritûs animales determinantur ad producendos aut sistendos quosdam motûs in ipsius corpore, quod certè fieri nequit per legem generalem communicationis motuum. Cùm igitur voluntas Dei etiamnum hodie nostræ submittatur, cur & Adami voluntati submissa non fuisset? Si bono corporis & societati civili consulturus Deus cohibuit in peccatoribus communicationem motuum; cur illam non stitisset in homine justo, in ipsius mentis bonum, & ad fovendam unionem & societatem quam

cum ipso habebat; Deus enim eũ propter se duntaxat condiderat. Cùm Deus nullam velit inire societatem cum peccatoribus. Ipsis post peccatum ademit potestatem, qua poterant, ut ita dicam, deponere corpus, ut cum ipso Deo unirentur. Sed ipsis illibatam reliquit potestatem sistendi aut mutandi communicationem motuum relatè ad conservationem vitæ, & ad societatem civilem; quia noluit suum destruere opus; & quia etiam antequam ipsum formasset, illud, juxtà Divum Paulum, in Christo restituere & restaurare decrevit.

OBIECTIO

CONTRA SEPTIMUM ARTICULUM.

Homo corpus suum undique adhuc transfert: omnes ipsius partes, quarum motus ad bonorum investigationem & malorum sensibilium fugam necessarius est, pro lubitu movet. Ac per consequens sistit, aut mutat singulis momentis communicationem naturalem motuum, non modò propter res parvi momenti; sed etiam propter res inutiles vitæ & societati civili, quibus vita breviatur, Deusque ad iram provocatur. Deus vult ordinem, id equidem fateor. Sed Deus postulat-ne ut leges motuum violentur propter malum, & sint inviolabiles propter bonum? Cur homo motûs quos in ipsius corpore excitant objecta sensibilia cùm illi motus impediant quominus bonum patrare, ad Deum postliminiò reverti, & respicere queat sistere non posset; cùm tamen possit adhuc tot mala in mundo patrare, linguâ, brachiis, cæterisque corporis partibus quarum motus ab ipsius voluntate pendet?

Responsio.

Ut huic objectioni satisfiat, animavertendum est hominem post peccatum debuisse in nihilum reverti. Cùm enim non ampliùs esset in ordine, nec posset in ordinem regredi, existere ampliùs non debebat. Deus nihil amat præter ordinem. Illum igitur Deus non amat, peccator igitur non potest subsistere, cùm creaturæ non subsistant nisi quia Deus vult ipsas existere; jam autem Deus non vult ipsas existere nisi ipsas amet. Peccator non potest etiam per se in ordinem regredi; quia non potest per se ipsum sese justificare: quicquid perferre potest ipsius noxam æquare nequit. Ergo in nihilum reverti deberet. Sed quia à ratione abhorret ut Deus opus faciat ad ipsum annihilandum aut ad permittendum ut in statum labatur ipso nihilo pejorem; evidenter patet Deum hominem non conditurum fuisse nec ipsius peccatum permissurum, nisi in consilio æterno decrevisset incarnationem Filii in quo omnia subsistunt & ex quo mundus pulchritudinem, perfectionem, & magnitudinem, sapientiâ & potentiâ ipsius authoris dignissimam recipit.

Vid. 5. Dialogum Colloquiorum Christianorum.

Potest igitur considerari homo post peccatum utpote sine restauratore existens, sed expectans Restauratorem. Si sine Restauratore consideretur; clarum esse ipsum cum Deo societate conjungi non debere; nulla in se ipso vi præditum esse quâ possit ad Deum reverti: à Deo repelli & malè excipi debere, cùm corpori renunciare ut cum ipso uniatur satagit; hoc est hominem post peccatum privari debere facultate sese expediendi ab impressionibus sensibilibus & à motibus concupiscentiæ. Immò ob rationes allatas in nihilum deberet redigi. Sed expectat Restauratorem, & si tanquam illum Restauratorem expectans consideretur, patet ipsum subsistere debere una cum posteris suis ex quibus nasci debet Restaurator: atque ita necesse esse ut homo post peccatum, conservet adhuc potestatem diversè movendi omnes corporis partes quarum motûs ipsius conservationi possunt conferre.

Fateor equidem homines potestate qua pollent excitandi quosdam motûs continuò abuti; potestatemque, exempli gratiâ, qua linguam variè movere possunt, innumerabilium malorum esse causam. Sed si ad rem attendatur potestatem illam omnino necessariam esse ad fovendam societatem, ad sese mutuò erudiendos circa Religionem, quæ istius liberatoris per quem mundus subsistit spem facit, clarè patebit si attentè expendamus quosnam motûs possimus in nobis excitare, & in quibus corporis partibus eos excitemus, manifestum erit, Deum eam duntaxat nobis reliquisse potestatem in corpus quæ ad vitam conservandam, societatemque fovendam necessaria est. Palpitatio cordis, exempli gratia, dilatatio diaphragmatis, motus peristalticus viscerum circulatio spirituum & sanguinis, variique nervorum motus in affectibus excitantur in nobis inconsultâ mente. Cùm prope iidem semper esse debeant in omnibus casibus; Deus non tenetur eos submittere nunc voluntati hominum. Sed cùm motûs musculorum ad linguam, crura, & brachia movenda necessariorum, singulis momentis mutari debeant pro varietate propemodùm infinita objectorum bonorum, seu malorum quibus circumdamur, istos inquam, motûs à voluntate humana pendere necesse fuit.

Jam autem attendum est Deum semper agere per vias simplicissimas legesque naturæ debere esse generales; cùm itaque nos donaverit potestate movendi brachia nostra, & linguam, nobis non debet adimere potestatem percutiendi hominem immeritò aut ipsum calumniis proscindendi. Si enim facultates nostræ naturales penderent à consiliis nostris, nulla esset uniformitas nullaque regula certa in legibus naturæ quæ tamen debent esse simplissimæ & generalissimæ, ut sapientiâ Divinâ dignæ sint & ordini conformes. Adeò ut Deus sequendo decreta sua, malit facere τὸ *materiale* peccati, ut loqui amant Theologi, aut inservire iniquitati hominum, ut loquitur Propheta, quàm voluntates suas mutare, ad coercenda peccati mala. At ultionem tanti abusûs differt ad tempus illud quo illibata decretorum immutabilitate po-

rerit illam sumere: hoc est postquam corporibus hominum voluptati addictorum morte corruptis; Deus non ampliùs obligabitur necessitate quam ipse sibi imposuit ipsis dandi sensationes, & cogitationes quæ ad illud corpus referantur.

OBIECTIO

CONTRA ARTICULUM UNDECIMUM ET DUODECIMUM.

Peccatum originale hominem non modò corpori & concupiscentiæ motibus mancipat, illum etiam vitijs naturâ suâ omnino spiritualibus replet: Non modò corpus infantis ante baptismum corruptum est, sed ipsa mens, ipsiúsque facultates peccato labefactatæ fuerunt. Quamvis corporis rebellio sit principium quorundam vitiorum crassorum ut sunt intemperantia, & impudicitia; non tamen est causa vitiorum merè spiritualium ut superbiæ, & invidiæ: Itaque peccatum originale longè differt à concupiscentia cum qua nascimur; & verisimile est illud consistere in privatione gratiæ, seu justitiæ originalis.

Responsio.

Fateor infantes privari justitiâ originali: Immò id probo ostendendo ipsos non nasci justos, & in Dei odium incurrere. Namque, non potest, opinor, dari, idea clarior justitiæ, & rectitudinis, quàm dicendo voluntatem esse rectam quum amat Deum, ac esse inordinatam quum versùs corpora inflectitur. At si per justitiam aut gratiam originalem intelligantur quædam qualitates incognitæ, ijs similes quas Deus dicitur respersisse in mente primi hominis, ad ipsam ornandam & efficiendam acceptam oculis suis; adhuc evidenter patet privationem hujus justitiæ non esse peccatum originale; nam, propriè loquendo ista privatio non transmittitur. Si infantes istis non præditi sunt qualitatibus, id fit quia Deus illas ipsis non impertitur; Si illas ipsis non dat, id fit quia illis indigni sunt. Illa igitur indignitas est quæ transmittitur, quæque causa est privationis justitiæ originalis. Itaque illa indignitas est propriè peccatum originale.

Illa autem indignitas quæ, ut ostendi, consistit in eo quod inclinationes infantium actû sint corruptæ; ipsorum cor versùs corpora sit conversum, illaque ament, est reipsâ in illis: non est imputatio peccati parentis; actû sunt inordinati. Quemadmodùm qui in Christo, cujus Adam erat figura, justificantur, non justificantur per imputationem: Actu restituti sunt in ordine per justitiam internam, diversam à justitia Jesu Christi, quamvis Christus ipsis illam meritus sit.

Mens duas tantùm habet relationes naturales seu essentiales alteram ad Deum, alteram ad corpus cui unitur. Jam verò relationem seu unionem quam cum Deo habet ipsam corrumpere aut vitiosam efficere

non posse evidenter patet. Ergo eo temporis instanti quo creatur talis non est, nisi per relationem quam habet cum corpore. Itaque necessariò dicendum est aut superbiam, & cætera vitia quæ spiritualia appellantur, posse communicari per corpus, aut infantes illis non esse obnoxios nativitatis momento. Dico nativitatis momento; quippe non nego pravos istos habitûs posse comparari quàm facillimè. Quamvis puræ intelligentiæ nullam aliam habeant relationem quàm ad Deum, & nativitatis momento nulli vitio essent obnoxiæ, tamen lapsæ sunt: sed id tantùm contigit quia libertate suâ perperam usæ sunt; jam autem infantes libertate neutiquàm utuntur, nam peccatum originale non est liberum.

Verùm, ad rem, illos hallucinari arbitror, qui existimant rebellionem corporis duntaxat causam esse vitiorum crassorum, quales sunt intemperantia, & impudicitia; non verò illorum quæ spirituolia dicuntur: ut sunt, superbia, & invidia, ac pro certo habeo tantam esse analogiam inter dispositiones cerebri nostri, & dispositiones mentis nostræ, ut nullus fortè sit malus habitus in mente, qui suum non mutuetur principium à corpore.

Divus Paulus in multis Epistolarum locis appellat legem carnis, sapientiam carnis, desideria carnis, & opera carnis, quicquid contrarium est legi spiritus: vitiorum spiritualium nullam habet mentionem: idolatriam, hæreses, dissensiones, & multa alia vitia quæ spiritualia dicuntur, inter opera carnis refert, sese vanæ gloriæ, iræ, invidiæ, permittere, est secundum ipsum, sequi motûs carnis. Denique ex istius Apostoli verbis patet omne peccatum originem suam ex carne ducere; non quòd caro illud admittat; aut quòd spiritus hominis, sine gratia, aut sine spiritu Jesu Christi bonum faciat; sed quia caro ita agit in mentem hominis, ut ea nihil mali perpetret, quin ad id à carne fuerit priùs instimulata. Sic loquitur Paulus in Epistola ad Romanos. *Delector lege Dei quoad interiorem hominem. Sed video aliam Legem in membris meis belligerantem adversùs legem mentis meæ, & captivum reddentem me Legi peccati, quæ est in membris meis.* Et paulò inferiùs, *Ipse ego mente quidem servio Legi Dei, carne verò Legi peccati.* Sic in multis aliis Epistolarum locis loquitur. Itaque concupiscentia, aut rebellio corporis non fert modò ad vitia quæ carnalia seu impura dicuntur, sed prætereà ad ea quæ spiritualia existimantur. Id modo sensibili probare conabor.

Gal. 5.

Rom. 7.

Quum quis in aliquo mundanorum cœtu fortuitò occurrit, in ipsius cerebro vestigia mechanicè imprimi, & in spiritibus animalibus motûs, qui in ipsius mente gignunt cogitationes, & inclinationes pravas, excitari certum mihi videtur. Tunc temporis cogitationes nostræ non sunt naturaliter conformes veritati, nec inclinationes ordini. In nobis propter corporis & vitæ præsentis bonum nascuntur, quia à corpore excitantur; Itaque Dei præsentiam, cogitationemque de officio nostro à nobis eliminant: Atque eò duntaxat tendunt ut cæterorum hominum amicitiâ & existimatione digni habeamur. Arcana igitur illa su-

perbia quæ tum in nobis excitatur, est vitium spirituale, cujus principium est rebellio corporis.

Exempli gratiâ, si homines in quorum conspectu adstamus, ad aliquam dignitatem sint provecti, ipsorum Majestatis fulgore perstringimur, & percellimur: Ut vestigia ad ipsorum præsentiam cerebro nostro impressa, nonnunquam sunt maxima, motúsque vividissimi; vestigia illa toti corpori, ut ita dicam, illucescunt; per faciem diffunduntur; atque in nobis venerationem, timorem, omnésque mentis nostræ affectiones abditissimas manifestò retegunt; Dein vestigia illa per characteres illos sensibiles motuum internorum mentis nostræ, agunt etiam in hominem illum coram quo adstamus & cujus occasione omnes illi motûs fuêre excitati: In illo pariunt dispositiones ad mansuetudinem, & comitatem, ope vestigiorum quæ habitus noster venerabundus, seu timidus ipsius cerebro mechanicè insculpunt; illa autem vestigia in illius cerebro, modo quo dixi, excitata, in ipsius faciem transmissa, delent in ipsa Majestatem illam quæ primo intuitu sese conspiciendam præbuerat, & totum ejus corpus eo informant habitû quo terror è nobis excutitur, cui succedit confidentia. Itaque post multos characterum illorum sensibilium repercussus, multásque transmissiones, eam denique in habitu nostro induimus speciem, eamque agendi rationem instituimus quæ optimati illi allubescit.

Jam autem cùm omnes spirituum animalium motûs cum motibus mentis sint conjuncti, & vestigia cerebri cogitationibus mentis sint comitata. Manifestum est nos ut potè privatos potestate delendi illa vestigia, & sistendi illos motûs ad id, præsentiâ illius qui nobis imperat adigi, ut in omnes ipsius sententias, & voluntates descendamus, ipsique toti adhærescamus; quemadmodum ille ad id fertur ut sese nobis adjungat, licèt modo planè diverso. Atque hanc ob causam consuetudo cum mundanis superbiæ concupiscentiam excitat & auget; quemadmodùm consuetudines impuræ, cupediæ, voluptatum sensuum usurpatio, augent concupiscentiam carnis. Quod ad Ethicam observare admodum necesse est.

Utilissimum est dari in cerebro vestigia quæ hominem sibimetipsi indesinenter repræsentent, ut sui curam gerat; utilissimum quoque est alia dari vestigia quæ formandæ & fovendæ societati inserviant, cùm homines non nati sint ut solitariè vivant: sed ex quo illa vestigia delendi, pro lubitû, ac ubi expediret, potestatem amisit homo, ab ijs continuò ad malum instigatur. Cùm non possit quin semetipsum sibimetipsi perpetuò repræsentet, ad superbiæ, & vanitatis motûs, ad alios aspernandos, ad omnia in sui bonum vertenda indesinenter incitatur: & cùm non sit arbiter vestigiorum quibus ad fovendam cum aliis societatem sollicitatur; obsequii, adulationis, invidiæ, & similium affectuum motibus, invitus agitatur. Itaque illa omnia vitia quæ spiritualia dicuntur à carne oriuntur, æquè ac impudicitia, & intemperantia.

Non modò ſunt in cerebro noſtro diſpoſitiones quæ in nobis excitant ſenſus, & motus tendentes ad propagationem ſpeciei, & conſervationem vitæ; fortè etiam plures ſunt quæ excitant in nobis cogitationes, & affectus, relatè ad ſocietatem, & ad vitæ noſtræ nec non amicorum tranquillitatem, ac ſecuritatem ſtabiliendam. Omnibus corporibus nos ambientibus naturâ unimur, & per illa corpora omnibus rebus quæ ad nos aliquatenùs referuntur. Jam autem non poſſumus iis uniri niſi per certas diſpoſitiones in cerebro exiſtentes. Cùm itaque non poſſimus impedire actionem illarum diſpoſitionum naturalium, unio noſtra vertitur in dependentiam, & per corpus noſtrum obnoxij ſimus omni vitiorum generi.

Non ſumus puræ intelligentiæ: omnes mentis noſtræ diſpoſitiones quaſdam in corpore producunt etiam diſpoſitiones, ſicut diſpoſitiones corporis excitant etiam pares diſpoſitiones in mente, credendum tamen non eſt mentem nihil omnino poſſe accipere niſi per corpus; ſed id fit quia quandiu ipſi unitur, nullas ſuſcipere poteſt mutationes in ſuis modificationibus quin corpus ipſum quaſdam etiam recipiat. Poteſt equidem illuminari aut excipere novas ideas, corpore eas nil participante; ſed id fit, quia ideæ puræ non ſunt modificationes mentis, ut id alibi probavi: hic non loquor de ideis ſenſibilibus, illæ enim ideæ includunt ſenſationem; jam autem omnis ſenſatio eſt modificatio mentis.

SECVNDA OBIECTIO

CONTRA ARTICULUM UNDECIMUM ET DUODEDIMUM.

Si peccatum originale tranſmittitur propter communicationem inter cerebrum matris & cerebrum infantis, mater eſt cauſa peccati, Pater verò nullas hic partes agit. Paulus tamen nos docet, per hominem peccatum introiviſſe in mundum: ne loquitur quidem de muliere, Ergo &c.

Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit. Rom. 5.

Reſponſio.

In iniquitatibus conceptus ſum & in peccatis concepit me mater mea. Pſalm. 50.

A muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur.

David ſe à matre, *in iniquitate conceptum fuiſſe* aſſerit, & Eccleſiaſticus dicit, *peccatum à muliere eſſe oriundum ac per illam nos omnes morti obnoxios eſſe.* Neuter de homine verba facit. D. Paulus contra dicit peccatum intraſſe in mundum per hominem, de muliere mentionem nullam agit. Qui conciliabuntur iſtæc teſtimonia; & uter amborum excuſari deberet, ſi alterutrum excuſare neceſſe eſſet? In ſermone vulgari nunquam mulieri tribuitur res quæ ad ipſam nullo modo ſpectat, quæque tota eſt hominis; ſed ſæpè homini tribuitur quod ſpectat ad mulierem, quia homo eſt caput & dominus mulieris. Videmus Evangeliſtas & ipſam Beatam Virginem appellare Divum Joſephum Patrem Jeſu Chriſti, cùm

illa dicit filio suo; *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Cùm itaque Scriptura Sacra asserat nos per mulierem obnoxios esse morti & peccato; credere omnino necesse est, nec potest in hominem rejici: sed quamvis in aliis locis asserat per hominem peccatum intrasse in mundum id credendi non tanta incumbit necessitas, cùm id quod est mulieris homini tribui possit: ac si per fidem hominem aut mulierem excusare teneremur, hominem potiùs quàm mulierem excusare rationi magis consentáneum esset. Luc. 2. 48.

Existimo tamen locos supra laudatos ad literam esse explicandos, ac dicendum hominem & mulierem veras esse peccati causas, sed quemque suo modo: mulier, in eo quod per illam peccatum communicatur, sicut per illam homo gignit liberos: & homo, quia ipsius peccatum est causa concupiscentiæ, ut ipsius actio est causa fecunditatis mulieris, aut communicationis quæ est inter matrem & infantem.

Certè homo est qui mulierem fecundam facit, ac ipse per consequens causa est communicationis quæ inter corpus matris & corpus infantis deprehenditur, cùm ista communicatio sit principium vitæ infantium. Ista autem communicatio non modò corporibus infantium dat dispositiones corporis matris, ipsorum etiam menti dat dispositiones mentis matris: Ergo dici potest per unum hominem peccatum introivisse in mundum, ut dixit Paulus; sed nihilominus propter illam communicationem dicendum quoque est, *peccatum oriri ex muliere*, per eam, *nos omnes obnoxios esse morti & matrem nostram nos concepisse in iniquitate*, ut id in aliis Scripturæ locis dicitur.

Dicet fortè aliquis, etsi homo non peccasset mulierem tamen semper parituram fuisse liberos peccatores: cùm enim ipsa peccasset, potestatem amiserat quam Deus ipsi in corpus concesserat, atque ita licet homo justus permansisset, cerebrum, & proinde mentem infantis ipsa corrupisset, propter communicationem quam cum ipso habebat.

Certè id vero simile non videtur; Cùm enim homo justus, nihil faciat nisi sapienter, & consultò, non potest dare mulieri miseram illam fecunditatem gignendi liberos peccatores. Si justus perstet, liberos non vult habere nisi propter Deum, jam verò liberi peccatores nunquam possunt esse accepti Deo, nullum enim hic suppono mediatorem. Volo tamen, re sic positâ, matrimonium semper substitisse, hominemque uxorem cognovisse. Sed omnino certum est corpus uxoris ad maritum pertinuisse; illius corpus ex corpore mariti eductum fuerat; *duo erant in carne una.* Certum quoque est liberos æque pertinere ad patrem ac ad matrem. Hoc posito non possum mihi persuadere fœminam post peccatum suum fuisse amissuram potestatem in corpus, nisi maritus æque ac illa pecasset. Illud in natura ordini repugnasset; scilicet hominem justum habuisse corpus corruptum & liberos peccatores. Jam autem est contra ordinem, seu potivè contradictorium est; Deum justum animadvertere in hominem in integritate perfecta versantem. Hanc ob causam Eva statim post peccatum nullos

ſentit motûs involuntarios & rebelles; ipſam nondum pudet nuditatis ſuæ; latebras nondum quærit: quin immò ad maritum licet ut ipſa nudum accedit; ipſius oculi nondum ſunt apperti; abſoluto ſicut anteà imperio utitur in corpus. Ordo poſtulabat ut ſtatim poſt peccatum, ipſius mens ob rebellionem corporis, & ob ſuam, & mariti nuditatem turbaretur; juſtum enim non erat Deum ulteriùs ſuſpendere leges communicationis motuum in ipſius gratiam, ut dixi articulo ſeptimo. Sed verò quia ipſius corpus pertinet ad conjugem, & ipſius conjux adhuc innocens eſt; non punitur in illo corpore; pœna differtur donec ipſe conjux comederit de fructu ſibi ab ipſa oblato. Tum uterque ſenſit corporis rebellionem; nuditatem ſuam deprehendit, & præ pudore ad tegumenta è foliis ficus confugit. Dicendum itaque eſt Adamum veram eſſe cauſam peccati originalis & concupiſcentiæ; cùm ipſius peccatum privarit uxorem, æquè ac ipſam poteſtate quam in corpus exercebant. Cumque illa poteſtate deficiente mulier producat in cerebro infantis veſtigia quæ mentem ſimul ac creatur corrumpunt.

Gen. cap. 3.

OBIECTIO

CONTRA ARTICULUM DUODECIMUM.

Dicere communicationem cerebri matris cum cerebro infantis eſſe neceſſariam aut utilem conformationi fœtus nihil aliud eſt quàm divinare; nulla enim eſt communicatio inter cerebrum gallinæ, & cerebrum pullorum, pulli tamen optimè conformantur.

Reſponſio.

Reſpondeo me capite ſeptimo ſecundi Libri ſatis demonſtraſſe iſtam communicationem, dum illâ utor ad explicandam generationem monſtrorum, & ad explicanda quædam ſtigmata, & quaſdam formidines naturales. Namque evidenter patet hominem qui animo linquitur ad conſpectum colubri, quia mater ipſius dum ipſum utero gereret hoc reptili territa eſt; hac infirmitate laborare duntaxat quia in ipſius cerebro olim formata fuere veſtigia ijs ſimilia, quæ aperiuntur dum videt colubrum, iſtaque veſtigia ſimili deliquio comitata fuiſſe. Hîc itaque non divino, quippe qua in re præcisè conſiſtat hæc communicatio determinare non ſatago. Poſſem dicere illam fieri per radices quas fœtus pellit in uterum matris, & per nervos quibus illa pars matris, veriſimiliter, plena eſt. Atque hac in re non magis divinarem quàm homo, qui nunquam viſis * *Samaritanæ* machinis, aſſereret ibi eſſe rotas & antlias hydraulicas quibus aqua elevetur. Credo tamen nonnunquam licere divinare, dummodò Prophetiæ munus nobis non vindicemus, ac nimis confidenter non loquamur. Credo cuique licere ſuam aperire mentem, dummodò ſibi ἀναμαρτησίαν non arroget, ac de-

** La Samaritaine ſur le Pont neuf à Paris.*

cisivis loquendi modis seu ope nonnullorum terminorum, falsam eruditionem arguentium, dominium in aliorum mentem non usurpet. Is non semper divinat, qui res profert quæ sub oculos non cadunt, quæque præjudicijs adversantur: dummodo ea quæ dicuntur clarè possint intelligi, & mentem cujuslibet viri cordati & attenti facilè subeant.

Dico igitur, positis legibus generalibus communicationis motuum quales sunt, admodùm verisimile esse communicationem specialem cerebri matris cum cerebro infantis necessariam esse, ut corpus hujus ritè informetur: aut saltem illam communicationem esse necessariam, ut cerebrum infantis recipiat certas quasdam dispositiones, quæ pro temporibus & regionibus mutari debent, ut in eodem capite explicui.

Fateor equidem nullam esse communicationem inter cerebrum gallinæ, & cerebrum pulli qui formatur in ovo, & nihilo seciùs corpus pullorum optimè conformari: sed animadvertendum est sedulò pullum ad perfectionem longè magis accedere in ovo, dum mater illud parit, quàm fœtum, dum descendit in uterum. Rem sic se habere credendum est, cùm longè minus temporis spatium requiratur ut ova excludantur, quàm ut catuli, exempli gratia, prodeant in lucem: quamvis, utero canis calidissimo existentes, ac ipsius sanguine perpetuo motu agitato, catuli citiùs formari deberent quàm pulli excludi, nisi pulli in ovis essent grandiores catulis in suis germinibus. Jam autem admodùm verisimile est hanc formationem pulli in ovo antequam à gallina partum fuerit, factam fuisse ope istius communicationis de qua mentio est.

Respondeo secundò incrementum corporis avium forsan esse magis conforme legibus generalibus motûs, quàm incrementum quadrupedum; & sic communicationem cerebri matris cum cerebro pullorum æquè necessariam non esse in avibus ac in cæteris animalibus. Illa enim communicatio videtur necessaria, ut legum generalium defectui occurratur, quæ in nonnullis casibus specialibus non sufficiunt ad formationem & incrementum animalium.

Denique respondeo necessarium non esse ad conservationem vitæ avium, totidem esse dispositiones speciales in ipsarum cerebro quot in cerebro cæterorum animalium: habent alas quibus malum fugere, & in prædam involare possint: Non indigent omnibus illis organis specialibus à quibus pendent industria & docilitas quorundam animalium domesticorum. Unde fit ut matri non opus sit, ipsa formando, multa ipsa docere, aut ad id apta reddere ut dispositione cerebri ad docilitatem idoneâ, plurima possint addiscere. Qui canes juvenes venari docent multos sæpe reperiunt qui naturâ & sponte prædæ deprehensæ accubent, propter institutionem à matre acceptam, quæ sæpe venata erat dum fœta esset: Aliquod semper observatur discrimen inter progenies illorum animalium, quædam sunt dociliora ac imperia faciliùs observant quàm alia ejusdem speciei. Sed non putem ullam unquam extitisse avem, quæ aliquid inusitati edocuerit pul-

los suos, ac ullam unquam gallinam, exempli gratia, ullum peperisse pullum qui aliud posset agere quàm id quod pulli sponte agere solent. Aves igitur non sunt æquè dociles & disciplinæ capaces ac cætera animalia. Dispositio ipsorum cerebri non potest ut plurimùm multas suscipere mutationes; Nam agunt per imitationem æquè ac quædam animalia domestica. Anates tenellæ quas gallina alit, non expectant ipsius exemplum, ut in aquam immergantur. Ac contrà pulli natare non addiscunt, quamvis anas quæ ipsis incubavit, easque ducit, indesinenter natet. Sed sunt animalia quæ facilè & promptè imitantur motûs extraordinarios quos ab alijs fieri vident: Non est tamen quòd quis putet me à quoquam exigere ut his postremis à me cogitatis innitatur; hæc ad intentum meum non sunt necessaria.

SECVNDA OBIECTIO
CONTRA ARTICULUM DUODECIMUM.

Asserere matrem ante peccatum potuisse uti aliquo commercio cum fœtu, iterum est divinare, nulla enim est necessaria relatio inter cogitationes nostras & motûs qui in cerebro nostro excitantur. Itaque illa communicatio cerebri matris cum cerebro infantis est inutilis.

Responsio.

Sine illa communicatione infantem nisi miraculo speciali non potuisse habere commercium cum matre, nec matrem cum infante evidenter patet. Jam autem ante peccatum ordo exigebat matrem moneri de omnibus necessitatibus corporis infantis, infantemque non ignorare quibus vinculis parentibus esset devinctus. Ergò cùm omnia in ordine versari debuissent ante peccatum, Deus modo ordini conformi semper agat, mater & infans aliquod inter se habuissent commercium ope illius communicationis.

Ut intelligamus qua in re commercium illud potuisset consistere, attendendum est vestigiorum cerebri cum ideis mentis vinculum multifariam posse fieri, aut per naturam, aut per voluntatem hominum, aut aliquo alio modo, ut id explicui in secundo Libro. Ca. 2. 2. part.

Dum quadratum, seu hominis cujuspiam dolore quodam affecti habitum externum consideramus tum quadrati, vel hominis dolentis ideam habemus in mente. Id apud omnes gentes generale est & vinculum illud inter has ideas & hæc vestigia est naturale. Dum Gallus aliquis audit pronuntiari aut legit vocabulum illud (*quadratum*) habet eodem tempore etiam ideam quadrati: sed vinculum inter sonum, seu characteres hujus vocabuli, & ipsius ideam, nequaquam est naturale, nec est generale apud omnes homines. Dico igitur matrem & infantem naturaliter habituros commercium inter se circa omnia quæ pos-

ſunt repræſentari menti per vincula naturalia. Si mater, exempli gratiâ, unum vidiſſet quadratum, illud etiam vidiſſet infans, ſi infans imaginatus fuiſſet aliquam figuram, excitaſſet etiam veſtigium ejuſdem figuræ in imaginatione matris. Sed mater & infans nullum naturaliter inter ſe habuiſſent commercium circa res merè ſpirituales, immò nec circa res corporeas, quum eas nullo admiſſo ſenſuum & imaginationis uſu concepiſſent. Mater potuiſſet cogitare de Deo, audiviſſet ſeu legiſſet verbum illud (*quadratum*) nec tamen infans cognoviſſet qua de re illa cogitaviſſet, niſi ſuccedente tempore, cum ipſo novum id earum intellectualium commercium inſtituere potuiſſet, quemadmodùm penè agere ſolent nutrices cùm infantes loquendi rationem docent. Hæc explico, & probo.

Explicatione à me traditâ cauſæ averſationum hæreditariarum, & ſtigmatum quorundum naturalium, veſtigia matrum infantibus communicari jam ſatis probaſſe mihi videor. Jam autem veſtigia rerum corporearum inſeparabilia ſunt ab ipſarum ideis. Ergò illæ ideæ etiam communicantur, atque infantes eadem vident, ſentiunt & imaginantur quæ matres. Nunc inviti ſentiunt eadem ac matres; ſed ſi non eſſent peccatores poſſent impedire, quotieſcunque vellent, effectum communicationis quam habent cum matribus. Poſſent etiam excitare in proprio cerebro veſtigia quæ ab illis accepiſſent; eandem ob rationem ob quam quidlibet imaginamur, cùm vividioribus non agitamur motibus. Hoc poſito, evidenter patet matrem, dum infanti accuratè attenderet poſſe cognoſcere quodam repercuſsû an reciperet nec ne impreſſionem quam ipſa in illo excitaret, immò cætera de quibus ille cogitaret; quemadmodùm enim mater non poſſet commovere fibras cerebri ſui, quin fibræ cerebri infantis inde impreſſionem acciperent; infans quoque non poſſet ſiſtere illam commotionem, aut aliam excitare, quin de illa mater commonefieret levi aliqua impreſſione; dummodò ad rem ſeriò attenderet poteſtate qua valeret alium quemvis ſedandi tumultum diverſum ab eo quem infans in ipſa excitaret. Itaque fatendum eſt matrem & infantem fuiſſe habituros inter ſe aliquod commercium ante peccatum, aut neganda eſt relatio cerebri unius cum cerebro alterius, aut imperium mentis in corpus; quale illud antea ſtatui. Id evidens, videtur, quicquid regerant imaginatio & præjudicia. Verum equidem eſt commercium illud duntaxat circa ea quæ ſenſus & imaginationem feriunt fuiſſe futurum. Cùm infantes matribus per corpus duntaxat uniantur, haud neceſſe eſt illos ipſarum ope alias accipere ideas quàm objectorum ſenſibilium. Cùm enim ipſorum mens arctè cum Deo uniatur, ſi peccati immunes ſpectentur, omnes ideas nullam ad Deum relationem habentes à Deo immediatè accipiunt. Sed quia paulatim ideæ maximè abſtractæ rebus ſenſibilibus quæ ad illas ideas nullo modo referuntur poſſunt alligari, commercium matrum cum infantibus ad res etiam maximè ſpirituales, ut ve-

risimile est, extensum fuisset, si super his sermones inter se conferere conati fuissent.

Non me latet istæc plerisque hominibus probatum non iri, ac futurum esse ut ij etiam qui adversus præjudicia & impressionum sensibilium impetum perpetuò renituntur tam novâ & inaudita cogitatione obstupefiant. Sed si seriò attendatur ad modum quo magister instituit discipulum; quot varias adhibere debeat rationes docendi ut ipsi ideas suas de rebus notas faciat, quibus utatur comparationibus ad eas illustrandas, quæ judicia de ijs ferat, & cæteras mentis dispositiones respectu illarum idearum; inde nullo negotio patebit matres longè faciliùs posse aperire cogitationes & dispositiones internas infantibus, quàm magistros discipulis suis; posito duntaxat vestigia cerebri matrum imprimi cerebro infantium, quod ex supra dictis evidenter patet. Etenim manifestum est voces seu loquelam & omnia signa externa quibus utimur ad aperiendas cogitationes nostras aliis hominibus, suum nancisci effectum, quia duntaxat eadem cerebro auditorum imprimunt vestigia, easdemque excitant spirituum commotiones, quæ comitari solent ideas nostras & dispositionem internam ipsorum respectu.

OBIECTIO

CONTRA ARTICULUM DECIMUM-SEPTIMUM ET SEQUENTES.

Infantes in Baptismo motibus actualibus voluntatis suæ versùs Deum justificari sine temeritate non possunt dici. Novæ opiniones non sunt vulgandæ; Id nihil nisi turbas excitat.

Responsio.

Fateor positivè asserendum non esse infantes justificari actibus formalibus ipsorum voluntatis. Id certò sciri non credo, jam autem nihil positivè asserendum quàm quod pro certo constat. Sed quia plures æquo sunt homines quia ad id proclives sunt ut credãt justificationem infantium esse tantùm externam & per imputationem, quia, inquiunt, nullum possunt formare actũ amoris Dei; non abs re fore existimo si ipsis ostendam ipsos istam opinionem ex præjudicio duntaxat defendere. Talia enim sunt puerorum præjudicia erga infantes, ut vulgò autument ipsos in sinû materno & per primos infantiæ annos neutiquàm cogitare, immò cogitandi nequaquam capaces esse. Credunt ipsos nõdum ullas rerum ideas habere apud se ipsos; Magistros ipsis illas ideas inter colloquia ingenerare; ipsorumque inclinationes, si quas habeant ejusdem non esse naturæ ac nostras, nec posse ipsos ad summum usque bonum eve-

here. Plerique non diſtinctè concipiunt mentem infantium ſimilem eſſe adultorum; ipſam inſtar corporis non corroborari nec ad perfectionem gradatim tendere; ipſamque, ſi per unicum temporis momentum ab impreſſione corporis expediretur, ac delectatione gratiæ afficeretur, eo momento fore magis illuminatam & puram quàm mens Illuſtriſſimorum ſanctorum, qui in mente & corde ſemper quoſdam ſentiunt concupiſcentiæ effectus.

Concupiſcentia vulgò habetur quaſi eſſet naturalis; nec ſemper ſatis attendunt homines illam eſſe peccati ſequelam. Hoc freti præjudicio ſtupiditatem infantium ex corporis infirmitate, ætatis teneritudine, & etiam ex mentis imbecillitate neceſſariò ſequi incauti exiſtimant. Jam autem illud judicium ſeu potiùs præjudicium ipſorum menti ſemper præſens adeſt, ac ipſam ita prævertit ut rem in ſeipſa examinare nequeat. Qui itaque de Baptiſmi effectû ſuperioribus ſæculis egerunt, infantium regenerationem per motûs actuales ipſorum cordis non expoſuerunt, non quod validis adducti argumentis rem crediderint impoſſibilem; nam ex ipſorum operibus nequidem liquet ipſos ad rem eam examinandam ſe accinxiſſe. Sed (ut ſatis ſuperque patet) quia rem ſic ſuppoſuerunt, nec ipſis forſan in mentem venerit illam in dubium vocandi: vel forſan quia explicationem præjudiciis vulgò receptis adverſantem tradere noluerunt, eo præcipuè tempore quo præjudiciis eâ quâ nunc fit ſtrenuitate non vale dicebatur.

Sed ſi attendatur ad neceſſitatem quæ incumbit tradendi explicationem magis præciſam eâ quam, exempli gratiâ, tradit Auguſtinus in quibuſdam locis, quæ * imputationi favet, quamvis ipſi favere non* videatur. Si attendamus imputationem eſſe oppidò commodam; atque eo conſilio admiſſam fuiſſe à quibuſdam priſcis Theologis valdè Orthodocis, immò eam eſſe abſolutè neceſſariam iis qui, licèt nullo allato valido argumento, habitûs in mente negant, quibus ſatisfacere forſan operæ pretium foret. Denique ſi æquitatis naturalis quæ ſecreta animi propoſita & intentiones damnare vetat ratio habeatur, id quod dico forſan veriſimile non judicabitur. Sed tamen haud credo quemquam ægrè ferre quòd id dicam, atque hoc pacto ingeniis etiam moroſiſſimis ſuper difficultatibus quas circa peccatum originale habent coner ſatisfacere.

*l. 1. de nup. c. 25 26. 27. in Jul. l. 6 c. 19. & alibi.

* Ep. 23. l. de peccatorum mentis cap. 19. & alibi.

ILLVSTRATIO
ad Tertium Caput Tertiæ Partis Secundi Libri.

In quo de vi imaginationis Auctorum ac præcipuè de Tertulliano agebam.

CUM generalius fecundiusque errorum quibus scientiæ ac præcipuè Ethica laborant principium in impressione imaginationum vividarum in mentem hominum qui mechanicè potiùs quàm rationis ductu agunt petitum esse pro comperto habeam; operæ pretium me facturum existimavi, si hanc veritatem rationibus ad excutiendam hominum veterem circa illam impressionem aptissimis patefacerem. Quia autem exempla ac ea præcipuè magna & extraordinaria nos efficaciter movent; existimavi illustria Tertulliani, Senecæ & D. Montagne attentionem excitatura ac imperium illud contagiosum imaginationis in rationem evidenter cuilibet esse demonstratura. Etenim voces mortuæ, nec habitû externo ac specie sensibili istorum Auctorum celebrium animatæ, plus adhuc valent ratione plurimorum, si vel ipse elocutionis modus qui non nisi debili modo adumbrat actionem sensibilem quam imaginatio vividè diffundit per vultum & per totum corpus eorum quibus ea quæ dicunt sunt altâ mente reposta, innumeros homines possunt agitare, penetrare, & convincere; certè fatendum est maximè periculosum esse auscultare cum attentione & veneratione homines quorum imaginatio est fortis & vivida: ipsorum enim species externa loquendi modus & gestus modo invicto imaginationem alloquuntur. Dictis suis tantam affundunt vivacitatem, ut affectûs & sensûs ad defectionem à ratione penè semper concitent, ac in adstantes convictionem & persuasionem ut ita dicam afflent.

Præsenseram equidem, me insignia hæc afferendo exempla, nihil impetraturum ab iis quos trium illustrium Auctorum lectio in admirationem & stuporem olim rapuisset. Qui enim tantillum in hominis cognitione versati sunt, vulnera cerebri difficiliùs curari probè norunt quàm vulnera cæterarum corporis partium; ac vulnus nullius corporis externi impulsu exacerbatum longè faciliùs claudi, quàm omninò excuti quædam præjudicia rationibus admodum verisimilibus perpetuò confirmata.

Vestigia cerebri omninò claudere admodum difficile est, quia spirituum cursui exponuntur, ac innumeris aliis vestigiis, ut ita dicam, adventitiis indesinenter possunt renovari. Ejusmodi vulnera non possunt ut plurimum curari aut constringi, nisi postquam cerebrum alia accepit magis profunda ac prioribus opposita: tunc enim vehemens

&

& perpetua fit revulsio in spiritibus. Credendum non est præjudicium omninò obsolevisse, statim atque illud actû non agit in mentem nostram : præjudicium omninò obsoletum est duntaxat ubi vestigium planè deletum fuit ; non verò statim atque spiritus ob specialem aliquam causam per illud vestigium cursum suum non amplius dirigunt.

Eos igitur qui impetu & motibus Tertulliani fracti & obstupefacti, grandiloquentiâ & leporibus Senecæ abrepti ac perstricti, liberis & ingenuis loquendi modis D. Montagne pellecti & labefacti fuerant, lectis aliquot Libri mei paginis sententiam non deserturos esse, optimè equidem noveram. Quin immò judicabam fore ut ægrè ferrent quod fucum ipsis ab illis authoribus factum detrahere conatus essem.

Quia verò sperabam illa exempla ad propositum meum ob rationes suprà memoratas factura esse, credidi satius me facturum si quorundam virorum cordatorum apud quos præjudicia non valent vtilitati consulerem, quàm si nonnullis, quibus libertas mea poterit displicere, molliter indulgerem. Apud me reputabam paucos esse in gratiam illorum Authorum ita præoccupatos ut rationis admonitiones non possent ampliùs exaudire. Denique existimabam etiam pervicacissimos mihi in quibusdam assensuros, quia nemo forsan est qui pari erga tres illos Authores ducatur studio & existimatione; ob diversum imaginationis, ut ita dicam, genium & characterem istorum Authorum.

Non me latet opera Tertulliani maxima veneratione digna esse tum propter res de quibus agit tum propter approbationem virorum qui periti rerum æstimatores haberi debent. Atque me erga illum sic affectum esse satis ostendi per ea quæ de illo Authore dixi, non secus ac per Tractatum quem elegi ut de ipso liberiùs mentem meam aperirem; nam de hoc uno tractatû libere loquutus sum, quamvis alij ejusdẽ Authoris extent qui ad intentum meum magis forsan fecissent:

Sed quicquid sit haud putem tempus ullam rerum ideis afferre immutationem ipsásque augere. Quicquid antiquum est non est venerabile; nec falsæ rationes & ineptiæ ullam apud nos habere debent pondus, quia diu ante nos extiterunt. Haud credo affectatas obscuritates debere admitti ut mysteria sacrã ; imaginationis subsultim gradientis igniculi instar lucis splendentis habendi non sunt, nec nimii Africani cœli æstus serventẽ iam sponte suâ hominem agitantes censendi suntmotus spiritus Prophetici, qui nihil præter veritates sublimes potest revelare.

Scio equidem, eos etiam qui opera Tertulliani maximè exosculantur hæc omnia non diffiteri, ac æqui nimis observantes esse ut imaginationis deliria adversùs rationem tutentur. Sed forsan similes sunt ijs viris quibus judicium equidem non deest quique veritatem adamant, sed tamen modis sensibilibus alliciuntur. Persæpè incidi

in nonnullos, quibusdam vividis & energicis Tertulliani loquendi modis ita fascinatos, ut, postquam ipsis Authorem illum parui esse judicij & à ratione sæpe abhorrere demonstraveram; locos illos ipsis adeò gratos ad nauseam usque mihi oggererent, illorum elegantiâ me decipere & pellicere conantes.

Fateor apud Tertullianum occurrere loquendi formulas energicas & audaces, quæ imagines vividissimas in mente imprimunt. Nec aliam ob causam illo usus sum, ut exemplo quo ostenderem imaginationes fortes multum valere ad agitandum & convincendum per impressionem. Qui itaque hæc mihi objiciunt, sententiam meam confirmant non impugnant. Præoccupatio & existimatio quâ erga Tertullianum ducuntur causæ meæ favet. Tot loci ab illis frequenter citati, & sesquipedalia verba quæ de illo Authore afferunt, dicta mea comprobant. Nam in colloquijs mutuis nunquam ferè citantur ratiocinationes integræ alicujus autoris; sed sæpissimè proferuntur phrases vividæ & energicæ, ut impressione sensibili perstringatur & commoveatur auditor.

Nec est opinor, quod quis credat me hîc velle censorem agere tot illustrium virorum, qui perpetuò Tertullianum laudant & in cathedra & in aliis locis. Id agunt suis adducti rationibus quas penetrare meum non est. Quæ de illo authore dixi mihi videntur evidentia, quisque pro lumine suo suas eliciat consequentias, nec mihi cogitationes affingat quæ meæ haudquaquam sunt. Qui in aliorum mentem penitius introspicere satagunt, sibi sæpe efformant phantasmata sibi ipsis duntaxat similia. Quippe cogitationum nostrarum malignitatem in alios, ut ita dicam, transfundere solemus. De omnibus relatè ad nos judicamus; ac qui me hîc vituperant sese fortasse licèt incogitanter vituperant, sed si demum, quid de Tertulliani citationibus sentiam, palam proferre expediat; Fateor illum authorem multis de causis jure merito citari; immò id persæpe admodum utile esse, ad clarius oculis objiciendas quasdam veritates praxeos, quæ steriles sunt & inanes, quandiù in rationis intimo remanent, nec excitant motus contrarios iis quos in nobis excitare solent bona corporea.

Haud tamen improbare possum illorum sententiam qui existimant authores dum citantur non debere designari nomine suo, nisi quum illi authores sunt ἀναμάρτητοι; ac neminem unquam debere citari, si eas excipias res quæ ratione non nituntur, aut in quibus authoritas locum habet. Talis fuit olim Patrum consuetudo. Divus Cyprianus nunquam citavit Tertullianum quamvis de illo multa hauserit, ac si id quod B. Hieronymus, de illo sancto Episcopo à quodam audivisse refert, verum sit; nempe sanctum Cyprianum Tertullianum ipsum vocare solitum fuisse magistrum suum; si inquam, id verum sit; certè aut nomen Tertulliani non magnâ pollebat authori-

tate, aut ipſius verba non ea erant efficacitate quâ nunc ſunt, Aut denique Divus Cyprianus temporis ſui conſuetudini admodùm religiosè adhærebat: res enim ſtupenda eſt ejuſmodi diſcipulum de magiſtro ſuo non eſſe loquutum in ullo ex operibus ſuis.

Hac Divi Hieronimi hiſtoriâ ij plerunque utuntur qui pro Tertulliano pugnare volunt; ac non defuere qui mihi dicerent me prudenter non agere tam liberè loquendo de viro quem Cyprianus appella- * bat magiſtrum ſuum. Sed profectò vereor B. Hieronymum fuiſſe nimis credulum circa ea quæ Tertulliano erant glorioſa. Ipſi nimis indulgere videtur; cùm ipſius lapſum aliquatenùs excuſaverit, ipſius hæreſin in Clericorum Romanæ Eccleſiæ invidiam & contumelias rejiciens. Sed ſi illa hiſtoria quam B. Hieronymus ut ſolo unius hominis teſtimonio fretam narrat, vera ſit fateor me non ſatis aſſequi cauſam tam alti ſilentij B. Cypriani circa Tertullianum. Silentium illud diſcipuli myſterium aliquod Magiſtro nequaquam honorificum premere videtur: Ac ſi hiſtoria æque ac opera Tertulliani ſatis non oſtenderent ipſum omnino dignum ingenti illa exiſtimatione qua multi illum colunt; neſcio an tota Divi Cypriani erga Tertullianum agendi ratio, ipſius ſilentium, ſtylus, cæteraque indicia externa non ſufficerent ad minuendam illam exiſtimationem; & ad perſuadendum multis famam Tertulliani forſan non ita floruiſſe in ipſa Africa, quæ tamen ipſi potius favere debebat quàm regio æquè temperata ac noſtra Gallia.

Invidiâ poſteà & contumeliis Clericorum Romanæ Eccleſiæ. ad Montani dogma delapſus in multis libris novæ Prophetiæ meminit. Hieron. in Catalog. de Script. Eccl.

Gallia & Africa ingenia producunt longè diverſa. Cùm Gallorum ingenium ſit ingenuum, naturæ & rationis amicum, ab affectatis, & ſcenicis abhorrens modis, mirũ eſt apud eos reperiri homines qui Authorẽ naturæ adeò imperitum & à natura adeò recedentem, quique rationem quam ſolam conſulere deberet negligens abrupto imaginationis impetu in voces per obſcuras, portentoſas, & omnem rationem modumque excedentes diffunditur, tot efferant laudibus.

Sed id forſan accidit quia imaginatio tantum valet ut rationem debilitet naturamque ipſam mutet. Reverâ homo aliquo motû percitus nos turbat, ſitumque naturalem imaginationis noſtræ mutat, ut illam ſuæ ſimilem efficiat. Tunc verò nullus eſt motus qui non videatur naturæ conformis, nulla vox quæ non arrideat, nulla tam futilis & indigeſta rerum farrago, quæ non convincat; quia nihil tunc temporis examini ſubjicitur. Cùm autem affectûs ſeſe mutuò defendant, & imaginationes in ordinatæ perturbatione ſua delectentur, ſanum de rebus judicium ferri nequit, quandiù cerebrum conſervat impreſſionem violentam quam primo accepit. Nullus eſt homo aliquo animi motû abreptus qui ad id perpetuò non incitetur ut affectum ſuum vindicet ab omni vituperio; nullus eſt homo perturbatus quem ſua non juvet perturbatio; Nam ſi homines illi qui ſe gallos gallinaceos, lupos, boves factos fuiſſe imaginantur, ſeſe quam plurimùm oblectent actionibus illorum animalium imi-

tandis, quanquam naturæ humanæ valdè repugnent, quantò magis non damnabimus illorum agendi & loquendi rationes qui contagione imaginationis suæ nos aliquatenùs sibi similes effecerunt. Quippe satis cognoscimus nos non posse illos damnare, quin nosmet etiam ipsos damnemus.

Porrò inter cæteras, egregia est ratio cur nonnulli Docti gloriæ ducant Tertulliani partes tueri & quare maxima erga illum Authorem ducantur veneratione. Obscuritas nimirum est quam ille præcipuam Rhetorices suæ regulam observat, & affectat.

*Galimatias.

A genio hujus sæculi ita abhorrent * locutiones haud perspicuæ ut reiiciamus omnes phrases obscuras & intricatas; sed non defuere qui obscuritatem censerent esse præcipuam artis oratoriæ partem; apud illos homines ars persuadendi consistebat in ἀκαταληψία.

Si oratores veritatum quas persuadere conantur ideas claras & distinctas semper haberent, ac si auditores semper alloquerentur satis attentos ut ipsorum dicta ab jis possint intelligi, præceptum illud quod obscuritatem affectare docet esset omninò absurdum: Sed quamvis illud præceptum rationi planè adversetur, tamen plerorumque hominum ingenio satis accommodatum est; non modò quia loquentium ignorantiam tegit, sed etiam quia μυστηριώδης illa obscuritas plerosque auditores ita disponit ut cedant & fidem adhibeant.

Experientiâ satis constat plerosque homines id magni facere quod non intelligunt, ac mysteriorum instar venerari ea quæ ipsorum captum exsuperant, & oratorem præconiis ad cœlos usque evehere, quum ipsius loquendi modis fulgentibus ac feriente imaginationem sermone, rationi prorsùs incognito, obstupefacti sunt.

Pompam veritati anteponunt homines. Itaque fastuosa verborum moles pondere suo opprimens potius quàm persuadens ipsis magis arridet, quàm meræ ratiocinationes quæ solâ evidentiâ suâ persuadent. Evidentia non acquiritur nisi meditationibus operosis: Sed convictio ex sensibus orta in mentem diffunditur ipsamque suavissimè pervaditi.

Bonum quod solum nobis potest satisfacere est simul infinitum & inaccessum, jam autem grandes & obscuræ loquendi formulæ illum præ se ferunt characterem. Adeò ut obscuritate desideria nostra excitante, ut Majestas admirationem & existimationem nostram movet; illæ loquendi formulæ nos devinciunt motibus quos in nobis excitant.

Quum quis Authorem obscurum & difficilem assequitur, aut assequi autumat, se ijs qui illum non assequuntur anteponiti eosque ut ignaros habet; Labor in eo intelligendo exantlatus illum in ipsius laudes & deffensionem instigat. Dum enim illum authorem veneratur ac ipsi cæterorum venerationem conciliare conatur studijs suis patrocinatur. Jam autem ut nemo est qui sese ab omni culpâ

purgare non ſtudeat Author ille magnâ animi contentione ac modo vivido & ſenſibili laudari & defendi debet.

Hæ rationes, cum quibuſdam aliis minùs validis ſufficiunt, ni fallor, ut quiſque intelligat obſcuritatem Tertulliani ipſi non fuiſſe noxiam reſpectû quorundam; nec illum certè tanti duxiſſent ſi veritates in ipſius operibus diſperſas per ideas clariſſimas & ſimpliciſſimas expoſuiſſet.

Relationes & veritates Mathematicæ ad ſuos *exponentes* ſemper reducuntur, hoc eſt ad terminos ſimpliciſſimos quibus exprimi poſſint, ac ijs omnibus quibus poſſint implicari & obſcurari expediuntur: Nam Geometræ amant veritatem puram putam; convincere nolunt per impreſſionem, ſed per evidentiam & lucem. Quorſum evaderent multæ cogitationes Tertulliani ſi juxtà Logicorum Geometrarũ que leges ad *exponentes* ſuos reductæ, ac faſtû illo ſenſibili rationi fucum faciente ſpoliatæ fuiſſent? Hujuſce rei faciendum eſt periculum, ut de illius Authoris ratiociniis ſolidum feratur judicium.

Non pertendo tamen Tertullianum ſcribere debuiſſe Geometrarum modo. Figuræ quibus ſẽtentias & affectus noſtros exprimimus circa veritates quas aliis exponimus ſunt omnino neceſſariæ. Immò arbitror, præcipuè ſermonibus qui de Religione & Ethicâ habẽtur, ornamentis opus eſſe quæ venerationem veritati concilient, motuſque excitandos eſſe qui mentem agitent eamque ad actiones virtutis ferant. Sed ſpectrum omni realitate & corpore vacuum ornamentis non eſt circumcingendum: motus inutiles non ſunt excitandi: cùm volumus in auditorum mente convictionem & perſuaſionem vehementer imprimere, convictio illa ad aliquid reale & ſolidum referri debet. Nemo debet convincere ac ſe convinci ſinere niſi evidenter, diſtinctè & præciſè ſciat qua de re convincat aut convincatur. Ea quæ dicuntur intelligenda ſunt ut & ea quæ creduntur. Veritas & lux duntaxat ſunt amandæ; alios occæcare non oportet, poſtquam nos occæcari ſivimus.

ILLVSTRATIO
ſuper naturâ idearum.

In qua explano quomodo omnia in Deo videantur, veritates etiam & leges æternæ.

SPerabam fore ut ea quæ de idearum natura dixi ſufficerent ut unuſquiſque caperet Deum eſſe qui nos illuminat; Sed experior, quam plurimos eſſe qui attentionem ſatis diligentem non poſſunt præbere ut rationes quibus illud principium ſtabilivi capere poſſint.

Quod abstractum est à plerisque concipi nequit;Sensibilibus excitantur iisdéque acies ipsorum mentis figitur & sustentatur. Quæ sub sensûs & imaginationem non cadunt minimè possunt contemplari,multò minùs capere. Hoc à me jam sæpè dictum nunquam potest satis inculcari.

Corpora per se non esse visibilia non posse agere in mentem nostram, nec ipsi se repræsentare evidens est; Id probatione non indiget. Id unico mentis intuitu apprehenditur; Id multò magis certum est, quàm certum est corpora sibi invicem communicare motum suum dum sese mutuò pellunt; Sed id ijs solis certum est qui sensibus ad silentium adactis solam auscultant rationem. Omnes itaque credunt corpora sese invicem pellere, quia id sensûs contestantur; Sed corpora non creduntur per se planè invisibilia, & inepta ad agendum in mentem,quia sensûs id non dicunt; quin plane contrarium dicere videntur.

Nonnulli tamen reperiuntur quorum firma & intrepida ratio usque ad veritates maximè abstractas evehitur; Illas attentè contemplantur; ac sensuum & imaginationis impressioni strenuè resistunt; sed corpore paulatim deprimente mentem pondere suo, in pristinam sensibilitatem, ut ita dicam, recidunt. Ideæ illæ abstractæ dissipantur; & postquàm imaginatio alias ideas vividiores & sensibiliores excitavit; priores non apparent ampliùs nisi tanquam spectra quibus diffidunt, & à quibus illudi verentur.

Homines, aut res quorum familiaritate non utimur, & à quibus nullam percipimus sensibilem voluptatem apud nos facilè in suspicionem veniunt.Nam voluptas sola devincit cor,& familiaritas mentē metû & sollicitudine exoluit. Qui itaque veritatibus abstractis & Metaphysicis non assueverunt, eò facilè adducuntur ut credant, sibi fucum fieri ab ijs qui ad ipsos illuminandos totis contendunt viribus. Ideas quæ nihil habent jucundi & sensibilis suspectas habent & horrent; Amorque quo erga quietem & felicitatem ducuntur, ipsis citò objecti, quod ipsos turbat, nec ad ullam voluptatem creandam idoneum ipsis videtur, visum eripit.

Si quæstio à me nunc exagitata non esset gravissimi momenti, rationes jam à me allatæ & nonnullæ quas hîc proferre necessum non est sufficere possent, nec me hac de re ampliùs loqui opus esset, satis enim video quæcunque possem super hâc materiâ dicere, quorundam hominum mentem nunquam esse pervasura. Sed illud principium, Deum, scilicet, solum nos illuminare, ipsumque nos duntaxat per manifestationem rationis, aut sapientiæ immutabilis & necessariæ illuminare, Religioni adeò conforme mihi videtur; ut illud ad extremum usque explicare & defendere muneris mei esse arbitrer; Phantasticus, *illuminatus*, fanaticus haberi, cæterisque nominibus quæ imaginatio cavillatrix tenuium ingeniorum rationibus quas non intelligit, seu quarum vim non potest declinare objicere solet, nuncupari malo, quàm fateri corpora posse me illuminare

& erudire, me mihimetipsi esse magistrum, rationem & lucem; & sufficere, ut omnium solidam consequar cognitionē, si memet ipsū, aut homines qui equidem aures meas ingenti strepitû possunt obtundere, sed qui sanè nullam lucem queunt menti meæ affundere, consulam. Adsunt igitur adhuc quædam argumenta ad confirmandum principium in Capitibus quibus illustrandis hæc scribo positum.

Nemo est qui homines veritatem posse cognoscere non fateatur. Imperitissimi etiam Philosophi, homines nescio quam rationem quam non determinant participare consentiunt. Atque hanc ob caussam hominem definiunt, *animal* RATIONIS *particeps*. Quippe nemo est qui confusè saltem non noverit, differentiam essentialem hominis consistere in unione necessaria quam habet cum ratione universali, quamvis pauci quis ille sit qui rationem illam includit cognoscant, aut cognoscere curent. Video, exempli gratiâ, bis duo esse quatuor, & amicum meum præferendum esse cani meo ac neminem hominum esse qui id non cognoscat æquè ac ego pro certo habeo. Jam autem illas veritates in mente aliorum non video, sicut alii illas in mea non vident. Necesse igitur est rationem universalem esse quæ me & omnes intelligentias qûæ existunt illuminet. * Nam si ratio quam consulo, eadem non esset quæ Sinensibus respondet, manifestò patet me non posse æquè certè scire ac ego scio, Sinenses videre easdem veritates quas ego video, Itaque ratio quam consulimus dum nosmet intra nos colligimus est ratio universalis. Dico quum nosmetipsos intra nos colligimus hic enim non loquor de ratione illa quam sequitur homo affectû aliquo permotus. Quum homo aliquis vitam equi sui potiorem habet vitâ aurigæ, suis quidem adductus rationibus id agit; sed rationes illæ ipsi peculiares sunt quas omnis vir benè sanus horret. Rationes sunt quæ reverâ non sunt *rationales*, quia summæ rationi, seu rationi universali quam omnes homines cōsulunt cōformes non sunt.

Ideas rerum esse immutabiles, veritatesque & leges æternas esse necessarias pro comperto habeo; fieri nequit ut secus sint quàm sunt. Jam autem in me nihil video quod immutabile & necessarium sit; possum aut non existere, aut non esse talis qualis ego sum, possunt esse mentes mihi non similes; certus tamen sum non posse esse mentes quæ alias veritates & alias leges videant diversas ab ijs quas video: Nam omnis mens videt necessariò bis duo facere quatuor & amicum nostrum præferendum esse cani nostro. Concludamus igitur rationem quam omnes mentes consulunt, esse rationem immutabilem & necessariam.

Insuper eandem illam rationem infinitam esse evidens est. Mens humana infinitùm triangulorum, tetragonorum, pentagonorum intelligibilium, & aliarum similium figurarum numerum esse aut esse posse clarè concipit. Non modò concipit ideas figurarum ipsi nunquam esse defuturas, seseque novas semper reperturam licèt in

* *si ambo vidimus verum esse quod dicis & ambo vidimus verum esse quod dico, ubi quæso id videmus? nec ego utique in te, nec tu in me, sed ambo in ipsa quæ supra mentes nostra est incommutabili veritate.* Conf. D. Aug. lib. 2. cap. 25.

vid. D. Aug. *De libero arbitrio. lib.* 2. *cap.* 8. & *seq.*

æternum ejuſmodi ideis duntaxat incumberet. Verùm etiam infinitum in ipſâ extenſione percipit. Mens clarè videt numerum illum qui multiplicatus per ſe ipſum facit 5. aut aliquem ex numeris inter 4. & 9. inter 9 & 16. inter 16. & 25. &c. eſſe magnitudinem, relationem, fractionem, cujus termini plus habent numerorum arithmeticorum quàm poſſunt eſſe ab uno orbis polo ad alterum. Clarè videt illam relationem talem eſſe, ut Deus ſolus poſſit illam complecti, utque eam exactè exprimere impoſſibile ſit, quia ad illam exprimẽdam opus eſt fractione cujus duo termini ſint infiniti. Multa alia ſimilia exempla poſſem afferre ex quibus non modò ſequitur mentem humanam eſſe finitam, ſed rationem etiam quam conſulit eſſe infinitam. Et enim mens clarè videt infinitum in hac ratione quamvis illud non capiat; cùm poſſit conferre inter ſe duos numeros incommenſurabiles, illorumque cognoſcere relationes, quamvis non poſſit illos conferre cum unitate: Vel, ut rebus maximè ſenſibilibus duntaxat inſiſtamus, ratio quam homo conſulit eſt infinita quia exhauriri nequit, ac ſemper ipſi aliquid ſuppetit quod reſpondeat quacunque de re interrogetur.

Sed ſi rationem cujus omnes homines ſunt participes univerſalem infinitam, immutabilem, & neceſſariam eſſe verum ſit; inde illam ab ipſâ Dei ratione non differre conſtat; ſolum enim ens univerſale & infinitum in ſe includit rationem univerſalem & infinitam. Omnes res creatæ ſunt entia ſingularia; ratio igitur univerſalis non eſt creata. Nulla creatura eſt infinita; ratio infinita non eſt igitur creatura; ſed ratio quam conſulimus non modò eſt nniverſalis & infinita, eſt præterea neceſſaria & independens; immò illam Deo ipſo magis independentem concipimus. Namque Deus agere nequit niſi juxtà illam rationem; ab illa pendet aliquo ſenſu; illam conſulere & ſequi ipſum oportet; Jam autem Deus nihil conſulit præter ſe ipſum; ab ulla re non pendet. Illa igitur ratio ab ipſo non dinſtinguitur; ipſi eſt coæterna & conſubſtantialis. Deum plectere innocentem, mentes corporibus ſubjicere non poſſe, ipſumque ordinem ſequi teneri clarè videmus. Videmus igitur, normam, ordinem, rationem Dei. Quam enim aliam ſapientiam poſſemus videre præter ſapientiam Dei, cùm de illâ non dubitemus dicere Deum ad illam ſequendam obligari.

Sed quicquid ſit, an poteſt concipi ſapientia quæ non ſit ſapientia Dei? Salomo, qui de Sapientia tam disertè loquutus eſt, an duas diſtinguit? Nonne nos docet ſapientiam quæ ipſi Deo coæterna eſt, & per quam ordinem quem in ipſius operibus conſpicimus inſtituit, eandem eſſe quæ omnibus mentibus præeſt, quam conſulunt Legiſlatores, ut leges juſtas & rationi conſentaneas ferant. Octavum Proverbiorum Caput legere ſufficiet cuicunque hujus Veritatis certior fieri voluerit. Non me latet Scripturam ſacram de ſapientia quadam loqui, quam ſapientiam ſæculi, ſapientiam hominum ap-

pellat : sed ibi de rebus ut apparent ac secundùm vulgi opinionem & captum loquitur. Nam in aliis locis sapientiam illam non modò coram Deo verùm etiam coram omnibus hominibus qui rationem consulunt, nihil esse præter stultitiam & abominationem nos docet.

Certè, si veritates & leges æternæ penderent à Deo, si à voluntate libera Creatoris institutæ fuissent ; uno verbo, si ratio quam consulimus non esset necessaria & independens ; nullam ampliùs veram fore scientiam evidens mihi videtur. Et is in periculum erroris adduceretur, qui assereret Arithmeticam aut Geometriam Sinensium esse similem nostræ. Etenim, si absolutè necessarium non esset bis 4. esse 8. aut tres angulos trianguli esse æquales duobus rectis, quî possemus certi esse illas veritates non esse similes nonnullis propositionibus in quibusdam tantùm universitatibus receptis, aut quæ per aliquot tempus tantum vigent ? An clarè videmus Deum non posse desinere velle ea quæ voluit voluntate prorsùs libera & indifferenti ? Vel potiùs, an clarè videmus Deum non potuisse quædam ad certum tempus, in quibusdam locis, pro quibusdam hominibus, aut pro certis quibusdam entium generibus velle ; posito, ut volunt, Deum fuisse planè liberum & indifferentem in ista voluntate. Ad me quod attinet, non possum concipere necessitatem in indifferentia, res adeò oppositas conciliare nequeo.

Attamen lubens supponam nos clarè videre, Deum voluntate omninò indifferenti ad omnia tempora & in omnibus locis instituisse veritates & leges æternas, quæ nunc immutabiles sunt propter ipsius decretum. At ubi qui talia supponunt, vident illud decretum ? An Deus aliquod creavit ens istius decreti repræsentativum ? An dicent decretum illud esse modificationem ipsorum mentis ? Vident clarè illud decretum, siquidem ab illo acceperunt immutabilitatem veritatibus ex legibus æternis certò competere ; sed ubi illud vident ? Certè nisi illud in Deo videant, illud non vident. Nam illud decretum non potest esse nisi in Deo sit, nec potest videri nisi ubi est. Philosophi igitur quicquam certò non possunt tenere nisi Deum consulant, & ab ipso responsum accipiant. Exclament super hoc quantùm voluerint : ipsis aut cedendum est, aut silendum.

Sed ut dicam quod res est, decretum illud est mera imaginatio nullo freta fundamento. Quum de ordine, legibus, & veritatibus æternis cogitamus, ipsarum causam non inquirimus ; nullam enim habent. Necessitas illius decreti non apparet ; ac de illo primâ fronte nunquam cogitatur. Sed contra simplici mentis intuitu evidenter percipimus, naturam numerorum & idearum intelligibilium esse immutabilem, necessariam, independentem. Clarè videmus omninò necessarium esse bis 4. facere 8. & quadratum diagonalis quadrati esse duplum illius quadrati. Absoluta illarum veritatum necessitas in dubium non vocatur nisi ab iis qui ab illarum luce oculos avertunt, qui falsis in ratiocinando nituntur principiis, quique alibi quàm in illis veritatibus quærunt, quænam sit ipsarum natura, immutabili-

tas, & independentia. Itaque decretum immutabilitatis illarum veritatum est figmentum mentis, quæ supponens se non videre in sapientia Dei id quod in ipsâ revera percipit, sciens tamen Deum esse causam omnium, arbitratur se non posse abstinere ab imaginando decreto ut afferat immutabilitatem veritatibus quas immutabiles agnoscere cogitur. Sed ista suppositio falsa est & ab ea sibi cavendum est. In sola Dei sapientia veritates æternas, immutabiles, & necessarias videmus. In hac sola sapientia ordo quem Deus ipse, ut jam dictum est, sequi tenetur, conspici potest. Mens duntaxat creata fuit propter illam sapientiam, & nihil uno sensu præter eam videre potest. Nam si videre queat creaturas, id fit quia ens illud quod videt, licèt modo valdè imperfecto per hanc vitam, illas omnes in essentiæ suæ immensitate modo intelligibili & menti accommodato, uti dixi, complectitur.

Si in nobismet ipsis ideam infiniti non haberemus ac si omnia per unionem naturalem mentis nostræ cum ratione universali & infinita non videremus, certè nec etiam libertate cogitandi de omnibus poriremur. Nam mens non potest velle se applicare nisi ad res quarum aliquam habet ideam nec potest actu cogitare nisi de rebus ad quas potest velle se applicare. Si itaque mens ab eo sejungatur qui omnia in se includit, ipsi certè libertas de omnibus cogitandi tollitur. Præterea cùm quicquam non possimus amare nisi illud videamus, si Deus nobis duntaxat daret speciales ideas, evidenter patet ipsum ita determinaturum esse omnes voluntatis nostræ motûs, ut nihil omninò possemus amare præter entia specialia. Etenim si nullam infiniti ideam haberemus illud non possemus amare, ac si illi qui positivè asserunt se nullam habere Dei ideam, res dicere vellent ut sunt reverà; haud verear dicere ipsos nunquam amasse Deum nihil enim nos posse amare quàm quod videmus evidens mihi videtur.

Denique nisi ordo, & leges æternæ essent immutabiles ex naturæ suæ necessitate, argumenta Religionis clarissima & validissima ruere mihi viderentur in ipso suo principio, æquè ac libertas, & scientiæ certissimæ. Nam Religio Christiana quæ nobis Jesum Christum ut Mediatorem & Reparatorem proponit, naturæ corruptionem per peccatum originale evidenter supponit. Jam autem quo argumento probabitur illa corruptio? Caro pugnat adversus spiritum, inquiet aliquis, ipsum sibi submittit, ipsi dominatur. Concedo. Sed hoc non est contra ordinem, ajet Prophanus; Hoc Deo placet id sic instituit? Arbiter est decretorum suorum. Illum inter creaturas suas instituit ordinem qui ipsi magis allubescit. Quomodo Prophanus ille convinci poterit ordini repugnare ut mentes subjectæ sint corporibus, nisi idea clara ordinis, & ipsius necessitatis habeatur; ac nisi certò constet Deum ipsum teneri illum sequi per amorem necessarium quo seipsum complectitur? Præterea, si ordo ille pendeat à decreto libero Dei, semper ad ipsum Deum erit recur-

rendum ut istius decreti certi fiamus. Consulendus erit Deus, fugiant licet nonnulli Docti ad ipsum recurrere: Isti veritati cedendum erit, nempe ad Deum necessariò esse confugiendum ut erudiamur. Verùm decretum illud liberum à quo ordo manavit, est merum ingenii figmentum, ob rationes à me jam allatas.

Si non sit ordo necessarius, hominem creari propter authorem suum, & voluntatem nostram esse conformem ordini qui est norma essentialis & necessaria voluntatis divinæ: Si verum non sit, actiones esse bonas aut malas, prout sunt conformes aut contrariæ ordini cuidam immutabili & necessario, ac eundem illum ordinem postulare ut priores præmio, posteriores verò pœnâ afficiantur. Denique nisi omnes homines habeant ideam claram ordinis, immò ordinis qui ejusmodi sit ut Deus ipse non possit velle contrarium ab eo quod iste ordo præscribit, quia Deus non potest velle id quod ordini repugnat, si hæc omnia, inquam, non sint; certè nihil præter universalem confusionem & perturbationem video. Quid enim erit quod vitio possit dari in turpissimis & iniquissimis actionibus Ethnicorum, cùm Deus nullas ipsis præscripserit leges? Qua ratione poterunt judicari, si nulla sit ratio suprema quæ ipsos damnet?

Poëta quidam dixit justum non posse secerni ab iniquo. Philosophus quidam dixit erubescere ac pudore suffundi ob turpissimas actiones esse infirmitatis & pusillanimitatis argumentum. Talia sæpè paradoxa in medium proferuntur, per subitaneum imaginationis impetum, ac per vehementem animi turbati motum. Sed cur ejusmodi sententiæ damnarentur, si non sint ordo, regula, ratio universalis & necessaria, quæ iis qui in se reflecti norunt semper sese offerunt? Alios & etiam nosmet ipsos judicare in multis casibus non dubitamus. Sed quâ authoritate id agimus; nisi ratio quæ intra nosmet ipsos judicat, cùm judicia de nobis ipsis ac de aliis ferre nobis videmur, sit summa nostra & omnium hominum ratio?

Nec natura potest justo secernere iniquum *Lucret.* *Diogenes.*

Verùm enim verò nisi hæc ratio iis qui seipsos intra se recipiunt præsens adesset, nisi Ethnici aliquam cum illo ordine de quo sermo est naturalem unionem habuissent, cujus peccati aut cujus inobedientiæ conscii fuissent, aut quâ justitiâ Deus illos punire potuisset? hæc dico quippe qui à Propheta acceperim, Deum ipsum non dedignari homines constituere judices litis quæ ipsi est cum populo suo, dummodò secundùm ordinem justitiæ immutabilem & necessarium judicent. Nero trucidavit matrem suam, id equidem verum est: Sed qua in re peccavit? Motum naturalem odii sui sequutus est; Deus super hac re nihil ipsi præscripsit. Lex Judæorum in ipsius usum non fuerat lata. Dicet fortè aliquis legem naturalem vetare ejusmodi facinora atque legem illam ipsi notam fuisse. Sed quî id probari poterit? Ego equidem id agnosco; quia id invictè probat esse ordinem immutabilem & necessarium; & omnem mentem habere cognitionem istius ordinis eò clariorem quò magis unitur rationi universali quó-

Nunc ergò habitatores Jerusalē & viri Judæ judicate inter me & vineā meam. *Isaias 5.3.*

queimpressioni sensuum & affectuum magis resistit; uno verbo quò rationem magis participat. Sed jam oportet me elucidare, quantùm in me erit, sententiam meam de ordine & lege divina seu naturali. Plerique enim iis quæ dico non acquiescunt fortè quia ea quæ cogito distinctè satis non assequuntur.

Deum in se modo intelligibili perfectiones omnium entium quæ creavit aut potest creare includere, ac ipsum per illas perfectiones intelligibiles omnium rerum essentiam cognoscere evidens est; ut per proprias voluntates suas cognoscit ipsarum existentiam. Jam autem perfectiones illæ sunt etiam objectum immediatum mentis humanæ, ob rationes à me jam allatas. Ergò ideæ intelligibiles, aut perfectiones quæ in Deo sunt, quæque nobis repræsentant id quod est extrà Deum, sunt absolutè necessariæ & immutabiles. Jam autem veritates nihil sunt præter relationes æqualitatis sive inæqualitatis quæ sunt inter entia illa intelligibilia; quandoquidem verum non est bis 2. esse 4. aut bis 2. non esse 5. nisi quia est relatio æqualitatis inter bis 2.& 4. & relatio inæqualitatis inter bis 2. & 5. Ergò veritates sunt immutabiles & necessariæ æquè ac ideæ. Semper verum fuit bis 2. esse 4. ac fieri nequit ut id falsum sit. Id clarum est; & nequaquam necessarium est, *Deum ut summum Legislatorem has instituisse veritates*; ut id ait Cartesius in responsione ad sextas objectiones. Artic.6.& 8.

Facilè igitur quisque concipit quid sit veritas; sed difficiliori negotio concipitur quid sit ordo immutabilis & necessarius; quid sit lex naturalis & Divina, quid sit quod Deus vult necessariò, quodque etiam volunt justi. Ideò enim homo justus est quia ordinem amat; atque ipsi in omnibus suam accommodat voluntatem, quemadmodum peccator non est peccator, nisi quia ordo ipsi non placet in omnibus, ac illum vellet esse conformem iis quæ optat. Haud credo tamen hæc tam obscura & abstrusa esse quàm vulgò putantur; & caussam cur tot in his reperiantur difficultates non aliunde oriri existimo, quàm quia mens ægrè sese attollere potest ad cogitationes abstractas & metaphysicas. Hæc sunt igitur, aliquâ ex parte, quæ de ordine sentit.

Perfectiones quæ in Deo sunt, quæque entia creata aut possibilia repræsentant, non esse omnes inter se æquales evidens est, perfectiones, exempli gratiâ, quæ corpora repræsentant non esse æquè nobiles ac perfectiones quæ mentes repræsentant; ac etiam inter eas quæ nihil aliud repræsentant quàm corpora, aut nihil quàm spiritus, esse quasdam aliis nobiliores usque ad infinitum. Id clarè & nullo negotio concipitur; quamvis simplicitas entis Divini cum varietate illâ idearum intelligibilium quam in sua sapientia includit ægrè possit conciliari. Etenim si omnes ideæ Dei essent æquales, nullam certè deprehenderet differentiam in operibus suis; cùm non possit videre creaturas suas nisi in eo quod in se habet quo illæ repræsentantur; ac si idea horologii quod præter horas indicat etiam varios planeta-

rum motûs, non esset perfectior ideâ horologii quæ horas duntaxat indicaret, aut ideâ circuli vel quadrati, certè nec ipsum horologium esset perfectius circulo. Non possumus enim judicare de perfectione operum nisi per perfectionem idearum quas de ipsis habemus. Si horologii fabrica majora non præberet ingenii & sapientiæ argumenta quàm circuli descriptio non difficilius esset concipere machinas maximè compositas, quàm concipere quadratum aut circulum.

Si igitur verum sit Deum, qui est Ens universale, includere in se omnia entia modo intelligibili, & omnia illa entia quæ in Deo habent existentiam necessariam non esse æquè perfecta inter se; in illa esse debere ordinem immutabilem & necessarium evidens est: ac quemadmodùm sunt veritates æternæ & necessariæ, quia sunt relationes magnitudinis inter entia intelligibilia, debere pariter esse ordinem immutabilem & necessarium, propter relationes perfectionis inter eadem illa entia. Ordo igitur est immutabilis spiritus esse nobiliores corporibus, ut veritas est necessaria bis 2. esse 4. aut bis 2. non esse 5.

Jam autem huc usque ordo immutabilis videtur potiùs veritas speculativa, quàm lex necessaria. Nam si ordo duntaxat consideretur ut illum modò consideravimus, verum equidem esse patebit spiritûs, exempli gratiâ, esse nobiliores corporibus; sed non apparet veritatem illam esse eodem tempore ordinem qui legis vim habeat, ac spiritûs necessariò debere præferri corporibus. Attendendum igitur est Deum seipsum amare amore necessario, ac proinde ipsum magis amare id quod in ipso est quod repræsentat aut includit majorem perfectionem, quàm quod minorem. Adeò ut si supponere vellemus mentem intelligibilem esse millies perfectiorem corpore intelligibili, amor quo Deus seipsum amat, esset millies major erga mentem intelligibilem, quàm ergà corpus intelligibile. Nam amor Dei necessariò proportionem habet cum ordine qui existit inter entia intelligibilia quæ includit ipse Deus. Itaque ordo qui est merè speculativus, habet vim legis respectû ipsius Dei; posito quod certum est, nempe, Deum seipsum necessariò amare; Nec Deus potest magis amare corpora intelligibilia quàm mentes intelligibiles, quamvis corpora creata magis amare possit quàm mentes, ut mox sum explicaturus.

Ille autem ordo immutabilis qui respectu Dei ipsius legis vim habere, respectu nostri evidenter legis etiam vim habere debet. Nam iste ordo nobis notus est, & amor noster naturalis ipsi se accommodat, cum apud nosmet ipsos collecti silentibus sensibus & affectibus, libertate nostrâ potimur, uno verbo cum φιλαυτία non corrumpit amorem nostrum naturalem. Cùm propter Deum simus conditi, nec ab illo possimus omnino separari, in ipso hunc videmus ordinem, & ad illum amandum naturaliter ferimur. Ipsius enim lumine illumina-

mur, & ipsius amore animamur, quamvis sensus & affectus nostri lumini isti tenebras affundant & contrà ordinem determinent impressionem illam qua ad amandum secundùm ordinem ferimur. Sed invitâ concupiscentiâ quæ ordinem oculis nostris subducit, impeditque quominus illum sequamur, ordo est semper lex essentialis & ineluctabilis nostri respectu, non modò respectu nostri, sed respectu omnium intelligentiarum creatarum, immò respectu damnatorum. Haud enim credo ipsos à Deo tantoperè longinquos esse, ut levem aliquam ordinis ideam adhuc non habeant, in illo pulchritudinem aliquam non agnoscant, utque ipsi sese accommodare non sint parati in casibus nonnullis quibus ipsorum philautia non læditur.

Corruptio cordis in repugnantiâ ordini consistit. Cùm itaque malitia seu corruptio voluntatis æqualis non sit etiam inter damnatos, ipsos æqualiter ordini non repugnare evidens est, illumque ab iis in omnibus odio non haberi, nisi relatè ad odium quo Deum prosequuntur. Quemadmodum enim bonum odio esse nequit, quatenus consideratur ἁπλῶς ut bonũ, ordo pariter odio haberi nequit nisi quatenus affectibus nostris repugnare videtur. Sed quamvis inclinationibus nostris contrarius videatur, id tamen non obstat, quo minùs ipse sit lex quæ nos damnat, atque nos cruciat vermi nunquam moriente.

Nunc igitur liquet quid sit ordo, quomodo vim legis habeat amore necessario quo Deus seipsum complectitur. Liquet quomodo ista lex generaliter omnibus mentibus & ipsi Deo communis est: cur necessaria sit & omninò ineluctabilis. Denique aut concipitur, aut saltem in genere facilè concipi potest, quodnam sit principium omnium legum divinarum & humanarum, & secundùm hanc legem, omnes intelligentias judicari, & omnes creaturas in ordine sibi congruo disponi.

Hæc omnia sigillatim explicari facilè non posse fateor, nec eo etiam temeritatis veni ut illud aggrediar. Namque si quarundam legum cum lege generali, & quarundam agendi rationum cum ordine connexionem ostendere vellem, in difficultates forsan inciderem quas solvere penes me non esset, quibusque ab instituto meo longiùs abducerer.

Si quis tamen Deum nullâ aliâ lege quàm sapientiâ suâ & amore quâ illam prosequitur obligari, attendat; omnes leges divinas ab illa pendere debere facilè concipiet. Et si animadvertamus mundum ab ipso conditum non fuisse nisi relatè ad illam sapientiam & ad illum amorem, quoniam non agit nisi propter se; omnes naturales leges ad conservationem & perfectionem hujus mundi juxtà ordinem inviolabilem, & dependenter ab amore necessario, tendere certò apud nos constabit. Namque sapientiâ & voluntate Dei omnia reguntur.

Istud principium à me fusiùs exponi necesse non est. Quod jam

dixi sufficit ut ista eliciatur consequentia, nempe; in primâ institutione naturæ fieri non potuisse ut mentes subjectæ fuerint corporibus. Cùm enim Deus sine cognitione & invitus agere nequeat, juxtà sapientiam suam,& motu amoris sui mundum creavit. Omnia per Filium & in Spiritu Sancto fecit, ut id nos docet Scriptura. Jam autem in Dei sapientiâ mentes corporibus sunt perfectiores, & per amorem necessarium quo seipsum complectitur Deus, perfectius minùs perfecto anteponit. Ergò fieri nequit ut in primâ naturæ institutione mentes corporibus submissæ fuerint. Alioqui, dicendum foret Deum condendo mundum non sequutum fuisse leges sapientiæ suæ æternæ, nec motûs amoris sui naturalis & necessarii. Quod non modò non concipitur, sed manifestam involuit contradictionem.

Verum equidem est nunc mentem creatam corpori materiali & sensibili subjacere; sed id fit quia ordo consideratus ut lex necessaria rem sic postulat. Id fit,quia Deus seipsum amans amore necessario, qui lex inviolabilis semper ipsi est mentes sibi contrarias amare,ac per consequens eas corporibus in quibus nihil est mali, quodque Deus odio habeat, præferre nequit. Deus enim peccatores in se ipsis non amat. In mundo non subsistunt nisi per JESUM CHRISTUM. Ipsos Deus non conservat & amat, nisi ut si in peccatis perseverent peccare desinant per gratiam JESU CHRISTI; vel ut ordine immutabili ac necessario, & judicio JESU CHRISTI, cujus vi subsistunt ad gloriam justitiæ Divinæ, in æternum damnentur. Nam sine Christo in nihilum prorsus redigerentur. Hæc obiter dicta velim, ut quæ difficultates quæ ex iis quæ alibi de peccato originali & de corruptione generali naturæ à me dicta sunt, oriri possunt, solvantur. Mentem objecta externa duabus tantùm rationibus cognoscere, utilissimum est à nobis attendi; lumine, scilicet, & sensu. Lumine res videt, ubi earum claram habet ideam, & istam ideam consulendo, omnes proprietates quas queunt suscipere deprehendere potest. Res sensu videt, ubi earum rerum nullam ideam claram in se reperit quam possit consulere, ac proinde ubi earum proprietates clarè percipere nequit; easque duntaxat cognoscit sensu confuso, sine lumine & evidentiâ. Lumine & ideâ clarâ mens videt essentias rerum, numeros & extensionem. Ideâ confusâ aut sensu de existentia creaturarum judicat & suam ipsius cognoscit.

Vide quintũ Dialogũ Colloquiorum Christianorum. sub finem.

Quæ mens lumine aut ideâ clarâ percipit, illa modo perfectissimo percipit: immò clarè cognoscit, si sit obscuritas aut imperfectio in ipsius cognitione, id fieri ob ipsius infirmitatem & parvam capacitatem, aut quia non satis attendit, non verò ob imperfectionem ideæ quam percipit. Quod verò mens sensu percipit, ipsi nunquam clarè innotescit; non quòd satis non attendat; iis enim quæ sentimus semper attentè incumbimus; sed quia idea est admodum obscura & confusa.

Hinc judicare est nos omnia quæ lumine aut per ideam claram cognoſcimus in Deo ut in naturâ immutabili videre; non modò quia numeri, duntaxat, extenſio, & eſſentiæ entium, quæ,ut explicui, à libero Dei actu non pendent, lumine cernuntur. Sed prætereà quoniam hæc modo perfectiſſimo cognoſcuntur, immò modo infinitè perfecto cognoſcerentur, ſi noſtra cogitandi capacitas eſſet infinita, cùm nihil deſit ideæ quâ repræſentantur. Concludendum etiam eſt omnia quæ ſenſu cognoſcimus in nobis ipſis videri. Non equidem quòd in nobismet ipſis poſſimus novam aliquam producere modificationē,vel quòd ſenſationes aut modificationes mentis noſtræ poſſint repræſentare objecta occaſione quorum Deus illas in nobis excitat, ſed id fit quia ſenſationes noſtræ, quæ à nobis non diſtinguuntur, & quæ ideò nihil unquam à nobis diſtinctum poſſunt repræſentare, poſſunt tamen repræſentare exiſtentiam entium, aut efficere ut judicemus illa exiſtere. Cùm enim Deus in nobis ſenſationes noſtras ad præſentiam objectorum actione non ſenſibili excitet, ab objecto non modò ideam quâ ipſius eſſentia repræſentatur,ſed etiam ſenſum cujus ope de ipſius exiſtentia judicamus, nos accipere arbitramur. Nam in cognitione quam circa res ut actu exiſtentes aſſequimur ſemper eſt idea pura & ſenſus confuſus, ſi excipias cognitionem Dei & mentis noſtræ. Exiſtentiam Dei excipio; Illa per ideam puram & ſine ſenſu cognoſcitur, Cùm ipſius exiſtentia non pendeat ab ullâ causâ, & in ideâ entis neceſſarii includatur, ut æqualitas diametrorum includitur, in ideâ circuli. Excipio etiam exiſtentiam mentis noſtræ; quia ſenſu interno ſive conſcientiâ ſcimus nos cogitare, nos velle, nos ſentire; & quia nullam mentis noſtræ claram habemus ideam, ut fusè ſatis explicui Capite Septimo Secundæ Partis Tertii Libri & alibi.

Iſtæ ſunt rationes quæ prius allatis ad probandum Deum ſolum nos illuminare, & objectum immediatum & directum noſtrarum cognitionum clararum & evidentium eſſe naturam immutabilem & neceſſariam, adjici poſſunt. Adverſus iſtam opinionem quædam ſolent objici, quæ hic diluere conabor.

Adverſus ea quæ dicta ſunt nempe, Deum ſolum nos illuminare, omniáque in ipſo videri.

PRIMA OBIECTIO.

Mens noſtra cogitat quia id fert ipſius *natura*, Deus ipſam creando ipſam etiam cogitandi *facultate* donavit, idque ſufficit contrà principia ſupra poſita. Aut ſi id non ſufficiat, iis quæ de ſenſibus noſtris nos docet experientia immoremur. Illos idearum noſtrarum cauſas eſſe ſatis experimur. Jam autem ii malè philoſophantur, qui adverſus experientiam ratiocinantur.

Reſponſio.

Responsio.

Cartesianos qui terminos generales naturæ & facultatis meritò refugiunt, his tamen adeò lubenter hic uti miror. Ægrè ferunt dum alios audiunt dicentes ignem urere *naturâ* suâ & quædam corpora mutare in vitrum *facultate* naturali: & quidam inter ipsos non dubitant dicere mentem humanam in se producere ideas omnium *naturâ* suâ, & quia cogitandi facultate prædita est. Verum id ipsorum pace dictum sit, hic termini plùs non habent energiæ & significationis in ipsorum ore quàm in ore Peripateticorum.

Scio equidem mentem cogitandi esse capacem; sed scio pariter extensionem esse capacem figurarum: mens est capax voluntatis, ut materia est capax motûs, sed non secùs ac falsum est, materiam quamvis figuræ & motûs capacem, in se habere *virtutem*, *facultatem*, *naturam*, quâ possit moveri, aut sibi figuram modò rotundam, modò quadratam adaptare; ita, quamvis mens naturaliter & essentialiter sit capax cognitionis & voluntatis falsum tamen est ipsam *facultates* habere quibus possit producere in se ideas suas aut motum suum versùs bonum. Multùm sanè discriminis est inter esse mobile, & seipsum movere. Materia naturâ suâ mobilis est & capax figurarum; immò sine figuris subsistere nequit. Seipsam tamen non movet, seipsam non modificat, nullâ ad id facultate prædita est. Mens naturâ suâ motûs & idearum capax est; id fateor; sed seipsam non movet, seipsam non illuminat: Deus omnia in mentibus non secùs ac in corporibus efficit. Quis Deum omnes quę in materia contingũt mutationes producere dicat, & mutationes quę in mente contingunt ab eodem fieri neget? An ii Deo quod ad ipsum pertinet tribuunt, qui entium minima duntaxat ipsius arbitrio permittunt? Non omnium æqualiter arbiter est? Spirituum æquè ac corporum nonne est conservator & solus motor? Certè omnia facit, substantias, accidentia, entia, modos essendi; Etenim omnia cognoscit; jam autem nihil cognoscit præter ea quæ facit. Ipsi igitur sua detrahitur cognitio, si ipsius actio limitetur.

Vide primam illustrationem.

At, qui volunt creaturas præditas esse facultatibus quales concipi vulgò solent: dicant etiam corpora naturalia habere *naturam* quæ principium ipsorum motus & quietis sit, ut sentiunt Aristoteles & ipsius asseclæ. Id omnes meas invertit ideas. Sed id potiùs concedam quàm concederem mentem seipsam illuminare. Mentem vim habere variè movendi brachia corporis, ipsisque communicandi sensum & vitam, dicant, si velint. Dicant etiam, si lubet, mentem sanguini calorẽ, spiritibus motum, & reliquo corpori magnitudinem dispositionem & figuram impertiri; sed ne quis dicat mentem sibi ipsi cõmunicare motũ & lumen suum. Si Deus omnia non efficit, ea saltem efficiat quæ in mundo maxima & perfectissima sunt, Et si creaturæ aliquid effi-

ciant, corpora moveant, illaque pro lubitu disponant, sed saltem negant in mentes.

Dicamus corpora sese mutuo movere postquàm unumquodque sibi ipsi motum communicavit; seu potius variarum materiæ dispositionum causam ignoremus, id ad nos non attinet. Sed mentes nostræ ne ignorent unde sit lumen quo illuminantur; cognoscant à quo id accipiant quo beatissimæ & perfectissimæ possunt evadere, totam suam dependentiam agnoscant seque nihil actu habere quod ipsis à Deo quotidie non communicetur. Nam ut circa aliam rem dixit olim Sanctus Bernardus, est superbia & peccatum maximum uti datis tanquàm innatis. Imprimis ne imaginemur rationem à sensibus erudiri. Mentem à corpore id accipere quod ipsum non habet. Præstat independentiam sibi arrogare, quàm credere nos à corporibus reverà pendere. Satius est sibi ipsi dominum esse, quàm dominos quærere inter creaturas nobis inferiores. Sed præstat veritati æternæ se summittere nobis in Evangelio asserenti, ipsam solam nobis esse magistram; quàm sensuum nostrorum aut quorundam hominum, qui magistrorum ad instar nos audent alloqui, testimonio credere. Experientia, quicquid dicatur, præjudiciis non favet. Namque sensus nostri, æque ac magistri nostri secundùm carnem, nihil aliud sunt præter causas occasionales institutionis quàm sapientia æterna in intimâ ratione nobis largitur. Sed quia hæc sapientia nos operatione non sensibili illuminat; oculos nostros aut verba illius qui aërem aures nostras contingentem percutit, hoc lumen in nobis producere, aut vocem istam intelligibilem qua erudimur edere, falsò arbitramur. Hanc ob causam, ut alibi monui, JESUS CHRISTUS nos modo intelligibili Divinitate sua erudire non contentus, nos etiam modo sensibili humanitate suâ instituere voluit; voluit nos docere se esse magistrum nostrum omnibus modis. Et quia non sine labore apud nosmetipsos secedimus, ut ibi ipsum tanquam veritatem æternam, ordinem immutabilem, lumen intelligibile consulamus, veritatem verbis suis sensibilem, ordinem exemplis suis amabilem, lumen corpore quo ipsius fulgor retunditur visibile reddidit. Nihilominus ita sumus tanti beneficii immemores, injusti, stupidi, & insani, ut, ipso prohibente, tanquam magistros nostros habeamus, non modo cæteros homines, sed forsan quoque corpora omnium maximè sensibilia & vilissima.

S. Bern. de diligendo Deo.

SECVNDA OBIECTIO

Cùm mens corporibus sit perfectior cur in se includere non poterit id quod ea repræsentat? Cur idea extensionis non erit una ex ipsius modificationibus? Deus solus in eâ agit, & ipsam modificat, id fatemur; sed cur corpora videbit in Deo, si possit ea in propriâ substantiâ videre? Non est materialis; id equidem verum est. Sed Deus licet

mens pura, videt corpora in se: cur ergo mens ipsa non videbit sese considerando, quamvis sit spiritualis.

Responsio.

Quis non videt illud esse discrimen inter Deum & mentem, quòd Deus sit ens sine restrictione, ens universale, ens infinitum, mens verò sit genus entis speciale? Deus includit in se corpora modo intelligibili: Ipsorum essentias aut ideas in sapientiâ suâ, & existentiam in amore aut in voluntatibus suis videt. Id sic dici necesse est, cùm Deus corpora condiderit, cùmque quicquid fecerit cognoscat antequàm quicquam factum fuisset. Sed mens in se videre nequit id quod in se non includit: immò id quod includit clarè videre non potest. Id duntaxat confusè sentire potest. Mentem meam explico.

Mens extensionem intelligibilem tanquàm unam ex suis modificationibus non includit; quia hæc extensio non est modus essendi seu modificatio, est verè ens. Hanc extensionem solam concipimus de nullâ alia re cogitantes, sed non possumus concipere modificationes, quin subjectum aut ens cujus sunt modi percipiamus. Hanc extensionem percipimus de mente nostrâ neutiquàm cogitantes; immò concipere nequimus hanc extensionem posse esse modum seu modificationem mentis nostræ. Cùm hæc extensio sit finita debet esse aliquo modo figurata; sed mens quamvis finita sit nullam tamen figuram potest suscipere. Cùm hæc extensio constet partibus potest dividi, saltem aliquo sensu, sed nihil in mente deprehenditur quod sit divisibile. Ergò ista extensio quæ percipitur, non est modificatio mentis, ergò illam in se videre nequit mens. Quomodo in unâ entis specie omnes entium species possent videri, ac in ente speciali & finito triangulus in genere, & trianguli infiniti. Etenim mens triangulum aut circulum in genere percipit, quamvis contradictorium sit mentem posse habere modificationem in genere. Sensationes coloris quas mens alligat figuris, eas reddunt speciales, quia nulla modificatio entis specialis potest esse generalis.

Certè possumus asserere id quod clarè concipimus. Atqui clarè concipimus extensionem quam videmus, à nobis esse distinctam. Ergo possumus dicere extensionem non esse modificationem entis, & esse aliquid reapse distinctum à nobis ipsis. Attendendum enim est, solem, exempli gratia, quem videmus, non esse solem quem adspicimus. Sol & quicquid in hoc mundo materiali exstat non est visibile per se; Id alibi probavi. Mens tantùm videre potest solem cui immediatè unitur. Jam autem clarè videmus, & distinctè sentimus, solem esse aliquid distinctum à nobis. Ergò adversus proprium lumen nostrum & conscientiam loquimur, dum dicimus mentem videre in propriis suis modificationibus omnia corpora quibus circumdatur.

Voluptas, dolor, sapor, calor, color, omnes sensationes nostræ &

affectus, sunt modificationes mentis nostræ. Sed quamvis id sic se habeat, an ea clarè cognoscimus? An calorem cum sapore, odorem cum odore possumus conferre? An possumus deprehendere relationem quæ est inter rubrum & viride, immò inter viride & viride? De figuris res secùs se habet, eas inter se invicem conferimus. Earum relationes exactè cognoscimus; scimus præcisè quadratum diagonalis quadrati esse duplum istius quadrati. Quænam esse potest relatio inter istas figuras intelligibiles quæ sunt ideæ clarissimæ, & modificationes mentis nostræ, quæ nihil sunt præter sensationes confusas? Et cur crederemus hasce figuras intelligibiles non posse percipi à mente, nisi ipsius sint modificationes, cùm mens nihil cognoscat per ideam claram eorum quæ ipsi competunt; sed duntaxat per conscientiam aut per sensum internum: ut alibi probavi, & iterum in Illustratione sequenti sum probaturus. Si corporum figuras in nobismet ipsis duntaxat cognosceremus, illæ contrà nobis essent *inintelligibiles*, nam nosmet ipsos non cognoscimus, nobismet ipsis nihil sumus quàm tenebræ, ut nos videre possimus, nos extrà nosmet ipsos videre oportet; nec unquam quid simus cognoscemus donec in eo nos consideremus qui est lumen nostrum, & in quo omnia fiunt lumen. Nam in Deo solo entia maximè materialia sunt omnino intelligibilia; sed extrà ipsum substantiæ maximè substantiales, omnino invisibiles fiunt. Idea extensionis quàm in Deo videmus est clarissima. Sed quia in Deo ideam mentis nostræ non videmus, sentimus equidem nos esse, & quid actu habeamus; sed nequaquàm possumus deprehendere quid simus, nec ullam ex modificationibus nostris.

TERTIA OBIECTIO.

In Deo nihil est mobile; in ipso nihil est figurati; Si sit sol in mundo intelligibili, sol ille sibi ipsi semper æqualis est; at sol visibilis grandior videtur, quùm horizonti proximus est, quàm quùm ab eo remotus est. Ergo illum solem intelligibilem non videmus. De aliis creaturis res eodem se habet modo. Ergo in Deo opera Dei non videmus.

Responsio.

Ut huic objectioni respondeamus, sufficiet attendere Deum in se includere extensionem intelligibilem infinitam; Deus enim cognoscit extensionem, siquidem illam fecerit, atqui eam non potest cognoscere nisi in se ipso. Itaque, cùm mens possit percipere aliquam partem istius extensionis intelligibilis quam Deus includit, certum est ipsam posse percipere in Deo omnes figuras; nam omnis extensio intelligibilis finita, necessariò est figura intelligibilis; cum figura nihil sit præter terminum extensionis. Præterea hæc figura extensionis intelli-

gibilis & generalis fit ſenſibilis & ſpecialis colore, aut aliquâ aliâ qualitate ſenſibili quam ipſi mens adjungit; nam ſenſatione ſuâ ſemper induit ideam quâ vividiùs afficitur. Itaque neceſſe non eſt in Deo eſſe corpora ſenſibilia aut figuras in extenſione intelligibili, ut ea in Deo videamus, vel ut ea in ſe videat, quamvis ſe ſolum contempletur.

Præstereà, ſi concipias figuram extenſionis intelligibilis factam ſenſibilem colore, ſucceſſivè ſumi ex variis partibus iſtius extenſionis infinitæ, aut ſi concipias figuram extenſionis intelligibilis poſſe circa centrum ſuum agi, aut ad aliam ſucceſſivè accedere, percipis motum figuræ ſenſibilis aut intelligibilis, cùm tamen nullus ſit motus in extenſione intelligibili. Nam Deus non videt motum corporum in ſubſtantiâ ſuâ aut in ideâ quam de ſeipſo habet. Sed ſolùm per cognitionem voluntatum ſuarum reſpectu ipſorum. Ipſorum exiſtentiam non aliter etiam videt quam hoc modo, quia ipſius voluntas dat τὸ eſſe omnibus. Voluntates Dei in ipſius ſubſtantiâ nihil immutant; ipſam non movent. Fortè extenſio intelligibilis eſt immobilis omnimodè, etiam modo intelligibili. Sed quamvis nihil præter extenſionem illam intelligibilē, ſeu ſit immobilis aut ſecus, videamus; nobis videtur mobilis propter coloris ſenſationem, aut imaginem confuſam ſenſationi ſuperſtitem, quam ſucceſſivè alligamus variis partibus extenſionis intelligibilis, quæ nobis eſt pro ideâ, quùm motum alicujus corporis videmus aut imaginamur.

Ex ſuprà dictis, intelligere eſt, cur videre poſſimus ſolem intelligibilem modò magnum modò parvum, quamvis idem ſemper ſit reſpectu Dei. Ad id enim ſufficit nos modò majorem extenſionis intelligibilis partem, modò minorem cernere, & affici ſenſatione vividâ luminis quam adjungamus huic extenſionis parti. Jam autem cum omnes extenſionis intelligibilis partes ſint ejuſdem naturæ, omnes poſſunt repræſentare quodlibet corpus.

Arbitrandum non eſt mundum intelligibilem tantam habere relationem cum mundo materiali & ſenſibili, ut exempli gratiâ, ſol, equus, arbor intelligibilis deſtinatus ſit ad nobis repræſentandum ſolem, equum & arborem: eoſque omnes qui vident ſolem, neceſſariò videre eundem ſolem intelligibilem. Cum omnis extenſio intelligibilis poſſit concipi ſphærica, aut habens figuram intelligibilem equi ſeu arboris, omnis extenſio intelligibilis ad id inſervire poteſt ut ſolem, equum, arborem repræſentet, ac per conſequens, poteſt eſſe ſol, equus, arbor mundi intelligibilis, atque etiam fieri ſol, equus, arbor viſibilis & ſenſibilis, ſi mens aliquam habeat ſenſationem occaſione corporum quam his adjungat ideis.

Itaque, cum dixi nos videre varia corpora, per noſtram cognitionem perfectionum Dei, quæ iſta repræſentant corpora, haud præcisè ſum arbitratus, in Deo quaſdam eſſe ideas ſpeciales, quæ repræſentarent unum quodque corpus ſigillatim; noſque talem videre ideam,

cum hoc vel illud corpus videmus. Nam profectò corpus illud modò magnum, modò parvum, modò rotundum, modò quadratum videre non possemus, si illud per ideam singularem quæ semper eadem foret, videremus. Sed dico omnia nos in Deo videre dùm Deus menti nostræ mille modis applicat extensionem intelligibilem; atque ita extensionem intelligibilem includere in se omnes perfectiones seu potiùs omnes differentias corporum propter varias sensationes quas mens adjungit ideis quas occasione eorundem istorum corporum habet. Haud equidem sic loquutus sum διαῤῥήδην; sed id eo consilio feci ut argumenta mea validiora & magis sensibilia redderem. Hic causas afferrem cur tam variè mentem meam aperuerim, si id foret necessarium.

Hæc ulteriùs & penitiùs tractare non audeo, ne res nimis abstractas & extraordinarias in medium proferam; vel, si quis malit, ne eo temeritatis adducar ut res mihi ignotas, quasque non possum retegere explicare aggrediar. Sunt duntaxat nonnulli Scripturæ loci qui suprà dictis adversari videntur, quos hic explanare conabor.

OBIECTIO.

Cap. 1. 18. Cap. 4. 12. Divus Johannes in Evangelio suo, & in primâ Epistolâ, dicit; *Neminem unquam vidisse Deum. Deum nemo vidit unquàm, unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

Responsio.

Respondeo; Eum propriè non videre Deum, qui in ipso videt creaturas. Creaturarum essentias in ipsius substantiâ videre, non est ipsius essentiam videre. Ut videre objecta in speculo repræsentata, non est ipsum speculum videre.

Cor. cap. 13. Nihil obstat equidem quo minus cum Divo Paulo, Augustino, Gregorio, & multis aliis Ecclesiæ Patribus, dicamus, Deum à nobis etiam in hac vita videri, quamvis modo imperfectissimo. Hæc sunt verba L. 31. cap. 20. sancti Gregorii in suis Ethicis ad Jobum. *A Luce incorruptibili caligo nos nostræ corruptionis obscurat; cùmque & videri aliquatenus potest, & tamen videri lux ipsa sicuti est non potest, quàm longè sit indicat. Quam si mens non cerneret, nec quia longè esse videret. Si autem perfectè jam cerneret, profectò hanc quasi per caliginem non videret. Igitur, quia nec omnino cernitur, nec rursùm omnino non cernitur, rectè dictum est, quia à longè Deus videtur.* Quamvis sanctus Gregorius, ut explicet istum locum Jobi, *oculi ejus à longè prospiciunt,* dicat, in hac vitâ Deum non videri nisi *à longè*, attamen Deus nobis adest admodùm præsens. Sed concupiscentiæ nostræ caligine nobis delitescit. *Caligo nos nostræ corruptionis obscurat.* Nam in aliis locis, post Divum Augustinum, lumen Dei, quod est Deus ipse, lumini solis comparat quo circumdamur, quodque non videmus dum

cæcutimus aut oculos claudimus ne ipsius fulgore perstringamur; *In sole oculos clausos tenemus.*

Divus Augustinus rem Gregorio fideli ipsius discipulo pressiùs urget. Quamvis enim agnoscat Deum nunc non cognosci nisi admodùm imperfectè; asserit tamen in multis locis, Deum nobis clariùs innotescere quàm multa quæ nos optimè nosse arbitramur. *Propinquior nobis qui fecit, quàm multa quæ facta sunt.* IN ILLO ENIM VIVIMUS, MOVEMUR & SUMUS. *Istorum autem pleraque remota sunt à mente nostrâ* propter dissimilitudinem sui generis. Et inferiùs. *Rectè culpantur in libro sapientiæ inquisitores hujus sæculi; Si enim tantum, inquit, potuerunt valere, ut possent æstimare sæculum, quomodo ejus Dominum non faciliùs invenerunt? Ignota sunt fundamenta oculis nostris; & qui fundavit terram, propinquat mentibus nostris.* Ideò sanctus ille Doctor putat iis quibus charitas inest Christiana notiorem esse Deum quàm fratres. *Ecce*, inquit, *jam potest notiorem Deum habere quàm fratrem. Planè notiorem, quia præsentiorem notiorem, quia interiorem: notiorem, quia certiorem.* Alia sententiæ Augustini argumenta non afferam. Similia multa reperientur apud *Ambrosium Victorem* in 2. Vol. *Philosophiæ Christianæ.*

De Gen. ad litt. l.5. c.16. *De Trinitate* l.8. c.8.

Sed ut ad locum Beati Johannis redeam: Deum nemo vidit unquàm. Existimo Evangelistam, dum asserit neminem unquàm vidisse Deum, eò tendere, ut discrimen inter Vetus & Novum Testamentum patefaciat; inter JESUM CHRISTUM & Patriarchas, & Prophetas, de quibus scriptum est, ipsos vidisse Deum. Nam Jacob, Moses, Isaias & alii non viderunt Deum, nisi oculis corporeis, & sub formâ mutuatitiâ; illum ut in se est non viderunt; *Deum nemo vidit unquàm.* Sed Filius unigenitus Patris, qui in ipsius sinû est, ea quæ vidit * nos edocuit: *Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

* Cyrillus Alexãdrinus ad hæc verba Johan. *Erat lux vera.*

OBJECTIO.

Divus Paulus ad Timotheum scribens, dicit Deum habitare lumen inaccessum, ipsum à nemine unquàm fuisse visum, immò videri non posse. Si lumen Dei sit inaccessum in illo omnia videri nequeunt.

Responsio.

Divus Paulus non potest adversari Divo Johanni nobis asserenti Jesum Christum esse verum lumen, quod omnes homines in hunc mundum venientes illuminat. Nam, mens humana, quam plurimi *Patres appellãt *lumen illuminatum*, non illuminatur nisi lumine sapientiæ æternæ, quod iidem Patres hanc ob causam dicunt *lumen illuminans.* David nos hortatur ad Deum accedere, ut ab illo illuminemur. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Sed quomodo possumus ab illo illuminari, nisi possîmus videre lumen quo sumus illuminandi? Itaque Paulus dicens hoc lumen esse inaccessum, id dicit de homine carnali qui apud seipsum non secedit ut lumen illud contempletur. Aut si de omnibus hominibus loquatur, id dicit quòd nullus sit qui à perfecta veritatis contemplatione non abducatur, quia corpus nostrum attentionem mentis nostræ indesinenter interrumpit.

S Aug. Tr. 14 ad B Joh. S. Greg. c. 27. ad caput 28. Jobi.

Inaccessibile dixit sed omni homini humana sapienti. Scriptura quippe sacra omnes carnalium sectatores humanitatis nomine notare solet. S. Greg in cap. 28. Job.

OBJECTIO.

Deus Mosi ipsum videre optanti respondens, dixit. *Non potes videre faciem meam, NON videbit me homo & vivet.*

Responsio.

Sensum literalem hujusce loci supradictis non repugnare evidens est; haud enim sentio Deum posse videri in hac vitâ, eo modo quo Moses ipsum videre optabat. Respondeo tamen, moriendum nobis esse, ut Deum videamus; mens enim veritati unitur, quo magis à corpore abstrahitur. Ad hanc veritatem nemo satis attendit. Qui affectuum motûs sequuntur, qui voluptatum usu imaginationem polluerunt, qui unionem & mutuum mentis cum corpore commercium auxerunt; uno verbo, qui vivunt, Deum videre nequeunt; apud seipsos enim se recipere non possunt ut veritatem consulant. Beatos itaque illos quorum cor purum est, mens libera, imaginatio sana, qui mundo neutiquam, vix corpori adhærescunt! uno verbo beati illi sunt qui moriuntur, nam videbunt Deum. Sapientia id palàm dixit in monte, idque iis seorsim dicit qui sese recipientes illam consulunt. Qui in se superbiæ concupiscentiam perpetuò excitant, qui sexcenta ambitiosa agitant consilia, qui mentem non modò corpori, sed iis etiam quibus circumdantur uniunt atque etiam mancipant; uno verbo, qui vivunt non modò vitam corporis, sed etiam vitam mundi, non possunt videre Deum; nam sapientia in intimo rationis recessu habitat, illi verò sese perpetuò extrinsecùs diffundunt.

At qui sensuum vividitatem indesinenter mortificát, qui imaginationis puritatem sedulò conservant, qui affectuum motibus strenuè resistunt, uno verbo, qui omnia vincula quibus alii corporis & magnitudinis sensibilis fiunt mancipia, solvunt, innumeras veritates retegere, & sapientiam illam *ab oculis omnium viventium absconditam* videre possunt. (Job. 28 2.) Vivere aliquo modo desinunt, statim atque apud seipsos sese colligunt; corpus deserunt ubi ad veritatem accedunt. Nam mens humana inter Deum & corpora ita sita est ut à corporibus recedere nequeat quin ad Deum admoveatur; Quemadmodum cum ad ea præceps currit à Deo recedit. Sed quia ante obitum corpus omninò deseri nequit, fateor etiam ante illud tempus hominem Deo perfectè uniri non posse. Jam juxtà Divum Paulum, Deus videri potest confusè ac veluti in speculo, sed non potest videri de facie ad faciem. *Non videbit me homo & vivet.* Potest tamen videri *ex parte*, hoc est confusè & imperfectè.

(Videmus nūc per speculum in ænigmate tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte. 1. Cor. 13.)

Vitam in omnibus hominibus viventibus æqualem esse illamque in puncto indivisibili consistere arbitrandum non est. Imperium corporis in mentem, quod impedit quominus uniamur Deo per cogni-

tionem

tionem veritatis, potest suscipere magis & minùs. Mens in omnibus hominibus æqualiter non unitur corpori quod sẽsationibus suis animat, & aliis corporibus versùs quę affectuũ ope fertur. Nec desunt qui voluptatum & superbiæ concupiscentiam ita enecant ut corpori & mundo vix ampliùs adhærescant. Atque sic sunt quasi mortui. Beatus Paulus hujusce rei nobis est exemplum insigne, corpus suum castigabat & in servitutem redigebat; atque sese ita humiliaverat & maceraverat, ut de mundo non amplius cogitaret, quemadmodùm mundus de ipso. Mundus enim ipsi mortuus & crucifixus erat, sicut mundo crucifixus & mortuus ipse erat. Et hanc ob causam, inquit Gregorius, veritatis tantus erat amator, & ad illa divina lumina quibus splendent ipsius epistolæ suscipienda dispositus; quæ Epistolæ quantumvis lucidæ eos tamen duntaxat penetrant qui exemplo Pauli sensûs & affectûs crucifigunt. Nam, ut ipse ait, *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus, stultitia enim illi est*; quia scientia hujus mundi, sapientia hujusce sæculi. ingenii subtilitas, delicatula mollities, vivacitas, imaginationis egregiæ igniculi, quibus mundo vivimus, & mundus nobis vivit, stupiditatem &, ut ita dicam, stupendam, insensibilitatem menti nostrę ingenerant respectu omnium veritatum, quæ perfectè capi nequeunt nisi silentibus sensibus & affectibus.

1. Cor. 2. 14.

Ad Moysen dicitur, non videbit me homo & vivet; ac si apertè diceretur: Nullus unquam Deum spiritualiter vidit. Greg. ad cap. 28. Job.

Mors illa igitur quâ Deo unimur optanda est, aut istius mortis imago, quæ est somnus mysticus per quem omnibus sensibus externis sopitis, vocem veritatis internæ possumus audire, quæ nos non alloquitur, nisi per noctis silentium ubi tenebræ objecta sensibilia oculis nostris surripiunt, & mundus nobis veluti mortuus est. *Hinc est quod Sponsa*, inquit Gregorius, *in canticis canticorum Sponsi vocem quasi per somnium audierat, quæ dicebat*; *Ego dormio, & cor meum vigilat. Ac si diceret, dùm exteriores sensus ab hujusce vitæ sollicitudinibus sopio, vacante mente, vivacius interna cognosco. Foris dormio, sed intùs cor vigilat, quia dum exteriora quasi non sentio, interiora solerter apprehendo. Bene ergo Eliu ait quod per somnium loquitur Deus.* Ethica Gregorii ad cap. 33. Job.

c. 28.

ILLUSTRATIO

Ad Caput Septimum Secundæ Partis Tertii Libri in quo probo.

Nos non habere claram ideam naturæ nec modificationum mentis nostræ.

ALicubi dixi, atque etiam tertio Libro de Inquirendâ Veritate me satis probasse arbitror, nos nullam habere claram mentis nostræ ideam; sed tantùm *conscientiam* aut sensum internum; atque ita nos

m

illam multò imperfectius cognoscere, quàm extensionem. Id ita evidens mihi videbatur, ut rem fusiùs explicare necessum non duxerim. Sed Cartesii authoritas disertè dicentis; *naturam mentis esse notiorem naturâ ullius aliùs rei*, ita prævertit quosdam ex ejus discipulis, ut ea quæ super his scripsi nihil aliud effecerint quàm obtusi ingenii apud illos homo, qui veritates abstractas assequi & tenaciter amplecti non possem, utpote quæ attentionem levare & continere non possint haberet. Me admodum debilem, sensibilem, & crassum esse, mentem meam à corpore tot modis ut verbis exprimere nequeam, pendere, fateor. Id mihi notum est, id sentio, & in id perpetuo laboro ut istam mei cognitionem magis ac magis augeam. Etenim si non possimus miseriæ nostræ mederi, saltem illam cognoscere & sentire debemus. Sensu miseriæ internæ saltem humiliter nosmet deprimere & quantùm utile sit nobis liberari ab isto corpore mortis, quo omnes mentis nostræ facultates perturbantur & confunduntur, agnoscere par est.

Responsio ad quintas Objectiones adversus secundã Meditationem. sub finem.

Attamen quæstio nunc agitata ingenii capacitati ita accommodata est, ut ingenti mentis applicatione ad eam solvendam opus esse non censeam: & hanc ob causam huic non eram immoratus. Nam id me asserere meritò posse arbitror; ignorantiam scilicet plerorumque circa mentem suam, circa ipsius distinctionem à corpore, circa ejusdem spiritualitatem, immortalitatem, & alias proprietates, sufficere, ut evidenter probemus, nos nullam illius claram & distinctam ideam habere.

Nos ideam corporis claram habere possumus dicere, quia sufficit consulere ideam quâ repræsentatur, ut agnoscamus modificationes quarum capax est. Illud quadratum, rotundum, in quiete, in motu esse posse clarè videmus. Nullo negotio concipimus quadratum posse dividi in duos triangulos, duo paralelogrammata, duo trapezia. Quum quis à nobis quærit, an aliquid pertineat, aut non pertineat ad extensionem, quid respondendum habeamus ambiguum non est: Quia idea extensionis cum sit clara, nullo negotio & simplici mentis apprehensione videmus quid includat, quid verò excludat.

Nullam, nî fallor, mentis nostræ habemus ideam, quæ ita clara sit, ut eam consulendo possimus cognoscere modificationes quarum capax est. Si nullam unquam sensissemus voluptatem aut nullum dolorem, an mens illius sit capax necne scire nequiremus. Si homo quispiam melonem nunquam gustasset, dolorem nunquam esset passus, rubrum aut viride nunquam vidisset, certè frustrà istam quam pertendunt mentis suæ ideam consuleret, an harum vel illarum sensationum, seu modificationum esset capax, distinctè nunquam cognoscere posset. Nec id modò; quamvis actu sentiamus dolorem, aut actu videamus colorem, non possumus tamen simplici visu cognoscere an qualitates illæ pertineant ad mentem. Dolorem esse in corpore cujus occasione eum sentimus, & colorem in superficie objectorum dif-

fusum esse imaginamur, quamvis hæc objecta à mente nostra distingui clarissimè concipiamus.

Ut certiores fiamus an qualitates sensibiles sint modificationes mentis necne; suppositam istam mentis ideam non consulimus: Ipsi Cartesii discipuli contra consulunt ideam extensionis; & sic ratiocinantur. Calor, dolor, color non possunt esse modificationes extensionis: nam extensio nullius rei est capax quàm variarum figurarum, variorumque motuum. Jam autem duo duntaxat sunt entium genera, spiritûs & corpora. Ergò dolor, calor, color, & omnes aliæ, qualitates sensibiles pertinent ad mentem.

Quandoquidem ad id adigimur ut consulamus ideam extensionis ad cognoscendum, an qualitates sensibiles sint modificationes entis, nonne evidens est nos claram mentis ideam non habere. Alioquin quorsum istud diverticulum? Quùm Philosophus vult cognoscere, an rotunditas pertineat ad extensionem, num consulit ideam mentis aut aliquam ideam aliam ab ideâ extensionis? Nonne videt clarè in ipsâ extensionis ideâ, rotunditatem ipsius esse modificationem, & nonne insaniret si ad id comperiendum sic ratiocinaretur. Duo sunt tantum entium genera, spiritus & corpora; rotunditas non est modificatio spiritûs; ergo est modificatio corporis.

Igitur uno mentis appulsu sine ratiocinatione, & solâ mentis ad ideam extensionis applicatione videmus, rotunditatem, & quamlibet aliam figuram esse modificationem corporis & voluptatem, dolorem, calorem, omnemque aliam qualitatem sensibilem non esse modificationes corporis. Nulla potest moveri quæstio circa ea quæ pertinent aut non pertinent ad extensionem, cui facilè, promptè, & confidenter non satisfiat, solâ ideæ qua repræsentatur consideratione. Omnes homines super eâ re inter se consentiunt. Qui materiam cogitare posse autumant, illam hac facultate præditam esse non opinantur, qui a extensa est, extensionem præcisè ut in se est consideratam cogitare non posse fatentur.

Sed eodem modo non consentiunt de iis quæ circa mentem & ejus modificationes credenda sunt. Sunt qui credant dolorem & calorem, aut ad minimum colorem ad eam non pertinere. Immò ii Cartesianis quibusdam ludibrium debent, qui dicunt mentem fieri actu, cœruleam, rubram, flavam, illamque Iridis coloribus tingi, dum ipsam contemplatur. Multi sunt qui dubitent, & multò plures qui non credant, mentem, dum cadaver sentimus reverâ putidam fieri; & saporem sacchari, piperis, salis ad ipsam pertinere. Ubi igitur est clara mentis idea, ut illam Cartesiani consulant, & omnes unà consentiant super hac re; cui scilicet colores, sapores, odores, debeant competere?

Verùm licet Cartesiani super his inter se consentirent, hinc protinùs non foret concludendum, ipsos claram mentis ideam habere. Nam si unanimo tandem dicant consensu mentem actu esse viridem aut rubram, dum viride & rubrum videmus, id non concludent nisi

prolixis admodùm ratiociniis ; id nunquam uno & simplici visu videbunt : id nunquam comperient consulendo suppositam istam mentis ideam , sed potiùs consulendo ideam corporis. Asserent qualitates sensibiles pertinere ad mentem, duntaxat quia non pertinent ad extensionem, cujus claram habent ideam. Hujusce rei eos nunquam convincent, qui utpotè tenui & parvo præditi ingenio, perceptionum complexarum aut ratiocinationum sunt incapaces, aut potiùs qui ideam corporis claram attentè satis non considerantes omnia confundunt. Semper erunt rustici, pueri, feminæ & forsan eruditi atque etiam Doctores qui de his sint dubitaturi. Sed feminæ, pueri, Docti, indocti, ingeniosi & stupidi, nullo negotio capiunt, per ideam quam habent extensionis, ipsam esse capacem quarumvis figurarum. Extensionem doloris, saporis, odoris, aut alius cujuslibet sensationis non esse capacem facilè concipiunt, dùm ideam quâ extensio repræsentatur attentè & fideliter consulunt. Nulla enim qualitas sensibilis includitur in ideâ quæ repræsentat extensionem.

Possunt equidem dubitare an corpus sit capax sensûs, aut possit aliquam recipere qualitatem sensibilem, an verò secùs. Sed id fit quia per corpus aliquid aliud intelligunt quàm extensionem, nullam corporis hoc sensu accepti claram habent ideam. Sed dùm Cartesius, aut Cartesiani quos alloquor, mentem corpore meliùs cognosci asserunt, per corpus nihil aliud intelligunt quàm extensionem. Quomodo igitur possunt defendere naturam mentis clariùs cognosci naturâ corporis; cùm idea corporis aut extensionis adeò clara sit ut omnes inter se consentiant de iis quæ includit vel excludit, cumque idea mentis ita confusa sit, ut Cartesiani ipsi quotidie disputent, an modificationes coloris ad ipsam pertineant.

Natura substantiæ, inquiunt isti Philosophi post Cartesium, *eo distinctiùs cognoscitur quo plura ejus attributa cognoscuntur. Jam autem nulla res est cujus tot cognoscamus attributa quàm mentis; quia quotquot in aliis rebus cognoscuntur totidem possunt recenseri in mente, ex eo quòd illa cognoscat. Atque ideò ipsius natura omnis alius rei naturâ notior est.*

Loco sup. à citato.

Sed quis non videt multùm esse discriminis inter cognoscere per ideam claram, & cognoscere per conscientiam. Quum cognosco bis duo esse quatuor, id clarissimè cognosco; sed clarè non cognosco id quod in me est quod hanc cognoscit veritatem. Id equidem sentio; Id novi per conscientiam aut per sensum internum; sed illius nullam habeo claram ideam, ut habeo de numeris, inter quos possum clarè deprehendere relationes. Possum *numerare* tres in mente meâ proprietates. Primam quâ cognosco bis duo esse quatuor; secundam quâ cognosco ternarium numerum ter repetitum esse 9. & tertiam qua cognosco quaternarium numerum, quater resumptum efficere 16. Imò, si ita libuerit, tres istæ proprietates inter se different, & sic in me innumeras potero numerare: sed nego clarè à me cognosci naturam earum rerum quas in me numeraturus sum.

Possumus dicere nos habere ideam claram entis alicujus ipsiusque naturam à nobis cognosci, quùm illud cum aliis quorum etiam claram habemus ideam, possumus componere, aut saltem cum possumus conferre inter se modificationes quarum ens illud capax est. Claras habemus ideas numerorum & partium extensionis, quia hæc possunt inter se conferri. Numerus binarius cum quaternario potest comparari, quatuor cum sexdecim; & unusquisque numerus cum omni alio. Quadratum cum Triangulo, Circulus cum Ellipsi, Quadratum & Triangulus, cum omni alio Quadrato & omnia alio Triangulo, conferri potest; & sic possunt clarè cognosci relationes quæ sunt inter illos numeros, illasque figuras. Sed mentem nostram cum aliis mentibus non possumus conferre, ut aliquam illius relationem clarè cognoscamus. Relatio quæ est inter voluptatem & dolorem, calorem & colorem non potest clarè dignosci, vel, ut de modificationibus ejusdem generis duntaxat loquar, non potest exactè determinari relatio quæ est inter viride & rubrum, flavum & violaceum, neque etiam inter violaceum & violaceum. Benè equidem cernimus alterum esse altero obscurius aut lucidius: sed nescimus neque quantò sit obscurius aut lucidius; neque quid sit esse obscurius aut lucidius. Nullam igitur claram habemus mentis aut ipsius modificationum ideam. Et quamvis videam aut sentiam colores, sapores, odores, possum dicere, ut dixi, me eas non cognoscere per ideam claram; cùm illius relationes clarè cernere non possim.

Possum equidem deprehendere accuratas relationes seu analogias inter sonos; octavum tonum, seu diapason, exempli gratiâ, esse duplicem, quintarium tonum seu diapente esse ut 3. ad 2. quartum seu diatessaron ut 4. ad 3. sed istas analogias cognoscere nequeo per sensationem meam. Si novi octavum tonum esse duplicem, id novi quia experientiâ compertum habeo, eandem chordam dare octavum, ubi, postquàm integra pulsata fuit, deinceps pulsatur postquàm divisa fuit in duas partes æquales; & quia novi numerum vibrationum esse duplicem, tempore æquali, aut aliquid simile; quia trepidationes aëris, vibrationes chordæ, & ipsa chorda, possunt comparari per ideas claras; & quia distinctè cognoscuntur relationes quæ possunt esse inter chordam & ejus partes, sicut & velocitatem variarum vibrationum. Sed soni in seipsis non possunt comparari, seu quatenùs qualitates sensibiles & modificationes mentis; nec eorum relationes dignosci.

Et quamvis Musici varias *consonantias* optimè distinguant; earum tamen relationes non cognoscunt per ideas claras. Solo aurium organo de sonorum differentia judicant, non ratione. Atqui nemo dicet aurem judicare per ideam claram, aut aliter quàm per sensum. Ipsi igitur Musici nullam sonorum claram habent ideam, quatenus sunt sensationes aut modificationes mentis. Unde consequitur nec mentem nec ipsius modificationes per ideam claram concipi, sed solùm per conscientiam aut sensum internum.

Præterea, quâ in re mentis dispositiones quibus ad agendum & ad sibi repræsentanda objecta promptior fit, consistant, nemo novit. Nequidem possumus concipere qua in re ejusmodi dispositiones sitæ esse queant. Addit etiam neminem posse ratione certiorem fieri, an mens sola à corpore separata, aut sine relatione ad corpus considerata, habituum & memoriæ sit capax. Quomodo tamen hæc possumus ignorare, si natura mentis sit notior naturâ corporis? Nullo negotio videmus qua in re consistat facilitas quâ spiritûs animales sese per nervos diffundunt, per quos jam sæpiùs fluxere; aut saltem nullo negotio comperimus, tubulis nervorum sese dilatantibus & fibris ipsorum certo modo inflexis, spiritûs animales posse facilè insinuari. Sed quid possumus concipere quod queat augere facilitatem mentis ad agendum aut ad cogitandum? Profectò fateor me rem non posse assequi. Centies meipsum consulo ut has percipiam dispositiones, sed nihil est quod mihimet respondeam super hac re; quamvis vividissimè sentiam istam facilitatem quâ in me quædam excitantur cogitationes; ac nisi rationibus specialibus eò adducerer ut credam, me reverâ tales habere dispositiones quamvis illas non cognoscam in me: judicarem in mente meâ nec habitum nec memoriam spiritualem esse. Quicquid sit cum circa hęc hæsitemus, id manifestò arguit nos res tam clarè non cognoscere quàm vulgò pertendunt; nam dubia cum evidentiâ & ideis claris stare nequeunt.

Eccl.cap.9.1 Hominem oculatissimum, an dignus sit amore, an verò odio cum evidentiâ cognoscere non posse certum est, ut loquitur Sapiens, sensus internus, seu conscientia quam de nobismet ipsis habemus nihil nos certò docet hac de re. Paulus equidem dicit sibi suam conscientiam nihil exprobrare; non asserit tamen se justificatum esse; quin asserit id ipsum non justificare, nec audere seipsum judicare, quia Dominus est qui judicat ipsum. Sed cum claram habeamus ordinis ideam, si æquè claram haberemus mentis ideam sensu interno quem de nobismetipsis habemus, evidenter cognosceremus an esset ordini conformis necnec; possemus etiam accuratè cognoscere omnes ipsius dispositiones internas ad bonum & ad malum quotiescunque aliquem earum haberemus sensum. Sed si possemus nos cognoscere quales sumus reapse, superbiæ non essemus adeò obnoxii; Nec verisimile est Petrum dicturum fuisse Jesu Christo quem erat abnegaturus. *Cur te nunc non sequerer, vitam meam ponam pro te.* Nam illo virium suarum & προθυμίας sensu evidenter potuisset videre, an ipsi satis fuisset roboris & animi ad vicendam mortem, seu potiùs ad toleranda probra ancillæ & quorundam famulorum.

Sed neque meipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum. Sed nõ in hoc justificatus sum: qui autem judicat me Dominus est. 1.Cor.c.4.4.

Joh.13.37.

Si natura mentis naturâ cujuslibet alius rei notior esset; si idea quam de mente habemus æquè clara esset ac ideæ corporis hoc unum quæro. Cur videlicet tam multi illam cum corpore confundant? Duæ ideæ claræ & omnino diversæ possuntne confundi? Dicamus quod res est. Qui idem nobiscum non sentiunt ratione sunt prædit æquè

ac nos; easdem rerum habent ideas; eandem participant rationem. Cur igitur confundunt ea quæ distinguimus? An in aliis casibus unquam confundunt res quarum claras habent ideas? An unquam duos diversos numeros ab iis confundi videas? An quadratum pro circulo acceperunt? Mens tamen longiùs differt à corpore quàm quadratum à circulo. Duæ enim sunt substantiæ nullâ in re inter se convenientes, nihilominùs tamen eas confundunt, certè aliquam in agnoscendâ illarum differentiâ esse difficultatem necesse est. Id simplici mentis appulsu non deprehenditur, & ratiociniis opus est ut concludamus alteram harum substantiarum non esse alteram. Attentè consulenda est idea extensionis, & agnoscendum extensionem non esse modificationem corporis, sed corpus ipsum, cùm nobis repræsentetur ut res subsistens, & ut principium eorum omnium quæ clarè concipimus in corporibus. Unde fit ut, cùm modificationes quarum corpus capax est, nullam habeant relationem ad qualitates sensibiles, oporteat subjectum illarum qualitatum, vel potiùs ens cujus qualitates illæ sunt modificationes à corpore multùm differre. Sine his aut similibus ratiociniis non possumus quin mentem cum corpore confundamus. Sed si ideam mentis claram haberemus, ut habemus corporis, certè ad ambages illas confugiendum non esset quò ab illo distingueretur. Id primo intuitu, & eadem facilitate quâ cognoscimus quadratum non esse circulum, deprehenderetur.

Hîc non immoror fusiùs probando mentem ipsiusque modificationes non cognosci per ideas claras. Quacunque nos inspiciamus, id satis agnoscimus. Et iis quæ jam in libro de Inquirenda Veritate super hac re dixeram hæc duntaxat addo, in quorundam Cartesianorum gratiam qui istam meam carpebant sententiam. Si ipsis hac additione non fecerim satis; expectabo donec istam claram ideam quam in me frustrà conatus sum reperire mihi ostendant.

ILLVSTRATIO

ad Caput Octavum Secundæ Partis Tertii Libri.

De terminis vagis & generalibus nihil significantibus: Quomodo ab aliis distinguantur.

UT intelligantur quæ in nonnullis locis dixi; eos rerum rationem non reddere, qui eas explicant per terminos Logicos & per ideas generales, hoc ad animum revocare sufficiet; nempe, quicquid existit cùm redigatur vel ad ens vel ad modos entis, omnem terminum quo nullum horum distinctè & speciatim designatur, nihil distincti significare. Id mihi evidentissimum videtur, sed quodcunque in se

evidens eſt, tale ſemper non eſt reſpectu omnium. Apud homines iſte mos invaluit ut verbis inanibus ſeſe & alios paſcant. Omnes termini quibus aures non læduntur inter homines uſu valent; & veritas in quotidianis hominum ſermonibus ita negligitur, ut qui loquuntur non ſecùs ac qui audiunt ad illam nequidem reſpiciant. Loquacitas omnium naturæ dotum iis eſt præſtantiſſima; imaginationis ſermo omnium mediorum ad perſuadendum eſt optimum, & memoria terminis obſcuris & ἀκαταλήπτοις abundans ſemper præ cæteris omnibus præfulgebit, quicquid dicant Carteſiani.

Ubi homines veritatem unicè diligent, ad ea quæ ſunt dicturi tunc attendent; quæ audiunt accuratè examinabunt; terminos ſenſu vacuos aſpernabundi reſpuent, & ideis claris duntaxat adhæreſcent. At quandonam homines veritatem unicè diligent? ubi nimirùm à corpore non ampliùs pendebunt, nullam ampliùs relationem neceſſariam ad objecta ſenſibilia habebunt, ſeſe mutuò non ampliùs corrumpent, ac magiſtrum ipſos in intimo mentis receſſu edocentem fideliter conſulent, ſed id in hac vitâ nunquam continget.

Intereà tamen omnes veritatem æquè non negligunt, ſi multi ſint qui verba ſine examine effutiant, qui ea indiſcriminatim audiant & recipiant, quique ad nihil aliud attendant quàm ad ea quibus moventur, ſunt etiam qui veritati adipiſcendæ & alios docendæ ſeriò incumbant. Ac hos potiſſimùm alloquor; his me rogantibus hæc ſcripſi.

Dico igitur quicquid eſt, ſive actu exiſtat ſive non, ac ideò quicquid eſt intelligibile, redigi ad ens & ad modum entis. Per ens id intelligo quod eſt abſolutum, aut quod poteſt concipi ſolum & ſine relatione ad aliud. Per modos entis intelligo quod relativum eſt, aut quod ſolum concipi nequit. Jam autem duæ ſunt ſpecies modorum entis; alii modi conſiſtunt in relatione ſeu analogiâ partium totius ad aliquam partem ejuſdem totius; alii conſiſtunt in relatione rei alicujus ad aliam quæ non ſit pars ejuſdem totius. Rotunditas ceræ eſt modus entis primæ ſpeciei, quia ipſius rotunditas conſiſtit in æqualitate diſtantiæ omnium partium ſuperficiei cum illâ parte quæ centrum conſtituit. Motus aut ſitus ceræ eſt modus entis ſecundæ ſpeciei; nam conſiſtit in relatione ceræ ad corpora eam circundantia. Non loquor de motu accepto pro vi movente: quippe hanc vim modificationem corporum nec eſſe, nec eſſe poſſe clarum eſt, quoniam quoquo modo modificata concipiantur non poſſunt concipi ut vis movens.

Si certum ſit quicquid intelligibile eſt ad entia aut ad modos entium reduci, omnem terminum quo neutrum illorum deſignatur, nihil ſignificare clarum eſt, & omnem terminum qui non ſignificat illud ens aut illum entis modum ſpeciatim, eſſe terminum obſcurum & confuſum. Atq; ideò nec quæ alii nobis dicunt nec quæ aliis dicimus poſſumus clarè concipere, niſi ideas diſtinctas entis aut modi entis

habeamus

habeamus, quæ respondeant singulis terminis quibus illi utuntur, aut quibus nos ipsi utimur.

Concedo tamen nos posse, uti terminis qui ideas distinctas directè non excitant, immò nos ad id interdum adigi. Id possumus, quia non semper necesse est definitionem substituere in locum definiti, & quia formulis loquendi compendiosis quamvis in se confusis utiliter quandoque utimur. Et ad id cogimur, cum necessitas incumbit loquendi de rebus quarum claram non habemus ideam, quasque non cognoscimus nisi sensu interno quem de nobismet ipsis habemus, ut cum de mente & ipsius modificationibus loquimur. Cavendum est duntaxat ne terminis obscuris & æquivocis utamur quum claros habemus, aut quum adstantibus falsam ideam ingignere possunt, Hæc aliquo exemplo clariùs intelligentur.

Clarius est dicere mundum à Deo creatum fuisse per ipsius voluntatem, quam dicere mundum à Deo conditum fuisse per ipsius *potentiam*. Posterior vox est terminus Logicus; in mente nullam distinctam & specialem excitat ideam, & in hanc potest injicere opinionem, potentiam Dei scilicet posse esse aliquid diversum ab efficaciâ ipsius voluntatis. Ii clariùs loquuntur, qui dicunt Deum peccatoribus condonare in JESU CHRISTO, quàm qui absolutè dicunt, Deum peccatoribus condonare *clementiâ* & *misericordiâ*: Hi termini sunt æquivoci. In eam possunt inducere cogitationem, Clementiam Dei scilicet forsan contrariam esse ipsius Justitiæ; peccatum posse manere impune; satisfactionem JESU CHRISTI non esse necessariam, & alia ejuscemodi.

Terminis vagis & quorum significatio non est præcisa sæpè utimur, ubi de perfectionibus Divinis loquimur. Nec id culpandum est, nam ἀκρίβεια Philosophica non est semper necessaria. Sed nefariâ stupiditate & negligentia plerique hisce terminis generalibus ita abutuntur, & ex iis tot falsæ eliciuntur consequentiæ, ut quamvis omnes homines eandem Dei habeant ideam, illumq; omnes ut ens infinitè perfectum considerent: nulla tamen imperfectio ipsi non fuerit tributa tempore idololatriæ ac sæpe etiamnum de ipso sermones tantâ majestate indigni habeantur. Et omnia quidem ista ex eo oriuntur, quòd seriò plerique non conferunt ea quæ de Deo dicunt cum ideâ quâ repræsentatur, seu potiùs cum ipso.

Sed præcipuè in rebus Physicis, hisce terminis vagis & generalibus qui nullas distinctas entis aut modi entis excitant ideas, abutuntur Philosophi. Exempli gratiâ quùm dicunt corpora ad *centrum* suum tendere; *gravitate* propriâ deprimi, *levitate* sursum ferri, *naturâ* suâ moveri, *formas* successivè mutare; *virtutibus, qualitatibus, facultatibus*, &c. agere; utuntur terminis nihil significantibus; & istæ omnes propositiones sunt omninò falsæ eo sensu quem ipsi affingunt plerique Philosophi. Nullum est *centrum* sensu quod vulgò accipitur. Isti termini *gravitatis, formæ, naturæ* & alii similes nec entis nec modi entis

n

excitant ideam. Termini sunt sensu vacui, viris sapientibus cane
Eccl. 21.21. pejus & angue vitandi. *Scientiâ insensati inenarrabilia verba*, inquit Scriptura. Isti termini ad tegendam Pseudo-Doctorum ignorantiam & ad persuadendum stupidis & impiis Deum solum non esse veram omnium causam, duntaxat utilia esse possunt.

Id mihi certum & captu facile videtur. Tamen plerique de omnibus liberè & confidenter loquuntur, an termini quibus utuntur claram & accuratam habeant significationem parum anxii. Immò sunt Authores qui plurima composuerunt volumina, in quibus aliquem observare locum ubi intellexerint quid scripserint, difficillimum est. Itaque qui multa legunt, sermones vagos & generales falsorum Doctorum cum veneratione auscultant, in crassissimâ versantur ignorantiâ. Nec ab eâ ipsos posse liberari video, nisi statuant in nullius unquam verba jurare; & nisi ideas distinctas conjungant cum terminis maximè vulgaribus quibus alii utuntur. Isti enim termini clari non sunt ut vulgò putant. Clari duntaxat videntur ob frequentem & perpetuum ipsorum usum; quia plerique se clarè intelligere arbitrantur quæ dicunt, aut quæ audiunt; cùm dicunt aut audiunt res centies jam dictas & auditas, quamvis nunquam examinatas.

ILLVSTRATIO
ad Conclusionem Trium Priorum Librorum.

Medicos & quos vocant Directores nobis esse omninò necessarios. Sed ipsos in multis casibus consulere & sequi periculosum esse.

HOmo ante peccatum omnia ad mentis & corporis in statu perfecto conservationem necessaria proculdubio habebat. Nec Medico nec Directore indigebat; Veritatem internam ut officii normam ἀναμάρτητον consulebat; sensus ita fideles erant ut ipsum nunquam fallerent in usu Corporum quæ ipsum circumdabant, ad proprii ipsius corporis conservationem.

Sed post peccatum res valdè fuerunt immutatæ: affectûs longè sæpiùs consulimus quam veritatem aut legem æternam; & sensus nostri ita sunt inordinati, ut illos sequendo sanitatem & vitam interdùm amittamus; & qui ubique peritiæ suæ satis fidunt ut seipsos regere posse credant, in errores crassos ut plurimùm incidunt quibus seriùs experiuntur se magistrum sequutos esse non sapientissimum.

Possum tamen nì fallor dicere peccatum omnes mentis facultates

ita non perturbasse, ut in multis non possimus nosmetipsos consulere; ac sæpe evenire, ut vitam animæ aut corporis amittamus, quia ad Medicos artis suæ parùm peritos confugimus, quique temperamentum nostrum satis non norunt, vel ad Directores Religionis & Doctrinæ de Moribus ignaros, quique conscientiæ adyta non rimantur, ut varia vincula variasque dispositiones eorum à quibus consuluntur deprehendere possint.

Quæ ad conclusionem trium priorum Librorum de Inquirendâ Veritate dixi, eò adduxit nonnullos ut crederent me in ea esse sententia, homines ad conservandam sanitatem & vitam, sensûs & affectus suos in omnibus sequi debere; ac ut officium suum discant, ipsis inutile esse alios homines consulere, cùm sapientiam æternam habeamus magistram, quæ nos in intimo rationis clarè alloquitur. Et quamvis nec dixerim, ac ne quidem cogitaverim Medicos & Directores esse inutiles nonnulli ad judicandum & concludendum præcipites, hanc meam esse sententiam sibi persuaserunt, quia forsan ipsi sic sentiunt; & quia hominem non tam considerant ut nunc est, quam ut erat ante peccatum. Hæc igitur mea est super hac quæstione sententia.

Homo in duplici statu potest considerari in sanitate & in morbo. Si in prosperâ valetudine consideretur, nullum, nî fallor, dubium est, quin ipsius sensûs ad sanitatem illam conservandam ipsi longè sint utiliores ratione & peritissimorum Medicorum experientiâ. Medicus arcessendus non est ut notum fiat quodnam pondus homo possit sustinere; an lignum & lapides edere debeat; an præcipitem se dare possit. Sensus ipsum breviter ac tutò quid ipsi in his casibus frequentissimis agendum sit docebunt, & id sufficere mihi videtur ad ea quæ in conclusione trium priorum Librorum à me dicta sunt ab omni criminatione defendenda.

Verum id non sufficit ut istud à me cogitatum aut etiam dictum in alio loco possim defendere; nempe, *sensûs nostros officio suo mirè defungi, & ad finem suum nos modo tamque justo tam fideli ducere, ut corruptionis & inordinationis immeritò accusari videantur.* Nam semper existimavi mirum illum ordinem qui in sensationibus nostris relatè ad vitæ conservationem occurrit, non esse sequelam peccati, sed primam naturæ institutionem. 1. Lib.

Objicitur istum ordinem nunc valdè interruptum esse, sique sensûs nostros sequeremur, nos sæpe non modò venenum, esuros esse, sed plus sæpè cibi sumpturos quam stomachus ferre & concoquere valeat.

Venena quod spectat; haud putem nos unquàm sensuum ductû illa fuisse sumpturos; ac si fortuitò oculi nostri ad venenum degustandum nos excitarent, in eo saporem non sentiremus quo ad illud hauriendum incitaremur; dummodò tamen venena illa essent in suo statu naturali. Multùm enim intercedit discriminis inter venena ut ea producit natura, & cibos veneno infectos; inter piper crudum, &

carnes pipere conditas. Ad edendos cibos venenatos ſenſibus ferimur, id equidem fateor; ſed ad edenda venena nos non ferunt; Immò ſatis mihi non conſtant an ad ea delibanda nos ducant, dummodò venena illa in eo ſint ſtatu in quo ea produxit Deus. Sensûs enim noſtri ad ordinem naturalem rerum à Deo inſtitutum duntaxat extenduntur.

Concedo etiam ſensûs noſtros nunc nos quandoque ferre ad utendum immoderatè quibuſdam alimentis; ſed id fit quia illa alimenta non ſunt in ſuo ſtatu naturali. Forſan nimium frumenti non ederemus, ſi illud dentibus ad id comparatis moleremus. Sed molitur & incerniculo cribratur; penſitur & coquitur ac ſæpè etiam lacte, butyro, & ſaccharo conditur. Præterea cum tragematis & variis condimentis, quæ appetitum provocant, comeditur. Non mirum itaque eſt ſensûs noſtros ad uſum immoderatum nos ferre, ubi ratio & experientia ad ipſos decipiendos unà conſpiraverunt.

De carne res non ſecùs ſe habet; illam ſenſus horrent ubi cruda eſt & cruenta, ut ſolet videri ubi animal morte naturali extinctum eſt. Sed homines poſtquàm cœperunt occidere beſtias, ſanguinem ex carnibus elicere, eas coquere, condire; ſensûs corruptionis & inordinationis accuſare ſuſtinent. Cum ratione utuntur ad ſibi paranda alimenta diverſa ab iis quæ natura ipſis adminiſtrat, fateor ipſos eadem ratione uti debere ut cibis moderatè utantur. Si coqui artem invenerunt nobis condiendi attrita calceamentorum coria; rationis etiam uſum in comedendo admittere debemus, & his cibis adulterinis quos Deus non inſtituit diffidere. Deus enim ſensûs nobis dedit duntaxat relatè ad ordinem naturalem rerum.

Obſervandum eſt prætereà imaginationem & ſensûs in diffidentia verſari, ubi alimenta nobis non ordinaria ſumimus. Nam ſi quis de aliquo fructu nunquam ediſſet aut nullum de illo edentem unquàm vidiſſet, primâ fronte averſatione & timore afficeretur illum deguſtando: imaginatio & ſenſus forent naturaliter attentiſſimi ad ſaporem illius cibi; quanquam fame premeretur, parùm tamen de illo ederet; ſique fructus ille haberet qualitatem noxiam, illa qualitas aliquem ſtatim in illo excitaret horrorem. Ita ipſius machina diſponeretur ut aliàs de illo non ederet; & ipſius averſatio externo oris habitu manifeſta, alios impediret quominus de illo ederent. Omnia iſta in ipſo poſſent evenire ſine ullâ rationis participatione; hic enim non loquor de auxiliis quæ à ratione poſſunt ſuppeditari. Sed quia amici noſtri cibis non ſalubribus veſcuntur, ipſos imitamur; ex opinione vivimus aliorumque exemplum nos facit audaciores. Effectum quod hæc alimenta in nos producunt non examinamus, ac ea immoderatè ſumere non timemus. Sed intemperantia ſenſibus potiſſimùm imputari non debet.

Poſſunt equidem forſan reperiri fructûs quorum ſapor homines ad ſenſuum teſtimonium attentiſſimos poteſt decipere, ſed profectò id

valdè rarum eſt. Ex his caſibus ſpecialibus concludendum abſolutè non eſt, ſensûs noſtros eſſe omnino corruptos noſque ab ipſis ordinariè decipi etiam in iis quæ bonum corporis ſpectant. Forſan illi fructûs guſtum noſtrum fallunt, quia organum guſtûs vitiavimus alimento non naturali, & quo frequenter utimur. Nam cibos acuti ſaporis quibus veſcimur particulis ſuis aculeatis fibras linguæ noſtræ lædere, ipſique ſolertiam & ſagacitatem demere, certò conſtat. Id eorum quibus nulli cibi præter condimenta arrident, exemplo probari poteſt. Nam ſi nullum ſaporem in frumento, & in carne crudâ reperiamus id fit quia lingua noſtra ciborum particulas quarum motûs ſunt moderati, ſentire ampliùs nequit.

At ſupponamus dari etiam fructûs quorum ſapor poſſit fallere ſensûs ſagaciſſimos, & adhuc in perfectione ſuâ naturali perſtantes, id à peccato oriri credendum non eſt; ſed tantummodò fieri nequit ut juxtà leges naturæ ſimpliciſſimas unicus ſenſus tantam habeat ſagacitatem ut omne ciborum genus poſſit diſcernere. Præterea iſtius ſensûs defectus remedio non careret; quoniam quùm matres fructûs noxios averſantur, averſationem ſuam infantibus communicant, non modò dum adhuc ſunt in utero, ſed etiam poſtquam in lucem editi ſunt. Infantes enim nihil edunt præter ea quæ ipſis à matre offeruntur. Ac in iis mechanicè & per habitum faciei externum ſuum imprimunt horrorem fructuum noxiorum. Adeò ut Deus conſervationi vitæ noſtræ per ſensûs noſtros ſufficienter & ratione omnium optimâ conſuluerit. Cùm ordo poſtulet ut leges unionis mentis cum corpore ſint ſimpliciſſimæ debent eſſe maximè generales: nec leges ſpeciales propter caſus nunquam ferè eventuros ſtatuere debuit Deus. In hiſce caſibus ratio ſenſibus opitulari debet, nam ratione in omnibus uti poſſumus. Sed ſenſus ad quædam judicia naturalia omnium utiliſſima, ut in primo Libro probavi, determinati ſunt. Nihilominus judicia illa nos quandoque fallunt: quia id aliter evenire nequit, niſi leges ſimpliciſſimæ unionis mentis cum corpore multiplicentur.

Jam ſi homo in ſtatu ægrotationis conſideretur, fatendum eſt ipſum à ſenſibus ſæpè falli, etiam in rebus quæ ad conſervationem vitæ pertinent. Nam, cùm œconomia ipſius machinæ ſit turbata, fieri nequit quin pro illa machinæ perturbatione, in cerebro multi irregulares excitentur motûs. Ipſius tamen ſenſus non ſunt ita corrupti ut vulgò putant: Deus conſervationi vitæ per leges unionis mentis cum corpore adeò ſapienter conſuluit, ut, quamvis leges illæ ſint ſimpliciſſimæ, ſufficiant tamen, ad reſtituendam nobis ſanitatem. Et illas leges ſequi multò tutius eſt, quam ratione noſtrâ uti, aut ad quoſdam Medicos qui ægrorum ſtatum accuratè ſatis non conſulunt, confugere. Quemadmodùm enim vulnus per ſe coaleſcit & reficitur, dummodò ſedulò purgetur & lambatur; ut ſolent animalia ubi ſauciata ſunt; morbi ordinarii citò ſanantur, ubi in eo ſtatu manemus, & iſtud vitæ regimen accuratè obſervamus ad quod iſti morbi

veluti instinctu & sensu nos compellunt.

Homini, exempli gratiâ, febricitanti, vinum videtur amarum: certe id fit quia vinum illi tunc temporis noxium est. Eidem homini prosperâ valetudine utenti vinum jucundum est, atque tùm vinum ipsi utile est. Immò sæpè contingit ut vinum sit utilissimum ægrotis quibus videtur jucundum; dummodò voluptas quàm ex ipsius sapore percipiunt non oriatur ex consuetudine quadam ebrietatis, & desiderium quod in ipsis excitatur nascatur ex præsenti dispositione corporis. Itaque dubium non est quin sensus nostri sint interrogandi, etiam in morbo, ut ab iis discamus rationem restituendæ sanitatis. Hac autem ratione sese hoc in negotio gerendum esse arbitror.

Ægroti attentissimi esse debent ad quædam desideria secreta, quæ præsens dispositio corporis in ipsis nonnunquam excitat; ac imprimis videant ne illa desideria sequantur ex aliquo habitu præcedenti. Quocirca imaginationi suæ sese securè permittere debent, nihil cogitantes quod ipsam determinet, observare ad quid sese ferri sentiant, & examinare an ea cupiditas in ipsis excitetur, propter dispositionem in quâ tunc temporis sunt. Atque ita, illam sequi debent, sed moderatè admodum. Difficillimum enim est certò cognoscere an illæ inclinationes ex dispositione præsenti corporis oriantur; & nonnunquam aliquem experientiâ consummatum super hac re consulere opus est. Si ægro imaginationi sese permittenti, ut monui, nihil in mentem veniat, quietus manere debet & à cibis abstinere; nam verisimile est diætam in ipso aliquod desiderium esse excitaturam aut humores ex quibus natus est morbus dissipaturam. Quod si morbus augescat, quamvis diætam observet & quietus maneat; tunc ad experientiam & ad Medicos confugiendū est; Omnia igitur Medico perito cui temperamentum, si fieri possit, nostrum sit notum, sunt exponenda, morbi primordia, series, & status qui morbum antecessit ipsi clarè explicanda, ut experientiam & rationem relatè ad ægrum sibi sanandum consulere possit. Et quamvis Medicus medicamenta amara & quæ reverà quædam species veneni sunt præscribat, sumenda sunt tamen; quia experientiâ constat illa venena in corpore ordinariè non manere, & secum quandoq; humores ex quibus morbus ortus erat ejicere. Tum ratio seu potiùs experientia sensibus prævalere debet, dummodò aversatio nostra erga medicamentum nobis porrectum nova non sit. Nam si hæc aversatio in nobis eodem tempore quo morbus supervenit, excitata fuisset; id argumento foret hanc medicamenti speciem esse ejusdem naturæ ac maligni humores qui morbum pariunt, quo casû forsan augeret morbum.

Nihilominùs, antequam validum medicamentum aut quod aversationem gignit, sumatur incipiendum esse censeo à lenioribus aut naturæ magis accommodatis. Ut, exempli gratiâ, multùm aquæ bibere, aut aliquod vomitorium, si cibos fastidiat æger, ac vomitus difficiliùs

non excitetur. Aqua humores nimis crassos resoluere, & circulationem sanguinis per omnes corporis partes faciliorem reddere potest; ac vomitoria stomachum purgantia, efficiunt ut alimentum in eo non ampliùs corrumpatur, nec febres intermittentes amplius foveat: Sed his immorari meum non est. Credo igitur consulendos esse Medicos sapientes, qui temerè nihil faciant, qui de remediis suis nimium non sperent; quique ad præscribenda medicamenta non sint æquo promtiones. Ægris enim pro unico medicamento utili, multa semper porriguntur noxia. Cùm ut plurimum illi satis patienter morbum non ferant, nec gloriosum sit Medicis aut Pharmacopolis lucrosum ægros visere nec illis quicquam præscribere; Medici rariùs æquo invisunt ægrotos & ipsis medicamenta frequentiùs præscribunt. Itaque cum morbo laboramus Medicum noscere debemus, nihil periclitari, naturam sequi & illam si fieri possit roborare. Ipsi insinuare debemus nobis satis esse rationis & patientiæ, ut ægrè non feramus quòd sæpè nos invisat quamvis nobis nihil levaminis afferat; nam in his casibus ii satis agunt qui nihil mali afferunt.

Existimo igitur Medicos meritò consuli, ipsisque esse obsequendum, si vitam velimus conservare. Quamvis enim restitutionem valetudinis certò nobis polliceri non possint, possunt tamen nobis multùm prodesse, propter perpetua experimenta quæ circa varios morbos fecere. Pauca accuratè sciunt, plura tamen quam nos; & dummodò temperamentum nostrum cognoscere satagant, omnia mali symptomata sedulò observent, & ad sensum internum quem de nobis habemus multùm attendant, ab iis omne auxilium quod ab hominibus legitimè sperari potest, sperare debemus.

De Directoribus conscientiæ idem ac de Medicis esse debet judicium: In quibusdam casibus eos consulere omninò necesse est; idque ordinariè utile est. Sed sæpè evenit ut sine maximâ inutilitate, ac interdum sine summo periculo non possint consuli; quod fusiùs explicandum est, & argumentis evincendum.

Ratio hominis errori obnoxia dici solet, sed in hoc est æquivocatio ad quam satis non attenditur. Arbitrandum non est rationem quæ ab homine consulitur esse corruptam, ipsumque ab illâ unquam falli, quotiescunque illam fideliter consulit. Hæc jam sæpe dixi iterumque repeto: solâ supremâ ratione rationales sumus; solâ supremâ veritate illuminamur; solus Deus nos clarè alloquitur solusque nos erudire potest. Unicum habemus verum Magistrum Jesum Christum Dominum nostrum, sapientiam æternam, Verbum Patris, in quo omnes sunt sapientiæ & scientiæ Divinæ thesauri: Nec sine impietate dici potest, hanc rationem universalem quam omnes participant homines, & quâ solâ sunt rationales, obnoxiam errori & fallacem esse: Homo à ratione sua non decipitur, sed à corde. Ipsius lumen non impedit quominus videat, sed tenebræ: nec unione quam habet cum Deo, nec etiam aliquo sensu unione cum corpore, sed po-

tius imperio corporis in mentem; fallitur; vel potius decipitur quia vult seipsum decipere. Vult frui voluptate antequam examinandis rebus incubuerit; vult quiescere antequam in locum in quo residet veritas pervenerit. Errorum nostrorum causas in multis locis Librorum de Inquirendâ Veritate accuratiùs explicui, & hîc quæ à me alibi dicta sunt suppono.

His ita positis; ajo, Directores frustrà consuli, ubi veritatem nos alloqui certum est; Veritatem autem nos alloqui certum est, ubi evidentiam deprehendimus in responsis quæ nobis interrogantibus seu attentioni mentis nostræ dantur; Itaque postquàm in nosmet ipsos descendimus, silentibusque sensibus & affectibus nostris vocem adeò claram & distinctam audimus, ut de illius veritate dubitare nequeamus, huic voci obtemperandum, neglectis hominum ea de re judiciis; Consuetudo est nihili facienda; inclinationibus secretis resistendum; nec qui apud homines docti audiunt nimia veneratione prosequendi; à falsâ pietatis specie nos deludi sinendum non est, nec eorum oppositionibus qui nesciunt quo spiritu ducantur cedendum; sed patienter ferendæ sunt eorum contumeliæ, nec damnandus eorum animus. Lumine veritatis quod nobis affulget modestè gaudendum est. Et quamvis ipsius responsa nos damnent, præferenda tamen sunt, omnibus distinctionibus subtilibus quas excogitat imaginatio ad excusandos affectûs.

Quicunque, exempli gratiâ, in seipsum descendere, ac sensuum & affectuum tumultum sedare, potest, omnem motum quem Deus nobis indit, ad ipsum debere terminari, clarè cognoscit; ac Deum ipsum nos ab obligatione quâ ad illum amandum tenemur solvere non posse. Deum cessare propter seipsum agere, voluntatem nostram, ut aliud ab ipso velit, vel ut aliud velit quam ipse vult, creare aut conservare non posse evidens esse. Haud enim video quomodo quis possit arbitrari, Deum posse velle, ut quod minus amabile est magis ametur, vel ut id summè amemus tanquam finem nostrum, quod non est summè amabile.

Haud equidem ignoro qui affectûs suos consulunt, cum ordinem consulere deberent, eos facilè imaginari posse, Deum voluntatum suarum non aliam habere normã quàm proprias suas volũtates; ac Deum, si ordinem sequatur eum sequi quia libet, eumq; ordinem ab ipso fuisse constitutum voluntate liberâ & omnimodè indifferenti. Sunt qui credant nullum esse ordinem immutabilem & necessarium naturâ suâ, ordinemque aut sapientiam Dei secundùm quam fecit omnia, primam quidem omnium creaturarum esse, sed creaturam, factam voluntate Dei liberâ, non verò ex propriâ ipsius substantiâ genitam necessitate essentiæ. Verum ista sententia, quâ omnia Ethices fundamenta ruunt, ordini, & legibus æternis quæ ab ipso pendent suam detrahendo immutabilitatem, quæque totum Religionis Christianæ ædificium diruit, JESUM CHRISTUM aut Verbum Dei Divinitate suâ spolian-

liando, iſta, inquam, ſententia ſatis menti non affundit tenebrarum ut veritatem illam; Deum, ſcilicet, velle ordinem, ei intercipiat. Itaq; ordine poſtulante ut tempus noſtrum, ſeu duratio exiſtentiæ noſtræ, ſit propter illum qui nos conſervat; ut omnis cordis noſtri motus verſus eum à quo ille motus indeſinenter imprimitur tendat; utque omnes potentiæ mentis noſtræ non agant niſi propter eum cujus virtute agunt; Deus non poteſt nos ſolvere à mandato quod ipſe nobis per Moſem tradidit in Lege, quodque per Filium in Evangelio renovavit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ mente tuâ, & ex totâ virtute tuâ.* Marc. 12. 30.

Sed quia omnem juſtum eſſe beatum, & omnem peccatorem eſſe infelicem; omnem actionem ordini conformem, ſeu omnem amoris motum verſus Deum, remunerationem accipere, & omnem actionem ordini contrariam puniri, ordo poſtulat; hinc omnem hominem qui beatitudinem conſequi cupit, ad Deum indeſinenter tendere, ac id omne quod ipſius curſum moratur, aut motum versùs verum bonum minuit cum indignatione reſpuere debere evidens eſt. Directorem eo in negotio conſulere opus non eſt, quum enim Deus loquitur, homines ſilere par eſt: ac ubi reſponſa quæ in intimo rationis receſſu audimus nobis dari ſine ſenſuum & affectuum participatione certò ſcimus hæc reſponſa tum venerabundi auſcultare debemus, ipſiſque obſequi.

Ubi ſcire cupimus an choreæ & comœdiæ intereſſe debeamus; an diem in ludo aut in colloquiis inutilibus ſalvâ conſcientiâ conſumere poſſimus; an quædam commercia, quædam officia, votis noſtris & obligationibus ſint conformia; in noſmet ipſos deſcendamus; ſenſibus & affectibus ſilentium imponamus; & ad lumen Dei confugiamus, ut ibi cognoſcerere valeamus, an propter ipſum hoc vel illud fieri queat: Illum qui eſt via, veritas & vita interrogemus, ut ſciamus an iter quod ſequimur nos ad mortem non ducat; Et, (cum Deus ſit eſſentialiter juſtus, & ad omnia quæ ordini non ſunt conſentanea punienda, ac quæ ordini ſunt conformia remuneranda neceſſariò obligatus) an poſſimus exiſtimare nos aucturos eſſe aut firmaturos felicitatem noſtram, cùm id faciemus quod cupimus.

Si amor Dei ad choream nos impellat, eamus ad choream; ſi ut cœlum lucremur ludendum nobis eſt, noctu diuque ludamus; ſi in munere quo defungimur gloriam Dei nobis proponamus, exerceamus illud; hæc omnia cum gaudio faciamus, nam merces noſtra erit magna in cœlis. Sed ſi obligationibus noſtris accuratè examinatis, exiſtentiam noſtram ejuſque durationem à nobis non pendere, noſque iniquitatem admittere, quam non poteſt quin puniat Deus, agnoſcamus, dum in id ſolum incumbimus ut genio indulgeamus. Si magiſter & Dominus noſter JESUS CHRISTUS qui nos ſanguine ſuo acquiſivit, modo clariſſimo & maximè intelligibili nobis exprobret infidelitatis & ingrati animi crimen, quia ſecundum carnem & mun-

dum vivimus, vitam mollem & deliciis plenam agimus opinionem & consuetudinem sequimur, tunc ipsius voci obsequamur: corda ne obduremus: Directores ne quæramus qui nobis ob istas Magistri nostri exprobrationes solatio sint, qui adversus istas minas nos præmuniant; & lumini isti quo lædimur & penetramur jucundas affundant tenebras.

Quum cæcus ducit cæcum, ambo, ait Evangelium, in præcipitium ruunt. At ubi cæcus qui se ducendum permisit cadit cum altero cæco à quo ducebatur, si Deus illum non excuset, quantominùs excusabit hominem oculatum, qui se cæci ductui permittit, quia cæcus illum per amœna ducit; & iter faciendo accommodatè ad inclinationes ipsum alloquitur. Cæcos illos voluntarios scire oportet, Deum qui nunquam fallit, tales esse deceptores sæpè permittere, ut iis corda quæ decipi amant puniantur: occæcationem esse pœnam peccati, quamvis illius etiam sit causa, sæpè contingere; justumque esse ut qui noluit sapientiam æternam auscultare, quæ ipsum alloquebatur, ut ad meliorem frugem rediret, sinat denique se corrumpi ab hominibus qui ipsum eo periculosiùs fallunt, quò ipsi jucundiùs blandiuntur.

Difficile equidem est sese apud seipsum recipere sensus & affectûs ad silentium adigere, an Deus loquatur an verò corpus, discernere: sæpè enim argumenta à sensibus ducta pro rationibus evidentibus accipimus; atque tum ad Directores confugere par est. At ipsos consulere semper necesse non est: Quid enim nobis agendum sit in multis casibus evidentissimè & clarissimè videmus. Ac tunc quidem Directores consulere periculosum est, nisi id fiat cum perfectâ sinceritate, & in spiritû humilitatis & obedientiæ, istæ enim dispositiones Deum ad id obligant ut non sinat nos decipi, saltem modo nobis noxio.

Ubi Directorem consuli casus postulat, eligendus est, cui Religio sit nota, cui Evangelium sit venerationi, qui hominem cognoscat: cavendum est ne mundi contagione infectus sit, ne amicitiâ fractus nobis nimis indulgeat, néve à nobis quicquam timeat aut speret, unus eligendus est inter mille, inquit Sancta Theresiâ, quæ ut ipsa testatur, imprudentis Directoris inscitiâ in maximum salutis venerat discrimen.

Mundus deceptoribus plenus est, immò etiam deceptoribus qui bonâ fide, decipiunt. Qui nos diligunt nos suâ indulgentiâ decipiunt; Qui nobis inferiores sunt nobis præ veneratione aut præ timore adulantur. Qui suprà nos eminent contemtû aut negligentiâ nostris necessitatibus non consulunt. Prætereà omnes homines consilia nobis dant juxta ea quæ ipsis de interno statu nostro repræsentamus, jam autem nobismet ipsis semper palpum obducimus; quippe manum vulneri sensim admovemus ut illud tegamus ubi illius nos pudet. Directores nostros sæpè fallimus, ut nosmet ipsos fallamus;

nam nos in tutò esse credimus ubi eos sequimur. Nos eò ducunt quò tendebamus, ac invitis lumine & secretis rationis objurgationibus ipsi nobis persuadere conamur, nos obedientiâ in eam partem determinari. Nosmet ipsos decipimus, Deo permittente: At ipsum qui pectoris penetralia scrutatur non fallimus; & quamvis aures quantum possumus ad vocem veritatis internæ obturemus sentimus tamen exprobrationes istius veritatis æternæ dum nos permittit nobismet ipsis; sentimus ipsam in mediis tenebris nobis affulgere, & omnia philautiæ artificia revelare.

Rationem igitur ad mentis sanitatem esse consulendam, sicut corpus ad valetudinis restitutionem, ac quum ratio nobis non respondet, ad Directores esse confugiendum, evidenter patet; quemadmodum ubi sensuum auxilium deest ad Medicos est recurrendum: Sed id cum judicio faciendum est, nam Directores ignari vitam spiritualem, quemadmodùm Medici imperiti corpoream, possunt in nobis extinguere.

Cùm hic leges quæ circa electionem & usum Directorum & Medicorum tradi possunt accuratè non explicem, animi mei sensa benignè accipi & explicari rogo; ne quis credat me id eo fine scripsisse ut impediam quominus ab aliis hominibus opem nobis necessariam mutuemur. Scio iis potissimùm benè esse qui sententias suas sapientissimis summittunt: nec etiam inficiabor istam regulam, nempe; juxta solitas medicinæ leges moriendum esse, plerisque hominibus tutiorem esse omnibus aliis, quas ad vitæ conservationem possem statuere.

Sed quia apud seipsum secedere, Evangelium consulere Jesum Christum auscultare, sive mentem nostram aut cor immediatè, sive aures aut oculos per fidem, alloquatur; ea quæ dixi à me dici posse arbitratus sum; nam ipsi Directores nostri nos fallunt, dum nobis aliquid fidei & rationi contrarium proponunt. Et quia honor Deo tribuitur, existimando ipsius opera necessaria omnia ad sui conservationem in se habere; hinc factum est ut hominibus, machinam ipsorum corporis modo tam admirabili esse constitutam, ut per se quicquid ad sui conservationem necesse est, faciliùs quàm per scientiam, atque etiam per peritissimorum Medicorum experientiam, reperire, me posse insinuare duxerim.

ILLVSTRATIO
Ad Tertium Caput Quinti Libri.
Amorem differre à Voluptate & Gaudio.

MEns res valdè diversas, ubi eodem tempore eveniunt, nec sibi invicem repugnant, sæpiùs confundit. In hoc Tractatu multa hujusce rei attuli exempla; quia in hoc errores nostri circa ea quæ in nobis aguntur, potissimùm consistunt. Cùm per claram ideam non cognoscamus qua in re posita sit natura aut essentia mentis nostræ, aut ulla ex ipsius modificationibus; ut res planè diversas confundamus, sæpè sufficit illas in nobis peragi eodem tempore; ea enim quæ per ideam claram non cognoscimus facillimè confundimus.

Non modò impossibile est clarè cognoscere quâ in re sita sit rerum quæ in nobis aguntur diversitas. Immò etiam difficile est cognoscere illas inter se reverâ differre. Nam ut id cognoscatur intra nosmetipsos nos recipere oportet; non ut nos consideremus relatè ad bonum aut malum, quod quidem fit libenter, sed ut nos consideremus visû abstracto & sterili, quod non fit sine maximo labore.

Rotunditatem corporis ab ipsius motu differre nullo negotio concipimus; & quamvis experientiâ notum sit, sphæram in plano positam non posse pulsari quin moveatur, atque ita motum & rotunditatem simul juncta occurrere; utrumque tamen non confundimus, quia motum & figura per ideas clarissimas & maximè distinctas cognoscimus. Sed de voluptate & amore res eodem modo non se habet, ac illa penè semper inter se confunduntur. Mens nostra, voluptate fit, ut ita dicam, mobilis, quemadmodum globus rotunditate; & quia nunquam existit sine aliquâ impressione versùs bonum, statim movetur versus objectum, unde illa voluptas oritur aut oriri videtur. Itaque cùm motus ille amoris in mente eodem tempore excitetur, quo sentit voluptatem, id sufficit ut voluptatem cum amore confundat, quia nec voluptatis nec amoris claram habet ideam, ut habet de figurâ & motu. Hanc ob causam nonnulli voluptatem & amorem inter se non differre, & æquo majorem rerum numerum in singulis affectibus à me distingui existimant.

Verùm, ut clarè ostendam voluptatem & amorem duo esse diversa, duo voluptatum genera distinguo. Aliæ rationem prævertunt, ut sensationes jucundæ, & vulgò dicuntur voluptates corporis. Aliæ nec sensûs nec rationem antevertunt, & voluptates mentis appellantur. Ejusmodi est gaudium quod in nobis nascitur clarâ cognitione aut ex sensû confuso, aliquod bonum nobis evenisse aut eventurum esse.

Exempli gratiâ, vir quispiam fructum quem non cognoscit gustans,

illum edendo voluptate afficitur, si ad ipsum nutriendum idoneus sit. Voluptas illa præveniens est, cùm enim ipsâ afficiatur antequam sciat an fructus ille ipsi bonus sit, hanc voluptatem ipsius rationem prævertere evidens est. Venator fame pressus sperat se inventurum esse quod possit edere, aut actu invenit; actu sentit gaudium. Jam autem gaudium illud est voluptas nata ex cognitione boni sui præsentis aut futuri.

Per hanc distinctionem inter voluptatem quæ rationem sequitur & voluptatem quæ ipsam antevertit evidens mihi videtur, nullam esse, quæ non differat ab amore. Nam voluptas quæ rationem antecedit, amorem proculdubio antecedit; cum omnem cognitionem ipsa præcedat, amor verò aliquam supponat. Gaudium contra seu voluptas quæ cognitionem supponit, amorem quoque supponit; cùm gaudium supponat sensum confusum, aut cognitionem claram nos possidere aut possessuros esse id quod amamus. Nam si rem possideremus, cujus amore nequaquàm teneremur, ex ea nullum perciperemus gaudium. Itaque voluptas ab amore longè differt, cùm voluptas quæ rationem prævertit, amorem prævertat & pariat; cumque voluptas quæ rationem sequitur, amorem necessariò supponat ut effectum supponit causam.

Præthereà si voluptas idem esset cum amore, nulla unquam esset voluptas sine amore, nec ullus amor sine voluptate, res enim sine seipsâ esse nequit. Tamen Christianus inimicum suum amat, filius probè educatus parentem suum quantumvis injustum & morosum diligit. Officii sui cognitio, timor Dei, ordinis & justitiæ amor, efficiunt ut non modo sine voluptate, sed etiam cum aliquo horrore, homines sibi non gratos amore prosequantur. Fateor ipsos nonnunquàm sentire gaudium, dum cogitant se officium suum præstare; aut cum sperant se mercedem quam meruere accepturos esse. Sed præterquam quod voluptas illa ab amore quo erga Patrem ducuntur longè differt, quamvis istius amoris sit forte motivum, sæpè contingit ut isto motivo nequidem ad agendum impellantur. Quandoque agunt per quendam abstractum ordinis visum, aut per cogitationem timoris quâ ipsorum amor conservatur. Immò possumus dicere istos homines ab ipsis verè aliquo sensû amari eodem tempore quo de iis nequidem cogitant; namque amor in nobis manet etiam per distractiones nostras & per somnum: Sed voluptas in mente subsistere posse mihi non videtur nisi quandiu se ipsi sentiendam præbet. Itaque amore seu charitate manente in nobis sine voluptate aut sine delectatione, voluptatem & amorem unum & idem esse defendere nemo potest. Cùm voluptas & dolor sint duo contraria, si voluptas idem esset cum amore, dolor non differret ab odio. Jam autem dolorem ab odio differre evidens est, nam dolor sæpè subsistit sine odio. Homo, exempli gratiâ, qui sese incautus vulneravit, dolorem maximè realem & acutum patitur, sed omni odio caret; nam causam doloris sui aut

odii objectum nequidem novit; vel potius causa ipsius doloris, odium quo digna non est, excitare nequit. Itaque istam doloris sui causam non odit, quamvis dolore ad odium feratur aut disponatur. Homo ille dolorem suum equidem odit, nam dolor est dignus odio. Sed odium doloris non est ipse dolor, illum supponit. Odium doloris non est odio dignum ut dolor; immò gratissimum est, nam doloris odio delectamur, ut ejusdem perpessione contristamur. Dolor igitur non est odium, & voluptas quæ dolori contraria est, non est amor qui odio adversatur. Ac per consequens voluptas quæ rationem prævertit, idem non est cum amore. Eodem modo probo gaudium aut voluptatem quæ rationem sequitur ab amore distingui.

Cùm gaudium & tristitia sint duo contraria, si gaudium idem esset cum amore, tristitia non differret ab odio; jam autem tristitiam ab odio differre evidens est; nam tristitia quandóque subsistit sine odio. Exempli gratiâ casu fortuito contingit ut homo quispiam rebus sibi necessariis destituatur id sufficit ut tristitiâ afficiatur; sed id in ipso odium excitare nequit: sive quia nulla est causa quæ ipsum rebus necessariis privet; sive quia causa illa odium excitare nequit, utpote quæ illo sit indigna. Homo ille odit equidem privationem boni quod amat; sed illam odii speciem esse verum amorem evidens est. Nam homo iste non odit privationem boni, nisi quia amat bonum; cum autem fugere privationem boni, nihil aliud sit, quam tendere versus bonum, motum ipsius odii non differre à motu ipsius amoris liquet. Cùm itaque odium, contrarium non sit ipsius amori, tristitiam ipsius non esse ipsius odium, ac proinde gaudium ab amore differre, evidenter patet. Denique ubi quis tristitiâ afficitur, id ex alicujus rei quam odit præsentiâ, vel potiùs ex alicujus boni quod amat absentiâ oriri manifestum est. Itaque tristitia supponit odium seu potiùs amorem: sed ab his duobus longè differt.

Haud equidem me latet Augustinum asserere, dolorem esse aversationem menti obortam ex eo quod corpus non sit dispositum ut ipsa optaret. Ac eundem Patrem sæpè confundere delectationem cum charitate voluptatem cum gaudio, dolorem cum tristitiâ, cum aversatione aut cum odio. Sed sanctum illum Doctorem accommodatè ad captum vulgi pleraque quę in nobis eodem tempore aguntur confundentis, loqui verisimile est. Vel forsan ipse hæc satis accuratè & Philosophicè non expendit. Existimo tamen me posse & debere dicere necessarium esse hæc accuratè distinguere, ut super plurimis quæstionibus ab Augustino agitatis, mentem clarè & sine æquivocatione possimus aperire. Ii enim qui in diversas abeunt sententias istius Patris autoritate niti solent, propter varios sensûs quibus ipsius termini possunt explicari, utpotè qui minus sint accurati, quam ut iis homines qui disputandi potiùs animo quàm in unum coalescendi ducuntur, conciliari possint.

ILLVSTRATIO

ad Caput Tertium Secundæ Partis Sexti Libri.

De efficaciâ causis secundis tributâ.

A Primi hominis peccato mens in externa indesinentur diffunditur; Sui ipsius, & illius à quo illuminatur & penetratur obliviscitur; & corporis sui ut & eorum quibus circundatur, imperio ita se mancipat, ut in iis perfectionem & felicitatem suam nancisci arbitretur. Qui solus in nobis agere potest oculis nostris sese nunc subducit, in ipsius operationibus nihil est sensibile; & quamvis omnia producat & conservet, mens quæ rerum omnium causam tanto ardore rimatur, ipsum vix potest agnoscere, licet ipsum singulis momentis reperiat. Nonnulli Philosophi *naturam* & quasdam *facultates* ut causas effectorum quæ naturalia vulgò dicuntur, excogitare, quàm honorem potentiæ Divinæ debitum tribuere, malunt; & quamvis nullum argumentũ ac ne quidem ullam ideam habeant istius *naturæ* aut istarum *facultatum*, ut me demonstraturum esse spero, loqui malunt, quid dicant inscii, & potestatem merè imaginariam revereri; quàm ullo mentis conamine in id citi ut illius agnoscant manum qui omnia in omnibus facit.

Non possum quin credam inter omnia mala à peccato originali orta pessimum in eo consistere, quòd omni prorsus erga Deum gustu & sensu destituamur, vel quòd illum nunquam gustemus aut reperiamus sine aliquo horrore & pavore. Deum in omnibus videre, ipsius vim & potentiam in singulis effectis naturalibus sentire, ipsius sapientiam in admirabili creaturarum ordine admirari; ac uno verbo ipsum solum in operibus suis adorare, timere, & amare deberemus. Sed nunc secreta quædam est inter Deum & hominem oppositio. Homo peccati sui conscius latebras quærit; lumen refugit; Dei præsentiam extimescit; & in corporibus ipsi circumstantibus potentiam aut naturam cæcam quâ possit familiariter uti fingere mavult, quàm in iis terribilem Dei sancti & justi omnia cognoscentis & efficientis potentiam reperire.

Fateor multos esse qui alio quàm Philosophi Ethnici moti principio, ipsorum sententiam circa naturam & causas secundas sequuntur. Sed spero fore ut ex hujusce explicationis serie pateat istos hanc duntaxat sequi opinionem ob præjudicium quo sese expedire penè impossibile est, sine auxilio principiorum Philosophiæ nondum satis notæ. Nam certè si illam Philosophiam cognovissent opinioni quam mihi propugnandam esse existimo, assensum suum præbuissent.

Multæ ſunt rationes cur cauſis ſecundis ſeu naturalibus nullam vim, potentiam, aut efficaciam quicquam producendi tribuam: Sed præcipua in eo ſita eſt, quòd iſta opinio ne vel concipi quidem poſſe mihi videatur. Quicquid enitar ut illam concipiam nullam in me ideam reperio quæ mihi repræſentet quid eſſe poſſit vis aut potentia quæ creaturis vulgò tribuitur. Nec me temerarium ferre judicium credo dum aſſero, eos qui defendunt creaturas in ſe vim & potentiam habere, rem in medium proferre quam ipſi clarè non concipiunt. Etenim, ſi Philoſophi cauſas ſecundas vera vi ad agendum & ad ſibi ſimile producendum præditas eſſe clarè intelligerent, certè cùm ego ſim homo æquè ac ipſi, & ſupremæ rationis non ſecus ac ipſi ſim particeps, ideam quæ hanc vim ipſis repræſentat me quoque percepturum eſſe, veriſimile eſt. Sed nullo mentis molimine, eo poſſum devenire, ut ullam vim, efficaciam, potentiam cognoſcam, niſi in voluntate entis infinitè perfecti.

Præterea cùm varias mecum reputo hac de re Philoſophorum opiniones, id me in meâ confirmat ſententiâ. Nam ſi clarè viderent, qua in re poſita ſit illa creaturarum potentia, aut quid in iis ſit verâ præditum virtute, hac in re inter ſe conſentirent. Quum homines inter ſe non poſſunt convenire nec ullo præjudicio aut affectu impediuntur, id manifeſtò arguit ipſos eorum quæ dicunt claram non habere ideam, nec ſeſe mutuo intelligere; præcipuè ſi de rebus non complexis, quorum non ſit longior diſcuſſio, diſputant, ut in quæſtione de qua hîc agitur. Quippe ſolutu non eſſet difficilis, ſi homines virtutis aut potentiæ creatæ claram haberent ideam. En igitur aliquot ex ipſorum opinionibus ſuper hac re, ut quantopere diſſideant quiſque videre poſſit.

Harum opinionum maximè extraordinarias vide in metaph. Suar. Diſp. 18. ſect. 1. aſſert. 2. & 3. Scot. in 4. ſent. diſt. 12. 1. D. 37. 2. D. 17. Paludan. in 4 ſent. D. 12. Q. 1. Art. 1. Perer. 8. Phyſ. cap. 3. Conimbr. in Phyſ. Ariſtot. & in aliis multis à Suare citatis.

Sunt Philoſophi qui aſſerant cauſas ſecundas per materiam ſuam, figuram & motum agere; atque hi aliquo ſenſu à ratione non abludunt. Alii per *formam ſubſtantialem*; Multi, per accidentia aut qualitates: Nonnulli, per materiam & *formam*; hi per formam & accidentia: illi per quaſdam *virtutes*, aut facultates ab his omnibus diſtinctas. Sunt qui defendant, formam ſubſtantialem producere formas, & accidentialem accidentia; alii formas producere alias formas & accidentia: alii denique accidentia ſola poſſe producere accidentia atque etiam formas. Sed arbitrandum non eſt eos, exempli gratiâ, qui dicunt, accidentia poſſe producere formas virtute quam receperunt à forma cui adhærent, rem eodem modo intelligere. Alii volunt hæc accidentia non differre ab ipsâ vi aut virtute formæ ſubſtantialis: alii accidentia in ſe recipere influxum formæ, ac non agere niſi ipſius virtute; nonnulli denique accidentia nihil eſſe præter cauſas inſtrumentales. Sed hi poſtremi inter ſe planè non conveniunt quid per cauſam inſtrumentalem intelligendum ſit, nec quænam ſit virtus quam accipit à cauſa principali. Immò Philoſophi nequidem conve-

niunt

niunt de actione quâ causæ secundæ effecta sua producunt. Sunt qui dicant causalitatem non debere produci, cùm ipsa producat. Alii censent illas agere reapse per actionem suam. Sed ut explicent quid præcisè sit illa actio, tantoperè desudant, totque sunt hac de re variæ sententiæ, ut illas hic recensere non sustineam. Vid. Metaph. Fonsec. qu. 13. sect. 3. Metaph. Soncinæ & Javell. super eadē quæstione.

Maximam hic vides sententiarum varietatem, licet Philosophorum priscorum aut in longinquis regionibus natorum opiniones non enumeraverim, sed ipsos non magis inter se convenire super virtute causarum secundarum, quam eos qui à me citati sunt, judicare pronum est; Avicenna, exempli gratiâ, substantias corporeas quicquam præter accidentia posse producere non censet. Et hoc est ipsius systema referente Ruvio: Deum substantiam spiritualem perfectissimam immediatè producere existimat, hanc aliam producere minùs perfectam; hanc verò tertiam, & sic deinceps usque ad ultimam, quæ omnes substantias corporeas producit, substantiæ verò corporeæ, accidentia. Sed Avicembrom non capiens quomodo substantiæ corporeæ, quæ sese penetrare nequeunt, possent sese alterare, vult solos spiritûs posse agere in corpora, quia soli illa possunt penetrare. Cùm enim isti Philosophi nec vacuum, nec atomos Democriti admittāt, nec materia subtilis Cartesii ipsis satis nota esset, haud existimabant, ut Gassendistæ & Cartesiani, esse corpora ita subtilia ut possent subire poros eorum quę durissima & solidissima videntur. Ruvio l. 2. ph. tract. 4. qu. 2.

Ex hac sententiarum varietate colligere ni fallor possumus, homines sæpè loqui de rebus quas non cognoscunt; & potentiam creaturarum, cùm sit merum ingenii figmentum, cujus naturaliter nullam habemus ideam, ab uno quoque pro arbitrio fuisse explicatam.

Hanc creaturarum potentiam per omnia sæcula realem & veram à plerisque habitam fuisse verum est: sed id sine ullo argumento, quod in mentem attentam ullam facere possit impressionem. Nam argumenta confusa, quæ fallaci sensuum & affectuum testimonio duntaxat nituntur, ab iis qui legitimum rationis suæ admittant usum, accipi non debent.

Aristoteles de eo quod *natura* vacatur, loquens, dicit eos fore ridiculos, qui vellent probare, corpora naturalia habere principium internum motûs & quietis, quia, inquit, res per se nota est. Non dubitat quoque quin globus in alterum globum incidens, præditus sit vi illum movendi. Id oculis sic videtur, atque id ipsi sufficit; namque sensuum semper, rationis judicium rarò, sequitur. Id intelligine queat an contrà parùm curat. Cap. 1. lib. 2. Physl.

Qui nonullorum Theologorum sententiam qui adversus causas secundas scripserunt, impugnant, dicunt cùm Aristotele sensûs earum efficaciæ nos convinccre. Hoc est primum & præcipuum ipsorum argumentum. Ignem urere inquiunt, solem lucere, aquam refrigerare evidens est. Ii insaniunt qui inficias eunt. Authoribus sententiæ contrariæ, inquit Averroes, non erat mens sana, Qui hanc V. Fonsec. Ruvius Suarez.

efficaciam negant, inquiunt penè omnes Peripatetici, argumentis sensibilibus sunt convincendi, & hoc pacto eò adducendi ut fateantur se à causis secundis posse moveri & lædi. Adversus illos hoc judicium jam tulit Aristoteles, quod oporteret executioni mandari.

l.1. Topicorum cap.1.

Verùm ejusmodi demonstratio ridicula est. Nam mentis infirmitatem manifestò arguit, ostenditque Philosophos ipsos sensibus longè magis addictos esse quàm rationi. Id ostendit eos qui se veritatem inquirere gloriantur, ne quidem eum nosse quem de ea consulere debeant. An supremam rationem quæ nunquam fallit, quæque semper res ut in se sunt repræsentat; an verò corpus quod relatè tantùm ad sui conservationem, & vitæ commoditatem, loquitur. Etenim nulla sunt præjudicia quæ non possint defendi, si sensuum à quibus omnia ferè nascuntur, judicio nitamur, ut in Opere de *Inquirenda veritate* ostendi. Quum video globum in alterum globum impingere; oculi mei mihi dicunt, aut saltem dicere videntur, globum illum esse veram causam motûs alteri globo communicati. Nam vera causa quæ movet corpora oculis meis conspicua non est. Sed ubi rationem meam interrogo evidenter video corpora, cum seipsa movere non possint, ipsorumque vis movens nihil aliud sit quàm Dei voluntas quæ ipsa successivè conservat in variis locis, non posse communicare potentiam quam non habent, quamque nequidem possent communicare licet illam haberent. Manifestum enim est opus esse sapientiâ immò sapientiâ infinitâ ad dirigendam communicationem motuum ea concinnitate, proportione, & uniformitate quam in iis observamus. Quum corpus non possit corpora infinita in quæ perpetuò incidit cognoscere, quamvis in ipso supponeretur cognitio, satis tamen cognitionis ei non fore patet ut in instanti concursûs seu impulsionis vim moventem quæ ipsum agit posset dirigere ac temperare.

Ubi oculos aperio, sol luce totus circumfulgere, nec tantùm per se visibilis esse, sed omnia corpora circumjacentia visibilia efficere; terram floribus & fructibus coronare, vitam animalibus impertiri, ac ipsa terræ viscera calore penetrando, lapides, marmora & metalla in ipsâ producere mihi videtur. Ast ubi rationem meam consulo, horum omnium nihil video; immò quùm illam fideliter consulo, me à sensibus decipi, Deumque omnia in omnibus facere, clarissimè agnosco. Cùm enim mihi notum sit omnes corporum mutationes, nullum aliud principium habere, quàm varias motuum communicationes quæ in corporibus visibilibus aut invisibilibus fiunt; Deum omnia efficere video, cùm ab ipsius voluntate istæ communicationes pendeant, ejusque sapientiâ regantur.

Motum localem generationum, corruptionum, alterationum, & in genere omnium mutationum quæ in corporibus eveniunt, principium esse suppono: Ista opinio apud Doctos nunc uno consensu admittitur. Sed quicquid hac de re sentiant nihil interest. Nam facilius mihi videtur concipere corpus ab alio in quod incidit pulsari,

quàm concipere calorem & lucem ab igne produci, ipsumque è materia educere substantiam quæ in ipsâ anteà non erat. Si necessarium sit agnoscere Deum solum esse veram causam variarum communicationum motuum, potiori jure judicare debemus ipsum solum posse creare & annihilare qualitates reales & formas substantiales. Creare & annihilare dixi; æquè enim difficile mihi videtur è materia substantiam quæ in ipsa non erat educere, vel substantiam in eam immittere denuò quæ tamen in ea non sit, quàm illam creare aut annihilare. Sed terminis non immoror. Istis utor, quia nullos esse novi, qui clarè & sine æquivocatione exprimant mutationes, quas Philosophi supponunt materiæ singulis momentis contingere virtute causarum secundarum.

Vix à me possum impetrare ut hic alia argumenta quibus virtus & efficacia causarum secundarum probari solent, afferam; Iis enim qui præjudiciis resistunt, quique rationem sensibus anteponunt, adeò invalida videntur, ut homines ratione præditos iis persuaderi potuisse verisimile non sit. Quia tamen multi Philosophi iis utuntur illa proferam & refellam.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Si causæ secundæ nihil agerent, inquiunt, Suarez, Fonseca, & quidam alii, viventia à non viventibus distingui non possent; siquidem neutra actionum suarum principium internum haberent.

In metaph. Disput. 18. Sect. 1. asserit. 1. In metaph. Arist. qu. 7. sect. 2.

Responsio.

Respondeo hominibus semper eadem futura esse argumenta sensibilia quibus distinctionis quam inter viventia & non viventia admittunt, convicti fuere. Animalia quasdam actiones facere, ut edere, crescere, clamare, currere, saltare, &c. semper viderent. In lapidibus nihil simile observarent. Atque hoc solo vulgus Philosophorum persuadetur bestias vivere, lapides verò non. Arbitrandum enim non est ipsos visû claro & distincto mentis, nosse quid sit vita canis; ipsorum hac de re judicia à sensibus reguntur. Si id necesse esset, principium vitæ canis admodùm non differre à principio motus horologii, hic probarem. Nam vita corporum, quæcunque tandem illa sint, consistit duntaxat in motu partium: Nec difficile est judicare eandem materiam subtilem quæ in cane efficit fermentationem sanguinis & spirituum animalium, & in qua situm est ipsius vitæ principium, perfectiorem non esse materiâ quæ minorum horologiorum organa movet, aut quæ in meliorum horologiorum ponderibus gravitatem efficit, quæ gravitas principium est ipsorum vitæ, vel ut cum vulgo loquar, ipsorum motûs.

Vid. Lib. IV Invest. Ver. c. XI. Lib. VI. c. VII.

Peripateticorum est Cartesianis ideam claram tradere illius entis

P 2

quod nuncupant, *vitam brutorum*, *animam corpoream, corpus quod percipit, cupit, videt, sentit, vult*; ac postea ipsorum difficultates, si eas movere pergant, clarè solventur.

ALIUD ARGUMENTUM.

Differentiæ & virtutes elementorum cognosci non possent; ignis posset refrigerare non secus ac aqua; uniuscujusque rei natura non esset fixa & determinata.

Responsio.

Respondeo naturâ permanente in præsenti suo statu, hoc est, legibus communicationis motuum iisdem semper subsistentibus, contradictorium est ignem non urere, aut non separare partes quorundam corporum. Ignis non potest refrigerare ut aqua, nisi fiat aqua; cùm enim ignis nihil aliud sit quàm lignum cujus partes materiâ invisibili quâ circundantur vehementer agitatæ fuerunt; ut demonstratû facile est; Fieri nequit quin partes illæ de motu suo communicent corporibus obviis. Cùm autem, istæ leges sint immotæ, natura, virtutes & qualitates ignis mutari nequeunt. Sed hæc natura istæque virtutes sequuntur necessariò ex Dei voluntate generali & efficaci, qui omnia in omnibus efficit. Itaque, naturæ investigatio fallax, & omninò vana, ubi in ea aliæ veræ causæ quæruntur quam voluntates Omnipotentis.

Vid. cap. 2. lib. IV. *De Inqui en la Veri ate.*

Ad Deum seu ad causam universalem, ubi effectuum specialium ratio postulatur: recurrendum non esse fateor. Is enim ludibrium deberet, qui diceret Deum exsiccare terram, aut glacie constringere aquam fluminum. Dicendum est aërem siccare terram quia agitat & secum fert aquam, quâ humectabatur; & aërem seu materiam subtilem aquam glacie constringere per hyemem, quia illo tempore satis non communicat motûs partibus aquæ. Uno verbo si fieri possit, effectuum de quibus agitur causa naturalis & specialis est explicanda: Sed quia actio istarum causarum consistit duntaxat in vi movente quâ agitantur, illa verò vis movens nihil aliud est quàm ipsa Dei voluntas, ipsas in se vim aut potentiam producendi aliquod effectum habere dicendum non est. Et qùum inter ratiocinandum, tandem deventum est ad effectum generale cujus quæritur causa, is pessimè philosopharetur qui aliquam aliam à generali diversam quæreret. Quædam natura, primum mobile, anima universalis, aut aliqua similis entitas cujus nulla est idea clara & distincta, fingenda non est: Ejusmodi ratiocinium solos Philosophos Ethnicos decet, exempli gratiâ, ubi quis quærit cur sint corpora in motu, cur aër agitatus motum suum aquæ communicet, vel potius corpora sese mutuò pellunt: Cùm motus & ipsius communicatio sit effectum gene-

rale à quo cætera dependent, non modò Christianus verùm etiam Philosophus ad Deum ut ad causam generalem recurrere necessariò debet. Nam ipsius voluntas est vis movens corpora, quæ etiam communicationem motuum efficit. Si in mundo nihil novi producere voluisset, ipsius partibus motum non indidisset: Ac si quædam inter entia entia quæ formavit incorruptibilia reddere aliquando velit, communicationes motuum respectu illorum entium velle desinet.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Terram arare, irrigare, & quibusdam dispositionibus corpora præparare inutile foret, Deum enim subjecta in quæ agit præparare non opus est. Suarez eodem loco.

Responsio.

Respondeo Deum equidem posse facere quicquid ipsi libet, sine ullis præcedentibus dispositionibus in subjectis in quæ agit. At sine miraculo, aut per vias naturales, hoc est, secundùm leges generales motuum quas ipse instituit, & juxtà quas penè semper agit id efficere nequit; Deus voluntates suas sine causa non multiplicat; per vias simplicissimas semper agit; & hanc ob causam concursu corporum utitur ad illa movenda: Non quod ille concursus & mutua impulsio necessaria sit ad motum in iis excitandum, ut id nobis sensus dicunt: Sed quia cum mutua illa impulsio sit occasio communicationis motuum, admodùm paucis legibus naturalibus opus est ad producenda omnia effecta admirabilia quæ videmus. Namque, hoc pacto omnes leges communicationis motuum ad unicam possunt referri, ad hunc scilicet: Cùm corpora quæ sese mutuò impellunt, considerentur tanquàm unicum corpus eo momento quo sese attingunt, vis movens inter ea distribuitur momento separationis, juxtà proportionem ipsorum magnitudinis. Sed cùm corpora quæ sese mutuò impellunt innumeris aliis quæ in ipsa juxta hanc legem & ipsius efficaciâ agunt, circumdentur; hæc lex, quamvis constans & uniformis, innumeras efficit communicationes planè diversas, quia agit in corpora innumera, quæ inter se mutuam habent relationem. V. ultimum Caput *de Inquirenda Veritate.*

Plantam ut crescat irrigare necesse est; quia juxtà leges communicationis motuum, vix aliæ quàm partes aquæ, motu suo & propter figuram suam, sese insinuare & ascendere inter fibras plantarum, ac unà inter se coalescendo, figuram ad plantas nutriendas necessariam induere, possunt. Materia subtilis quam Sol indesinenter emittit, agitando aquam ipsam potest in plantas elevare; sed non habet satis motûs ut partes crassiores terræ possit sursùm ferre. Attamen terra & ipse aër plantarum incremento necessaria sunt. Terra ad

conservandam aquam in radice : & aër ad excitandum in eadem aqua fermentationem moderatam. Sed cùm actio solis, aëris & aquę, si in solo partium motu consistat, Deus solus propriè loquendo agit. Nam, ut modò dixi, ille solus efficaciâ voluntatum suarum, & infinitâ cognitione suâ, communicationes motuum infinitas, quæ singulis momentis, & juxta proportionem accuratissimam & exactissimam fiunt, efficere & regere potest.

QVARTVM ARGVMENTVM.

Nemo adversus seipsum pugnat, nemo sibi ipsi resistit. Corpora sibi invicem occurrunt, sese mutuò impellunt, sibique resistunt. Ergò Deus non agit in ipsis nisi concursu suo. Si Deus motum in corporibus solus produceret & conservaret, illa averteret antequàm sese mutuò impellerent; ipsa enim impenetrabilia esse novit. Cur corpora pelleret ut ea deinde repelleret, cur illa promoveret eodem momento removeret; cur motus inutiles produceret & conservaret? Nonne absurdum est dicere, Deum adversus seipsum pugnâre, & opera sua destruere; quum exempli gratia, taurus adversus leonem pugnat, lupus ovem vorat, & ovis herbam cui Deus dat incrementum, edit. Ergò dantur causæ secundæ.

Responsio.

Ergò causæ secundæ omnia efficiunt, Deus verò nihil. Nam Deus adversus seipsum agere nequit, at concurrere est agere. Concurrere in actionibus contrariis, est præbere concursûs contrarios & ideò actiones facere contrarias. Ad actionem creaturarum quæ sibi invicem resistunt concurrere, est agere adversus seipsum. Ad motûs inutiles concurrere, est agere inutiliter. Atqui Deus nihil agit frustrà, actiones contrarias non edit, adversus seipsum non pugnat, ergo Deus ad actiones creaturarum quæ se mutuò sæpè destruunt, & actiones seu motus inutiles faciunt, non concurrit. Vide quò ducat istud causarum secundarum argumentum. Sed audiamus rationem.

Deus omnia agit in omnibus, eique nihil resistit. Omnia in omnibus facit, quia ipsius voluntates omnes motûs efficiunt & regunt; ipsi nihil resistit, quia facit quicquid lubet. Sed res sic concipi debet. Cùm decreverit per rationes simplicissimas utpotè ordini maximè congruas, hanc producere infinitam creaturarum varietatem quam miramur; corpora secundùm lineam rectam moveri voluit, quia hæc linea est simplicissima. Sed cum corpora sint impenetrabilia, & ipsorum motus secundùm lineas oppositas aut sese mutuò secante fiant, necesse est ut sese impellant, ac per consequens eodem modo moveri desinant. Id Deus prævidit; concursum tamen seu mutuam istorum corporum impulsionem positivè voluit; non quia adversus se-

ipsum pugnare amat, sed quia uti volebat hac impulsione corporum, ut occasione ad statuendam legem generalem communicationis motuum, quâ prævidebat infinita mirabilia effecta productum iri. Persuasum enim habeo, duas istas leges naturales, quæ omnium simplicissimæ sunt: nempe, omnem motum fieri secundùm lineam rectam, aut tendere ad lineam rectam; & in concursu seu mutuâ corporum impulsione, motûs communicari juxta proportionem magnitudinis corporum quæ sese mutuò impulerunt, persuasum, inquam, habeo, duas istas leges ad producendum mundum qualis nunc est, hoc est, cœlum, stellas, planetas, cometas, terram & aquam, aërem & ignem: uno verbo elementa & omnia opera seu non *organizata* aut non viventia. Nam corpora organizata pendent à multis aliis legibus naturalibus penitus incognitis. Fortè etiam corpora viventia non formantur ut cætera per certum quendam numerum legum naturalium. Verisimile enim est illa ab ipsâ creatione mundi formata fuisse, ac tempore nihil aliud præter incrementum necessarium ut oculis conspicua fiant, recipere. Certum tamen ipsa illud incrementum recipere per leges naturæ generales, secundùm quas cætera corpora formantur. Unde fit ut ipsorum incrementum non fit semper regulare.

Dico igitur Deum, per primam legem naturalem, velle positivè, ac proinde efficere impulsionem corporum; & deinceps hac mutuâ impulsione uti, velut occasione ad statuendam secundam legem naturalem, quæ communicationem motuum regit; atque ita impulsionem actualem esse causam naturalem aut occasionalem, communicationis actualis motuum.

Si hęc seriò animadvertas nihil meliùs fieri potuisse clarè cognosces. Sed supponamus Deũ rem sic non instituisse & corpora quę sese mutuo sunt impulsura avertere, quasi daretur vacuum ad illa excipienda: Primò corpora perpetuæ isti vicissitudini quæ universi pulchritudinẽ constituit, non essent obnoxia: Nam quorundam corporum generatio non fit nisi quorundam aliorum corruptione; motuum contrarietas eorum varietatem efficit. Secundò, Deus non ageret per vias simplicissimas: Nam ut corpora sibi invicem occurrentia, motum suum sine ullâ mutuâ impulsione continuarent, ipsa lineas curvas innumeris diversis modis describere oporteret; ac per consequens innumeræ in Deo voluntates ad determinandos illorum motus essent admittendæ. Denique, si nulla esset uniformitas in actione corporum naturalium, ac si ipsorum motus secundùm lineam rectam non fieret, nullum esset principium quo certò possemus ratiocinari in Physica & secundùm quod in multis vitæ actionibus possemus nos gerere.

Lupos à leonibus, & oves à lupis vorari, & oves herbam cujus Deus tantam gessit curam, ut omnia ad conservationem ipsi necessaria, atque etiam semen ad speciei conservationem suppeditaverit, pascere, contra ordinem non est. Id causarum secundarum virtutem non magis probat, quàm pluralitatem causarum, aut contrarietatem prin-

cipiorum boni & mali, quam Manichæi, ut ista naturæ effecta explicarent, excogitaverunt. Id potius magnitudinis, sapientiæ, & magnificentiæ divinæ certum argumentum est. Deus enim nulla opera facit quæ sapientiâ infinitâ digna non sint; & illa facit cum profusione quæ ipsius potentiam & magnitudinem satis denotat. Quicquid destruitur eadem lege qua destruitur reparatur, tanta est istius legis sapientia, potentia & fecunditas! Deus novâ voluntate entium destructionem non prohibet, non modò quia prima sufficit ad ea reparanda, sed præcipuè quia ipsius voluntates istorum entium reparatione longè præstantiores sunt, Immò ipsius voluntates omnibus effectis seu operibus quæ producunt longè antecellunt: Ac si Deus hunc mundum visibilem condidit licet per se indignum actione qua formatus fuit; id fecit propter fines Philosophis incognitos, & quia in Jesu Christo seipsum honore afficere potest, quem creaturæ ipsi deferre non possunt.

Quum domus aliquem virum probum lapsû suo obruit, ex hoc eventu majus emergit malum quam quum bellua vorat aliam belluam, aut quum corpus reflecti cogitur ob impulsionem corporis obvii: Sed Deus voluntates suas non multiplicat, ut iis quæ vel verè vel apparenter ordini repugnant, quæque necessariò sequuntur ex legibus naturalibus, medeatur. Deus leges suas nec corrigere nec mutare debet, quamvis monstra quandoque producant. Ordinem & simplicitatem viarum suarum confundere non debet: Parva negligere ipsum decet: hoc est, non debet voluntates speciales habere ut producat effecta quę ipsius voluntatibus inferiora sunt, ac actione causæ producentis indigna, Deus miracula non edit, nisi quum ordo quem semper sequitur id postulat; jam autem ordo vult ipsum agere per vias, seu rationes simplicissimas, neç ullas in ipsius voluntatibus admittit exceptiones, nisi quum consiliis ipsius absolutè necessarium est, aut in quibusdam occasionibus nobis penitùs ignotis. Quamvis ordini aut sapientiæ Divinæ cuncti uniamur, omnes tamen ipsius leges non novimus. Quid facere debeamus in ipsâ videmus: sed in ipsa non cognoscimus quicquid Deus velle debet, nec ad id cognoscendum nimis laborandum est.

Insigne hujusce rei nobis suppetit exemplum in damnatione innumerorum hominum quos Deus in iis sæculis quibus error veritati omnino prævaluit, perire permisit. Deus est summè bonus: omnia opera sua amat, omnes homines servari & ad cognitionem veritatis venire vult, illos enim omnes fecit ut ipso potirentur: maximus tamen eorum numerus damnatur, maximus numerus in erroris tenebris vivit & moritur, ac in æternum in iis permanebit. Unde nam istud? Nunquid quia Deus agit per vias simplicissimas, & ordinem sequitur? * Jam docuimus secundùm ordinem Deum non debuisse voluptatibus * indeliberatis prævertere voluntatem primi hominis ex cujus lapsû orta est naturæ corruptio. Omnes homines

* Vid. Illust. ad c. IV. 2. P. Methodi.
* Vid. 1. Il-lust. ad c. V.

ab

ab uno oriri operæ pretium erat, non modò quia hæc ratio est simplicissima, sed etiam ob rationes nimis Theologicas & nimis abstractas ut hic possint exponi: Id denique ordini quem Deus sequitur & sapientiæ quam semper consulit in suis consiliis formandis & exequendis conforme esse credendum est. Peccatum primi hominis innumera peperit mala; id negari nequit. Sed certè ordo postulabat Deum illa permittere mala, atque hominem in eo constituere statu, in quo posset peccare.

Deus opus suum reparaturus, nonnisi rarò gratiam illam victricem largitur quæ pertinacissimorum peccatorum malitiam superat. Gratias sæpè largitur inutiles ad eorum conversionem qui eas recipiunt, licet earum inutilitatem illorum respectu præviderit. Illas nonnunquam affatim profundit quanquam tamen paucissima tantùm producant effecta. Cur tot ambages & viæ indirectæ? Sufficit ipsum positivè velle peccatoris conversionem, ut eam modo efficaci & invicto producat. Nonne igitur patet ipsum agere per rationes simplicissimas, & ordinem id postulare, quamvis ordo iste nobis semper non sit notus? Deus enim agere nequit nisi cum ordine & sapientiâ, quamvis ipsius ordo & sapientia menti humanæ sæpè sint impenetrabiles. Quædam sunt leges in ordine gratiæ simplicissimæ, secundùm quas Deus ordinariè agit. Namque ordo gratiæ suas habet leges æquè ac ordo naturæ: Licet illas non cognoscamus ut leges communicationis motuum solemus. Sequamur modò consilia nobis ab illo cui leges gratiæ perfectè notæ erant, in Evangelio tradita.

Hæc obiter dixi ut injustis peccatorum qui JESU CHRISTI consilia aspernantur, & malitiam suam ac inordinationem Deo imputant querelis satisfacerem. Deum in ipsorum gratiam edere miracula vellent ac leges gratiæ ordinarias sequi recusant. In deliciis sese volutant, honores ambiunt; vulnera suo cerebro objectis sensibilibus incussa perpetuò refricant, ac nova sæpè accipiunt; & Deum ipsos miraculo sanare exigunt; Ægris similes qui præ morbi acerbitate fascias vulneribus obductas ferre non valentes illa renovant, ac posteà ubi mors imminet crudelitatem eorum qui vulnus curant queruntur. Deum ipsos salvare volunt; quia, inquiunt, bonus est, sapiens, potens; penes ipsum est nos felicitate donare, nos creare non debuit ut nos perderet. Sciant igitur, Deum reverâ ipsos salvare velle, & in eum finem fecisse quicquid secundùm ordinem & sapientiam quam consulit, fieri deberet. Nos ab ipso derelinqui credere non debemus, cum ipse proprium Filium suum ut esset Mediator noster & victima nobis dederit. Deus certè nos vult salvare, & quidem omnes; sed viis quas sedulò inquirere, & accuratè sequi debemus. Deus non debet consulere affectûs nostros in consiliorum suorum executione; solam sapientiam consulere solumque ordinem sequi ipsum decet. Et ordo postulat nos Jesum Christum imitari, ipsiusque con-

filia sequi ut sanctificemur & salvemur. Quòd si Deus omnes homines ad id non prædestinaverit ut essent conformes imagini illius, qui est Electorum norma & exemplar, id fit quia Deus agit per vias simplicissimas relatè ad decreta sua, quæ ad sui gloriam omnia tendunt; quia Deus est causa universalis, nec debet agere ut causæ speciales, quæ circa singulas actiones suas voluntates habent speciales; quia Dei sapientia quæ hac in re nobis est inscrutabilis rem sic voluit; Denique quia hæc Dei œconomia Deo dignior est aliâ quæ reprobis magis faveret. Namque reprobi damnantur secundùm ordinem non minùs adorandum, ordine secundùm quem Electi sanctificantur & salvantur ac sola ordinis ignorantiâ, & philautiâ, eo adducuntur homines ut damnent dispensationem quam Angeli & Sancti in æternum mirabuntur. Sed ad causarum secundarum efficaciam redeamus.

QVINTVM ARGVMENTVM.

Nisi corpora certam quandam *naturam*, aut *vim* ad agendum haberent, siq; Deus omnia efficeret in effectis etiam maximè ordinariis, nihil non esset supernaturale, distinctio naturalis & supernaturalis adeò vulgata, & universali Doctorum consensu probata, foret chimærica & inepta.

Responsio.

Respondeo hanc distinctionem in Aristotelis ore esse ineptam, namque natura ab isto Philosopho instituta, est mera chimæra. Dico hanc distinctionem in ore vulgi de rebus per impressionem sensibilem judicantis non esse claram; nesciunt enim præcisè quid sibi velint, dum dicunt ignem urere naturâ suâ. Dico denique hanc distinctionem posse tolerari in ore Theologorum, si per effecta naturalia ea intelligant, quæ sequuntur ex legibus generalibus, quas Deus instituit ad omnium productionem & conservationem, ac per effecta supernaturalia ea quæ non pendent ab his legibus. Hoc sensu ista distinctio vera est. Sed Philosophia Aristotelis conjuncta cum sensuum impressione, illam distinctionem periculosam reddere mihi videtur; quia eos qui nimiâ veneratione miseri istius Philosophi colunt opiniones, aut qui sensûs consulunt cùm apud seipsos secedere deberent ad veritatem consulendam, à Deo avertere potest. Itaque hac distinctione utendum non foret quin explicaretur, Augustinus vocem *fortunæ* qua usus fuerat repudiavit, licet pauci ea decipi possent. Divus Paulus de idolothytis loquens, idola nihil esse monet. Si *natura* à Philosophia Ethnica excogitata, sit chimæra, si sit purum nihil, id monendi sunt Lectores; multos enim illa fallere possunt. Quamplurimi opera Dei imprudenter tribuunt, & huic idolo, seu figmento cerebri fascinati honores soli numini debitos deferunt? Mira-

culorum & quorundam effectuum extraordinariorum magnitudine & ſapientiâ ipſius aliquo ſenſu parùm dignorum Deum authorem eſſe equidem fatentur. Sed effecta illa immutabilia & ordinaria quæ ſoli ſapientes admirari norunt, potentiæ *naturæ* ipſorum imaginariæ tribuunt. Immò hanc diſpoſitionem admirabilem quâ omnia corpora viventia ad ſeſe conſervandum, & ſibi ſimile producendum apta ſunt, iſtius quam fingunt naturæ eſſe effectum autumant; nam juxtà iſtos Philoſophos ſol & homo generant homines. Ordo ſupernaturalis multis adhuc modis ab ordine naturali diſtingui poteſt. Nam dicere poſſumus ordinem ſupernaturalem referri ad bona futura; inſtitui propter merita Jeſu Chriſti, primarium & præcipuum eſſe in Dei conſiliis, & alia quæ ſufficiunt ad conſervandam diſtinctionem quam ſine causâ aboleri timent.

SEXTVM ARGVMENTVM.

Præcipuum argumentum quo Philoſophi cauſarum ſecundarum efficaciam tuentur, ex voluntate hominis & ipſius libertate deſumitur. Homo vult: Seipſum per ſe determinat; atqui velle & ſeſe determinare, eſt agere. Peccatum ab homine admitti certum eſt. Deus ipſius non eſt author nec concupiſcentiæ & erroris. Ergò homo agit.

Reſponſio.

In multis locis, Libri *de Inquirendâ Veritate*, ac præcipuè primo capite primi Libri, & in primâ Illuſtratione ad illud caput, ſatis oſtendi quid per voluntatem & libertatem hominis intelligendum ſit. Id à me nunc repeti inutile eſt. Hominem velle, ac ſeipſum determinare, concedo: quia Deus efficit ut velit, ipſum verſus bonum fert indeſinenter, omnes ideas & ſenſationes, quibus ſe determinat in eo excitat: Peccatum quoque à ſolo homine perpetrari fateor: Sed quicquam ab ipſo tùm agi nego: nam peccatum, error, & ipſa concupiſcentia nihil ſunt. In prima Illuſtratione hæc explicui.

Homo vult ſed ipſius voluntates ſunt inefficaces in ſe, nihil producunt, non impediunt quominus Deus agat omnia. Namque Deus ipſe in voluntatibus noſtris agit, impulſione quam nobis dat versùs bonum. Homo à ſe nihil habet præter errorem & peccatum, quæ nihil ſunt.

Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum. Conc. Arauſ. 2. Can. 22.

Inter mentes noſtras & corpora quæ nos ambiunt multùm eſt diſcriminis. Mens noſtra vult, agit, ſeſe aliquo ſenſu determinat, fateor. Hujus veritatum ſenſu interno quem de nobiſmet ipſis habemus, ſeu conſcientiâ, convincimur. Si nulla nobis eſſet libertas nec præmia nec pœnæ futuræ eſſent; nam ſine libertate nec bonæ nec malæ ſunt actiones. Itaque Religio eſſet mera chimæra. At corpora vi agen-

di prædita esse : illud demùm est quod nec clarè videmus nec concipi posse existimamus, & illud quoque est quod negamus, dum causarum secundarum efficaciam negamus.

Ipsa mens tantùm non agit quantùm vulgò putant. Me velle & liberè velle equidem novi, nulla mihi suppetit dubitandi ratio validior sensu interno quem habeo de me ipso. Id etiam non nego. Sed voluntatem meam motûs brachii mei, idearum mentis meæ, & cæterorum quæ voluntates meas comitari solent* veram esse causam nego: nullum enim deprehendo relationem inter res adeò diversas. Immò clarissimè video, nullam posse esse relationem inter meam voluntatem brachium movendi, & agitationem quorundam corpusculorum quorum nec motum nec figuram novi; quæ quosdam nervorum canales inter innumeros alios mihi ignotos eligunt, ut in me motum optatum, innumeris motibus quos nequaquàm opto, excitent. Voluntatem meam in me producere ideas meas nego: quia nequidem capio quomodo illas posset producere, namque voluntas mea cum non possit agere aut velle sine cognitione, ideas meas supponit, non efficit. Quid sit idea præcisè nequidem scio. Nescio an ex nihilo producantur, ánque redigantur in nihilum statim atque illas videre desino. Juxta quorundam sententiam loquor.

*Eo sensu quo rem explicui in capite ad quod hanc de explicationē.

Ideas meas, inquiet aliquis produco per cogitandi facultatem quam Deus dedit mihi: Brachium moveo propter unionem quam Deus instituit inter mentem & corpus meum. *Facultas, unio*, sunt termini Logici; voces vagæ & indeterminatæ, nullum est ens speciale; nec modus entis qui sit *facultas* aut *unio*. Hi termini sunt explicandi. Si unio mentis cum corpore in eo consistere dicatur quòd Deus velit, ut quum optabo brachium meum moveri, spiritus animales in musculis ex quibus constat diffundantur, ad illud movendum eo modo quo opto, illud moveri. Illam explicationem intelligo & amplector. Sed idem illud est quod ego defendo; nam cùm voluntas mea determinet voluntatem Dei; certè brachium meum movebitur non voluntate meâ quæ inefficax est per se, sed voluntate Dei quæ effectu suo nunquam frustratur.

Intellige vim veram & realem.

Sed si unio mentis cum corpore in eo consistere dicatur, quòd Deus dederit mihi vim movendi brachium meum, ut corpori meo dedit vim excitandi in me voluptatem & dolorem; certè id supponitur quod est in quæstione & agitur circulus. Nemo habet ideam claram hujus virtutis mentis in corpus & corporis in mentem. Qui id positivè asserunt satis non assequuntur quid dicant. Hanc à præjudiciis sententiam hausimus: Id pueri & statim atque sensûs capaces fuimus, credidimus. Sed ejusmodi opinio à mente, ratione, & attentione non dictata fuit. Ex iis quæ in Libro de *Inquirenda Veritate* dixi id satis patet.

At, inquiet aliquis, sensu interno actionis meæ cognosco me reverà hac vi pollere; itaque non hallucinor dùm id credo. Respondeo

dum movetur brachium, nos sensu interno affici voluntatis actualis qua brachium movetur, nec quum nos hanc habere voluntatem credimus, fallimur. Prætereà sensu interno experimur quoddam conamen cum istâ voluntate conjungi, & istud conamen à nobis fieri etiam credendum est: Denique concedo nos * sensu interno cognoscere brachium moveri ipso momento conaminis, & hoc supposito nihil obstat quominus dicamus, motum brachii fieri eo instanti quo sentimus illud conamen, aut quo voluntatem *practicam* habemus illud movendi. Sed nego illud conamen quod nihil est præter modificationem & sensationem mentis nobis eo fine datum ut infirmitatis nostræ convincamur; & virium nostrarum obscurum & confusum sensum habeamus; nego, inquam ejusmodi conamen posse cōmunicare motū spiritibus, illumq; determinare. Ullam esse relationem inter cogitationes nostras & motûs materiæ, mentemque spiritûs animales quibus utitur ut moveat corpus quod animat, ullatenùs cognoscere, nego, Denique etiamsi spiritûs animales mens accuratè cognosceret, & ipsos movere, aut ipsorum motum determinare posset; nego tamen ipsam posse eligere tubulos nervorum, quos neutiquàm cognoscit, ut in eos spiritus impellat, & sic corpus ea velocitate, proportione, vi quæ in iis etiam observatur qui corporis structuram minùs cognoscunt, moveat.

Etenim supponamus voluntates nostras esse reverâ vim moventem corporum, quamvis id captu impossibile videatur; quomodo corpus à mente moveri potest concipi? Brachium, exempli gratia, non movetur nisi quia spiritus inflant quosdam ipsius musculos, ut autem motus spiritibus qui sunt in cerebro, à mente impressus, posset communicari iis qui sunt in nervis, hi verò aliis qui sunt in musculis brachii mentis voluntates multiplicari aut mutari oporteret, juxta infinitos concursûs infinitasque impulsiones corporum ex quibus conficiuntur spiritûs. Verùm id concipi nequit, nisi innumeræ voluntates ad minimum corporis motum in mente admittantur, cum ut moveatur, necesse sit innumeras motuum communicationes fieri. Cùm enim mens sit causa specialis, quæ quantitatem & agitationem innumerorum corpusculorum quæ sese mutuò impellunt, dum spiritûs per musculos funduntur, accuratè cognoscere nequit, legem generalem communicationis motuum istorum spirituum statuere eamque institutam sequi non posset. Itaque mentem brachium movere non posse evidens est, etiamsi motum spirituum animalium determinare posset. Hæc clariora sunt quàm ut iis diutiùs insistere opus sit.

Res eodem modo se habet de nostrâ cogitandi facultate; nos de aliqua re cogitare velle, in id eniti, & ipso momento desiderii & conatûs nostri ideam istius rei sese menti nostræ offerre, sensu interno cognoscimus. Sed voluntatem nostram aut conatum, ideam nostram

* Evidens mihi videtur mentem non quidem cognoscere sensu interno aut conscientiâ motum brachii quod animat. Unicam sensationem suâ conscientiâ cognoscit, mens enim nullius rei habet conscientiam nisi cogitationum suarum; conscientiâ vel sensu interno cognoscimus nos sentire motum brachii nostri; sed conscientiâ non monemur de motû brachii, de dolore quem in eo patimur; nec de coloribus quos in objectis videmus; vel si id mihi non concedatur; dico sensum internum non esse certum & errore vacuum, nam error penè semper deprehenditur in hisce sensationibus complexis; ut in primo libro de *Inquirendâ Veritate*, satis probavi.

producere, sensu interno non cognoscimus. Id fieri posse ratione non percipimus, desideria nostra causas esse idearum nostrarum ex præjudicio credimus; & quia quotidie experimur illas ideas cum desideriis nostris conjungi. Cùm in Deo & ipsius operationibus nihil sit sensibile, nec quicquam aliud sentiamus quod idearum præsentiam præcedat nisi desideria nostra; nullam aliam posse dari causam idearum nostrarum quam desideria nostra putamus. Sed ad rem attendamus. Certè in nobis nullam vim videmus quæ illas producere valeat: ratio ac sensus internus hac de re nihil nos docent.

Cætera argumenta quæ à causarum secundarum efficaciæ propugnatoribus afferri solent, hic proponere operæ pretium non existimo: quia hæc argumenta adeò futilia mihi videntur, ut quis Philosophos illos à me de industriâ ludibrio exponi credere posset, ac ipse ludibrium deberem si illis seriò responderem. Author quispiam, exempli gratiâ, causam suam propugnaturus seriò dicit. *Entia creata sunt veræ causæ materiales, formales, finales, cur non essent causæ efficientes aut efficaces?* Si in ventilendo ejusmodi ratiocinio tam crasso & æquivoco, & discrimen inter causam efficacem, & causam illam quam Philosophis materialem dicere placuit, ostendendo, tempus tererem, plus ni fallor fastidii, quam utilitatis Lectori crearem. Itaque ab ejusmodi argumentis crassis ad ea quæ ex Scripturâ ducuntur transeo.

SEPTIMVM ARGVMENTVM.

Qui causarum secundarum efficaciam defendunt hosce scripturæ
Gen. c. 1. locos in medium proferre solent. *Germinet terra herbam virentem: Producant aquæ reptile animæ viventis & volatile: Producat terra animam viven-*
ibidem. *tem.* Ergo terra & aqua Verbo Dei receperunt *potentiam* producendi plantas & animalia. Deinde Deus jubet aves & pisces multiplicari. *Crescite & multiplicamini; & replete aquas maris, avesq; multiplicentur super terram*; ergò ipsis animalia ejusdem speciei producendi dedit *potentiam*.

Jesus Christus quarto Capite Evangelii secundùm Marcum, di-
Etiam virtutis suæ oblitus est. Cap. 16. cit semen quod in bonam cadit terram centuplum reddere, & *terram ultrò producere primò herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.* Denique in libro Sapientiæ scriptum est, ignem in populi Dei gratiam *virtutis* suæ veluti oblitum fuisse. Ergò utriusque Instrumenti testimonio constat, causas secundas *vi* pollere ad agendum.

Responsio.

Respondeo in scripturâ multos etiam esse locos, qui Deo suppositiam illam causarum secundarum efficaciam tribuunt. Ecce aliquot ex illis.

Ego sum Dominus faciens OMNIA, *extendens cælos* SOLUS, *stabiliens*

terram & NULLUS *mecum Isaiæ c. XLIV. 24 Manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me* TOTUM *in circuitu.* Job. X. 6. *Nescio qualiter in utero meo apparuistis* **** *singulorum membra* NON EGO IPSA COMPEGI, *sed enim mundi creator, qui hominis formavit nativitatem*, &c. Malach. l.2. cap. VII. 22 23. *Cum ipse* DEUS *det omnibus vitam inspirationem & omnia,* *Act. Apos. XVII. 25. Producens fœnum jumentis & herbam servituti hominum ut educas panem de terrâ.* Ps. CIII. & CXLVIII. Innumeri sunt alii loci. Sed hi sufficiunt.

Quum Author quispiam sibi contradicere videtur, & æquitas naturalis aut alia aliqua ratio nos ipsum secum conciliare jubet; ut quænam sit vera ipsius sententia possimus deprehendere hæc ratio iniri debere mihi videtur; nempe, attendendum est quando is author juxta propria sua lumina, quando verò juxta opinionem vulgi loquatur. Ubi quis ut vulgus loquitur, hinc non sequitur ipsum cum vulgo sentire. Sed ubi contraria iis quæ dici solent positivè profert, quamvis id semel duntaxat dicat, meritò judicare possumus ipsum mentem suam aperuisse; dummodò seriò & post legitimum examen loquatur.

Exempli gratiâ, Author aliquis de animalium proprietatibus loquens, centies dicet bestias sentire, canes Dominum suum agnoscere, ipsum amare, timere; & bis aut ter duntaxat dicet bruta non sentire, canes cognitionis esse incapaces, nihil amare, nihil timere. Quomodo author ille secum conciliari poterit, nam sibi ipsi contradicere videtur? An omnes loci inter se contrarii unà congerentur ut ex majori illorum numero judicetur quænam sit ipsius sententia? Si res sic procedat, haud puto quenquam esse hominem cui tribui meritò possit ipsum in ea esse sententia quæ bruta animâ carere censet: Nam ipsi Cartesiani quàm sæpissimè dicunt canem sentire quum percutitur, ac rarissimè dicunt ipsum non sentire. Et quamvis ego in hoc Libro per multa impugnem præjudicia, multa tamen ex scriptis mei possunt depromi, quibus, nisi regula quam nunc explico admittatur, facilè erit probare me illa omnia quæ impugno præjudicia stabilire, & opinioni quæ efficaciam causarum secundarum adstruit, quam nunc refello favere; aut forsan quis concludet librum *de Inquirenda Veritate* esse Librum contradictionibus manifestis & crassis refertum ut reverâ concludunt nonnulli, quibus satis non est æquitatis & penetrationis ut alienorum scriptorum judices se gerant.

Scriptura sacra, Patres, sapientissimi inter homines, de bonis sensibilibus, divitiis honoribus secundùm opinionem vulgi sæpius loquuntur, quàm juxta veras quas de his habent ideas. Jesus Christus Abrahamum iniquo diviti dicentem inducit. *Fili recepisti bona in vitâ tuâ*, hoc est divitias & honores. Quod ex præjudicata opinione *bonum* vocamus, seu bona nostra, hoc est, aurum & argentum, in Scripturâ sæpè vocatur, *sustentatio* nostra aut *substantia*, immò *honestas* nostra; *Paupertas & honestas à Deo sunt.* Certè istæ formulæ lo- Eccl. 11. 14.

quendi ab authoribus ſacris & à viris probis uſurpatæ eò nos adducere non debent ut credamus ipſos ſibi contradicere, aut divitias, honores reverâ eſſe bona reſpectu noſtri, & nobis eſſe amanda & proſequenda, quia ejuſmodi loquendi formulæ, utpote quæ præconceptis hominum opinionibus ſint accommodatæ, nihil ſignificant. Præterea Jeſus Chriſtus alibi divitias ſpinis aſſimilet, dicens eas nobis eſſe aſpernandas, eas eſſe fallaces, quicquid in mundum magni ducitur Deo abominationi eſſe. Scripturæ igitur vel Patrum loca non ſunt congerenda, ut ipſorum ſententiam per maximum horum locorum numerum, agnoſcamus, niſi præjudicia abſurdiſſima ipſis perpetuò tribuere ſuſtineamus.

Hoc poſito, videmus ſcripturam poſitivè dicere Deum facere etiam herbam agrorum, ipſum lilia ornare ornamentis quæ Jeſus Chriſtus anteponit toti Salomonis gloriæ. Cùm contrà non duo vel tria duntaxat, ſed innumera extent loca quæ Deo fictam cauſarum ſecundarum tribuunt efficaciam, & Peripateticorum naturam deſtruunt.

Mat. VI. 28. 29. 30.

Alterâ verò ex parte præjudicio veluti naturali ad id feruntur homines ut de Deo in effectis ordinariis non cogitent, & vim atque efficaciam cauſis naturalibus tribuant: ſola ut plurimum miracula mentem hominum ad Deum ut ad cauſam efficientem convertunt. Philoſophi hanc tuentur opinionem quia, inquiunt ſenſuum teſtimonio evincitur. Illud eſt validiſſimum ipſorum argumentum. Denique hæc opinio apud eos omnes qui ſenſuum judicio nituntur invaluit. Sermone deinde huic præconceptæ opinioni accommodato uſi ſunt homines; nec minus frequenter dicere ſolemus ignem habere vim urendi, quam vocamus aurum & argentum bonum noſtrum. Ergo loci ex Scripturâ aut Patribus deprompti ad adſtruendam efficaciam cauſarum ſecundarum, non magis probant quàm probarent loci quos avarus ex eadem ſcriptura deſumeret ut avaritiam ſuam excuſaret. Sed de locis qui ad probandum Deum omnia efficere, poſſunt afferri, res ſecus ſe habet. Cum iſta ſententia præjudiciis vulgi ſit contraria, iſti loci ad literam debent explicari; eadem ratione quâ concludere par eſt, Carteſianum exiſtimare beſtias non ſentire, quamvis id bis duntaxat vel ter dixerit, & contrà ſingulis momentis in familiaribus colloquiis dicat eas ſentire, videre, audire.

In primo Capite Geneſeos, Deus plantas & animalia jubet producere: aquis etiam præcipit ut piſces producant. Et proinde, inquiunt Peripatetici, aqua & terra *virtutem* hæc effecta producendi capacem acceperunt.

Hæc concluſio certa mihi non videtur: & quamvis iſtud caput per ſe & ſine aliorum ſcripturæ locorum auxilio explicare teneremur, hanc conſequentiam rejicere legitimè poſſemus. Hæc ratio explicandæ creationis accommodata eſt noſtro concipiendi modo. Itaque illam ad literam explicare opus non eſt. Nec illâ ad confirmanda præjudicia uti æquum eſt. Cùm animalia, & plantæ ſint ſuper terrâ,

aves

aves vivant in aëre, & pisces in aquâ, Deus ut nobis ostenderet hasce creaturas ipsius voluntate in his subsistere locis, eas in illis producere voluit. Ex terrâ formavit animalia & plantas; non quòd terra quicquam possit per se gignere, aut Deus ipsi ad id vim seu virtutem quæ adhuc subsistat dederit; nam apud omnes in confesso est terram non gignere equos & boves. Sed quia ex terra corpora istorum animalium formata fuere; ut patet ex capite sequenti. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ & universis volatilibus cæli.* Animalia formata fuere *de humo*, non verò producta ab humo. Ac revera postquàm Moses narrat quomodo animalia & pisces jussu Dei producta fuere, addit *Deum ipsum illa fecisse*, ne ipsorum productio terræ & aquæ tribuatur. *Creavitque Deus cete grandia, & omnem animam viventem atque motabilem quam* PRODUXERANT AQUÆ *in species suas, & omne volatile secundùm genus suum.* Et inferius postquàm de animalium formatione loquutus est addit, *Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas & jumenta & omne reptile terræ in genere suo.*

Obiter animadverti velim quod vulgata vertit, *producant aquæ reptile animæ viventis & volatile super terram* in Hebræo textu scribi *volatile* VOLITET. Nam ut manifestò patet ex loco capitis sequentis mox citato, vox ista omissa aves ex aquâ non fuisse productas ostendit, Mosemque hic non intendisse probare, aquas recepisse veram *potentiam* producendi pisces & aves, sed designare voluisse locum unicuique rei jussu Dei assignatum, sive ut in eo viveret sive ut in eo produceretur, *& volatile* VOLITET *super terram.* Namque ut plurimùm cum dicimus terram producere arbores & plantas, tantùm insinuare volumus aquam & sales ut semina germinare & crescere possint necessaria, ab ipsâ ministrari. Hic cæteris scripturæ locis efficaciæ causarum secundarum, si ad literam accipiantur, faventibus, explicandis non immoror. Namque formulas loquendi judiciis ordinariis juxta quæ sermo formari solet, nixas ad literam accipere non modò necessarium non est; sed sæpè periculosum est; quia vulgus hominum de omnibus loquitur juxta sensuum impressiones, & infantiæ præjudicia.

Eadem ratio quâ impellimur ad explicandos ad literam Scripturæ locos præjudiciis directè oppositos, nos eò etiam adducit ut credamus Patres eo consilio nunquam scripsisse ut causarum secundarum *efficaciam* & Aristotelis naturam tuerentur. Quamvis sæpè loquantur accommodatè ad præconceptas opiniones & judicia sensuum interdum tamen sermonibus suis satis aperiunt quænam sit circa id ipsorum mentis & cordis dispositio. S. Augustinus exempli gratiâ satis ostendit se existimare Deum esse *vim* aut *naturam* cujusque rei dum sic loquitur. *Omnia quippe portenta contra naturam dicimus esse, sed non sunt. Quomodo enim est contra naturam quod fit Dei voluntate: cum voluntas tanti utique, conditoris condita rei cujusque natura sit? Portentum ergo non fit contra naturam, sed contra quam est nota natura.* S. Aug. de Civ. Dei. l. 21. cap. 8.

S. Augustinus sæpè equidem loquitur secundùm præjudicia. Sed ex eo nihil inferri potest: nam soli loci præjudiciis contrarii ad literam sunt explicandi. Hujusce rei rationes modò attuli.

Si S. Augustinus in omnibus scriptis suis adversus causarum secundarum efficaciam nihil unquam dixisset, ac huic opinioni semper favisset, ad illam stabiliendam ipsius authoritate forsan uti possemus. Sed, si ipsum hanc quæstionem seriò examinasse non liqueret, meritò existimare possemus ipsum hac de re fixum nunquam statuisse judicium, & impressione sensuum forsan ad id adductum fuisse ut rem sine examine crederet quæ certa videtur donec ad examen sedulò vocetur.

Augustinum, exempli gratiâ, de brutis quasi animam haberent, semper loquutum fuisse constat; non dico animam corpoream. Nam Si ille Doctor mentem à corpore accuratiùs distinxerat, quàm ut existimare posset esse animas corporeas: Dico animam spiritualem; nam materia est incapax sensus. Existimo tamen satius esse Augustini authoritate uti ad probandum bruta carere animâ, quàm ad probandum illa animâ esse prædita. Nam ex principiis quæ seriò examinavit & invictè probavit, manifestò sequitur bruta carere animâ: Ut ostendit *Ambrosius Victor* in sexto volumine *Philosophiæ Christianæ*. Sed cum sententia quæ statuit bestias habere animam, aut dolorem ubi percutiuntur sentire, præjudiciis sit conformis, quippe nullus est Pater qui id non credat; meritò judicare possumus Augustinum de his accommodatè ad sermonem vulgi fuisse loquutum; hanc quæstionem seriò non examinasse; ac certè si eam in dubium vocare cœpisset & ad eam attendisset, propositiones principiis suis adeò contrarias in medium nunquam protulisset.

Hæc sunt nōnulla ex Augustini principiis Id quod nunquam peccavit, non posse malum pati, jam verò dolor est malorum maximum, & bestiæ patiuntur dolorem. Nobilius non posse sibi infinē proponere, id quod minus nobile est, jam verò secūdùm ipsum anima bestiarum spiritualis est & nobilior corporibus, bruta tamen nullū alium habent quàm corpora. Id quod spirituale est esse immortale, & animam brutorum licet spiritualis fit morti obnoxiam esse: multa alia sunt simili à principio apud Aug. ex quibus concludere possumus animam brutorum non esse spiritualem qualem illam in iis admittit.

Itaque licèt Patres efficaciæ causarum secundarum semper favissent, ipsorum sententiæ etiam rationem habere forsan non teneremur, nisi notum foret eos hanc quæstionem sedulò examinasse, ac ipsorum dicta sermoni vulgi accommodata non esse. Verùm res secus omninò se habet. Nam Patres & viri piissimi semper alicubi in scriptis suis manifestum fecerunt quid hac de re sentirent.

Eruditissimi, imo plerique ex Theologis hinc videntes scripturam sacram adversari efficaciæ causarum secundarum; inde verò impressionem sensuum, suffragia publica & Philosophiam Aristotelis, quæ Doctis erat venerationi, illam statuere efficaciam; nam Aristoteles Deum nullam rerum singularum quæ in regione *sublunari* aguntur curam gerere, hanc curam ipsius magnitudine indignam esse, & *naturam*, quam in omnibus supponit corporibus sufficere ad ea omnia quæ in his terris aguntur, existimat. Theologi, inquam, & eorum quidem maximus numerus, illud temperamentum ad conciliandum Fidem cum Philosophia Ethnicorum & rationem cum sensibus, inve-

nerunt; nempe causas secundas nihil esse acturas nisi Deus *concursu* suo ipsas adjuvaret. Sed quia concursus ille immediatus quo Deus agit cum causis secundis, magnas involuit difficultates, nonnulli Philosophi illum rejecerunt, dicentes, sufficere ut agant causæ secundæ, Deum ipsas conservare cum *virtute* quam ipsis in creatione indidit. Et quoniam hæc opinio præjudiciis valdè accommodata est, quia operatio Dei in causis secundis nihil habere sensibile, ab hominum vulgo & ab iis qui Medicinæ & Physicæ magis quàm Theologię & veritatis meditationi operam dederunt admittitur. Plerique arbitrantur Deum omnia primò creasse, ipsis omnes qualitates aut facultates ad sui conservationem necessarias dedisse; primum, exempli gratiâ, motum materiæ indidisse, ac deinde ipsam sibi ipsi permisisse ut motuum suorum communicatione hanc quam miramur formarum diversitatem produceret. Corpora posse sese mutuò movere plerique supponunt; & hæc opinio ipsi Cartesio tribuitur, contra quàm disertè dicit articulis 36. & 37. secundæ partis Principiorum Philosophiæ. Cùm homines agnoscere cogantur creaturas à Deo dependere, istam dependentiam quantùm in ipsis est minuunt; sive arcano in Deum adeo, sive supina erga ipsius operationem stupiditate & insensibilitate. Sed quia hæc opinio apud eos ut plurimùm qui Religioni meditandæ parùm incubuerunt, & qui sensûs & Aristotelis authoritatem potius quam rationem & codicum sacrorum authoritatem sequuntur, duntaxat admittitur; illam altas in veritatis & Religionis amatorum mente radices acturam verisimile non est. Istius enim opinionis serio examinatæ falsitas nullo negotio agnoscitur. Sed opinio *concursus immediati* Dei in singulis actionibus causarum secundarum, cum scripturæ locis qui sæpè idem effectum Deo & creaturis simul tribuunt, consonare videtur.

Animadvertendum igitur est loca esse in scripturâ ubi Deus solus agere dicitur: *Ego sum Dominus*, inquit, *faciens* OMNIA, *extendens cælos* SOLUS *stabiliens terram*, *&* NULLUS *mecum*. Mater divinitus inspirata liberos suos alloquens dicit, *Nescio qualiter in utero meo apparuistis, singulorum membra* NON EGO IPSA COMPEGI, *sed mundi creator, &c.* Non ut Aristoteles & scholæ Peripateticorum, sibi & Soli eos nativitatem suam debere non dicit, sed mundi creatori. Jam autem sententia illa Deum solum agere & formare infantes in utero matris opinionibus vulgi seu præjudiciis non est conformis. Isti igitur loci, juxtà principium à me priùs positum, ad literam sunt explicandi, at contrà, cum sententia efficaciæ causarum secundarum sit conformis opinioni vulgi & impressioni sensibili; etiam si locos inveniremus quæ disertè dicerent causas secundas agere solas, nullam tamen vim haberent si cum his quæ opinioni vulgi adversantur illa conferas. Concursus igitur non sufficit ad concilianda varia Scripturæ sacræ loca: tota vis, potentia & efficacia soli Deo tribuenda est.

Lib. Mach. cap. VII. ℣. 22. & 23.

Verùm licèt concursus immediatus Dei cum causis secundis esset idoneus ad conciliandos diversos scripturæ locos, nescio tamen an admittendus esset. Namque Libri sacri in usum Theologorum hujusce temporis compositi non fuere; sed in usum populi Judaïci. Itaque si Judæi satis non eruditi essent aut subtiles, ut concursum imaginarentur, qualis in Theologia scholastica admittitur, & ut inter ipsos conveniret de re quam peritissimi Theologi non sine magno negotio explicant; hinc ni fallor sequitur scripturam sacram quæ Deo, immò soli Deo, productionem & conservationem tribuit, ipsos in errorem injecturam fuisse: & authores sacrorum codicum sermone usos fuisse non modò incognito verùm etiam fallaci. Nam iis dicendo Deum omnia agere, nihil aliud designare voluissent nisi, Deum ipsis suum præbere concursum ad omnia producenda, & verisimile est Judæos de illo concursu nequidem cogitasse, cum ii qui inter Judæos non philosophantur, Deum facere omnia, non verò Deum concurrere ad omnia, existiment.

Sed ut de concursu tutius statueretur judicium, varia scholasticorum hac de re systemata accuratè explicare operæ pretium foret. Nam præter obscuritates impenetrabiles, omnibus opinionibus communes quæ explicari & defendi nequeunt nisi terminis vagis & indeterminatis; tanta est super hac materiâ opinionum varietas, ut illius causam deprehendere difficile non esset. Sed hìc à discussione mihi & lectoribus fastidiosâ supersedeo. Immò in id studere malo ut ostendam, hypotheses meas aliquâ in re cum maximo Theologorum Scholasticorum numero convenire, quamvis hic diffiteri non debeam ipsorum terminos esse valdè æquivocos & confusos. Mentem meam clariùs explico.

Existimo ut jam alibi dixi, corpora, exempli gratiâ, non prædita esse vi sese movendi, ac proinde ipsorum vim moventem nihil aliud esse quàm Dei actionem, vel ne utar terminis qui nihil distincti significent, ipsorum vim moventem, nihil aliud esse quàm voluntatem Dei, semper necessariò efficacem, quæ illa in variis locis successivè conservat. Haud enim puto Deum creare quædam entia, ut sint vis movens corpora: non modò quia hujusce generis entium nullam habeo ideam, nec video quomodo illa entia possint movere corpora: sed etiam quia illa entia indigerent quoque aliis entibus à quibus moverentur, & sic in infinitum. Deus enim solus simul est immobilis & motor.

Cùm hoc ita sit, ubi unum corpus impellit & movet alterum, possum dicere illud agere per concursum Dei; & illum concursum non distingui à propriâ istius entis actione. Nam corpus non movet aliud corpus in quod incidit nisi actione suâ aut vi movente, quæ reapse nihil aliud est quàm voluntas Dei, quæ illud corpus successivè in diversis locis conservat: cùm translatio corporis non sit ipsius actio aut vis movens, sed effectum ipsius virtutis moventis. At reverâ penè omnes

Theologi fatentur actionem causarum secundarum non differre ab actione quâ Deus concurrit cum ipsis. Nam licet rem diversè intelligant, Deum in creaturis eadem actione qua creaturæ ipsæ agunt, agere existimant. Et ipsos sic loqui necesse mihi videtur. Nam si creaturæ agerent actione quam Deus in ipsis non produceret, ipsorum actio, quatenùs actio, esset independens; jam autem credunt, ut par est, creaturas dependere immediatè à Deo, non modò quoad ipsarum essentiam, sed & quoad operationem.

Pariter, respectu causarum liberarum, existimo Deum menti indesinenter impressionem dare versùs bonum in genere, ac ipsum etiam determinare impressionem illam versùs bona specialia per ideas aut sensationes quas nobis imprimit, ut id in prima Illustratione explicui: atque idem credunt Theologi asserentes Deum movere & prævertere voluntates nostras. Itaque vis quæ mentes nostras movet, est voluntas Dei quæ nos animat & versùs bonum fert: Deus enim nulla creat entia ut sint vires moventes mentium, iisdem de causis ob quas non creat entia ut sint vis movens corporum. Cùm voluntates Dei per se sint efficaces, sufficit ipsum velle, ut faciat, ac inutile est entia sine necessitate multiplicare. Prætereà quicquid in motuum nostrorum determinationibus reale est, ab actione Dei in nos etiam procedit. Id ex primâ Illustratione clarè patet. Jam autem nihil agimus aut producimus nisi per voluntates nostras hoc est per impressionem voluntatis Divinæ quæ est nostra vis movens. Nam voluntates nostræ non sunt efficaces nisi quatenus à Deo sunt; quemadmodùm corpora mota alia non pulsant, nisi quatenus habent vim moventem quâ transferuntur. Ergo non agimus nisi per Dei concursum, & actio nostra considerata ut efficax & capax producendi aliquod effectum, non differt ab actione Dei. *Eadem est numero actio*, ut ajunt plerique Philosophi.

Vid. Suarez lib. 1. de Concursu Dei cum voluntate. cap. 4.

Jam autem omnes mutationes quæ in mundo eveniunt nullam aliam habent causam naturalem, quàm motûs corporum & voluntates spirituum. Nam juxtà leges generales communicationis motuum, corpora invisibilia, quæ circumdant visibilia, diversis motibus suis omnes varietates, quarum causa oculos nostros fugit, producunt. Et secundùm leges unionis mentis cum corpore, ubi corpora nobis circumjacentia agunt in nostrum, infinitas in mente nostrâ producunt sensationes, ideas, & affectûs. Pariter mens nostra in se producit per voluntates suas innumeras diversas ideas: Nam voluntates nostræ applicant & modificant mentem nostram, ut causæ naturales, quarum tamen efficacia ex legibus à Deo institutis procedit. Et cum mens agit in corpus nostrum, in eo multas producit mutationes propter leges unionis ipsius cum illo. Et per corpus nostrum in iis quibus circundamur maximum etiam mutationum numerum producit, per leges communicationis motuum. Itaque, omnia effecta naturalia, nullam aliam habent causam naturalem aut occasionalem quàm

motus corporum, & voluntates ſpirituum. Id ſi attentè animadvertatur nullo negotio concipietur. Nam hîc eos qui iſtæc legent ab iſtis blateronibus qui quod dicunt non intelligunt, qui entia quorum claras non habent ideas perpetuò fingunt, ac ea quæ ipſi non capiunt, per obſcuriora volunt explicare, præoccupatos non fuiſſe ſuppono. Cùm itaque oſtenderim Deum concurſu ſuo ſeu potius voluntate efficaci exequi quicquid motus corporum & voluntates ſpirituum agunt ut cauſæ naturales aut occaſionales; nihil eſt quod Deus non efficiat eadem actione qua creatura ipſius agit: non quòd creaturæ per ſe ullam actionem efficacem habeant; ſed quia Dei potentia ipſis aliquo modo communicatur per leges naturales à Deo in ipſarum gratiam inſtitutas.

Hac ſolâ ratione cogitata mea poſſunt conciliari cum ſententiâ Theologorum qui concursûs immediati neceſſitatem defendunt, & Deum omnia in omnibus agere eadem actione quâ creaturæ aſſerunt. Cæteros Theologos quod ſpectat, ipſorum opiniones, ac præcipuè Durandi, & nonnullorum Antiquorum ab Auguſtino refutatorum, qui concursûs neceſſitatem negabant, cauſas ſecundas omnia per potentiam ipſis à Deo in creatione inditam, agere dicentes, defendi non poſſe exiſtimo. Quamvis enim hæc opinio cæteris minus intricata videatur, ſcripturæ tamen ita adverſa & præjudiciis ita conformis videtur, ut ipſam poſſe propugnari non arbitrer.

Vid. Durand. in 2. Diſt. 1. Quæſ. & Diſt. 37. De Geneſi ad lit. l. 5. cap. 20.

Scholaſticos qui concurſum immediatum Dei dicunt eſſe eandem actionem ac actionem creaturarum, rem ut eam explicui non omninò intelligere fateor: Et, ſi excipias Biel & Cardinalem de Alliaco, quoſcunque legi, ſentiunt efficaciam quæ producit effecta procedere à causâ ſecundâ non ſecus ac à prima. Sed quia hanc mihi legem impono nihil aſſerere quod certò non mihi conſtet, & eam ſemper amplecti ſententiam quæ cum Religione magis conſonat, neminem fore confido qui ægrè ferat me à ſententiâ deſiſtere quæ multis eò obſcurior videtur quò attentiùs examinatur; & aliam ſtatuere quæ non modò rationi verùm etiam Religionis & Ethicæ Chriſtianæ ſanctitati conſentanea ſit. Hanc veritatem jam probavi in Capite quod hac explicatione illuſtro: ſed ad plenam ſyſtematis apologiam abs re non erit ſi aliquid his adhuc ſubjiciam.

in 4. ſent. Diſt. 1. 4. 1. De Alliaco ibid.

Deum à creaturis ſuis amari & coli velle ratione & Religione convincimur: vult amari ut bonum, & ſummâ coli veneratione ut poteſtas: Hæc veritas à nemine niſi impio & inſano in dubium vocari nequit. Ut Deus ametur ſicut vult amari & ſicut meretur, oportet juxtà primum legis & Evangelii præceptum, ac etiam juxtà rationem, ut alibi dixi, ipſum amare totis viribus aut ſecundùm totam noſtræ facultatis amandi capacitatem. Ipſum omnibus anteponere non ſufficit; amandus eſt præterea in omnibus. Alioquin amor noſter imperfectus eſt; & Deo omnem amorem quem nobis imprimit, quemque propter ſe ſolum imprimit, cùm non agat niſi propter ſe,

l. 4. cap. 1.

non retribuimus. Pariter ut Deus veneratione debitâ colatur, ipsum ut summam potestatem adorare, & præ cæteris creaturis timere non sufficit; timendus prætereà & adorandus in omnibus creaturis; omnia studia nostra ad ipsum unum tendere par est, nam ad ipsum solum pertinet honor & gloria. Id Deus his verbis præcepit. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; & ex tota anima, & ex tota fortitudine tuâ.* Et his: *Dominum tuum timebis, & illi soli servies.* Itaque Philosophia quæ nos docet efficaciam causarum secundarum esse merum ingenii figmentum, *naturam* Aristotelis & quorundam aliorum Philosophorum esse chimæram, Deum solum satis fortem & potentem esse non modò ut agat in mentem nostram, verùm etiam ut minimum det motum materiæ; hæc inquam, Philosophia, cum Religione cujus finis est Deo nos quam fieri potest arctissimè unire, omninò convenit.

Ea tantùm solemus amare quæ aliquod nobis bonum conferre possunt; ista igitur Philosophia solum Dei amorem probat, & omnis aliûs rei amorem damnat. Id solum timere debemus quod nobis aliquid mali afferre potest: Ista igitur Philosophia solum Dei timorem probat, omnis alius rei damnato timore. Itaque omnibus justis & rationi consentaneis mentis motibus favet, omnes verò rationi & Religioni contrarios improbat. Hac enim Philosophiâ amor divitiarum, ambitio, luxuria, nunquam comprobabuntur; cùm amor erga corpora juxta istius Philosophiæ principia absurdus & ridiculus videatur.

Hæc est veritas indubitata ipsâ naturâ, & notione communi freta, causam voluptatis amandam esse, & quidem juxta proportionem felicitatis quam nobis impertitur aut impertiri potest. Felicitatis nostræ causam, esse amoris nostri objectum non modò justum, verùm etiam necesse est. Itaque juxta hanc Philosophiam Deum solum amare debemus; Illa enim nos docet ipsum solum felicitatis nostræ causam esse. Juxta hanc Philosophiam corpora quæ nos circumdant non agant in nostrum; potiori ratione non agent in mentem. Sol nos non illuminat nobisque motum & vitam non impertitur. Ipse terram fructibus & floribus non coronat, nec alimenta nobis ministrat. Hæc Philosophia non secùs ac Scriptura nos docet *Deum non sine testimonio semetipsum reliquisse benefacientem de Cœlo, dantem pluvias & tempora fructifera, implentem cibo & lætitiâ corda nostra.* Juxta hanc Philosophiam dicendum non est naturam; vel Deum & naturam nos cumulare bonis, Deum solum id efficere dicendum est, & sic sine æquivocatione loquendum ne simplices decipiantur. Nam unica causa felicitatis nostræ distinctè est agnoscenda, si ipsam unicum amoris nostri objectum esse velimus.

Extrà omne dubium quoque est ea esse timenda quæ nos malo afficere possunt, & id juxta proportionem mali quod nobis afferre valent. Sed hæc Philosophia nos docet Deum solum posse nos malo afficere, ipsum, inquit Isaïas, *formare lucem & creare tenebras, facere pacem*

& creare malum, nihilque contingere mali quod ipse non faciat, inquit alius Propheta. Itaque ipse solus timendus est; nec pestem, nec bellum, nec famem, nec ipsos Dæmones timere par est. Deus solus est timendus, ab acie gladii nobis impendentis fugiendum, ignis est vitandus; à domo labante recedendum est; Sed hæc non sunt timenda. Corpora quæ mali causæ sunt occasionales removeri possunt; sed Deus solus ut vera malorum quæ in impios ruunt causa timendus est. Et solum peccatum quod causam omnium bonorum ad id adigit ut fiat causa omnium malorum, odio habendum est, uno verbo omnes mentis motûs ad Deum solum referri debent, nam Deus solus est suprà mentem nostram; & corporis nostri motus ad corpora nobis circumstantia possunt referri. Hæc à Philosophia quæ causarum secundarum efficaciam non admittit docemur.

Amos III. 6.

Sed efficaciâ causarum secundarum suppositâ, corpora non immeritò timeri & amari mihi videntur; ac, ut amor rationi accommodetur, sufficere existimo Deum omnibus anteponi & causam primam ac universalem causis secundis & specialibus. Deum totis viribus suis amare juxtà hæc principia necesse non est. *Ex totâ mente, ex toto corde, ex totâ animâ, ex totis viribus*, inquit scriptura.

Attamen, ubi Deum cultu & amore nostro omnibus præponere duntaxat contenti sumus, in id perpetuò non studentes ut ipsum solum in omnibus summè colamus & amemus; nos decipi; charitatem in nobis extingui, & bonis sensibilibus magis occupari quàm summo bono, sæpè contingit. Namque, si à pertinacissimis peccatoribus, & forsan etiam ab Idololatris quæras, an non præferant causam universalem specialibus; in effrænatissimâ licentiâ & in dentissimis erroris tenebris respondere tamen non dubitabunt; se officium adeò essentiale non negligere; nec ignorare quid Deo præstare debeant. Fateor eos falli & errare; sed efficaciâ causarum secundarum rejectâ, nullo prætextu suum excusare possunt errorem; illâ verò efficaciâ suppositâ hæc apud se possunt voluere, dum affectibus occæcantur, & sensuum testimonio aures præbent.

Natus sum ut sim felix; Non possum, immò non debeo mihi temperare ab amore & veneratione erga causam felicitatis meæ. Cur igitur non amarem & colerem objecta sensibilia, si veræ sunt causæ felicitatis quâ ipsorum usu fruor? Ens summum cultu summo solum esse dignum agnosco. Illud omnibus præfero. Sed, cum videam ipsum à me nihil exigere, fruor bonis quæ mihi largitus est causarum secundarum quibus me subjecit, ope, Nec ipsi cultum tribuo qui forsan sine ipsius honoris dispendio tribui non posset. Cùm nullum bonum per se & immediatè mihi conferat; hinc infero ipsum nolle, mentem & cor meum ipsi soli immediatè adhærere; aut saltem mentem & cor meum inter ipsum & creaturas dividi vult, Cùm solem gloriæ suæ participem fecerit, splendore & majestate circumcinxerit, omnibus operibus suis præfecerit, cùmque ab illius ingentis astri in-

fluxu

fluxu omnia bona vitæ necessaria accipiamus, cur per aliquam vitæ nostræ partem ipsius lumine non gauderemus, & gratum ob ipsius magnitudinem ac beneficia animum ipsi non testaremur. Nonne ingrati animi criminis essemus rei, si à creaturâ tam præstanti omnium bonorum copiam recipientes, ipsis grates non persolveremus? Et quis sine stupendâ cæcitate nullo venerationis & timoris motu duceretur erga illum cujus absentia nos frigore constringere & enecare, præsentia verò urere & destruere potest? Id jam dictum repeto, Deus omnibus anteponendus est, ac infinitè supra omnes creaturas venerandus; sed ipsius creaturæ etiam sunt timendæ & amandæ. Hoc pacto ei qui eas condidit legitimus tribuitur honor; & ad nova in nos conferenda beneficia adigitur. Honorem creaturis præstitum ab ipso probari ex eo liquet quod potentiam suam ipsis communicaverit, cum omnis potentia honore sit digna. Sed quia honor debet proportionari potentiæ, & potentia solis & aliorum objectorum sensibilium talis est ut ab iis omne bonorum genus accipiamus, æquum est ipsa à nobis coli totis viribus, & nosmetipsos totos post Deum ipsis consecrare.

Hæc sunt ratiocinia in quæ naturaliter dilabuntur, qui causarum secundarum efficaciæ præjudicio favent. Et verisimile est primos idololatriæ Authores sic fuisse ratiocinatos. En tibi hac de re sententiam Doctoris inter Judæos celeberrimi, sic tractatum de *Idololatria* orientis: *Tempore Enos homines in stupendos lapsi sunt errores, & sapientes illius seculi sensu & ratione omninò destituti fuerunt. Enos ipse unus ex illis aberrantibus fuit. Hi sunt ipsorum errores. Cùm Deus, ajebant, astra & cælos ad regendum mundum creaverit, illa in loco edito collocaverit, splendore & gloria cinxerit, ac iis utatur ad sua exequenda mandata; æquum est ipsa à nobis honore affici. Voluntas Dei nostri est, nos honorem præstare iis quos evexit & gloria cumulavit: Quemadmodum Princeps vult suis ministris honorem deferri se præsente, quia honor ministris tributus ad ipsum redundat. Postquam id in animum induxissent templa in astrorum honorem ædificare, ipsis sacra facere, ipsorum laudes dicere, & sese coram iis prosternere, cæperunt; sibi hoc pacto Creatorem propitium reddere credentes. Hæc est origo idololatriæ.*

R. Moses Maimonides.

Grati animi affectu moveri juxtà bona quæ in nos conferuntur, tam naturale & æquum est, ut omnes penè populi solem adoraverint, quia bona quibus fruebantur ab ipso veluti à prima causa manare arbitrabantur. Ac si Ægyptii non modò Solem, Lunam, & Nilum, cujus inundatio Ægypto affert fertilitatem, adoraverunt, id factum est, referente Cicerone, quia ex iis aliquam percipiebant utilitatem: Itaque, cùm propensio illa qua homines versùs veras felicitatis suæ causas naturaliter feruntur ab ipsorum mente excuti nec possit nec debeat, hinc evidenter patet aliquatenus saltem periculosum esse defendere efficaciam causarum secundarum, licet ipsi adjungatur necessitas concursûs immediati, qui concipi nequit, & præju-

Vid. Voss. *de Idololatria* lib. sec. *Ipsi quiirridentur Ægyptii nullā belluam nisi ob aliquā utilitatem quam ex ea caperent, co [?] serva-rant.* Cic. lib. 1. *De naturâ Deorum.*

dicatas opiniones nostras, quasi justæ essent, non secùs ac Aristotelis Philosophiam, postquam eam amplexi sumus, approbat.

Vid. Sextū Empiricum l. 8. c. 2.

Sed tutissimum est nihil asserere quod clarè non percipiatur, & soli Deo potentiam & efficaciam tribuere, cùm solæ ipsius voluntates necessariam & insolubilem habeant connexionem cum effectis naturalibus. Fateor nunc homines satis habere cognitionis ut crassos respuant Paganorum & Idololatrarum errores. Sed ausim dicere mentem nostram, seu potius cor nostrum eodem sæpè modo disponi & inflecti ac cor Paganorum, & semper aliquam in mundo Idololatriæ speciem esse grassaturam; donec Jesus Christus omni imperio, dominatione & potestate, ut Deus sit solus in omnibus, devictis, regnum Patri restituerit. Etenim, nonne quædam est idololatriæ species ventrem sibi Deum constituere, ut loquitur Paulus. Nonne ii sunt idololatræ ac Dei Mammonis cultores qui in acquirendis divitiis noctu diuque laborant? An ii Deo cultum debitum tribuunt, ipsumque in spiritu & veritate adorant, quorum cor alicujus objecti sensibilis pulchritudine totum detinetur, & mens fulgore alicujus dignitatis imaginariæ perstringitur?

Quorum Deus est venter. Phil. III 19. *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus quod est idolorum servitus.* Eph. V. 5. *In spiritu & veritate oportet adorare.* Joh. IV. 24.

Homines à corporibus omnes quibus potiuntur voluptates se accipere existimantes, ipsis quàm arctissimè possunt adhærent. Itaque erroris principium in eo situm est quòd impressione sensibili efficaciæ causarum secundarum convincantur. Sola ratio ipsis dicit Deum solum in ipsis agere: sed præter quàm quod hæc ratio jam demissâ voce loquitur ut eam vix audiant, & sensus qui ipsi adversantur tumultu suo obtundunt; prætereà, inquam, in præjudicio adhuc confirmantur rationibus & argumentis eò perniciosioribus, quòd præ se ferant characteres sensibiles veritatis.

Philosophi ac præcipuè Philosophi Christiani sensuum testimonia & præjudicatas opiniones ac præcipuè periculosas, qualis est, præconcepta opinio efficaciæ causarum secundarum, impugnare perpetuò deberent. Attamen, (quo principio agantur nescio) viri quos plurimùm & meritò quidem veneror, illud præjudicium non modò confirmare conantur; imò etiam sanctam hanc, puram, & solidam sententiam quæ statuit Deum solum esse veram causam, vellent traducere ut doctrinam superstitiosam & ineptam. Deum in omnibus amari & timeri nolunt. Sed omnia, inquiunt, amari & timeri debent relatè ad Deum. Creaturæ, inquiunt, sunt amandæ, quia bonæ sunt. Patri, Principi, & superiori amor & honor est tribuendus, quia Deus id præcepit. Id equidem non nego. Sed nego creaturas amandas esse ut bona nostra, quamvis in se bonæ sint. Hominibus ut Dominis observantiam & honorem posse legitimè tribui nego; Vel, ut clariùs aperiam mentem meam. Dico Domino suo non esse serviendum, nec patri aut Principi obediendum alio fine, quàm ut Deo serviamus & obediamus. Audiatur Paulus qui se omnia omnibus fecerat, & qui ad salutem hominum procurandam ipsis in omnibus,

Nisi hominem patrem vocamus honorē ætati deferimus non authorē vitæ nostræ ostendimus. Hier. cap 23. in Matt. 1. Cor. IX. 22. X. 33. Eph. VI. 6. Coloss. III. 22

complacebat. *Servi*, inquit, *obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri* SICUT CHRISTO: *non ad oculum servientes quasi omnibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes* SICUT DOMINO ET NON HOMINIBUS: Et in alia Epistolâ. *Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis Deum timentes; Quodcunque facitis ex animo operamini* SICUT DOMINO ET NON HOMINIBUS. Patri igitur obediendum est, Principi serviendum, superioribus honos deferendus UT DEO ET NON HOMINIBUS. Id clarum est nullisque obnoxium incommodis. Superioribus major hoc pacto tribuetur honos & promptior præstabitur obedientia. Sed Dominus, (id enim me posse asserere arbitror) qui honorem & obedientiam exigeret, quasi in se aliam potentiam à potentiâ Divina haberet, profectò impius esset; ac qui ipsi eo animo servirent, essent idololatræ: omnem enim honorem omnemque amorem qui versus Deum non tendit, esse species quasdam idololatriæ non possum quin credam. *Soli Deo honor & gloria.*

ILLUSTRATIO

Ad ea quæ dixi in Capite Quarto Secundæ Partis Methodi, & alibi: *Deum*, scilicet, *semper agere cum ordine, & per vias simplicissimas.*

NOnnulli me temerariè conjicere, & terminis vagis & generalibus abuti existimant dum dico, Deum semper agere cum ordine, & per vias seu rationes simplicissimas procedere in consiliorum suorum executione. Itaque hanc veritatem probare & explicare, operæ pretium est: siquidem non modò ad naturæ, verùm etiam ad Religionis & Ethicæ cognitionem utilissima est.

Per vocem Dei intelligimus ens infinitè perfectum, cujus sapientia & scientia nullis circumscribuntur limitibus, & qui proinde omnes rationes quibus consilia sua potest exequi, cognoscit: hoc ita posito, dico Deum semper agere per rationes brevissimas aut per vias simplicissimas.

Rem exemplo sensibili demonstro: suppono Deum velle ut corpus A pellat corpus B. Cùm Deus omnia sciat; optimè cognoscit A posse impingere in B. per innumeras lineas curvas, & per unicam lineam rectam. Jam autem Deus vult tantum B impelli ab A. & transitum A ad B. alio fine ipsum nolle supponimus, quam ut fiat illa

impulsio. Oportet igitur A. ferri ad B. per viam brevissimam, aut per lineam rectam. Nam si corpus A, ferretur ad corpus B. per lineam curvam, id argueret, aut illum qui corpus illud transfert nullam aliam cognovisse viam, aut ipsum non modò velle impulsionem istorum corporum, sed præterea rationem quærere istius faciendæ impulsionis, alio finequàm relatè ad impulsionem, quod est adversus suppositionem factam.

Eò plus actionis exerendum est ad transferendum corpus ab A. versùs B. per lineam curvam quàm per lineam rectam, quò linea curva longior est rectâ. Si igitur Deus transferret A. versus B. per lineam curvam rectâ duplo majorem; hinc sequeretur dimidiam partem actionis Dei fore prorsùs inutilem; ac proinde altera pars actionis fieret sine consilio & sine æque ac sine effecto, Ergo, &c.

Præterea, actio in Deo est voluntas. Ergo plus opus est voluntatis in Deo ut A transferatur per lineam circularem, quàm directam: Jam verò supposuimus respectû motûs A. nullam in Deo esse voluntatem nisi præcisè ut fiat impulsio A. ad B. Ergò in Deo satis non est voluntatis ut moveat per lineam curvam. Ac per consequens contradictorium est A, moveri per lineam curvam versus B. Itaque, Deum non agere per rationes simplicissimas, contradictionem involuit; nisi supponendo, in electione rationum quibus utitur ad exequenda consilia sua, aliquid aliud intendere diversum ab illis consiliis. Quod contradictionem implicat.

Quum dico plus esse voluntatis in Deo ad transferendum corpus ab A ad B. per lineam curvam, quàm per rectam; nihil ex eo concludendum est adversus simplicitatem entis & actionis Dei: Fatendum enim est nec concipi posse quomodo hæc simplicitas èntis infiniti includat in se omnes diversas entium finitorum perfectiones, nec quomodo ipsius voluntas semper eadem & ordini conformis permanens, varietur tamen relatè ad varia entia quæ producit & conservat. Hic tantùm juxta nostrum concipiendi modum loquor. Nos facillimè concipere arbitror, Deum, quum vult & creat unum pedem cubicum materiæ, aliud velle quam cùm creat duos. Namque evidens est, Deum non posse creare duas res diversas, nec posse scire an unum aut duos materiæ pedes creaverit, vel an transtulerit corpus orbiculatim aut directè, nisi in ipsius voluntatibus esset aliqua differentia relatè ad materiam, aut ad ipsius motum, cùm Deus in seipso duntaxat & in suis voluntatibus videat omnes differentias creaturarum. Jam autem differentias seu auctiones & diminutiones voluntatum voco, id quod in Deo est actionis, relatè ad varia entia quæ producit, aut conservat. Et juxtà hunc res concipiendi modum, dico Deum non posse exercere plus voluntatis, quàm quod necesse est ad suorum consiliorum executionem: adeò ut Deus agat semper per vias simplicissimas relatè ad consilia sua.

Non nego tamen quin possit fieri Deo maximum suppetere rationum seu viarum numerum æqualiter simplicium ad producenda eadem effecta, ac proinde quin possit illa producere per diversas vias seu rationnes. Sed ea semper producit per simplicissimas, dummodò sint omnes ejusdem speciei, nam contradictorium est enti infinitè sapienti esse voluntates inutiles & inordinatas.

Si ad illud Ethicæ principium animum advertere velimus, eos saluti consulere videbimus, qui ad gratiam privatione, pœnitentiâ, & accuratâ obedientiâ præceptis Christi ita se præparant, ut Deus agens in ipsis per vias simplicissimas, hoc est parùm novarum gratiarum ipsis concedens, multùm tamen in ipsis operetur. Quamvis enim Deus nos velit salvare omnes, eos tamen duntaxat salvabit quos poterit salvare per vias simplicissimas; quæ referuntur ad magnum illum decretum sanctificandi per Jesum Christum certum numerum Electorum ad sui gloriam; & posteros Evæ multiplicabit, donec ille numerus adimpleatur. Nam quia Deus vult nos sanctificare per vias simplicissimas, oportet ipsum post peccatum multiplicare filios hominum, ut impleat numerum Electorum; cum multi damnentur excedendo ab ordine Dei.

Cùm autem Deus non agat ut causa particularis, arbitrandum non est ipsum habere ut nos voluntates particulares ad singulas res quas producit. Nam si hoc ita se haberet, generatio monstrorum impossibilis esset, nec unquam contingeret ut unum opus Dei aliud destrueret. Cùm Deus non possit habere voluntates contrarias, recurrendum esset ad aliquod principium mali ut Manichæi, quod, exempli gratiâ, congelaret fructus quos Deus produceret. Cùm hoc ita sit, credendum esse mihi videtur, quasdam esse leges generales secundùm quas Deus prædestinat & sanctificat electos in Jesu Christo, & leges illas esse id quod vocamus ordinem gratiæ, quemadmodùm voluntates generales secundùm quas Deus producit & conservat quicquid in mundo est, sunt ordo naturæ.

Nescio an mea me fallat opinio, sed ex hoc principio multas arbitror posse directè colligi consequentias, quibus forsan difficultates circa quas ab aliquot annis magnâ animorum contentione disputatum est, solverentur. Sed ab his eliciendis abstinere debeo, quisque eas pro lubitû eliciet. Silere satius est quàm res dicere quas scite necessarium non est & circa quas aliquando forsan homines faciliùs inter se conciliabuntur quàm hisce temporibus. Optarem tantummodò homines id altè in animum inducere, nempe rationes conversionis nostræ simplicissimas esse privationem & pœnitentiam; aut ipsos saltem seriò id animadvertere; scilicet, cùm Jesus Christus distinctè cognoscat leges ordinis gratiæ, illos in perpetua incurrere discrimina, qui non sequuntur vestigia ab ipso pressa & nobis indicata, non modò sermonibus suis, sed etiam actionibus.


Sed quia per illud vitæ curriculum multi eveniunt casus in quibus quid nobis sit agendum ambigimus, propter rationes contrarias quæ utrinque afferri possunt circa quasdam opiniones, fortè forsan inutile non erit ostendere aliquo exemplo speciali, ex isto principio à me modò stabilito, Deum scilicet semper agere per vias simplicissimas, multum percipi posse usum.

Supponamus, exempli gratiâ, me ambigere an singulis diebus certum tempus debeam ad id destinare, ut intra memet me recipiam infirmitatem meam & miseriam mihi repræsentem, meas coram Deo agnoscam obligationes,& illum supplex orem, ut in vincendis affectibus meis mihi opem ferat: An verò debeam expectare donec spiritus Dei qui spirat quo vult & quando vult, me mihi ipsi & occupationibus ordinariis rapiat, ut me sibi applicet: namque verisimiles rationes afferri utrinque possunt: & homines in hisce casibus ut plurimum contenti sunt verisimilitudinibus; hinc fit ut viri pii rationibus planè diversis sese gerant.

Considero igitur quòd, si motûs spiritus Dei peculiares expectem, illum nunquam precabor, nisi ad id recipiam lumina peculiaria, aut delectationes prævenientes. Cùm autem illa lumina seu delectationes producantur à Deo per voluntates magis particulares, quàm ipsius voluntates generales quibus constituitur ordo naturæ, sunt quædam miraculorum species. Itaque, cùm ipsius gratias quæ semper necessariæ non sunt expecto ad orandum, exigo à Deo ut impellat me ad preces per vias non simplices, immò Deum aliquo modo tento.

At verò si assuescam me coram Deo certis horis prosternere, aut saltem id facere coner; horologii sonus sufficiet mihi ut officii mei recorder, nec opus erit Deum habere voluntatem specialem mihi inspirandi spiritum supplicationis: leges generales unionis cum corpore officii mei memoriam mihi refricabunt, ubi tempus quod orationi assignaveram per aliquid sensibile à me observari poterit.

Cùm autem necesse sit, sese recipere in intimos animi recessus, cumque precari non possimus quin precandi cogitatio animum subiverit, nec possit subire nisi Deus ipsam det; Qui illam precandi cogitationem, Deo ipsam voluntatibus specialibus aut quibusdam miraculis non dante, concipere possunt, jam in negotio salutis rem assequuti sunt non parvi momenti. Immò ex illius primæ orandi, & suas coram Deo obligationes agnoscendi cogitationis defectu, forsan oritur multorum cæcitas, ac per consequens damnatio æterna. Etenim Deus agens semper per vias simplicissimas, per voluntates speciales non debuit ipsis dare cogitationes quas obtinere potuissent per ipsius voluntates generales, si semel assuefacti fuissent orare certis temporibus. Itaque cùm Deus velit salvare homines per vias simplicissimas, evidens est, ita agendum esse, quantùm fieri potest,



[illegible]do naturæ ordini gratiæ inserviat, & voluntates Dei [illegible], ut [illegible] concilientur tempus assignando quod cogitationem pre- [illegible] nobis saltem excitet.

Verisimile est Deum his de causis olim Judæis præcepisse ut ipsius [illegible] scriberent in ædium portis, & quædam semper haberent [illegible] quibus in ipsorum memoriam revocarentur; id impediebat [illegible]minus Deus voluntate particulari uti cogeretur, si fas sit ita lo- [illegible] ipsis has inspiraret cogitationes. Nam gratiæ miracula apud [illegible]erant rarissima, quia tempus nondùm advenerat quo Deus in- [illegible]us erat legem cordibus hominum, & spiritum charitatis ef- [illegible]us.

Fateor omnia quæ possunt fieri per vires merè naturales non [illegible]sse per se meritoriè disponere ad gratiam, & sine illâ quicquid ex- [illegible]rnum est in Religione ad id duntaxat conferre ut superbiam & phi- [illegible]tiam nostram foveat. Pharisæi ex eo quod signa sensibilia & ad [illegible]s Divinæ recordationem idonea secum ferrent gloriam aucupa- [illegible]tur, ut Jesus Christus ipsis exprobrat; Et Christiani crucibus & [illegible]ibus sæpè utuntur per curiositatem, per hypocrisin, aut per a- [illegible]ampiam philautiæ rationem. His tamen, quia Dei cogita- [illegible] in nobis excitant, utilissimum est uti; nam quantum possu- [illegible]do gratiæ cum ordine naturæ conciliandus est, ut Deus possit [illegible]vare per vias simplicissimas.

Quamvis enim naturâ nequeamus ad gratiam nos disponere, tamen ad illam efficacem reddendam conferre valemus, quia affectûs impetum minuere possumus, recedendo ab objectis quibus excitatur, aut rationes isti affectui contrarias sibi repræsentando. Qui imaginationis puritati cæteris accuratiùs incumbunt, aut ipsam usu perpetuo voluptatum sensibilium & mundi consortio corrumpi non sinunt gratiam reddunt efficacem, quia ipsi minus obsistunt quam cæteri homines. Hoc sensu morbus, pluvia, aut alius quivis eventus quo domi detinemur, gratiam efficacem potest reddere. Nam qui gradus gratiæ debilior fuisset quàm ut adversus impressionem sensibilem ex objecti jucundi præsentiâ natam animum nostrum firmaret; ad id posset sufficere ut cum horrore rejiceremus cogitationem aut fœdam imaginationem istius objecti.

Id sufficit ut clarè cognoscamus consilia Evangelii esse necessaria, ut Deus per vias simplicissimas nos servet. Illa sequi utile est, non modò quia dum illa sequimur motu spiritûs Dei, ipsum ad id determinant ut propter leges generales ordinis gratiæ, augeat in nobis amorem suum; Verùm etiam quia praxis istorum consiliorum gratiam ipsam efficacem sæpè reddere potest, quamvis philautiæ principio in praxim redigantur, quod in multis casibus fieri potest.

FINIS.

